NELLANI GLACANI

Tirconallienſis Hiberni

REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARII, & IN ALMA Vniuerſitate Toloſana quondam Profeſſoris Medici, nec non in celeberrima Bononienſi Academia, Studiorum Matre, Primarij, ac Eminentis Profeſſoris.

CVRSVS MEDICI

PARS TERTIA.

Semeiotica dicta,

IN QVATVOR LIBROS DIVISA.

In quorum Primo de Signis: in Secundo de Criſibus: in Tertio de Pulſibus: & in Quarto de Vrinis.

OPVS MEDICIS, ANATOMICIS, CHIRVRGICIS, ac Tyronibus apprimè utile ac proficuum.

SVPERIORVM PERMISSV AC PRIVILEGIO.



BONONIÆ. M.DC.LV.

Sumptibus. Sebaſt. Combi, & Ioan. Lanou.

In Tertium Tomum Cursus Medici Excellentissimi, & Clarissimi Viri

NELLANI ô GLACAN,

Bononiæ Medicinæ Doctoris Eminentis.

Versus Hexameter.

Hygeia ad Medicinæ Studiosos.

O Iuuenes si fortè sequi mea castra parati,
Si curam vobis, pulchrumque sacrare laborem
Est animus, nostræque subest Reuerentia Famæ.
Atque adeo vos nostra viri qui munia passim
Ducitis, & Panaces sacras defenditis arces;
Qui miseris passim populis, passimque dolenti,
Fertis opem Mundo; solique potentibus herbis
Parcarum contra leges; decretaque Diuûm
Imperia in longum vitale extenditis æuum.
Huc faciles aures, facilemque aduertite mentem.
Vos natam extorrem profugam deflete salutem
Exilio tristi, mæstisque erroribus actam:
Hanc puero quondam Mundo, Cæloque recenti
Fælices inter platanos; viridesque cupressos
Formosam genui; quæ spes mortalibus ægris
Certa foret, placidisque æuum decurreret annis.
Sic ego, sed pariter natæ, pariterque parenti
Mors dira inuidit bellumque inimica parauit.
Tum subito maciem; tum febrûm mille cohortes,
Et mille eduxit; pallentia monstra, dolores.
Tum primùm vigili venerunt tædia lecto
Tum primum ingrati Soles, exosaque vitæ
Gaudia. nullus amor positis accumbere mensis,
Nec blandæ Cereris; nec dulcis cura Lyæi.
Mox violenta fames, mox aspera venit egestas;
Tormenti genus horrendum, nil dirius infrà
Quod nudos stimulet manes, hominumque labores
Multiplicet, pellatue pigros in crimina sontes.
Mox sæua ingluuies, totas conuiuia noctes

Edo-

E docuit, vetitasque dapes, & dulcia blandi
Inuenit nocumenta meri, lethumque parauit.
Nunc eo à Venus, nunc vis ignota malorum
Insurgit, miserosque vltrò depascitur artus;
Non virides anni, crudele extinguere virus,
Non solidæ possint vires, robustaque membra.
Intus sæua lues lentum per viscera tabum
Insinuans, ipsis sedet hospita dira medullis.
Quid iam ægro superest homini, si tanta sub ipsis
Abdita delicijs mala? si nouus ingruat vsquè
Morborum labor? & passim neglecta medendi
Sedulitas, passimque viri rarissima turba
Qui freti succis, freti felicibus herbis
Restituant ægros, & tristia fata morentur?
Hoc Glacan, nostra Glacan celeberrimus arte,
Glacan Felsinei nomen memorabile Rheni
Hoc vidit, labique meum indignatus honorem,
Securam largitur opem, fidumque leuamen;
Hic ille extorrem reuocat sub fida salutem
Hospitia, hic sæuas acies, febrùmque maniplos,
Notosque ignotosque omnes dat vincere morbos.
Nec plura à nobis exquirite. Gallia cuncta
Hunc solum mirata virum legit: hunc colit vnum.
Sic belgæ, longinquus Iber, sic accola Rheni.
Magnis muneribus, magno pellexit honore
Ausonia absentem: miro nunc Felsina plausu
Audit Pergamei reserantem arcana Magistri.
Patria clara Viro Vetus olim Vltonia Regnum.

Petri Adriani Van Broecke
Lucæ in Sem. Eloquentiæ Professoris.

Illu-

NELLANI (aliàs NIELLI) ô GLACAN, TIRCONALLIENSIS HIBERNI,

Regis Christianiss. Consiliarij, & in Vniuersitate Tolosanâ Professoris Medici; necnon in Celeberrima Bononiensi Academia, Studiorum Matre, Primarij, ac Eminentis Professoris,

SEMEIOTICA.

LIBER PRIMVS, De Signis.

CAPVT I. *De Natura, & Necessitate Semeiotica.*



Hysiologiâ, & Pathologiâ, primis Medicinæ Partibus, absolutis, Tertia, Semeiotica (Græcum vocabulum σημειωτική, latinè Semeiotica, siue Semiotice pronunciatur) dicta, ad sui inuestigationem nos modò, & quidem debitè, accersit: Medicus sanè Physiologicâ doctrinâ imbutus, vniuersam Hominis naturalem compagem, & constitutionem adipiscitur: veluti Pathologicâ scientiâ institutus, contingentem Homini statum, vel dispositionem præter naturam. Sed quoniam ambæ iam relatæ partes Medicum integrè peritum nec perficiunt, nec constituunt, meditari vlteriùs oportet alias quasdam partes; inter quas, & modò relatas, fragilis labilisq; Hominum constitutio, quandam effecit relationem. Binæ ergo aliæ binas nunc dictas partes respiciunt, Hygieine, & Therapeutica: illa nimirum Physiologiam, hæc verò Pathologiam. Hygieine est Sa- *Hygieine, & Physiologia sunt*

Sociæ partes. Pathologia, & Therapeutica siue curatrix pariter sociæ cognataque.

Salubris, siue conseruatrix Medicinæ Pars, vt in nostris Prolegomenis Medicis, Physiologiæ nostræ præfixis, cap. 6. docuimus: Pars Medicinæ Therapeutica, Curatrix à nobis ibidem, iuxta vocis etiam Etymon, dicta est. Hygieine verò, Altricis instar, naturalem Corporis Humani constitutionem in Physiologia descriptam, fouere & conseruare, ne pereat, satagit. Nam Petrum tot procellis in mundo agitatum contemplari non sufficit; sed sex rerum non naturalium, aëris videlicet, cibi & potûs, motûs & quietis, somni & vigiliæ, excretorum & retentorum, ac animi passionum, moderato vsu fouere, & resarcire. Conseruatricis enim, siue Salubris Medicinæ præceptis res hæ nonnaturales debitè cuiuis Corpori adaptantur. Quare Pars hæc salubris naturalem Corporum constitutionem fouens, resarciensque, Physiologiam respicit, tanquam Nutrix nutriendum, fouendumque. Alioquin, sicuti nutriẽdus sine nutrice, aut nutriẽte incassũ superstes ortui succederet, ita Physiologia sine Hygieine siue Salubri, frustranea foret; seu naturalis humani Corporis constitutio seruanda, sine sex rerum Nonnaturalium exacta administratione, irrita diceretur. Similiter constitutionem Corporis, præter naturam, quam Pathologia minutim examinat, frustra Medicus abigendam susciperet, Auxiliatrice Therapeutica vacuus; quæ vigilantissimi & Seueri Ducis instar, constitutionem illam præter naturam in Morbum, Morbi Causam, & Symptoma (vt in Pathologia docuimus) distinctam, congruis remedijs quamprimùm rescindere, & penitùs extirpare solet. Cæterùm, cùm naturalis status corporis, & status eius præter naturam, sine signis dignosci nequeant, rectè à Præcipuis Medicinæ Parentibus Semeiotica adinuenta est, quæ Salubria, Neutra, & Insalubria Signa perpendit: Adeoq; meritò Physiologiæ, & Pathologiæ postponitur, & Parti Salubri, ac Therapeuticæ præficitur, rectèq; per se Medicinæ Partem constituit; quidquid in contrarium parùm oculatè protulerit Ioannes Antonides Vander Linden in sua Medulla Medicinæ, Parte 2. Sect. 4. Cap. 1. Semeiotica, inquit, est Pathologicæ Pars quarta, quæ signorum Medicorum doctrinam tradit. Decipitur sanè hic Author; cùm non solùm morborum signa diagnostica, sed Prognostica; imò verò & signa statûs naturalis Corporis humani complectatur Semeiotica. Verùm ille, vt existimo,

Hygieines munus.

Hygieines necessitas.

Therapeuticæ, siue curatricis Medicinæ necessitas.

Semeioticæ necessitas.

Antonides perstringitur.

sequu-

sequutus est in hoc, vt in alijs multis rebus, Ioannem Fernelium, qui lib. 2. suæ Pathologiæ, in quo de Symptomatis agit, Signorum naturam consequutiuè examinat. Cap. autem 7. dicti sui Libri de Signo discurrens, Symptoma signum esse interioris, occultique morbi asseuerat. Quam ob causam de Signis cum symptomatibus agit. Sed quoniam frequenter suæ authoritati, quàm rationi, plus roboris concedit Fernelius, in hoc casu omnis ei abroganda fides. Nam tametsi Symptomata instar Signorum esse videantur; quòd sint Morbi accidentia; nõ ita tamen clara sunt, quin maiori adhuc egeant elucidatione, vt Morbi essentiam, & futurum eius prodant euentum. Scimus n. omnes, alui fluxum v. g. esse Symptoma in excretis, dum morbum sequitur: Attamen an salutaris sit, an lethiferus, ignoramus, donec rem totam quibusdam Signis cruditatis, & coctionis inuestigemus. Pariter an à Morbo, an ab aliquo leui errore externo in cibo, aut potu commisso, idem procedat fluxus, adhuc, nisi diligenti Signorum inuestigatione, nobis incompertũ. Non ergo sufficit excreta oculis perspicere, sed excretorum naturam perpendere oportet. Vnde excreta, tametsi manifestissimum Symptoma, Signis ad sui cognitionem indigebunt. Quare parùm cautè Fernelius cap. 8. cit. lib. 2. promulgauit, Symptoma Signis non egere: Tria, inquit, Corpori præter naturam insidẽt, Morbus, Morbi Causa, & Symptoma: Postremum hoc, quia perpetuò sub sensum aliquem cadit, seipso, non alijs Signis, percipitur. Visus est Fernelius hîc statuere, quidquid sensibus objcitur, seipso percipi. Quod si verum esset, plebeius quisque, si non integer saltem Semi Medicus euaderet: cùm ei Symptomata, si non omnia, quamplurima conspicua sint. Satiùs ergo est, Semeioticam, vt distinctam Medicinę Partem, examinare, quàm eam cum Symptomatibus promiscuè tradere; maximè verò cum Salubria etiam comprehendat signa.

Fernelius perstringitur.

Semeiotica, significatiua Latinis, à verbo Græco σημειόω, quod idem est, ac noto, Significo, excipio, annoto, dicitur. Vnde sequenti serie ipsa describi commodè potest: Semeiotica est illa Medicinæ Pars, quæ Signorum, quibus res naturales, ex quibus Homo constituitur, resq; quibus conseruatur, & res præter naturam, quę Hominis functionibus obsunt, & res mediæ, siue neutrę

Semeioticæ deriuatio siue Ethymologia.

Semeioticæ definitio.

dictæ, deteguntur, expositionem sollicitè complectitur. Vel ex Libro Introductorij, siue de Medico, Cap. 7. Simeiot con est Pars Medicinæ, quæ præteritorum cognitionem, præsentium inspectionem, & futurorum præsagia continet. Medicina ex Herophylo apud Galen. Lib. de Arte Medicinali (Artem Paruam aliqui nominant) cap. 2. est Scientia Salubrium, Insalubrium, & Neutrorum. In Præludijs Physiologicis hanc definitionem cum ipso Galeno exponens, dixi, Salubre, Insalubre, & Neutrum, non solùm de Causa, & Corpore, sed adhuc de Signo prædicari. Hinc constat, quàm latè Signi ratio per vniuersam Medicinam diuagatur. Sine ergo Semeiotica (rectè enim, e, in prima syllaba collocatur, quia, η, Græcum, Latinum factum pronunciatur & fit, e, longum) nec Temperamentum, nec Humor, nec ipsa Corporum discrepantia, nec causæ ipsæ Corporis conseruatrices, nec aduersæ corpus obruentes, dignosci possunt; sicuti nec futura Salus, Morsue, certitudine quâdam prædici: Hinc Semioticæ necessitas; quam varijs in locis Galenus, vt protinùs necessariam, promulgat. Commentario autem primo in Librũ Hipp. de Officina Medici (cuius prima pars Proæmium est commune totius Artis (vt in sua præfatione ad eundem librum docet Galen.) textu 1. sequentia profert: Quemadmodum in proposito sermone eam partem, quæ ad indicia pertinet (recentiores Græci σημειωτικὴν dicunt) tractari necesse est, quibus rectè mederi propositum est, antequam eam, quæ curat, aggrediuntur, vt quum simile quid nacti fuerint, morborum discrimina ad vnguem in ægrotantibus teneãt. Nihil autẽ in sequentibus intererit habitum nostrorũ Corporũ naturali administrationi contrariũ, morbi, vel affectûs vocabulo nuncupare, sicut Græci omnes consueuerunt, interdum νόσημα, interdum πάθος, genus hoc vniuersum appellantes. Nunc igitur docet Hipp. partis, quæ ad indicia spectat, maximè generale propositũ, quemadmodũ fit in parte, quæ medetur. Nam sicut in hac curationis cuiusq; commune consilium est, Contrarijs per Contraria subuenire: ita in illa posse cognoscere, quatenùs ea, quæ in affecto corpore conspiciuntur, benè admodùm valentis sunt similia. Quod Hippocrates ipse in Prognosticis indicauit, cùm inquit: Maximè ad rem pertinet intueri, an sibi quis ipse aliqua ex parte similis sit. Idem (Hipp. scilicet) in

Medicina definitio.

Semiotica necessitas.

Morbus, affectus, & passio sæpè confunduntur.

Contraria contrarijs curantur.

Libro quoq; de Articulis proposuit, quùm vitiatam corporis partem ad eam, quæ integra est, conferri iussit: vbi similiter voluit non simpliciter comparari, sed affecti Hominis dextram partem cum sinistra conferri, nihil alienis articulis, hoc est aliorum hominum, inspectis. Quod etiam nunc faciendum duxit (Hippocrates) cùm ait; an similia, an dissimilia, principio à maximis, à facillimis: ac si ita dixisset: Laborantium corpora ab initio protinùs inspici debent, quatenus similia sint sanis, quatenus dissimilia. Quam rem, cùm agemus, ex ijs, quæ maximi momenti sunt, & in quibus expedita admodum cognitio est, morborum notas intelligemus: quandoquidem nos ignorare non oportet, non esse alia maxima, alia facillima: sed ijsdem Signis contingere potētia maximis esse, & cognitu facillimis: Huiusmodi sunt, quæ in Prognosticis statim in principio traduntur his verbis: Nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, & quæ sequuntur. Namq; hæc maximi esse momenti in prænotione eorum, qui mediocriter in Medicinali Arte fuerint exercitati, nemo est, qui nesciat: esse verò cognitu facillima, omnes sanè, vel Artis etiam expertes, intelligunt; quùm nullam Corporis partem priùs facie protinùs videat, qui ad cubantem accedit.

Pars ægra cum sana conferri debet.

Facies Hippocratica.

Hactenus Galenus exponens hæc Hippocratis verba: An similia, an dissimilia, principio à maximis, à facillimis, à quibuscunque, quomodocunq; cognitis. Statim enim hæc interpretaturus Galenus, Artis Medicæ finem propter se exoptari ab ijs, qui in eadem Arte versantur, docet: alia autem, quæ in Medicina examinantur, non propter se, sed finis gratia acquiri: quæ omnia his verbis exponit Galenus: Siue quis benè valere, siue bonam valetudinem, siue aliud quid tale, Medicinalis Artis finem constituat, hunc ipsum propter se student, qui in hac Arte versantur. Neque vlli dubium est, quin contemplatio quædam sit, cui operam dare oporteat eum, qui restituere velit (vbi corrumpatur) naturalem nostrum siue habitum, siue administrationem, seu structuram, seu quod est aliud verbum, quo placeat nominare: at non propter se cætera omnia, quæ ad artem spectant, addiscimus, docemus, aut deniq, audimus, sed quòd ad finem singula eorum conducant: Quemadmodum in proposito sermone eam partem, &c. superiùs à nobis producta. Vult.n. Galenus,

Medicinæ finis propter se exoptatur cætera quæ in Medicina tractantur, propter finem.

Semio-

Semiotica Sanitatis gratia cõtemplãda. Semioticam non sui gratiâ cõtemplandam, sed Sanitatis præsentis conseruandæ, aut absentis acquirendæ. Rursusq; docet eandem Semioticam necessariam ei esse, qui mederi cupit: Et quidem duas ob causas: *Semiotica duplici de causa necessaria.* Primò, vt naturalem Corporis constitutionem ad vnguem proprijs signis dignoscat, pariter & constitutionem præter naturam, etiam mediantibus proprijs cuiuscunque morbi signis. Secundò, vt sciat discrepantiam, Petri, v.g. ægri, à seipso sano: quam dum rectè nouerit, Petrum ęgrum cum seipso, quando sanus erat, conferre poterit; indeq; conijciet, quanta fuerit distantia inter Statum sanum Petri, & Statum præter naturam eidem accidentem. Secundùm maiorem, aut minorem hanc distantiam iam cognitam, Medicus futurum morbi euentum planè pronunciabit, ac victum, & remedia exactissimè præscribere poterit.

Collatio ægri cum sano dupliciter fit. Comparationem autem inter Corpus sanum, & idem ægrum, duobus modis fieri docuit Hippocrates, vt ex contextu citato, & alijs à Galeno productis colligere licet. Vel enim totum corpus ægrum Petri sibi ipsi sano comparatur, vel pars ægra parti sanæ. Vtriusq; comparationis exemplum subijcit Galenus. Petrus æger potest laborare facie Hippocratica, ideò dicta, quòd ab Hippocrate sub Principium Prognostic. descripta fuit: vbi ait: Considerare autem conuenit hũc in modum per morbos acutos principio vultum ægroti, sitne similis benè valentium, potissimùm sui, ita enim optimus erit: Si verò quàm maximè contrarius simili sit, horrendissimus est. Fuerit autem eiusmodi, nasus acutus, caui *Luctuosæ faciei Hippocraticæ descriptio.* oculi, tempora astricta (siue collapsa) aures frigidæ, contractæq; & fibræ earum versæ: & item cutis circa frontem dura, intenta, arida: & color totiûs vultûs viridis, aut niger. Paulò post iubet idem Hippocrates animaduertendum, vtrum talis facies siue vultus morbi vehementiâ contingat, an verò per accidens, ob vigilias, vel immodicum alui fluxum, vel propter inediam. Ipsius subsequentia verba sunt hæc: Si igitur inter initia morbi talis fuerit vultus, nec dum scrutari alijs signis possibile sit, interrogare oportet, num vigilauerit homo, an aluus resoluta admodum fuerit, an fame affectus. Et siquid horum comprobet, minori cum *Luctuosa facies apparenter.* periculo est. Indicantur verò talia per diem & noctem, si ob has causas talis fuerit vultus. Si.v. nullum horum dixerit, neq; prædicto

dicto tempore destiterit, signum esse exitiosum sciendum est. Sed oportet adhuc examinare cum eodem Hipp. ibidem, & cum Galeno commentario cit. in tex. 1. libri de Officina Medici, an facies illa sola appareat, sine Corporis reliqui extenuatione, aut consimili affectione. Si.a.reliquũ, sicuti facies, extenuatum est, & maximè à naturali statu recedit, tunc talis status præter naturam dissimilis omninò, & valdè cõtrarius erit statui naturali eiusdem Petri; adeoq; periculosissimus, aut lethalis pronunciabitur morbi euentus; nisi constitutio illa præter naturam ab aliqua causarum ab Hipp. iam antea relatarum, procedat. Si verò facies Hippocratica adesse videatur, oportet totius reliqui Corporis statum animaduertere; & si inuenietur Corpus simile corporibus sanis, & sibi ipsi in statu sano, illa periculum indicabit nullum. Quantum ergo luminis ad curandum & prædicendum tribuat Semiotica, ex his, alijsq; pluribus Hippocratis, & Galeni locis perspicuum euadit. Medico enim Corporis Humani sani simul & ægri signa suggerit, vt inde discat, quantum à naturali statu corpus ægrum recessit. Quo cognito Medicus futurum euentum prædicere poterit, & ad deliberandum de agendis se statim accingit.

Faciei Hippocratica certũ indicium.

Semeiotica ad prædicendum vtilis

De dignotione autem & prænotione loquens Gal. comment. 1. in lib. Hipp. de vict. rat. in morb. acut. inquit: Verùm res non ita habet, cùm de necessitate in illis; quæ ad curationem idonea sunt, hæ contineantur. Si enim ad optimæ curationis inuentionem nihil conferrent morborum dignotio, & futurorum prænotio, prorsùs hæ superuacarent: nunc autem, quòd conferant, ob id vtiles existunt. Ergo quod affectuum dignotio ad curationem valdè necessaria sit, recensere non est opus. Nam in primis, quisnam sit morbus, dignoscere oportet, deinde curationem ipsius ita aggredi. Quod verò prænotio ad curationem quoque vtilis sit, demonstrauit in Præfatione Prognostic. Hippocrates. Qui ergo omnia, quæ ad Medicinam spectant, vtilia ea, vel ad dignotionem, vel ad curationem, vel prænotionem esse dixerit, virtute idem dicit. Curatio siquidem per se à Medicis exercetur: Prænotio autem, & dignotio propter curationem. Quò fit, vt nemo finem Artis, dignotionem, vel prænotionem, sicuti curationem, asseuerauerit. Multa alia de Significatiua, siue Semiotica refert Galen. lib. de Partib. Artis Medicæ; qui sanè liber Galeni stylum redolet, Galenoque dignus videtur.

Dignotio morbi antecedit necessariò curationem.

Hip-

Hippocratis testimonium ex Præfatione Libri Prognostic. de Vtilitate Semioticæ, quoad Partem Prognosticam, subijcere adhuc iuuabit. Medicum, inquit, vti Prouidentiâ (vt mihi videtur) optimũ est. Præsentiens .n. & prædicens coram ægris, pręsentia, præterita, & futura, quæq; Infirmi omittunt, enarrans, creditur agnoscere magis ægrorum res. Hinc audent Homines (magis) se concredere Medico. Ita curationem optimè molietur, præ-noscendo ex præsentibus futuras affectiones. Fieri enim non potest, vt ægros omnes sanos faciat: Id enim meliùs foret quam præsentire futura. Galenus in Commentarij principio, ait: Pro præsensione dixisse prouidentiam, perspicuum est: Igitur infert, Præsentiens enim, & prædicens coram ægro. Cæterùm prætexuit Operi Præfationem, vtpotè necessariam (quamquàm non admodùm vtatur Præfationibus) ob quosdam Medicos, vt par est, qui illius Sæculo extiterunt, quales & nunc sunt, sese nominantes Methodicos, Medicorum officium haberi dicentes, aut præsentẽ conseruare Sanitatem; vt in benè valentibus: aut reuocare corruptam, vt in ægrotantibus. Vaticinatoris verò interesse prædicere futura. Itaque docet Hippocrates in pręfatione, quàm vsui Medicorũ præsagia habeantur, oratione in tria Capita diducta. Primum est, quòd ægri mandatis Medici parent propensiùs. Secundum, quòd Medicus, pręsentiendo, quę ægrotantibus sunt euentura, de longinquo obuiam it. Et Tertium, quòd crimine vacat (Medicus) internecionis ægrotantium. Porrò voluit, vt hoc nihilominùs Medico insit, quàm vt Salutis causa censeatur. Necessitatem verò Semiotices, Hippocrates pauculis verbis contra sui temporis Medicos rectè, æquè ac modestè, Prognosim insinuando, proposuit, inquiens: Medicum vti prouidentiâ (vt mihi videtur) optimum est. Exponens autem vocabulum, Pręsentiens, Galenus, ait, idem esse ac prouidens, siue præuidens: Prouidere enim, siue præuidere, idem est hîc ac mente videre aliquid, antea quàm fiat, siue hoc ipsum, quod futurum est, bonum, aut malum esse contingat; vt his verbis Galenus in Enarratione Præfationis iam dictæ Hippocratis exponit: Si igitur, inquit, Prouidentia secundùm hanc cõmunem significationem dicta est, constat, vt ita appelletur ea ratione, quod aliquid anteaquàm fiat, mente videatur. Pari modo præsensionis vocabulum factum est.

Omnes ægros curari est impossibile.

Præsensio cum prouidentia cõfunditur.

Tempore Hippocratis quidam Methodici Conseruatricem & Curatricem, repudiata Semeiotica, præsertim Prognosi, admittebãt.

Triplex Prognosis vtilitas.

Præsentire, Prouidere, & præuidere idem sonant.

Prouidere quid?

est. Si .n. quæ sensibus suaptè vi, & natura v surpantur, quibusdam peruestigamus indicijs, meritò talia dicimus, idest, προνοεῖν, idest, præuidere, perinde quasi νοεῖν, idest, mente videre, dicamus antequàm oculis cernamus. Ita efficitur, vt rerum, quæ per tria accidunt tempora, præsensio sit. Vates enim nihilominùs demirandus est, qui, tanquam præsentia, dicat præterita, quæ non vidit ipse, quàm qui futura prænunciet: pari ratione, qui ea, quæ nunc geruntur quidem antequàm videat, nihilominus, quàm ille, bonus Vates est. Igitur Hippocrates indicauit hæc dicens, Præsentiens, & Prædicens coram ægris præsentia, præterita, & futura. Eiusdem ergo Artis interest, præterita, quæ non videris, dicere, vt extiterint: & item præsentia (quorum scilicet enarrationem omisit æger, & Medicus in Arte peritus dignoscit, vnum ex alio inferens) atque etiam post futura. Vsu .v. inter se admodum dissident: futurorum enim præsensio vtilissima est: præteritorum v. inutilis quidem alijs, sed vtilis vni Medico; cui libeat artem suam ostentare. Hæc Galen. in his satis clarus; qui paulò ante varias significationes verbi, προνοεῖν, idest, prouidere apud Græcos enodauit. Πρόνοια autem .i. Prouidentia, secundùm communem Græcorum consuetudinem, curam, & diligentiam significat. Quemadmodum Euripides indicauit, dicens: Hæc moriens, tamen multam prouidentiam habuit, vt honestè caderet. Vnde verbum Græcum, προνοεῖν .i. prouidere, idem erit, ac curam gerere cuiusdam rei, & præparare semper vtilia. Prouidentiâ Mundum gubernari, in hoc etiam sensu dicitur. At .v. Hipp. (inquit Galenus) non ita, sed pro præsensione prouidentiam dixit (mihi videtur) non simpliciter, sed a communi quâdam significatione secundùm vtramq; appellationem. Quòd enim mente videantur quædam, antequàm fiant, præuidere, apud Homerum, & item (præuidentiæ) vocabulum factum est: & ab ea ipsa præsentire, & item præsensio. Quocirca, quidquid natura sensile ratiocinatione peruestigamus, antequàm intueamur, præuidere hoc meritò dicimus, indicantes verbo, vt talia mente videamus, antequàm fiant: & ob eam rem, quæ geruntur, si fiant de repentè, sine arbitrio & cogitatione; si consultò, cum prouidentia fieri dicimus: Id quod Soloni quoque est proditum, hunc in modum: Interstinguant perpendantq; Iudices Areopagitæ, conueniet num, cædes, vulnus, incendium, prouidentia

Præsentiri dicuntur cuncta, quæ nostro Marte dignoscimus, siue præterito, siue præsenti, siue futuro tempore cötigerint.

Futurorum præsensio vtilis, præteritorum, nisi vni Medico, inutilis.

Πρόνοια quid?

dentia commissum sit, & item medicamentum si quis adhibens interemit. Quin etiam Rethores antiquiores sæpenumerò talia verba, & nomina vsurpant: in quibus, quæ prouidentia geruntur, diducuntur aduersùs ea, quæ sine vlla consultatione, & deliberatione contingunt: V.g. si quis inuitus alterum oblæsit, aut percussit obiratus; haudquaquàm prouidentia extitisse dicunt: Sed, si quis multò cogitauit ante aliquid tale committeret, & considerauit quo pacto, prouidentia id commissum volunt. Id ergo cõmune significatur apud Græcos de prouidentiæ vocabulo, bonarũq; & malarum gestionum: nec, vt quidam existimant, de bonis tantummodò dici assolet.

Vocabula quædam synonima.

Hæc Galenus, qui secundùm Hipp. ait, & rectè, prouidentiam pro solo bono rerum successu non accipi, sed pro boni, malique euentûs præcognitione, siue præsensione. Præcognitio, siue Prognosticum ergo, Prædictio, Præsagatio, seu Præsagitio, Præsagiũ, Prænotio, & Præsensio, ac Prouidentia, sunt synonima, quorum quodque rem maturè prænotam significat: siue res illa malè, siue benè successerit. Hoc tamen discriminis est, inter Præsensionem, & Prædictionem, quòd Præsensio in mente esse dicatur, Prædictio .v. in voce, quod voce proferatur Præsensio, vt testatur Galen. in Præfatione Libri Primi Prorrheticon. Præsensio autem, inquit, in anima est nostra. Prædictio.v. eorum, quæ sunt præcognita, per vocem efficitur: constatq; non alia quidem in anima non opinari, alia.v. prædicere. Cæterùm iuxta hanc Galeni doctrinam, mente præsagimus, & pariter præcognoscimus.

Præsensio, & Prædictio discrepant.

Præsagium, iuxta Galen. lib. 1. de Crisib. cap. 2. & alibi, est futurorum Symptomatum, aut Mortis, aut Salutis diuinatio; quæ quidem non aliter fit, quàm mediantibus Signis bonis, malisue, in ægris apparentibus. Herophylus apud Galen. in exordio commentarij in Lib. 1. Prorrhetic, Præsensionem, Præcognitionemue, à Prædictione distinguere voluit, quòd prædictio aliquando certa sit, aliquoties incerta; Præsensio .v. certa semper. Ad quod Galenus ait, nos quidem vtroque modo præcognoscere & præsentire: interdum quidem tum exactè, tum certò: interdum verò probabiliter: sicuti fit à nauium Rectoribus, & Rusticis, qui mediantibus quibusdam Signis, imbres, siccitates, frigora, æstus, ventos, ventorumq; tranquillitates, præsentiunt, prædicuntque.

Prædicimus, Præsentimusq; aliquando exactè, aliquãdo probabiliter.

His

His ita expositis, perspicua est, Prognosis, siue Prædictionis vtilitas; quam Commentario in tex. 2. lib. 1. Prognostic. Galenus ita commendat: Ex Prædictione creditur Medicus agnoscere naturam ægrotationis. Porrò, qui creditur agnoscere naturā ægrotationis, ægros habet obsequentiores. Ac demum, qui ægros habet obsequentiores, morbos faciliùs sanat. Galenus alibi gloriatur se vulgi calumnias declinasse, quòd semper futura præsentiret, prædiceretq; propter quod Diuinator à pluribus dicebatur: & meritò quidem; cùm ipsa Medicina, quoad Partem Prognosticam, Diuinationi cognata sit, vt in nostrâ innuimus Physiologia. Constat ergò, Semioticam non solùm ob dignoscendi munus, sed maximè ob prædicendi, protinùs necessariam esse, vt fert Hippocratis & Galeni contra Coætaneos Medicos opinio. *Prædictionis vtilitas.*

Nunc par esset Semioticam in suas distinguere Partes, vti in Physiologia, & Pathologia fecimus, dum has superioribus annis exponeremus. Sed quoniam Semiotica tota est in Signis, hæc diuidendo illam in suas partes distribuimus. Quare Signi naturam cum suis speciebus in sequentibus exponemus Capitibus. Primò ergo hoc Libro Signa in suas species dispescam. In 2. de Crisibus agam: in Tertio, de Pulsibus: in Quarto de Vrinis: in Quinto de Reliquis excrementis: in Sexto fortassis de modo prędicēdi. Priùs tamen, maioris claritatis gratiâ sequenti Capite quasdam Medicinæ partitiones cum Galeno exhibere placet; vt cuiuis inde pateant Semiotices natura, & partes; & vt quidquid à nobis in nostris Prolegomenis Medicis Medicinam diuidendo omissum est, hinc facilè colligatur, eruaturque. *Semeiotica partes*

CAPVT II.
De Varijs Medicinæ Diuisionibus.

GAlenus lib. de Partibus Artis Medicæ, varias Medicinæ diuisiones à varijs Capitibus desumptas exposuit. De quibus nos summatim; cùm earū cognitio Medico prosit, etsi in nostra Physiologia magis receptam, & vulgarem exposueram. Capite ergo 1. ad Iustum charissimum scribens hæc habet: Sunt. n. quidam, quos possis audire secantes totam Artem in Pharmaceuticen, & Cheirurgicen, & Diæteticen: idest, in eam, *Medicinæ tres partes, Pharmacia, Chirurgia, & Diæta siue victus ratio.*

Alia diuisio in Curatricem, & Salubrem, ac Prophylacticen, siue Præuisoriã, Analepticẽ, Eucticam, Gerocomicã, Pædotrophicã, Cosmeticen, Phoneticẽque.

quæ medicamentis, & eam quæ manuum opera ; & eam quæ Victûs ratione medetur : & has deinde in alias partes, non tamen vt omnes mox eodem modo has partiantur. Nonnulli v. in Therapeuticen , idest in Curatricem , & eam quæ Hygieine .i. Salubris, appellatur (Medicinam diuidunt). Alij & Prophilacticen, idest, Præuisoriam , inter has in prima statim partitione introducunt:sicut quidam & Analepticen,quasi Resumptiuam dixeris (vt .n. Præuisoria causis morbos minantibus medetur , ita Analeptice conualescentes reficit): Sed aliqui, præter has, Euecticam, hoc est eam, cuius munus est optimum Corpori habitum introducere. Sunt præterea, qui istis omnibus Gerocomicam, hoc est eam partem, quæ senes regit , annumerant .· quemadmodum alij eam partem , quæ Infantium curam habet , quam Græci Pædotrophicam vocant. Alij verò præterea Cosmeticen, idest , Decoratoriã, quam à fucatoria,Commoricâ Græcè appellata,diducunt. His .a. non contenti quidam,prædictis Partibus aliam quandã exiguam quidẽ partẽ, primæ statim Sectioni addunt , Phoneticen, .i.vocalem appellatã:& hoc nonnulli ita indistinctè proferunt:Alij.v.distinguunt,atq; ostendunt, tã illis, qui vocem cõmodam cupiunt, quã illis,qui prout eorũ natura exigit, opus esse,vt nõ secùs vocẽ, ac alias eorum actiones habeant. Hi tamẽ nunquàm ad id deueniunt, vt sigillatim has huius Artis Partes, prosequantur : nempè si hoc fecissent , non omninò à ratione hæc eorum partitio videretur esse aliena. Verùm, cùm partibus alijs neglectis , vnius tantummodò meminerint , ipsi seipsos videntur redarguere , quòd suam absq; Methodo , & ratione Partitionem instituant , vtpote qui ne maximas quidem partes omnes attingant. Nam de harum ipsarum partitione in minores particulas,consentiunt omnes.Sed alij vt ex his quasdam tanquam huius Artis partes admittunt , ita quasdam omittunt: Alias tamen præter has primæ partitioni annumerant, quemadmodum illi, qui Physiologicam quasi naturalium rerum inuestigatricem , ac etiam Pathologicam , quasi affectuum perscrutatoriam, dixeris : Alij verò , & materialem (Partem, quæ de Medicamentis agit , nomine Partis intelligit Galenus, vt existimo) istis addunt; & eam,quam Græci Semioticen, quasi significatiuam dicunt : & quidam Causalẽ addunt, Æthiologicen appellatam à Græcis. Hactenus Galenus, qui cap. 2. Medicinæ

Physiologia. Pathologia. Pharmaceutica. Semeiotica.

dicinæ Partitionem iuxta Empiricos exponit.

Empirici autem omnes primas Medicinæ differentias constituunt, partiunturq; in finales, & constitutiuas. Verùm, dum ijdẽ Empirici finales differentias subdiuidunt, non sunt inter se concordes: quoniam nonnulli ex ipsis sunt, qui dicant, Significatiuam, siue Semioticam, ac Curatricem, esse finales: alij v. Salubrem: alij etiam Decoratiuam, & Vocalem illis ipsis addiderũt. At inter Constitutiuas Partes, eam, quam Græcè Autopsiam appellant (& est eorum obseruatio, atq; memoria, quæ vnusquisq; ipse inspexit) & præterea Historiam, inter Partes quidem reponunt omnes. Cæterùm, dum sigillatim harum Partium vnamquamque in minores partes secant Empirici, cum Dogmaticis sunt parùm concordes. Nam si velint in minimas particulas Curatricem diuidere, Partes emergent numerosissimæ, quemadmodum Romæ fieri solebat; vbi pro diuersitate partium Corporis, Morbi diuidebantur. Vnde Medici quidam Dentarij; alij Auricularij, alij Anarij, siue Morborum ani Curatores; alij Ocularij, & ita de cæteris, dicebantur. Et sanè, sicuti à particula aliqua curanda quidam denominantur Medici, ita pariter ab ipsis peculiaribus Morbis alij denominationem sortiuntur; vt qui Suffusionem tollere consueuerunt, Suffusionarij, & ita de reliquis. Pars verò Medicinæ, quæ Suffusioni tollendæ incumbit, Punctoria Suffusionum Ars dicitur. Et vt Suffusio auferatur, Ars quę Suffusioni medetur, sua habet Theoremata, quæ Latinis Præcepta nuncupantur. Notiones .a. eas appellat Galenus. Prima namque cognitio, siue notio secundùm speciem (vt cap. 4. cit. libri de Part. Art. Medicæ, loquitur idem Galenus) est illius instrumenti, quod pungendum est. Secunda est illius Particulæ huius instrumenti (oculi scilicet) vbi pungere oportet. Tertia est mensuræ (acus videliet) quæ fit pro affectùs ratione. Quarta, conuersionem (oculi videlicet ad situm conuenientem, vt commodiùs punctio perficiatur) respicit: Quinta, remotionem Suffusionis è loco, quem obtinebat. Sexta, circa astrictionem (foramen enim acu factum in cornea tunica, & alijs interioribus, astringentibus remedijs vniendum, & pars roboranda, & humores fluentes repercutiendi ijsdem astringentibus) versatur. Hæ profectò, inquit Galenus, sunt notiones vltimæ, minimæ, atq; etiam simplices, quæ in alias sim-

Finales partes. Constitutiua.

Romæ quõdam cuiusuis partis morbis secta præerat pecuiliaris: vt auribus Auricularij, &c. Pariter, & à peculiari morbo secta nominabatur.

Theoremata, & præcepta sunt synonima.

Modus adimendi suffusionẽ.

Notitia, notio, theorema, præceptum, hic synonima.

simpliciores non ampliùs secari possunt. Nihil.n. in præsentia refert dicere, notitias, aut notiones, aut Scientias, aut Theoremata, vel Præcepta, sicut neq; si partes dicamus, vel particulas, vel portiones. Igitur ea Scientia, quæ de pungendis est suffusionibus, his constituta est particularibus scientijs, quas nuper explicaui: Vniuersa tamen ratio curandi suffusiones, alijs quibusdam notitijs eget, & illis quidem duplicibus secundùm genus. Sunt.n. hæ: Prima quidem Præparatoria; Secunda verò illa, quam Apotherapeuticen Græci appellant. Si quis enim velit aliquem repletum plurimùm, aut prauis humoribus refertum, vel etiam secundùm caput dolentem, ad huiusmodi operationem deducere, is inflammationes in membranis (oculi scilicet) quæ punctæ fuerint, facilè excitabit, & vniuersum caput malè afficiet: quod ne fiat, Arte Præparatoria erit opus, cuius institutum est, corpus totum ab excrementis, succisq; superfluentibus expurgatum, & vacuum, atq; etiam caput ab omni dolore immune reddere. Vnde, & ea præcepta, quibus hoc agendum est, Artis sunt elementa: quemadmodum & ea, quæ ad id pertinent, vt post manuum opus expeditum, oculus ab inflammatione, caput verò ab omni læsione custodiatur. Et huiuscemodi præcepta sunt elementa Artis Medendi, hoc est vltimæ, atq; minimæ eius particulæ. Hactenus Galenus.

Pars, particula, portio, synonima.

Vera Methodus curandi suffusionem.

Artis præparatoriæ munus.

Hoc in textu perspicuè proposita est vltima, seu infima Therapeuticæ, siue Curatricis Medicinæ Partitio, quæ quidem in peculiares ægritudines fit. Vox, Apotherapeutice, in contextu posita, non fuit à Galeno exposita: quare cùm frequens fiat eius, vel Apotherapiæ mentio apud Galenum, Libris præsertim de Sanit. Tuenda, modò explicari debet. Θεράπων (Therapon) ὄντες, apud Homerum, Latinè idem est ac Seruus, siue famulus, aut minister. Aliquoties idem est, ac Cultor. Vnde θεράποντες μουσῶν id est Musarum Cultores apud Galenum. Θεράπαινα, & Θεραπαινίς, idest apud Xenophontem idem est ac Ministra, aut Serua. Θεράπνη apud Apollonium idem significat. Verbum Θεραπεύω, idem est, ac famulo, seruio, obsequium præsto. Item colo, curo, procuro, curam, studiumq; alicui rei impendo. Item curo, idest, remedia morbo adhibeo. Vnde Aristot. 1. Ethicor. τοὺς ὀφθαλμοὺς θεραπεύοντα. Apud Athenæum lib. 12. idem est, ac curo, idest, sano,

Therapia variæ significationes.

ſano, medeor. Θεραπεία idem eſt apud Xenophontem, ac famulatus, Miniſterium: Item famuli, ſeu Miniſtri. Item cultus, cultura, obſeruantia, obſequium. Apud Platonem, & Galenũ, ſignificat cultum, ſiue curationem Corporis. Item apud Herodian. idẽ eſt, ac curatio, ſanatio, medela, remedium. Apud Theophraſtum eſt omnis cultus & cura, quæ plantis impenditur. Θεράπευμα apud Xenoph. idem eſt ac cultus: apud Plutarchum verò eſt id quod ſanandum proponitur. Θεραπευσία idem eſt apud Heſych. ac curatio, & ſupplicatio, Θεραπευσίμος, idem eſt ac medicabilis. Θεραπεύτης, & Θεραπευτήρ, ideſt, Miniſter, Cultor, Curator, Sanator, Medicus, item Monachus. Θεραπευτικός, ideſt, colendis hominibus deditus, obſequioſus, officioſus; vel peritus demerendi homines cultu. Item peculiariter colendis potentibus deditus: ſeu obſeruantiæ Potentium deditus. Θεραπεύτης; Cultor. Θεραπευτικῶς, officiosè, obſequiosè. Θεραπεύτρις, Cultrix, vel Curatrix.

A dicta ſimplici voce Græca, plura deducuntur compoſita: vt ἀθεραπευσία, ideſt, cultûs carentia neglectus. Αθεραπεύτος, incultus; qui eſt corpore inculto & horrido: neglectus, cuius cura non geritur. Immedicabilis, inſanabilis. Αποθεραπεύω, medeor, curo, Plutarch. & Galen. item colo. Αποθεραπεία, curatio, medicatio, medela, ipſe actus medendi. Idem etiam eſt ac θεραπεία. Interdum verò idem eſt ac omnis exercitationis probè peractæ poſtrema pars, quæ & excrementa purgat, & Corpus à laſſitudine tutum reddit. Idem aliquando eſt ac cultus apud Ariſt. Αποθεραπευτική, eſt ratio curandi corpora poſt exercitationem. Propter frequentem Therapiæ vſurpationem in Facultate Medica, hæc producere volui.

Ex his ſatis conſtat Apotherapeuticæ ſignificatio: quam dilucidè propoſuit Galen. lib. 2. de Sanit. tuen. cap. 5. vbi frictionem debitam puero temperato exponens, duas quaſdam frictiones in exercitatione requiſitas proponit. Prima eſt illa, quæ corpora ad exercendum præparat. Secunda eſt, quæ poſt exercitationem adhibetur. Illa frictio, quæ exercitium antecedit, modicè corpus calefaciendo tenues meatus recludit, ſimul excrementa, quæ carocontinet, fluxilia reddens, & ſolidas partes emolliens: Appellant autem hi (inquit Galen.) huiuſmodi frictionem, Præparatoriam.

Apotherapeutica.

Frictio corpora præparans. Præparatoria dicitur.

Secunda frictio Recuratoria lassitudini medetur.

Præparatoriæ vis.

riam. Altera, siue secunda frictio, ἀποθεραπευτικὴ Græcè dicitur; latinè Recuratoriam, ad verbum appelles. Hæc cum plusculo oleo administrata, simul pinguitudine humectat, & solidas emollit, & quæ meatibus continentur, in halitus euaporat. Verùm de hac post dicemus, cùm de exercitatione egerimus. Sed præparatoria frictio in optimi status natura calfaciendi corporis causâ suscepta, prout supra traditum est, fiat mollis primò, mox verò exercitationem aggressuro, dura; ita namque maximè & mollire poterit, & ad exercitationes excitare, & corporis naturam, qualem ab initio accepit, seruare. Apotherapiam clariùs adhuc exponit Galenus lib. 3. de sanit. tuen. cap. 2. hac serie: Omnis exercitationis probè peractæ postrema pars Apotherapia dicitur. Et duplici consilio suscipitur, & vt excrementa expurget, & vt corpus à lassitudine tutum reddat. Communis igitur prior Scopus est omni exercitationi cũ Athletarum, tum eorum, qui opus aliquod vitæ necessariũ exercent, vt fodientium, iter agentiũ, remigantiũ, &c. Iuxta ergo Galeni doctrinã, Apotherapeutica duabus cõstat Partibus: quarũ prima corpus ad exercitia disponit; mollis enim frictio Corporis superficiem laxat, & poros reserat, vt excrementis in cute, & sub cute contentis exitus detur. Et hæc est prima Apotherapiæ Pars. Altera est illa frictio mollis & vnctuosa, qua lassitudo sedatur, de qua loquitur Galenus lib. 3. de sanit. tuen. cap. 6. vbi inquit: Altera verò lassitudo, in qua tensio sentitur, illud pro remedio postulat, quod Hippocrati (in libro de Vsu humidorum iuxta principium) Græcè χάλασις: idest, relaxatio dicitur. Ea (.i. relaxatio) tensioni contraria est, ad eum modum, quo duritati mollities. Ait enim ita Hippocrates cit. loco: Cutis duræ mollitio, distentæ remissio (siue χάλασις): ceu duro molle, distento remissum, laxumq; contrarium sit. Sanè remittitur quod distentum est, in alijs quidem affectibus, quos in quinto de Simplicium Medicamentorum Viribus diximus, alia ratione. Quod verò per exercitationem incidit, tum pauca molliq; frictione, eaque ex oleo dulci, atq; egelido, tum intermissione omnino, aut etiam quiete; prætereà lauatione medij temperamenti (.i. aqua balnei tepida esse debet) atq; in calida plusculа mora: adeo si bis, terue lauabis, plus proderis. Hi verò & post balneum vngi desiderant priùs, quam vestiantur. Hæc Galenus: ex quibus abundè con-

Apotherapiæ scopus duplex est.

Relaxatio tẽsioni, sicuti mollities duritiei contrariatur.

Indicatio curatiua tensiuæ lassitudinis.

Oleum quo illinitur corpus esto dulce, & frigidum in lassitudine.

constat, quid sit secundus Apotherapiæ Scopus, secundaue Pars. Tertia Apotherapiæ Pars, est expirationis cohibitio. Vnde Galenus lib. 3. de sanit. tuen. cap. 2. ait: Ac propter hæc quidem non exigua portio Apotherapiæ est spiritus detẽtio, & cohibitio: appellant verò ita, vbi omnibus thoracis musculis, qui circa costas habentur, intentis, coactisq; expirationem continemus. Spiritum enim cohibendum duos ob fines suadet Galenus: primò, quia cohibita transpiratione, musculi saltem exteriores corporis vt plurimùm tenduntur, quibus tensis tenditur & cutis: cute autem, & subiecta carne tensis, & confricatis, excrementa in eadẽ cute, & subiectis immediatè partibus, contenta, poris reseratis, facilè euacuantur; quia tum foras erumpunt: secùs verò accidit, idest interius æquè, ac exterius recurrunt excrementa, quoties pars frictionibus agitata laxatur, minimèq; tenditur.

Tertia Apotherapiæ pars.

De Lassitudine.

QVoniam de Apotherapiæ parte, quæ lassitudini tensiuæ conuenit, loquutus est Galenus, operæ pretium duxi, cum eodem Galeno, cit. lib. 3. de Sanit. tuen. cap. 5. lassitudinis notionem, & species in medium producere. Ergo, inquit Galenus, lassitudinis notionem intelligentiamq; sunt qui accipiant, dum Vsti extentiq; sibi esse videntur: idq; aut omnibus corporis partibus, aut ijs tantùm, quibus laborârint: quidam, dum tristi, molestoq; sensu inter mouendum afficiuntur; hunc alij indicibilem dixêre, alij vlcerosum appellauêre. Nonnulli, cum membra, ceu contusa, & phlegmone obsessa sentiunt. Non desunt, & qui simplices hos affectus inter se miscent, & qui tensionis est, & qui vlcerosus, & qui phlegmones speciem præfert. Alij duos ex his miscent, aut eum, qui Vlceris emphasin exhibet, ei, qui tensioni assimilatur: aut eum, qui phlegmones sensum affert, seorsum cum vtroque: ita vt sint in Vniuersum sententiæ de lassitudinis notione septem. Quæ sanè omnes, vt veræ ex parte sunt, ita in totum simplici absolutoq; sermone non sunt. Nã siue vlceris sensus, cũ mouentur, se exhibet, siue phlegmones, siue incendi intendiq; videntur, siue duo quilibet horũ, siue etiã omnes coeant, κόπος Græcè dicitur; idest, lassitudo eorũ affectuum vnusquisq;

Tres lassitudinis species: tẽsiua, vlcerosa, Phlegmonosa.

Lassitudo Græcè κόπος.

Septem species lassitudinis laxè sumpta.

quisque. Quò fit, vt septem eius in vniuersum differentiæ sint, simplices tres, compositæ quatuor. Corporis verò, quòd his sit affectum, remedia quædam propria cuiusq; lassitudinis sunt, quędam omnibus communia. De his mox dicetur, si prius de affectu quodam, qui lassitudini proximus est, dixero, quem decepti nonnulli prauè lassitudinem nominant: is qualis sit, & quas notas habeat, illustrius apparebit, si cuiusque lassitudinis essentiam priùs disquisiuerimus. Hactenus.n.ipsa Symptomata dicta sunt. Illa .n.quòd incendi (siue vri, aduriue, siue impleri, vt alij loquuntur) tendique corpus videatur, & quòd mouenti se, vel vlceris, vel phlegmones sensus oboriatur, affectiones non sunt, sed symptomata. Affectiones.v.corporum, quibus hæc superuenire solent, tres simplices sunt, quatuor compositæ.

Species lassitudinis sunt symptomata.

Vlcerosæ lassitudinis causa.

Et vlcerosus quidem affectus oritur ab excrementorum copia tenuium simul & acrium. Quæ nimirum inter exercitandum proueniunt duplici ex causa; aut eo excremento, quod crassius erat, fuso, & attenuato, non tamen toto expulso: aut adipe, molliue carne liquata. Necesse enim est abs tali humore, ceu tenui atq; acri, pungi, & quasi vulnerari, tum cutem, tum ipsam carnem, sic, vt etiam horror interim oboriatur; imò etiam quadamtenus concussio, commotioque totius Corporis inæqualis, quod Græci ῥίγος (.i. rigor) vocant: si modò admodum, tum copiosus humor is, tum acer sit. Ac talis quidem est vlcerosa lassitudo.

Rigor quid.

Vbi autem tendi nō solùm membra videntur, vlceris verò sensus non est, in hac certè lassitudine, nullum excrementum, de quo ratio vlla sit habenda, in corpore continetur; sed residet in musculis & neruis ex nimia tensione, quam exercitando admiserunt, affectus quidam effectricis causæ potestatem testificans.

Tensiuæ lassitudinis causa.

Accidit namque in vehementi tensione omnes musculorum fibras tendi, non tamen similiter omnes lassari, sed eas maximè, quæ per longitudinem tensionis porriguntur. Quippe quæ obliquiores quodammodo iacent, minus in directū aguntur: Quare his nullum instat periculum. In ijs verò, quæ immoderatiùs sunt extentæ, ita vt parùm à rumpendo absint, relinquitur affectio quædam similis ei, quæ inter agendum fiebat; quippe tendi adhuc videntur, cùm tamen nulla iam tensione vrgeantur. Tertia verò lassitudinum differentia, qua nimirum, ceu contusas, aut phlegmone obsessas partes sentimus, tum maximè solet

Phlegmonosæ lassitudinis causa.

let incidere, cùm musculi nimium excalfacti attraxereq; uippiam ex circumfusis sibi excrementis. Quod si etiam tum tendonibus, tum neruis, idem affectus incidit, ὀστόκοπον Græcè, quasi ossium dolorem, eum affectum nominant; ob penitiorem scilicet sensum partibus, quæ in alto (.i.profundo) maximè corpore sunt positæ, nomen tribuentes: quippe summum locum cutis occupat. Secundum ab ea positus ordinem musculi habent, vtique circùm ossa positi: at tendones ipsis ossibus adhærent. Quò magis rationabile est, cùm hi quicquam prædictorum patiuntur, videri in imo, ac circa ipsa ossa affectionem hærere. Atque hæ quidem solæ tres simplices lassitudinum differentiæ sunt: compositæ verò ex his, vt iam dictum est, quatuor sunt: de quibus mox agendum, si tamen priùs simplices vniuersas absoluero. Est namq; affectio alia quoque, quæ, ceu lassitudo sit, nonnullis imponit. Hæc incidit, cùm supra iustum musculi siccantur sic, vt squallens contractumq; corpus appareat; atque ad motus quodammodò pigrum: non tamen ei quicquàm eorum, quæ modò diximus, inest: neq; is, qui veluti vlceris, aut tensionis est, multoq; minùs, qui veluti phlegmones est sensus. Quippe diuersissimus aspectus eiusmodi affectionis est, & eius, quam vltimo loco retulimus. Hæc namq; squallens & contractius corpus efficit: at quæ Phlegmones sensum præfert, mole etiam, quàm pro natura, ampliore. Quare quatuor in vniuersum simplices affectiones sunt: quarum singulis sua sunt remedia. Hactenus Galenus.

ὀστόκοπον, est ossium, seu potius periostij dolor.

Affectio quædam lassitudini similis.

Hæc ex Galeno studio producere volui; quoniam, ex quo Medicinæ incumbo, neminem, vt decuit, calamo, aut alloquio, lassitudinis naturam exponentem legi, aut audiui, in Hispania, Gallia, & Italia, in quibus longam triginta quinque annorum moram contraxi: quamquàm vbiuis horum florentissimorum Regnorum sæpiùs doctissimorum Medicorum consuetudine fruerer. Soli ergo Galeno, in hoc, æquè ac in reliquis, omnis concedenda palma, cui idcircò adhærendum: maximè.v.cùm lassitudinem, frequentissimum affectum, diligenter, & compendiosè, contra solitum Stylum, examinauerit. Postquàm .a. lassitudinis quasdam descriptiones ex Antiquis deduxit, eandem in septem species dispescuit: in tres nimirum simplices, & quatuor compositas. Simplices Lassitudines sunt, Vlcerosa, Tendinosa, & Phleg-

monosa: ait enim, & optimè, molestum illum sensum, vel sensationem, vlcerosam, tensiuam, & phlegmonosam, quam in lassitudine homines persentiunt, esse Symptomata: morbus verò, à quo pendet vlcerosa sensatio, est morbus in meatibus dilatatis: adeoq; in cõformatione vitiata: vel certè est solutio continui, sed numerosa & exigua orta in partibus sensibilibus habitûs potissimùm exterioris corporis. Vt vt sit, causam habet humores acres & mordaces, biliosos, pituitosos putrefactos, & aliquoties retorridos; qui extenuati ad superficiem corporis à facultate expultrice propelluntur, & meatus quosuis ita dilatant, vt dolorem excitent; vel certè continuum corrodunt, & solutiones varias, sed exiguas & veluti occultas efficiunt. Tensiua sensatio prouenit à nimia tendinum, neruorum, imò musculorum dilatatione, siue auulsione quadam: Fibræ.n.omnes rectæ musculorum, & neruorum, & tendines præter modum extenduntur, & veluti conuelluntur; ita vt pars conuulsione laborare videatur, & veluti quadam continui solutione. Si quis vellet tendinum aut fibrarum neruorum hanc immodicam tensionem ad morbos in connexu reducere, per me licet, si ligamenti rationem tendonibus adaptare queat. Phlegmonosa demùm sensatio vel lassitudo, causam habet phlegmonem, quæ est inflammatio partis orta ex circumfûsis excrementis, & sanguine, qui ad partem priùs calefactam fluxere, ibiq; sistentes tumorem præter naturam peperêre. Potest .a. Phlegmone prouenire ex ipso sanguine partis attenuato, & feruefacto, qui locum ampliorem quærens, partem in tumorem attollit, ad quam inflammatam accurrunt vndiq; noui humores. Nam dolor, & Calor attrahunt. Si .a. inflammatio circa tendines, qui sunt musculorum fines, & veluti caudæ, & circa ipsos articulos, quibus tendones alligantur, & circa ossium membranas, persentiatur, hæc lassitudo ex nimio motu orta ὀστοκόπος, quasi ossium lassitudo dicetur.

Vlcerosæ lassitudinis causa latè exponitur.

Tensiuæ lassitudinis causa exactè exponitur.

Causa Phlegmonosæ lassitudinis exactè exponitur.

Dolor, & calor attrahunt.

Ossiũ lassitudo; tametsi periostio, siue membranæ ossa tegenti, & tẽdonibus, cæterisque ambiẽtibus partibus, quã insensibilibus ossibus tribuenda.

His tribus lassitudinis speciebus quartam addebant ex antiquis Medicis nonnulli: Et emergit, quoties musculi immodicè siccantur, & ob siccitatem excedentem contrahuntur, & quasi abbreuiantur; adeò vt ex hac musculorum siccitate, & contractione, corpus squallidum, contractum, curuumue secundum varias partes appareat, atq; ad motus obeundos propterea segne, &

quo-

quodammodo pigrum : vt videre est in ijs, qui hectica laborant febre : veluti in alijs ob longas ægritudines præter modum exiccatis : Talis affectus est ceu lassitudo, vt in contextu iam citato loquitur Galenus, non tamen lassitudo verè censendus, vt in eodem textu contra quosdam, & sequenti cap. 7. citati lib. 3. de Sanit. tuen. docet idem Galenus, hac serie : Est alia quædam super has (.i. vltra tres communes lassitudinis species) quarta, similis quidem lassitudini, non tamen lassitudo, quòd neq; vlceris, neq; tensionis, neq; phlegmones affectum præ se ferat : sed nec horrorē vllum, doloremue, nec pigritiam ad motus, quemadmodum lassitudines, infert, sed gracilitatem tantùm, ariditatēq; facit. Incidit quidem hæc in corporibus boni succi, & exercitationi assuetis, vbi immodicè exercitata parùm ritè Apotherapia sunt vsa. Quippe ita & digeruntur excrementa, & quæ tensa fuerant, laxantur: nec aliud in corpore relinquitur præter siccitatem, quam ex immodico motu contraxerunt. Hactenus Galen. qui nō negat, quandam in hoc affectu reperiri pigritiam, vti cap. 5. superiùs cit. docuit; sed affirmat, pigritiam, & dolorem, similes pigritiæ, & dolori verarum specierum lassitudinis non extare, nec apparere.

Quarta ceu simplex species lassitudinis.

Causa lassitudinis apparentis, seu quartæ speciei simplicis lassitudinis.

Ex dictis tribus simplicibus speciebus, cōpositas quatuor lassitudinis species conflari docet Gal. quia tres dictæ simplices differētiæ variæ coincidere, copularius possunt: inde vlcerosa, & tēsiua simul lassitudo emerget: sicuti vlcerosa, & phlegmonosa : Phlegmonosa, & tensiua: Vlcerosa, tensiua, & phlegmonosa simul. Et sic quatuor compositæ species lassitudinis ex præfatis simplicibus resultant. Etsi in animo sit rem hanc (Deo aspirante) in Hygieine, siue Salubri Medicinæ Parte, prosequi, verbo tamen simplicium lassitudinū Apotherapiam cum Galeno proponam. Ille enim cap. 6. lib. 3. de Sanit. tuen. paucis modum sedandi vlcerosum & tensiuū sensum, siue lassitudinem absoluit; Ordiendum verò, inquit, ab ea lassitudine, quæ vlceris sensum inuehit: quam etiam ab excrementorum acrimonia ortam diximus : hæc maximè in ea incidit corpora, quæ & mali succi sunt, & excrementis abundant. Succedit v. recentibus cruditatibus, cùm, aut exercitantur immoderatiùs corpora, aut in Sole fuur morati homines. Cæterùm, nihil obstat, quin in corpore boni succi citra crudita-

Quatuor compositæ lassitudinis species, ex tribus simplicibus speciebus ortæ sunt vlcerosa & tēsiua; Vlcerosa & Phlegmonosa : Phlegmonosa, & tēsiua: vlcerosa, Phlegmonosa, & tensiua simul.

Exactissimum vlcerosæ lassitudinis examen.

Causa.

tem proueniat hæc vlcerosa lassitudo, vtique ob exercitationis nimium excessum. Sanè excitare eam solent celeres, ac multi motus. In hac verò lassitudine, etiam densa esse, horrereq; cutis videtur. Fatenturq; qui ea sunt affecti, inter mouendum dolere sibi, vlceris ritu, alij cutem tantùm, alij subiectam etiam carnem.

Curatiua indicatio vlcerosæ lassitudinis.

Remedium huius ex ijs, quæ affectioni sunt contraria, comparatur. Quippe si, quæ redundant, euapores, malum cessabit. Sanè euaporabuntur (per cutem scilicet) frictione multa molliq; cum oleo, à quo omnis astringendi vis abest: quod genus maximè Sabinum est. Aduersissimum verò huic affectioni est, quod ex Hispania portatur, & ex Iberia: vocant autem Hispanum; tum quod omphacinum vocant, vel ὠμοτριβὲς, .i. crudum. Et, vt semel dicam, quod austerum est, omne id alienum est. Et quibusdam interiectis addit sequentia Galenus: Illud tantùm in præsentia dixisse satis sit, quod planè dulcissimum oleũ est, id esse ad propositam affectionem maximè accomodatum. Hoc igitur copioso, cum multa frictione vtendum: primo quidem die, quo suspectam fortè lassitudinem omninò declines: secundo verò, vt si qua incidit, discutiatur. Discutit porrò eam exercitatio, quæ Apotherapia dicitur: in qua scilicet motus adhibeas quantitate mediocres, qualitate tardiores; idq; cum frequenti interposita his quiete: qua vtiq; fricare hominem oportet pluribus simul contrectantibus, quo, ne refrigescat pars vlla, & ocyssimè excrementa digerantur: Porrò frictionum plus adhibebitur in ijs, qui in cute, & sub cute excrementorum collectam vim habent: motuum verò, quos ipsemet edat, in altera lassitudine: scilicet in qua plus est in ipsis musculis congestum. Quæ enim in his coacta excrementa sunt, sola frictio educere non potest: his enim opus est nõ solùm ab aliquo foris attrahi; verùm etiam ab altero quopiam intrinsecùs impelli. Impellit ea partim calor ipse, qui per motum accenditur, partim spiritus, qui vnà emittitur; partim ipsa musculorum tensio: super hæc verò ipsa singularum partium excretoria alieni vis. Altera verò lassitudo, &c. Hæc Galenus per se clarus: cuius tamen doctrinæ addere possumus potiones diaphoreticas, & Sudorificas, profuturas ijs, qui excremẽta habent collecta in musculis. Nam talia remedia ad cutem prouocant huiusmodi excrementa: imò non rarò per Sudores, aut madores

Oleũ Hispanicum omphacinũ crudum, ὠμοτριβὲς.

Oleo dulci corpora vlcerosa lassitudine affecta linienda.

Apotherapiæ altera pars lassitudini conferens.

Frictio à pluribus simul exercenda.

Nota Sedulò.

Sudorificæ potiones intimiori lassitudini conferunt.

eadem

eadem euacuant. Cùm tamen in lassitudine vlcerosa eiusmodi exrrementa acria percipiantur à tactu, sudorifica illa debent esse temperata, aut saltem non multùm calida aut sicca. Potio ergò ex æqualibus partibus Aquarum Acetosæ, Scabiosæ, & Cardui Benedicti, vel Vlmariæ, præscribi potest. Tensiua lassitudo relaxationem, siue remissionem tensæ partis indicat: quæ quidem relaxatio copiosa vnctione cum oleo dulci, sed non multū frigido, fieri debet. Quoties tamen ex oleo litus fit, cauendum sedulò ne dura cum frictione fiat: quoniam humectandum, quàm euacuandum potius est in hac lassitudine, quæ puris corporibus accidit, dictante Galeno lib. 3. citat. de Sanit. tuen. c.6. his verbis. Incidit certè huiusmodi lassitudo ijs quibus salubris succus est, post robustas potiùs, quàm celeres exercitationes: redditq; lassatos ipsos pigros admodum, ægrèq; flexibiles. Non tamen hi densi horrentesq; apparent, quemadmodum quos paulo ante comprehendimus (vlcerosa lassitudine laborantes); cæterum contracti aridiq; non minus ipsis apparent, qui hac lasßitudine laborant, tangentibus verò calidiores videntur non solū ijs, quos vlcerosa lasßitudo vrget, sed etiam quam ipsimet, cum sani essent. Hactenus Galenus cum quo etiam superius hanc curationem innuimus.

Potio sudorifica.

Tensiuæ lassitudinis curatio.

Causa.

Signa.

Capite 7. dicti libri 3. de Sanit. Tuenda, methodum curandi lasßitudinē Phlegmonosam proponit hac serie Galenus: Tertia, inquit, lasßitudo ex vehementißimis nascitur motibus: solaque supra naturalem habitum musculos attollit sic, vt phlegmone persimilis affectio sit. Itaque & leui tactu offenduntur, & calidiores apparent. Dolent verò etiam, si ipsi per se moueri conentur. Incidit hæc lasßitudo ijs plurimùm, qui assueti exercitationibus non sunt: nam exercitari assuetis rarò incidit, vtiq; ex vehementissimis plurimisque motibus. Sanationis vero eius Consilium ad tria dirigitur, eadem ferè, ad quæ omnium phlegmone obsessorum, nempè superuacanei vacuationem, extenti requiem, & inflammationis refrigerationem. Ergo & oleum copiosum, ac tepidum cum frictione mollißima, & longißima in medij temperamenti aquis mora, huiusmodi lasßitudines emendat. Quod si paulò tepidior aqua sit, plùs proderit. Ad eundem modum multa quies, & vnctio asßidua, denique omnia, quæ id, quod

Phlegmonosæ lassitudinis indicia.

Triplex indicatio curatiua Phlegmonosæ lassitudinis.

quod lassatum est, quiete, linimentoque recreent, ac quod superuacuum est, per halitum digerant. Hactenus Galenus, qui in lib. 13. Meth. med. & lib. 2. de Arte Curat. ad Glaucon. & libro de tumoribus præter nat. Phlegmones, siue inflammationis, cum affluxu sanguinis naturam, & curandi rationem abundè exponit.

Quartæ lassitudinis curatio.

Eodem fermè communi modo, quo dictas lassitudinis species, illam quartam, ab antiquis quibusdam additam, curat Galenus post lassitudinem Phlegmonosam. Sed hæc occasione Apotherapiæ, aut Apotherapeuticæ, de lassitudine pronunc dicta satis sunto. Et conclusum esto, Apotherapiam esse defatigatorum potissimùm refectionem, frictionibus, vnctionibus, balneis, motu aliquoties, quiete, cibo, & similibus completam.

Aliæ Medicinæ partitiones.

Tres Medicinæ partes, Curatrix, Salubris, Præuisoria.

NVnc ad pensum redeuntes, Medicinæ Partitionem à Corporis affectibus desumptam, cum Galeno cap. 5. lib. de Partibus Artis Medicæ, tradere lubet. Tres Medicinæ partes hoc capite constituere voluit Galenus. Prima est illa, quæ morbos profligat, quæq; communiter Curatrix Medicina dicitur. Secunda Pars, est Salubris, quæ Valetudinem tuetur. Tertia est ea, quæ Præuisoria dicitur, cuius officium est, neutrum emendare Statum.

Neuter status.

Manifesta intemperie laborãtes, dummodo solitas functiones obeant, non ægrotant.

In hoc a. neutro Statu ij esse videntur, qui manifestam quidem habent intemperiem, nondum tamen ægrotant; quippe cùm possint adhuc suas obire solitas actiones, quiq; nullo adhuc malo tenentur, quod sensibile sit, sed tantùm insensibili: quemadmodum illis contingit, qui à cane rabido morsi sunt, vel qui venenum hauserunt, quod non nisi post tempus aliquod interficit.

Analeptica.

Pars Artis, & est Analeptice, siue Resumptrix, quæ conualescentes, siue hos qui à morbo liberati sunt, reficit.

Gerocomica.

Est & pars alia, quam Gerocomicam vocant, de Senibus regendis, quæ nullam videtur habere certam constitutionem: Siquidem Senectus nec omninò morbus est, nec integra omninò sanitas.

Senectus mediũ est quid inter sanitatem, & morbũ.

Pædotrophice.

Nonnulli, & ratione educandorum Infantium, in hunc ordinem redigunt, quam Pædotrophicen appellant: aiunt enim, quod corporis cura sic habenda est, vt illius Status exigere videtur. Addunt præterea quidam partem aliam, quæ optimum habitum

Corpori inducere studeat: ab illis Euectica appellatur; eam alij Gymnasticam nominant. Vt tandem primæ maximæq; Artis istius, quæ circa corpus versatur, Partes hæ sint: Curatrix, Resumptoria, Præuisoria, Senum custodiendorum ratio: Infantium Educatrix: Euectica, seu optimi habitûs inductrix, ac etiam Salubris: Quæ si eo modo diuidantur, quo paulò ante Curatricem monstrauimus, ad simplicissimas deueniemus præceptorum differentias: quæ ostensa sunt esse veluti quędã Artis elementa.

Euectica siue Gymnastica.

Quandam Medicinæ partitionem, à Ratione, & operationum differentijs desumptam, proponit Galenus eodem libro de Partib. Artis Medicæ cap. 6. Est tamen, inquit, & alia diuisio, quæ à ratione operationum, & earum differentijs depromi potest. Dicunt enim aliqui, manuum operationem, medicamenta, Victusq; rationem, esse primas maximasq; Artis Medicinalis Partes. Quæ partitio quibusdam fieri videtur penès materierum differentias: quippe cùm omnis nostri corporis particula seruari, & iuuari suapte natura possit, aut Victus ratione, aut medicamentis, aut manuum operâ: Nos tamen forsitan magis propriè dixerimus, ea quæ offeruntur, quæ administrantur, quæ euacuantur, & quæ extrinsecùs occurrunt. Summatim v. dicere possumus, quod qui occasione accepta ab his affectibus, quos hæc Ars curat, aut à quibus tuetur, vniuersam hanc Artem in Partes dissecuerunt, tot huiusce Artis partes fecêre, quot sunt affectuum differentiæ. Sed alij non modò ab his, sed ab vniuersa etiam ea materia, quæ cognitioni Medici exposita est: & ij Physiologicam, hoc est rerum naturalium indagatricem, atq; etiam illam, quæ materialis propriè appellatur, prædictis Artis partibus annumerant. Sed alij ex ipsis actionibus huiusce Artis Partes distinguentes, præter Victûs rationem, medicamenta, & manuum operationes, Significatiuam (siue Semioticam) introducunt. At nonnulli hanc in affectuum cognitricem, Gręci Pathognomonicē dicunt, & Præsagitricem, quam Prognosticen appellant, partiti, has prædictis partibus addiderũt. Maxima autem Empiricorum pars inter finales quidem ponunt Significatiuam, Curatricem, & eam quæ Salubris dicitur. Verùm Curatricem deinde in Victûs rationem diducunt, medicamenta, atq; manuum functiones. Qui nominibus quidem aberrant, in ipsis verò rebus minimè:

Partitio ab operatione desũpta.

Physiologia.

Semeiotica.

Pathognomonice: Præsagitrix, siue Prognostice.

Empiricorum opinio

nam neque oportebat eos operationum nomina, scientiarum potiùs, apponere. Porrò meliùs egissent, si dixissent (quemadmodum etiam ex illis aliqui dixerunt) vnam esse istius Artis partem Significatiuam, aliam Curatricem, tertiam verò Salubrem: Et Significatiuam (Semioticam videlicet) partes habere, Pathognomonicen, hoc est, affectuum cognitricem, & Prognosticen, hoc est Præsagitricem: quemadmodum Curatrix Medicamentariam, atq; illam, quam vocant Cheirurgicam, nempè quæ manibus agit. Optimè igitur aiunt, cùm inquiunt, primam generalissimamque ipsarum Artis Partium esse differentiam illam, qua eas partimur in finales, & constitutrices: finales siquidem sunt, quæ finem efficiunt; constitutrices verò quæ has constituunt, vt (& ita dicamus) in causa sunt, cur illæ consistant. Sed non æquè deinde benè agunt, cùm existimant, Significatiuam esse parti Artis Curatrici, aut Salubri æquiparandam, quamuis illa ex necessitate præcedat: neque enim vnquam, vel custodiri, vel curari quis poterit, nisi cognoscatur priùs qualis sit is affectus, quo Corpus tenetur: tamen ex ipsa Significatione in finem Artis nũquàm peruenturi sumus. Et pari etiam modo transitus ad simile non est pars, quæ comparanda cum historia sit, aut cum illa, quæ ea complectitur, quæ ipse quis vidit.

Semeiotica diuisio.

Curatricis diuisio.

Semeiotica necessitas.

Galenus citato sæpiùs libro de Partib. Artis Medicæ quandã Medicinæ partitionem à fine desumptam proponit. Itaque, inquit, dicamus illas quidem primas, & proprias, & quàm maximè esse Artis Medicæ partes, per quas istius Artis finem assequimur: Alias verò istis esse superiores (siue priores). Porrò, tot secundùm numerum primæ proximæq; sunt, quot sunt maximè propriæ rationes medendi: Medicina namque affectionibus nostri corporis medetur, siue modò illæ duæ sint, siue tres, siue etiam plures. Nos tamen eo libro, qui ad Trasybulum dicatus est, ostendimus primam harum constitutionum differentiam duplicem esse, ac vtramq; ab omnibus ferè proprio nomine esse appellatam: Siquidem alteram nos sanitatem, alteram, ægritudinem appellare solemus. Sed in vtraq; deinde harum duplices reperiuntur species. Nam vtrobiq; ea constitutio, aut in habitu est, aut in habitudine. Salubrem nimirum constitutionem, quæ in habitu est, illa pars sibi asciuit, quam Salubrem appellamus; &

Salubris diuisio.

istius

istius præcipuas partes, Eucecticam, sic ab eis dictam, quidam ponunt, & Analepticen, quasi resumptiuam, & Gerocomicam, quasi Senum Custoditricem. Quæ verò ægritudines respicit habitu, vel habitudine, nominibus caret, quibus partes hæ Medicatiuæ nominentur. Ægritudines verò ipsæ quidem, aut acutæ dicuntur, aut Chronicæ, idest, longæ. Partium itaque huius Artis, aliæ quidem primæ, ac proximæ sunt; aliæ verò sine quibus illæ minimè esse possunt. In his igitur prima est Significatiua, cuius duæ sunt partes; altera quidem præsentium cognitrix; altera quidem futurorum Præsagitrix. Fieri enim nequit, vt rationem, affectum aliquem curandi reperiamus, nisi ille priùs cognoscatur: neq; etiam (nisi terminus futuræ iudicationis prænoscatur) rectè vnquàm curari poterit. Post hæc Galenus ait, ante dictas Medicinæ partes collocari illam partem eiusdem Medicinæ, quæ partium Corporis Statum ostendit: quæ pars dissectione Anatomica comprehenditur: Præcedunt pariter recensitas Medicinæ partes, illa pars, quæ de Actionibus earundem partium corporis agit; veluti etiam pars ea, quæ earundem partium vsum, vtilitatemue exponit. Verùm (inquit Galen.) & his sunt aliæ priores, ea nimirum, quæ contemplationem elementorum, corporis, ac ea quæ de iudicijs, nec non & illa, quæ de naturalibus facultatibus, quæ & ipsæ ex Sectione animantium comprehenduntur. Nimirum in tot tandem principia Significatiua Pars dissoluitur, quam diximus, quod omninò Curatiuam, ac Salubrem præcedat: quæ omnia seorsum suis libris exposita sunt. Verum enim verò, est & alia pars præcedens Curatiuam, quam etiam Significatiuæ (siuæ Semioticæ) annectunt: ea autem est, quæ omnes causas docet, tam salubres, quàm morbosas, quam materialem nonnulli appellant. Hæc profitetur cognitionem causarum omnium, quæ his in primis constat, quæ offeruntur, quæ efficiuntur, quæ vacuantur, & quæ extrinsecùs accidunt: horum enim omniũ vires perpendit. Nos autem in libris de ratione Curandi, monstrauimus, quam hæc vtilitatem Arti præstant.

Aegritudinalis partis diuisio.

Semeiotica diuisio, & necessitas.

Variæ partitiones.

Hoc in textu visus est Galenus distinxisse partem Salubrem à parte illa, quæ de sex rebus non naturalibus agit, qui tamen intelligendus est de modo dignoscendi earundem causarum; quo modo Semioticæ eam annecti docuit. At verò quatenus hæ

Interpretatio verborum Galeni.

eædem res nonnaturales pro vario sui statu, aut sanitatē fouent, aut morbos procreant, Salubri annectuntur, vel eam vt plurimùm constituunt: veluti morbosæ statui, dum morbum efficiunt.

Capite 8. dicti libri de Partibus Artis Medicæ monet, se præcedentem partitionem Medicinæ desumpsisse à materia prima & proxima eiusdem: hoc autem capite ait, se daturum Medicinæ diuisionē, quæ ex secunda materia desumitur. Corpus enim, inquit, humanum Medicinalis Artis secunda est materia, ac (ita dixerim) per accidens, ea inquam ratione, qua sanitas & morbus istius corporis affectiones sunt. Nec modò huius Artis, sed Naturalis etiam Philosophiæ materia, hoc ipsum corpus est, & ipsius etiam per accidens, eo scilicet, quod generationem subeat, & interitum. Naturalis nimirum Philosophia ea contemplatur, quæ generantur & intereunt. vnde, & ipsius prima materia generatio est, & propter hanc deinde corpus etiam generabile: nam & ob id corpus humanum naturalis materia est, quia generationem subit, & interitum. Medicæ verò artis non hac de causa, sed potiùs, quoniam morbis, ac sanitati subiectum est. Vnde cum corpus humanum sit quodammodò Artis Medicæ materia; hæc Ars pro ratione partitionis illius, ipsa etiam in partes suas secanda veniet. At duæ sunt secundum genus primæ differentiæ; altera enim secundùm elementares partes consistit; altera verò circa instrumentarias. At verò vtræque, tàm elementares, inquam, quàm instrumentariæ, animalis particulæ sunt: & harum omnium affectus quilibet propria erit huius Artis pars, quam superiùs, dum de punctione suffusionum ageremus, in particulares actiones subinde diuidi ostendimus: harum siquidem notitiæ sunt elementares particulæ totius huiusce Artis, sicut in ijs quæ medicamenta vniuscuiusq; complectuntur: & in ijs etiam quæ ad victûs rationem pertinent, illæ, quæ vnumquodque simplex respiciunt. Non modò autem partitio, quæ ex huiusce materiæ, sectione suboritur, ad vltimas vsq; & elementares Artis particulas prouehitur, verum & cuius paulò ante meminimus. Præterea autem, & alio modo hæc partitio fieri potest. Nam fingamus, nos velle vnum quodpiam morborum propositum genus ad vltimas vsq; particulas diuidere, prima tunc diuisio erit, quod aut similaribus particulis accidat, aut instrumentarijs, vt in libro de Morborum Differentijs

Corpus humanum est obiectum per accidēs Medicinæ, & Philosophiæ.

Corpus humanum sanū, & sanabile est Medicinæ obiectum.

tijs à nobis monstratum est: altera verò, quod harum deinde aliæ simplices sunt, aliæ compositæ, quod in eodem quoq; libro ostendimus. Erit igitur necessarium; vt Curatiua Scientia minimas, elementaresque particulas easdem habeat cum illis, quæ dictæ sunt. Si enim, exempli gratia, calidum aliquem morbum velimus curare, primum, quod cognoscere oportet, est ratio, illum curandi. Nimirum quod contraria contrarijs remedio sunt, iam monstrauimus hoc commune esse, & primum omnium: deinde verò, quòd id, quod est primo gradu calidum, illi est adhibendum, quod frigidum primo item gradu est: mox verò & calidorum morborum, atque etiam medicamentorum refrigerantium gradus tenere oportet, quod in libris de Medicamẽtis explicauimus.

Curatiua scientia.

Methodus curandi.

In hoc contextu primò animaduertere decet, Partem Curatricem Medicinæ, Scientiam à Galeno appellari. Vnde non solùm Theoria Medica, sed præterea Pars Practica Scientiæ rationem induit, prout abundè à nobis in nostris Prolegomenis Medicis Physiologiæ præpositis, demonstratum est.

Secundò, obseruanda est Galeni dictio, circa morborum curationem: Præcipit enim iuxta Hippocratis regulam, contraria contrarijs curanda. Aphorismus 22. lib. 2. Aphorism. hoc principium hac serie complectitur: Morbos, qui ex repletione fiunt, curat euacuatio; eos verò, qui ex euacuatione, repletio, & in cæteris contrarietas remedio est. Galenus exemplis doctrinam hanc illustrans, in contextu iam transcripto monet, gradum vnum frigiditatis gradui vni caloris, & è conuerso adaptandum. Ex quo constat duplex quorundam Medicorum error, quorum quidam calidis remedijs, vt Theriaca, Confectione Alkermes, Confectione de Hiacyntho, Lapide Bezoardico, Aqua Cinamomi, & consimilibus, febricitantium corpora (etsi maximo ægrorum dispendio) infarcire singulis diebus, prætextu sedandæ malignitatis, non verentur. Siqua sanè in corpore latet malignitas, non nisi intensissimi feruoris occasione nascitur: vt patet ex veluti pũcturis rubicundis per cutem erumpentibus, & pulicum morsibus non absimilibus; quæ febrilem æstum, & immodicam sanguinis assationem consequuntur. Calor ergo intensus refrigerantibus, & humectantibus remittendus, iuxta Galeni doctrinam, cum hîc, tum in Methodi med. lib. 9. cap. 14. vbi inquit: Omnis febris,

Contraria contrarijs curantur.

qua

qua febris est, humectatio refrigeratioque remedia sunt. Hippocrates lib. 1. Aphoris. 16. humectantia febricitantibus præscribit, aiens: Victus humidus febricitantibus omnibus confert: maximè verò pueris, & ijs qui tali victu vti consueuerunt. Galenus in commentario ait: Primùm quidem qualis sit adhibendus victus febricitantibus (docet Hippocrates) deinde quod victus salubris indicationes in ijs quidem, quæ præter naturam sunt contrarias; in ijs autem, quæ sunt secundum naturam; similes facere oporteat. Febri enim, quoniam calida, & sicca passio est (est enim cõuersio natiuæ caliditatis ad igneam) victum humidum consulit. Putredo etiam siqua febres comitatùr, refrigerantibus sedatur, sed potissimùm rebus acidis, malignitatem, siqua sit, retundentibus; vt Succo Limonum, Citrij, Auranciorum acidorum, Mali Punici, Cerasorum acidorum, Pomorum acidorũ, Berberis Succo, vel Decocto, Acetosæ Oxalidis, Radicis Acetosæ, Trifolij Acetosi (quod Alleluia alijs dicitur) Oxylapathi, Tamarindorum, Prunorum acidorum, Tartari, & Similium. Sed hæc obiter. Alter error est eorum, qui existimant ex calore natiuo, & calore nouiter superueniente febrem conflari; cùm hîc contrarium subindicet Galenus, statuens gradui vni caloris sedando remedium gradu vno frigidum admouendum: quod sanè calori præter naturam congruit, quem solum abigendum, non autem calorem natiuum, præcipit Galenus. Si autem calorem natiuum, in primo saltem gradu intensum, sedandum, & remittendum suasisset Galenus, non hominis conseruationem, sed euersionem statuisset. Quod cùm à Galeni mente valdè remotum fuerit, hinc inferendum, solum superuenientem calorem, non autem præexistentem, esse præter naturam.

Febris non est cõposita ex natiuo, & alieno calore.

Tertium, quod obseruari debet, est diuisio Medicinæ, à Partibus Corporis desumpta: ita vt tot sint constituendæ species Sanitatis, & Morbi, ac consequenter Medicinæ, quot sunt partes Corporis humani, vti libro de Partib. Artis Medicæ cap. 4. docuit Galenus; qui, vt hanc doctrinam liquidiorem redderet, capite 3. eiusdem lib. simplices, & instrumentarias humani corporis partes breuiter exponit: & paulò post capitis initium hac serie fatur: Itaq; vt in corporum nostrorum sectionibus particulas omnes ad minimas vsq; secundùm speciem scrutamur, quæ etiã elementa

Partium corporis diuisio.

menta ſenſilia appellamus, ita etiam artuum minimas oportet particulas inueſtigare, quæ & ipſæ ſint ſenſilia elementa. Et quidem inſtrumenta ſunt, Caput, Manus, Pedes, cæteraq; huius generis: ſed horum dein ſunt etiam ſuæ partes, Capitis, inquam, aures, facies, naſus, & collum etiam poſſumus inter partes capitis connumerare, & præterea cerebrum, & ambas membranas, caluariam, arterias, venas, neruos, & poſtremò cutem; quæ omnes ex prima ſtatim inciſione inueniuntur. Harum verò partium quælibet in alias diuiditur particulas; de quibus omnibus abundè in adminiſtrationibus anatomicis actum eſt: quantum verò ad præſens negotiũ ſpectat, ſatis erit ſi vniuerſas ſigillatim proponẽdo corporis ſectionem ad elementa vſque inſinuauerimus. Arteria igitur, quantum ad eius rationem pertinet, duplici tunica conſtat: iam enim ſatis monſtrauimus, quare videatur ipſa triplicem, ac etiam quadruplicem habere tunicam. Porrò ex eius tunicis, altera obliquas habet fibras, altera verò rectas: quas fibras nõ ampliùs in aliam quampiam ſpeciem partiri poſſumus, quippe quæ minimæ, ac indiuiduæ ſpecie ſint. Nempe ea conſuetudo eſt, vt partes illæ, quibus actio quæpiam demandata eſt, quæ vniuerſo animanti, aut neceſſaria, aut apprimè vtilis ſit, à nobis inſtrumenta, à Græcis organa appellentur: minimas verò illarum particulas, non hoc tantummodò, ſed ſenſilia etiam elementa appellamus. Huius generis ſunt fibræ, è quibus vnumquodque inſtrumentorum contextum eſt, ſicuti arteriæ, venæ, nerui, inteſtina, ventriculus, vterus, & veſica: hæc enim omnia è tunicis cõſtant, quæ ex huiuſcemodi fibris contextæ ſunt. Ex his etiam fibris ſunt membranæ, ligamenta, & caro, tum ea quæ ſimplex eſt, tum etiam illa, quæ eſt vnicuiq; viſceri peculiaris, quamque nonnulli parenchyma appellant, quaſi affuſionem quandam dixeris. Et eundem ordinem cum his ſeruant, os, cartilago, adepſq;, ac cætera, quæ eiuſcemodi ſunt, quæ poteſt meritò quis noſtri corporis ſenſilia elementa appellare. Sed præter has ſunt partes inſtrumentariæ, quas non erit malum recenſere, nimirum arteriæ, venæ, nerui, lacerti, tendines, oculi, vterus, inteſtina, renes, ventriculus, lien, iecur, pulmoneſq; & cor, & cætera omnia, quæ huiuſce ordinis ſunt.

Arteriæ diuiſio.

Inſtrumẽtum Græcis organon.

Fibris quoduis inſtrumentũ conſtat.

Adipẽ partem appellat.

Partes ſimilares ſunt elemẽta ſenſibilia.

Diſſimilares.

In hoc contextu Galenus quamplurima à nobis in noſtrã Phyſiolo-

ſiologia exarata confirmat, vt partes, ſimilares potiſſimùm, eſſe ſenſibilia corporis elementa: fibras eſſe omnium partium maximè ſimplices: adipem eſſe Corporis partem.

Cæterùm non leuis eſt Controuerſia de ijs quæ in contextu dicta ſunt. Nam inter Inſtrumentarias partes collocat Galenus arterias, venas, neruos, & tendines: cùm tamen alibi inter ſimilares, eaſdem enumerauerit, vt lib. 1. de facult. natural. cap. 6. 7. & 8. Libro etiam de Different. morb. cap. 3.

Quòd Valleriola dixerat, dictas iam partes ſecundùm naturam eſſe diſſimilares, ſecundùm verò ſenſum ſimilares à Galeno appellari, à Sanctorio reprehenditur: Quia, inquit Sanctorius, ipſe Galenus libro de inæquali Intemperie cap. 2. fatetur, per ſenſum diſſimilares dignoſci. Præterea Anatomicis notiſſimum eſt, venas, & arterias eſſe compoſitas ex fibris & membranis.

Sanctorius malè Valleriolam reprehendit.

Verùm in hoc, vt in multis alijs, Galeno imponit Sanctorius; nam nihil de ſenſu apud Galenum citato cap. habetur. Diuidamus autem, inquit, earum rurſùs vnamquamq; in proximas ſui, quæ προσχῆ Græcè dicũtur, particulas: v.g. crus in femur, tibiam, & pedem: Item manum in brachium, cubitum, & ſummam manum: Iam ſummæ manus ipſius propriæ particulæ ſunt, carpus, Metacarpium, & digiti. Digitorum v. particulæ ſunt, oſſa, cartilago, ligamentum, arteria, vena, membrana, caro, tendo, vnguis, cutis, adeps. Has autem diuiſiſſe in aliam ſpeciem non eſt, ſed ſunt ſimilares, ac primæ, exceptis tamen arterijs, & venis. Hæ namq; ex fibris & membranis ſunt conditæ, veluti in Anatomicis adminiſtrationibus eſt traditum. Ne verbum quidem hîc de ſenſu habet Galenus: ſed ſolummodò refert, ſe in ſua Anatomia docuiſſe, venam & arteriam ex fibris, & membranis componi; atque adeò non eſſe primas ſimplicesue partes.

Vegæ argumentũ.

Vſus eſt Sanctorius Vegę argumento contra Fuchſium, ſed non integrè rem produxit. Affirmat enim Vega, venam & arteriam ſecundùm ſenſum eſſe partes diſſimilares, quia Galenus in opere de Anatomicis adminiſtrationibus idipſum demonſtrauit; vt ipſemet textu iam traducto Libri de inæquali Intemp. fatetur. Sed cuperem à Sanctorio, & Vega locum, in quo Galenus docuit, venas & arterias ſecundùm ſenſum eſſe diſſimilares. Fingerent fortaſſis id dictum fuiſſe in libris duobus de Anatomicis Adminiſtrationibus

nibus ſcriptis in gratiam Flauij Boethi Conſulis Romani, qui tamen libri, hoc intereunte, interiêre. In Anatomicis autem adminiſtrationibus à Galeno poſtea ſcriptis, lib. 6. cap. 12. hæc habentur: Itaq; venam omnem fibras variè ipſam intertexentes, tunicam verò vnam habere, nouimus. Libro 7. eiuſdem operis cap. 5. de Arteriæ compoſitione ſequentia habet: Arteriæ verò duæ particulares tunicæ exiſtunt, exterior ſanè, qualis vena eſt: interior autem craſſitie huius ferè quintupla, inſuper durior, in tranſuerſas fibras diſſoluta: exterior autem, quam etiam venæ obtinent, rectis fibris, & quibuſdam mediocriter obliquis, tranſuerſis nullis, contexta eſt.

Flauius Boethius Conſul à Galeno accepit Opus anatomicum.

Venæ compoſitio.

Arteriæ compoſitio.

Quid ex his Galeni locis aliud colligi poteſt, quàm quòd Galeno perito Anatomico notum fuit, venas, & arterias, tunicas habere varijs fibris contextas? Nec hoc ſanè ego diffiteor, ſed id quod diligentem inueſtigationem ſemper, vt eluceſcat, requirit, ſenſibus communiter notum eſſe prorſus nego. Quoties ſanè venas, arterias, & neruos vnuſquiſque conſpicit, partes ſimilares, & eiuſdem rationis, nō diſſimilares, appellabit: Imò Anatomicus, quantumuis peritus, nonniſi laborioſa inſpectione, contrarium ſibi perſuadebit. Nec mirum, cùm ex quatuor humoribus, mediante alteratione, has eaſdem partes fieri docuerit Galenus, lib. 3. de Simpl. medic. facult. cap. 4.

Locis Galeni ſatisfit.

Ludit adhuc Sanctorius, Operum Galeni parùm ſedulus ſpeculator, qui Vegam reprehendens, ait, nullo modo venas, & arterias, ſimilares dici poſſe; quia ex Galeno lib. 10. Methodi cap. 11. tres tantùm in corpore ſunt partes ſimilares, fibroſa videlicet, membranoſa, & carnoſa; quæ partes immediatè, vt docet Galenus lib. 1. de Element. fiunt ab humoribus. Quare cùm venæ ſint compoſitæ ex fibris, & membranis, & ſint inſtrumenta caua, nullo modo dici poterunt ſimilares. Lib. .n. 7. de Placitis Hippocratis & Platonis, cap. 3. docet Galenus, neruos conſtare ex triplici ſubſtantia, ſcilicet ex media, quæ dicitur medullaris, & eſt ſimillima medullæ arborum; ex tenui membrana, orta à pia matre; & ex duriori, orta à membrana dura Cerebri.

Sanctorius inſtat.

Mirandus ſanè tam frequens Sanctorij lapſus, Galeno perperam adſcribentis quicquid ipſi placuit. Quæ Galenus cit. cap. 11. libri 10. Methodi, de fibris, membranis, & carne habet, hac ſerie

Sanctorius perſtringitur.

ſe habent: Nam primùm eiuſmodi febris propriam partium humiditatem, ex qua nutriuntur, depaſcit; hinc .v. ad carnoſum genus tranſit, quod circa fibroſas, tum membranoſas partes ſolidorum corporum hæret: ita deinde ipſas ſolidas populatur. Siquidem in ſingulis ſimplicium, ac primarum, quas vocant, partium (vt in diſſectionibus es contemplatus) alia portio ſubſtantiæ eorum eſt, veluti fibroſa, alia membranoſa, alia carnoſa. Sicut exempli cauſâ, cùm vena vnam tunicam habeat, & eam tenuem, licet fibras in ea inuenire multas, quæ ſint araneoſis quibuſdã interſitis contextæ: quibus vtriſq; ipſa propria venæ ſubſtantia adnaſcitur. Hæc alia in alijs partibus habetur, nec vllum commune nomen eſt nacta: Cæterùm docẽdi cauſâ nihil vetat, eam carnoſam ſubſtantiam voces, vel certè huius particulæ quandam carnem, quæ in ventriculo quidem ſit alia, in iecinore alia, ſimiliter in arteria, & muſculo. Vocatur .a. caro tantùm ea, quæ in muſculo eſt: reliquarum nullam Homines carnem vocant, præterquàm admodum pauci: ſed quæ in Viſceribus, ſeu Iecinore, Renibus, liene, & Pulmone viſuntur, eas Parenchymata (quaſi affuſiones dixeris) Græcè vocant: quæ in inteſtinis, Ventriculo, ſtomacho, & vtero ſunt, ſine nomine relinquunt. Paucis interpoſitis, eodem Cap. ſequentia habet idem Galenus: At verò nec fibroſa, nec neruoſa, membranoſaue natura eandem generationem habere cernitur: nec fas eſt eiuſmodi ſingularum partium fibras à malignis febribus liquari, ſicuti carnes: quando animal ipſum priùs, quàm hæ prorſùs ſunt ſiccatæ, interemerint. Hæc ſunt, quæ occaſione febris hecticæ Galenus cit. cap. de fibris, membranis, & carne dixit: inter quæ nuſquam pronuntiauit Galenus, tres tantùm in corpore eſſe partes ſimilares, fibras, membranas, & carnem: imò nec ſanæ mentis quiſpiam ex dictis Galeni verbis rectè colligere poteſt, relatas tantùm tres; partes ſimilares eſſe. Ob hanc ergo Galeni authoritatem, ineptè Vegam reprehendit, quod hic, vt contradictionem in doctrina Galeni apparentem dilueret, duplicem partis ſimilaris definitionem ſtatuerit. Quarum vna eſt hoc modo affirmatiua: Pars ſimilaris eſt, quæ in partes ſibi ſimiles diuidi poteſt; & ſic pars venæ vena dicitur, pars arteriæ arteria. Altera definitio ab eodem Vega negatiuè datur, & hac ſerie: Pars ſimilaris eſt illa, quæ non poteſt diuidi in partes alterius naturæ. Iuxta hanc definitio-

Triplex caro, propria partium; muſculoſa, & parenchyma.

Sanctorius taxatur.

Similaris definitiones ex Vega.

nitio-

nitionem Vega censuit,venam, & arteriam non esse partes similares, sed dissimilares ; quia venæ & arteriæ diuidi possunt in fibras & membranas, quæ ab ijsdem arterijs,& venis, naturâ differunt ; Vnde Vega concludit , venas , & arterias à Galeno affirmatiuè partes similares appellari, negatiuè verò dissimilares . Sed hanc Vegæ opinionem, vt dixi, authoritate Galeni plenè destruere voluit Sanctorius.

Saluus Sclanus Galeni Doctrinam ita interpretatus est,vt existimauerit , venas & arterias inter similares partes à Galeno recenseri, iuxta, non propriam, sed Antiquorum sententiam. Reijcitur tamen à Sanctorio hæc interpretatio , quia etiam Antiqui non erant rei Anatomicæ adeò imperiti, quin scirent venas,& arterias ex fibris,& membranis componi.

Demùm suam proferens sententiam Sanctorius,contradictionem in Galeni Doctrina apparentem hoc modo mitigat. Dicimus nos Corporis nostri particulas vniuersas dupliciter considerari posse , vel cum relatione ad compositionem alterius partis, vel per se, & sine relatione. Positâ hac distinctione dicimus, venas, & arterias vocari posse partes similares,& dissimilares; similares,quatenùs considerantur cum relatione ad partes, quas componunt. Quòd hæc Galeni intentioni congruat, patet ex libro de inæquali intemp.cap.2.vbi habet hæc verba : Digitorũ verò particulæ sunt, ossa, cartilagines, ligamenta, arteria,vena, membrana , caro , tendo, vnguis , cutis, & adeps. Venæ igitur , & arteriæ, ex Galeno sunt particulæ; non dicerentur sanè particulæ,nisi quatenus componunt . Si verò considerentur venæ, & arteriæ, non vt particulæ alterius partis , sed per se , sic non essent particulæ, sed essent partes dissimilares . Galenus etiam in hoc textu partes simplicissimas & similares, vocauit particulas. *Opinio Sanctorij.*

Hæc Sanctorius , qui mirum in modum à Scopo aberrat , tantam vim tribuens voci, particula, ita vt venam, & arteriam,similares esse dicat, quia textu citato particulæ dicuntur . In quo sanè se negligentem Galeni Lectorem ostendit,vt constat ex cap.5.lib. 1.Meth.med.vbi Galenus, ait hos qui partẽ à particula distingui aiunt, latinam linguam ignorare. Nominetur igitur, inquit, oculus pars Corporis: neq; hîc referat, partemne,an particulam quis dixerit. Quicquid.n.totum complet, atq; integrat,id totius videlicet *Perstringitur Sanctorius.*

licet corporis,quod complet, particula, siue pars nominatur. Est enim pars ex ijs quæ ad aliquid dicuntur, quippe pars totius, integriq; pars dicitur: æquè profectò, vt totum & integrum per relationem ad partes & particulas proprias nominatur, estque sicuti dextrum ad sinistrum, & sinistrum ad dextrum, ita & totum ad partem, & pars se habens ad totum. Ergo, si quis hac seruata notione, malit partem dicere,quàm particulam,aut si quis contra particulam potiùs, quàm partem, is mihi ad rerum inuentionem impedimento non sit: Cæterùm imperitum se linguæ latinæ prodit: quemadmodum certè, si quis integrum à toto secernat, is quoq; linguæ latinæ est ignarus. Ecce Galenus partem & Particulam,tanquam synonima confundens. Ergo contra Galeni mentem, & partem, & particulam à se inuicem distinguit Sanctorius. Præterea, si venæ & arteriæ essent partes similares, propterea quòd citato cap. 2. libri de inæquali intemperie, particulæ dicantur; & quia vnà cum multis alijs ad alterius partis compositionem concurrunt, partes similiter sine controuersia dissimilares, similares dicerentur: Quam sequelam probo Galeni authoritate, eodem libro de inæquali intemperie cap. 1. & 2. quibus in locis, quod dicimus,affirmat. Capite enim 1.cit.sequentia scripsit.Quò autem clarior nobis omnis disputatio sit, reuocare in memoriam oportet omnes corporis particulas, principio à maximis sumpto, quæ scilicet ne vulgo sunt ignotæ: siquidem manus, & pedes: & ventrem, & thoracem, & caput, nemo est, qui ignoret. Nonne clarè hîc Galenus omnes corporis partes, particulas appellat; & speciatim dissimilares: manus enim, pes, venter, caput, & thorax, sunt maiores corporis partes, eæq; dissimilares, vt cuiuis innotescit. Capite verò sequenti secundo eiusdem libri hæc habet: Diuidamus autem earum rursùs vnamquamq; in proximas sui, quæ Προσχῆ Græcè dicuntur, particulas. Verbi gratiâ, crus in femur, tibiam, & pedem. Item manum in brachium, cubitum, & summam manum. Iam summæ manûs ipsius propriæ particulæ, sunt carpus, metacarpium, & digiti: Digitorum verò particulæ, sunt ossa, cartilago, ligamentum, arteriæ, venæ, membrana, caro, tendo, vnguis, cutis, adeps, &c. Ecce adhuc Galenus brachium, cubitum, & summam manum, magnæ manus partes dissimilares appellans manifestè particulas: quæ quidem ad magnæ

ma-

manus compositionem concurrunt. Pariter cap. 5. lib. 1. Meth. perinde esse ait, an oculus pars, particulaue dicatur. Ergo frigidum est & leue Sanctorij argumentum, dicentis venas & arterias ideò similares esse, quia partem aliquam componunt, & à Galeno particulæ dicuntur.

Cæterùm, si seuerè loqui velimus, inquit Sanctorius, asserimus ex Galeno, neq; cartilagines, nec ligamenta, nec membranas, neq; carnes, vocandas esse partes similares. Siquidem Galenus lib. 6. de Placitis cap. 2. clarè docet, quod est compositum, non dici similare; membrana est ex fibris composita: similiter quælibet caro. Hinc pro confirmatione nostræ sententiæ, dicimus cum Galeno lib. 3. de facult. natural. cap. 15. Solùm fibras vocari posse similares partes: dicit enim fibras esse similares particulas, & verè sensibiles: cætera verò, quæ componunt fibras, primò esse elementa, deinde quatuor humores, &c. *Altera Sanctorij opinio.*

Plerumq; falsò Galenum, tanquam testem, citat Sanctorius: Loco. n. citato Lib. 3. de facult. natural. ligamenta, membranas, & neruos, ex fibris confici docet; docetq; has esse similares particulas, & verè sensibiles. Verùm Galenus hîc nequaquam docet, partes omnes similares ex fibris componi. Cerebrum enim est pars præcipua, eaq; nobilissima, quæ tamen ex fibris componi minimè deprehenditur. Ossa pariter ex seminis parte valdè exsiccata generantur: nec vlla ratio suadet, eadem ex fibris confici, cùm nulla extent talia filamenta in ijsdem ossibus. Quis quæso dicere auderet, ossa v. g. petrosa, ex fibris componi: quis rursùs humorem aqueum, vitreum, & chrystallinum, liquores manifestos? Doctrina ergo Sanctorij merum est figmentum. Perperam deniq; Caput 2. lib. 6. de Placit. citat. Nam inibi contra Aristotelem, & Possidonium, cum Platone tres Animæ species, quas partes appellari posse docet, admittit. Eius verba hæc sunt: Quòd si partes etiam istæ (species scilicet Animæ) ab eodem Platone nominantur, nemini id mirum esse debet: ex ipsius. n. doctrina habemus primum quicquid species fuerit, posse etiam partem appellari: non tamen quicquid pars est, esse id continuò etiam speciem. Deinde illud fieri non posse, vt quippiam compositum similare dicamus, totum. n. cùm sibimet continuatum sit, ex certis quibusdam, numeroq; definitis compositum est partibus: at in similari- *Perstringitur Sanctorius.* *Reprehenditur Sanctorius.*

bus

bus partium multitudo nullo poteſt numero circumſcribi. Hîc nihil inuenitur contra nos, qui fatemur ex diuerſis ſpeciebus nihil coaleſcre ſimilare. Vnde hic locus minimè confirmát, partes omnes ex fibris fieri, & ſolas fibras eſſe ſimilares. Si autem caro in febre hectica abſumi poteſt, intactis & ſuperſtitibus fibris, vt lib. 10. cit. meth. med. cap. 11. & alibi viſus eſt aſſerere Galenus, nonne caro ſtrictè ſumpta à fibris prorſus diſtinguetur, tanquam res ſpecie omninò diuerſa? Sanguis enim, ex quo caro fit, à ſemine, ex quo fibræ, diſtinguitur. Caro autem augetur, & de nouo quotidie generatur; fibræ. v. ſpermaticæ partes nunquam de nouo naſcuntur.

Capite adhuc 2. cit. lib. 6. de Placitis, nobis prorsùs fauet Galenus; qui dum Animæ tres ſpecies cum Platone admiſerat, eaſdem partibus ſimilaribus corporis comparat: quarum quælibet ſpeciem per ſe conſtituit; ſicuti quælibet pars animæ. Nam, inquit, rationem ſiue rationalem; iracundiam ſiue iraſcibilem; & cupiditatem, ſiue concupiſcibilem, rectè poſſumus, & ſpecies & partes Animæ appellare: perinde ac ſiquis cum venas, arterias, neruos, oſſa, cartilagines, carnes, & reliqua eiuſdem generis, corporis ſpecies vocauerit, mox de ijſdem agat, quaſi de partibus. Etenim & partes reuerà corporis noſtri hæc ſunt, quippe cùm ex ipſis totum perficiatur, & ſpecies item nihilominùs: in ſolis enim ſimilaribus id quod differt ſpecies non eſt, ſiue ſit carnis, ſeu venæ, ſeu adipis pars: neq; verum eſt, ſi de his intelligentes, dicamus, ex tot talibuſq; quibuſdam ſpeciebus totum conſtitui. Sed in diſſimilaribus id fit, vt ſpecierum, formarumq; differentia numerum partibus ſimilem quandam rem eſſe animam noſtram, ait Plato ex tribus compoſitam partibus: quas ita effingit, vt Concupiſcibilem varię cuidam Beluę, Iraſcibilem Leoni, Homini Rationalem comparet.

Hoc in contextu poſt Platonem credit Galenus, tres Animas relatas, eſſe tres ſpecies, & tres partes Animæ, & quidem has partes, tanquam infimas ſpecies, in alias non vlteriùs diuidendas eſſe voluit; quibus ſimilares noſtri Corporis partes Galenus manifeſtè comparat: docetq; partes partium ſimilarium non conſtituere nouas ſpecies, ſed eſſe eiuſdem prorsùs rationis. Et inter partes has ſimilares, venas, arterias, neruos, & carnes, manifeſtè

enu-

enumerat Galenus. Voluit ergo Galenus prædictas partes, saltem secundùm sensum, esse similares. Et sanè quæ sensûs iudicio similares sunt, similares commodè dici possunt, teste Galeno lib. de opt. Corpor. nostri Constit. cap. 2. vbi hæc habet. Sit itaq; ea optima corporis constitutio, in qua tum partes similares omnes (sic .n. haud dubiè, quæ sensui simplicia apparent, appellamus) propriam temperiem sortiuntur: tum quæ ex his instrumentariæ partes constant magnitudine, numero, formatione, ordineq; moderatissimè sint constitutæ. Abundè hactenus Sanctorio Galenum opposuimus, & ostendimus, eundem Galenum perperàm ab ipso citari. Sed hæc de hac Controuersia sufficiant.

Prædictis Medicinæ diuisionibus addere lubet caput quartum libri de subfiguratione Empirica, in quo Galenus conformem dictis doctrinam est complexus: Hactenus, inquit, quantum compendio licet, de experientiæ diffinitione tractauimus. Theutàs. a. totam Medicinam in tres partes diuisit, Indicatoriam, Curatoriam, & Salubrem: has verò vniuersas acquiri per propriam intuitionem, historiam, & congruum de re simili ad similem transitum: propterea, qui hæc tria proxima Medicinæ partes esse voluerunt, non absolutè partes, sed cum additione, partes constitutiuas appellauere, vt priora illa partes finales, partium scilicet genus in duas primas differentias dissecando, finales, & constitutiuas: siquis tamen nominibus abuti noluerit, non has constitutiuas appellabit partes, sed quasdam Medicorum operationes: ille verò animi habitus, quo Medicus vel indicare, vel curare, vel sanitatem custodire potest, meritò pars Medicinæ vocabitur. Abutantur igitur nominibus qui voluerint: nos in partes tres Medicinam secabimus, indicatiuam, curatiuam, Salubrem. Porrò Indicatiuam in dignotionem præsentium, & futurorum prænotionem, sicuti curatiuam in Chyrurgiam, victus rationem, & Pharmaciam. Salubrem verò quidam indiuisam seruarunt: quidam in speciem generi cognominem, in Salubrem, inquam, & in Euecticam .i. boni habitus effectricem: alij addiderunt præseruatiuam, resumptiuam, & Gerocomicam .i. Senum custoditricem. Sunt, qui ex rationis diuisione partes Medicinæ venati sint: cùm enim, sicut Herophylus voluit, Medicina sit Scientia Sanorum, ægrorum, & neutrorum, tria excogitauerunt, quibus singula istorum conueniunt

Medicinæ tres partes.

Animi habitus est Medicinæ pars.

Indicatiuæ, siue Semeioticæ partes.

Curatiuæ partes.

Salubris partes.

Definitio Medicinæ ab Herophylo data.

niunt, corpora scilicet, signa, & Causas: nam, sicuti corpora, ita signa, & causas congruè sana, ægra, & neutra nuncupamus: Licebit igitur secundùm hanc rationis sectionem, Empiricam quoque Disciplinam in suas partes diuidere: non prohibeo tamen, si quis & aliter diuidendam putârit, dummodò nullum Artis mẽbrum omittatur: propterea & Theutas in principio Libri de Partibus, nihil obstat, inquit, si Medicinæ partes in Indicatiuam, Curatiuam, & Salubrem sectæ, in alia quoq; membra secentur: quò fit, vt minimè mirum sit, si Empiricæ artis alij duas partes, alij tres, quidam quatuor, nonnulli quinq; posuerint: fortasse enim eandem omnes rei rationem intuentur, sed vt diuersa concipiunt, ita & diuersa explicare necesse est: quæ verò sit rationis diuisio, paulò inferiùs declarabitur.

Eandem Medicinã diuersis modis multi diuiserunt.

Hoc capite Galenus Medicinæ diuisionem ab Antiquis quibusdam traditam, tanquam bonam, confirmat. Tres enim Medicinæ præcipuas partes statuêre: Indicatiuam seu Semioticen: Salubrem, & Curatricem. Indicatiuam diuidit Galenus in duas partes; quarum prima est Diagnosis, siue Dignotio præsentis status corporis salubris, insalubris, & neutrius. Secunda Prognosis, siue præcognitio futuri euentus morbi nuncupatur. Curatricem Medicinæ partem in tres adhuc partes diuisit. Prima est, quæ modum vtendi sex rebus nonnaturalibus in ægris docet. Secunda est, Chirurgia, quæ operationes manu adhibendas præscribit. Tertia est Pharmacia, quæ debita medicamenta dictat. Salubrem in varias partes in contextu relatas, iuxta quorundam opinionem, diuisit. Verùm diuisio iam data in Indicatiuam, Curatiuam, & Salubrem, Medicinæ Practicæ, quàm vniuersæ Scientiæ Medicę, congruentius competit, ni placeat, vt fortassis commodè fieri potest, Physiologiam ad Salubrem reuocare, veluti Pathologiam communem ad particularem Therapeuticam dictam.

Etsi curatrix Medicina sola Medicinæ nomine gauderet antiquitùs, modo tamen omnes partes cõplectitur Medicinæ nomen.

Galenus libro ad Thrasybulum cap. 47. & vltimo, quærit, cur sola Curatrix pars, Medicina antiquitùs dicta fuerit, & Hippocrates, eiusq; discipuli, qui hanc excoluêre, Medici? Sequenti serie dubium hoc soluit idem Galenus: Hanc huiusce rei causam suspicor, quoniam cùm prima totius artis pars curatiua, quòd & maximè necessaria esset, constituta sit; deinde per multum otium conseruatiua Salubrisque vocata ei adiecta fuerit, totam artem à

parte

parte denominari contigit, quemadmodum, & in alijs plerisq; fieri assolet. Quandoquidem, & Geometras appellamus non circa planas solum figuras, verum etiam circa solida versantes: nullusq; his temporibus inuenitur, qui vt Geometra, sic & Stereometra nominetur, sed nomen defecit. Vt etiam salubrium non corporum, non ciborum dico salubrium, sed virorum ista scientiũ, ab Erasistrato Medicis ex aduerso distinctorum. Pariter, & Trierarchas, veteres Græci triremiũ Principes nuncupant: nunc verò iam omnes vtcunque naualis exercitus duces, etsi triremes non sint naues illæ, eo nomine appellant. Huiusce rei quoddam simile circa Medicinam, atq; Medicos euenit: à prima enim constituta parte, vt & ipsa totius corporis gubernatrix ars, Medicina, ipse artis professor, Medicus nominaretur, tempore procedente effectum est. Quamobrem neque ab re nunc quispiam interrogatus, cuiusnam artis pars sit illa facultas, quæ tuendæ sanitatis notitiam tradit, Medicinæ respondere poterit: latius namq; fuso, & amplificato vocabulo, neque dum partem, sed integram humani corporis artem significante, Hippocrates, & omnes, qui hac tempestate florent, iure Medici nomen inuenerunt, artisque ipsius duas maximas partes agnoscunt, Curatricem scilicet, atq; Salubrem. Hactenus Galenus qui cap. 40. citati libri probat illam Medicinæ partitionem, quâ in duas præcipuas Principesue partes dirimitur; Salubrem videlicet, & Curatiuam, quia nimirum ad has cæteræ, quotquot sunt partes, reuocantur: vti omnes ad Curatricẽ reduci voluit Hippocrates, seu potius ad Curatricẽ simul, & Salubrem, dum Medicinam, Adiectionem, & detractionem esse statuit. Varias Medicinæ diuisiones ab Antiquis exhibitas studio hùc transtuli, propter varias altercationes non rarò hac de re in Scholis ortas.

Geometra. Stereometra. Trierarcha.

CAPVT III.
Quid est Signum?

NOn est Scientia, quæ Signorum naturam frequentiùs expendit, aut horum vsui maiori cum necessitate magis addicta, quàm Medicina; cuius præcipuæ partes Signorum egent ministerio. Signi ergo natura diligentiùs à Medico, quàm Logico, examinanda.

Quid signum. Signum enim (Græcè σημεῖον) si vim nominis spectemus, dicitur à significo: Significare enim est aliquid nobis repræsentare, seu rem aliquam potentiæ præsentem facere. Verùm id discriminis inter repræsentare, & significare statuitur, quòd significare sit quid minùs extensum, aut quid minùs latè patens, quàm repræsentare. *Significare, & repræsentare distinguũtur.* Nam ex D. Augustino, libro de Magistro, repræsentare non solùm alia significat, verumetiam semetipsum: Multa enim, inquit, se repræsentant, quæ Signa non sunt: At verò significare aliquid, se extendit solummodò ad ea quæ à se diuersa sunt. Veritas huius distinctionis eruitur ex Aristotele lib. 1. de Interpretat. cap. 1. vbi ait, voces esse signa conceptuum. Ibi enim loqui videtur Philosophus de Signo in communi: ac proinde ad communem Signi rationem pertinet, vt sit quid distinctum à Significato; cùm tamen repræsentans non solum aliquid à se distinctum repræsentet, sed præterea semetipsum. *Repræsentare quid?* Repræsentare nihil aliud est, quàm sese potentiæ cognoscenti exhibere.

Ratione probatur sententiæ nostræ veritas. Ratione constat, quòd signum sit quid distinctum à significato; quia videlicet signum est medium quoddam inter rem significatam, & ipsam potentiam, cui signum aliquid significat. Vnde, cùm signum se habeat tanquàm medium quoddam instrumentum inter potentiam cognoscentem, & rem significatam, necessariò à re eâdem significata potentiæ cognoscenti, idem signum distinguetur. Priùs enim Signum alicuius rei, potentiam, hanc eandem rem cognoscentem, mouet, quàm res eadem Signo indicata significataue. Non .n. aliter res naturales, nisi mediante Signo, à fragili imbellique intellectu nostro, corporis tenebris offuscato, percipiuntur. Rectè ideo Philosophus monuit, nihil esse in Intellectu, quin priùs fuerit in sensu; quasi diceret, nihil à nobis percipi, nisi mediantibus sensibus, signa quædam rerum percipientibus.

Secundum Argumentum. Patet secũdò Signi à Significato distinctio, siue de instrumentalibus, siue de naturalibus signis sit sermo. Ramus enim ante Tabernam pendens, vinum significat vendibile, & à se quidem toto cælo distinctum. Sonus pariter Campanæ, Sacrum, Lectionem, Concionem, mortuum, Diuinum officium, veluti horum omnium institutum signum, indicat, à quibus tamen prorsus distinguitur. Vestigium præterea pedis Bouis loco molli impressum

sum, naturale signum est, à Boue tamen omninò diuersum.

Sed obijciunt primò aliqui, Signum definiri per repræsentationem: atq; adeò cùm repræsentans non solum aliud à se distinctum, sed prętcrea semetipsum repræsentet, Signum pariter significabit non solùm aliquid aliud à se distinctum, sed vlteriùs semetipsum. *Prima obiectio.*

Respondeo, negando paritatem, quia repræsentans est aliquid vniuersalius signo. Est enim repræsentans in definitione Signi positum loco Generis, quando Signum dicitur esse repræsentans rei alicuius. Quare quamuis repræsentans repræsentet semetipsum, & aliquid aliud, non inde sequitur, Signum significare aliquid aliud, & semetipsum. Nam id, quod Signum est, si alio Signo significari non potest, quatenus se potentiæ cognoscenti obijcit, repræsentans semetipsum dicetur. Diuus ergo Augustinus loco citato rectè ait, multa se repræsentare quæ Signa non sunt: volens per hæc verba, Signum, & repræsentans ab inuicem distingui. *Solutio.*

Obijcies secundò ex D. Augustino, loco citato, quædam Signa significare non solum alia, sed seipsa; vt nomen, v.g. quod, vt cunctis compertum est, omnia nomina significat: & consequenter seipsum; cùm ipsum nomen, nomen sit. (Nomen hîc accipio, non pro peculiari parte Orationis, sed pro quouis vocabulo.) Similiter conceptus formatus de conceptu iam communi, comprehendetur sub ipso conceptu communi; cùm omnis conceptus sub communi contineri debeat. *Secunda obiectio.*

Respondeo, Signum posse rem aliquam dupliciter significare. Primò, expresse, & immediatè, & per se ac primariò. Secundò, confusè, secundariò, & per accidens. Hoc secundo modo, nomen, & conceptus significant, non solùm alia præter se, sed etiam semet. Signum verò in prima, & propria sui significatione, non significat seipsum, sed semper aliquid aliud à se distinctum. *Solutio.*

Obijcies tertiò, Deus, & Angelus, & Anima rationalis à corpore separata, sese per suasmet essentias, & substantias cognoscunt, vt probatiores Theologi profitentur. Cùm ergo cognoscens, nihil, nisi mediante Signo, cognoscat, in hoc saltem casu, Signum, & Significatum erunt idem: Adeoq; Signũ seipsum significabit. *Obiectio tertia.*

Respondeo, diuersam esse rationem concipiendi, & cognoscendi

ſcendi Dei, Angeli, & Animæ, à modo cognoſcendi Hominis: qui quàmdiu in hac miſera vita verſatur, vix quidpiam, niſi ſummo cum labore, & mediantibus ſenſibus ac Signis percipit. Secùs ſe res habet, quando anima in ſtatu gratiæ exiſtens ad Patriam peruenit; vbi proculdubio purius & potentius res quaſuis agnoſcit, quàm quando in corporis ergaſtulis immerſa agebat. Deus .a. Omnipotens, qui omnia per ſe, & immediatè nouit, nullo eget adminiculo ad quiduis noſcendum: Angeli verò, ſeipſos ſaltem, ſine alio ſufficienter agnoſcunt.

Varia Signi definitiones.

His præhabitis, Signum variè ab Authoribus definitur. A Logicis vulgò proponitur definitio illa tradita à D. Auguſtino, libro 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. quæ huiuſmodi eſt: Signum eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud ex ſe faciens in cognitionem venire. Eòdem recidit alia Definitio ab eodem S. Auguſtino Lib. de Principijs Dialecticis cap. 5. data, quæ ſic habetur: Signum eſt, quod ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo repræſentat.

Signi definitio ex Philoſophis.

Verùm, quoniam hæ Auguſtini definitiones inſtrumentalibus Signis, ex hominum beneplacito conſtitutis maximè conuenire videntur, aliam excogitauerunt Philoſophi laxiorem Signi definitionem, quæ talis eſt: Signum eſt id, quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat. Hæc .a. definitio omnia complectitur Signa, cuiuſcunq; ſint naturæ, ſiue inſtrumentalia, ſiue formalia, ſiue propriè Signa ſint, ſiue impropriè; dummodo nos in alicuius rei cognitionem manuducant. Hæc enim definitio Signi in ampliori & fuſo vocabuli Significato accepti, ad ipſa ſpiritualia, iuxta Philoſophorum conſuetudinem, extenditur. Cùm .n. Signum id omne, quod loco rei ſubſtituitur, eiuſdemque per conſequens rei notitiam affert, quoties res aliqua ſpiritualis ſic ſe habebit, Signum cenſebitur. Angelus v.g. ſecundùm ſuam eſſentiã à nobis cognitus, erit medium potentiæ cognoſcenti ad intelligendum Deum: & conſequenter inſtar Signi tunc ſe habebit: vt habet inter alios D. Thomas, prima Parte, quæſt. 56. art. 3. Signi diſtinctionem in inſenſibile, & Senſibile, præſuppoſuiſſe viſus eſt Petrus Lombardus, Sententiarum Magiſter communiter nuncupatus, in 4. lib. Sentent. diſtinct. 1. dum ait: Sacramentum eſſe inuiſibilis gratiæ viſibilem formam .i. vt Interpretes loquuntur,

Signum ſpirituale.

Signi diſtinctio ſecũdùm Petrum Lombardum.

Sacramẽtum quid.

Sensibile Signum. Si verò nullum daretur insensibile Signum, superuacaneè particulam, vocabulumue, Sensibile, in Sacramēti definitione posuisset Lumbardus. Posuit ergo in sua illa definitione particulam, Sēsibile, quia nouit dari insensibile Signum, vt patet in exemplo allato Angeli, manifestumque fit in speciebus impressis, & expressis, quæ res, quarum sunt species, nobis repræsentant; etsi vtræque species penitùs insensibiles sint; res verùm sensibiles nobis cognitas præbent. Definitio ergo allata Signi in laxiori significatione accepti, præferenda est definitioni D. Augustini: cùm Augustinus insensibile omiserit, soliusq; sensibilis meminerit. Vsitatioris enim Signi, Sensibilis videlicet, definitionem, iuxta vulgarem consuetudinem, nobis optimè reliquit Augustinus: quoniam, vt plurimùm, apud omnes mentio fit Signi Sensibilis, quod sui speciem externo sensui imprimit. Hæc .a. impressio specierum est in causa, cur cognoscens prouehitur in notitiam alterius rei à Signo distinctæ.

Exponitur definitio Signi tradita à D. Augustino.

Cæterùm Sedulò animaduertendum, non semper saltem ab eadem potentia Signum, & rem per idem Signum significatam percipi: quoniam signum aliquoties à Potentia sensitiua percipitur; res verò per Signum significata à potentia superiori, & multò nobiliori. Motus v. g. quo se mouet Petrus, à potentia visiua percipitur, res verò per dictum motum, voluntarium præcipuè, significata, est anima, quæ à solo intellectu, nequaquàm à visu dignoscitur. Nulla .a. est alia motûs voluntarij in homine radicalis causa præter animam, qua separata, corpori voluntarius deficit motus, & naturalis solummodò remanet. Scio enim apud Medicos musculum motûs voluntarij causam dici, quod ego libenter fateor & admitto, dummodo musculus instrumentalis causa, siue organum, instrumentumue motûs in viuente dicatur.

Motus in homine voluntarij causa radicalis.

Musculus causa instrumentalis motus volūtarij.

Quamuis definitio illa Signi latè sumpti, paulò ante exhibita, optima sit, quòd sensibile simul, & insensibile comprehendat, bene tamen hac serie Signum definiri potest: Signum est id, quod rem aliquam nobis manifestat, patentioremue facit. Libro de Historia Philosophica, quem Galeno tribuunt, Signum hoc modo definitur: Signum iuxta Logicos, inquit, est proloquium mentis coniunctum. Item antecedens, cui consequens aliquod annexum sit. Postrema quidem hæc definitio videtur cum illa,

Vera & propria Signi definitio.

Signi definitio ex Galeno.

quam

quam bonam diximus, coincidere, veluti etiam sequentes, quæ libro de Definitionib. Medicis scriptæ leguntur. Signum est rei, quæ contingere debet, dignotio. Vel Signum est id, quo cognito, aliud, quod ignotũ nobis erat, deprehenditur. Græcè enim dicitur τὸ τοῦ ἀδήλου δηλωτικόν, idest, oculti, siue incerti, siue incogniti, siue dubij manifestatiuum, demonstratiuumue. Causæ etenim ipsæ nòn rarò Signi vicem in Medicina subeunt: Temperamentum v.g. calidum, intensus æstus, allij crudi, & Vini generosi liberalis assumptio, febrem efficiunt, & instar Signorum Medicum ad febris infestantis cognitionem manuducunt, quamquàm pulsus, & vrina, vnà cum qualitate caloris, sint præcipua signa febrē consequentia, eamq; prodentia. Quoniam rerum effectus veluti causarum signa sunt, rectè Galenus lib. 5. de loc. affect. cap. 7. signum causæ appellat, quidquid ab ipsa procedit. Galeni verba sic accipe: Est igitur communis sermo, quem dicere proposui de naturalibus facultatibus, quas in qualibet parte generatim quatuor esse didicistis. Primã verò attractricem, quæ peculiares parti succos, alendi ipsam gratiâ, & appetere, & attrahere potest: altera deinde est, quæ alteratrix dicitur, qua succus attractus similis euadit parti, quæ alitur: huic aliæ duæ ministrant, retentrix, quæ suo munere fungitur, quando pars attractum succum coquit, in suam ipsius naturam eum mutans: & expultrix, quando à coctione, quod inutile est, excernit, idq; excrementum vocatur. Has itaq; facultates in qualibet affecta, vtrum validæ sint, an infirmæ, consideretis, hortor. Vt in hepate (quoniam de hoc dicere instituimus) vis attrahendi, si quomodolibet afficiatur, cibum in ventriculo iam in succum transmutatum relinquet, vt per aluum quidem exactè confectus, verum liquidus, & haudquaquam exsiccatus excernatur. Atq; hoc, quod ipsa affecta sit, signum vobis erit: quidquid enim ab aliquo, tanquã à causa procedit, id illius signum esse constat. Quæ de facultatibus naturalibus hùc ex Galeno transtuli, in supplementum eorum, quæ libro 6. meæ Physiologiæ cap. 4. dicta sunto. Hanc Galeni doctrinã legenti apertũ erit quàm audacter ei imponat Sebastianus Nasius in suo Speculo Methodi Medendi, parte secunda, Sectione 5. Tract. 1. quæstione 1. vbi ait: Galenus deniq; ait signum esse illud, quod ab aliquo proficiscitur, tanquam à causa: minus placet, quia non solùm

Aliæ Signi definitiones, ex eodē Gal.

Causæ interdũ subit rationem Signi.

Tria præcipua Signa febriũ.

Effectus sunt signa causarum.

Quatuor facultates naturales, earumque munus.

Hepatis malè affecti signum.

lùm conuenit alijs, hoc eſt morbis, & ſymptomatis, cum hæc etiã proficiſcantur ab aliquo tanquam à cauſa: ſed præterea nullo modo ſigni naturam exprimit, ſed potius naturam effectus declarat, quicumq; ille ſit. Sanè hic Scriptor, vt dixi, Galeno imponit, nec huius doctrinam vllo modo penetrauit. Nam Galenus loco citato ſignum non definiuit, ſed ſolummodò effectum omnem, cauſæ à qua pendet ſignum eſſe dixit, quod eſt veriſſimum; cum effectus à ſemet non producatur, ſed ſemper ab aliqua cauſa. Quare cum ſit cauſæ ſoboles, cauſam indicat. Gaſpar Hofmannus credidit pariter Galenum loco citato de locis affectis definiuiſſe ſignum. Signum eſt, inquit Galen. 5. locor. affec. 7. quidquid ab aliquo, tanquam cauſa procedit. Sed hic homo Galeni textum corrumpens, gratis figmentum aſſuit, vt ex Galeni contextu liquet.

Sebaſtianus Naſius perſtringitur.

Hofmanni error.

CAPVT IV.

De Notatione, Notione, Notà, & Indicio.

HArum vocum cognitio Galeni Opera legenti prorſus neceſſaria eſt. Quare peculiari hoc Capitulo, has voces, quæ cum Signo cognationem habent, exponere volui. Notatio ex libro de Definition. Medicis, eſt per notam, vel per notas, ſiue Signa, perceptio: Vel, Notatio eſt Signum, quod rem minùs patentem quampiam declarat. Author enim dicti libri, ſiue fuerit Galenus, ſiue alius quiſpiam, per hanc vltimam definitionem confundere viſus eſt Notationem cum Signo, per primam verò definitionem, diſtinguere. Notatio quidem videtur eſſe rei perceptio, non verò Signum.

Notatio quid.

In prima illa Notationis definitione confunditur, & optimè, Nota cum Signo: indiſcrepanter enim his vocibus vtitur Author. Sunt quidem Synonima, vt ex præfata definitione perſpicuum euadit, veluti ex libro de Plenitudine, ſiue Plethora, cap. 7. vbi Galen. ait, actiones validas propriam eſſe ac inſeparabilem virium vigentium Notam.

Nota, & Signũ Synonima.

Actio valida viriũ robur indicat.

Notio, ex libro de Hiſtoria Philoſophica, eſt ipſa perceptio ſenſuum, dum rem aliquam comprehendunt: vel eſt Cognitio quædam; quæ duplex eſt; vna, notio nominis; altera verò definitionis, vt habet Galenus lib. 1. de different. pulſ. cap. 2. vbi inquit,

Notio quid.

Cognitio duplex.

quit, communem notionem pulsûs esse, quod sit partium quarundam corporis motus perpetuus. Rursùs, notiones definitionis, siue essentiæ proponit eodem in opere, & alibi, Galenus.

Indicium certum quid. Indicium certum, quod Græcis τεκμήριον dicitur, est id, quod perpetuo vnum aliquod certum significat, ac indicat. Vel, est argumentum necessarium à demonstratione sumptum, vel ab ipsa indicatione (licèt cum ea aliquando confundatur) quæ Græcis ἔνδειξις; vt habet Galen. comment. 3. Prognostic. conformiter Hipp. ibidē, qui sequētia profert verba: Probè verò peritum esse oportet de Indicijs certis, ac signis alijs, sciendumq; quod quouis anno, & quouis tēpore, mala malum, & bona bonum denunciāt.

Signū latiùs patet quàm indicium. Galen. in Comment. monet, Signū latiùs patere indicio, docens omne indicium esse Signum, non tamen reciprocè omne Signum esse indicium. Quod autem certum est, & infallibile, Indicium dicitur: quemadmodum ab Hipp. cit. lib. Prognostic. (veluti etiam lib. 4. de Morbis) expositum est, dum inquit: quouis anno, & quouis tempore, mala malum, & bona bonum denunciare. Vult autem Hipp. ea, quæ mala sunt, esse semper, quasi ex sua natura, mala: non tamen in omnibus, & omni tempore æqualiter: Febris v. g. in Iuuene, & Adolescente minùs periculosa est, quàm in Sene, etsi Signa febris ardentis, malum aut periculum semper prænūcient. *Febris in quibus periculosior.* Hæc doctrina ab Hipp. exponitur lib. 2. Aphoris. aphor. 34. qui sic habetur. In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui (siue consuetudini, vt loquuntur alij) aut anni tempori, magis congruit morbus, quàm quibus nulli horum est familiaris. Nunc diximus in Iuuene, quàm in Sene febrem esse minùs periculosam: quoniam febris Iuueni, vtpote calidiori, magis cognata est, quàm Seni frigido, qui febre & præsertim ardente non afficitur, nisi accedente potentissima causa, quæ periculum in Sene arguit, ob magnam scilicet in Sene mutationem ab eadem potenti causa factam; cùm tamen à leuioribus causis in Iuuenibus incendium suscitetur. Iuniorum vehemens calor, veluti Senum imbellis, proponuntur ab Hipp. lib. 1. Aphor. aphor. 14. Qui crescunt, inquit, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur. Senibus verò parum calidi inest: paucis propterea fomitibus indigent; quia à multis id extinguitur. Hanc etiam ob causam febres Seni-

bus

bus non perinde acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus. Ex hoc Aphorismo constat, Senes ratione frigidæ intemperiei, siue remissioris caloris, validius rebus calidis, quæ febrem inducunt, reniti, quàm Iuniores, qui ob intensiorem sui calorem faciliùs rerum calidarum vsu excandescunt.

Febris ardens hyeme, quàm æstate periculosior.

Quod de ętatibus dictum est, idem de anni tempore obseruandum. Vnde febris ardens hyeme orta periculosior est eâ, quæ æstate nascitur. Nam febris hyeme producta, causæ febrilis, cui hyemalis frigiditas maximè renititur, magnitudinem & vehementiam arguit. Proinde Galen.comment.cit.aphorismi 34. lib. 2. inquit: Nam duarum febrium ardentium magnitudine parium, illa, quæ aduenit hyeme, est perniciosior, &c.

Stilla sanguinis è naribus in febribus acutis semper mala.

Aliud indicium semper malum proponitur à Galeno Comment. 3. in lib. 3. Epidem. vbi docet stillam sanguinis è naribus in febribus acutis ortam, semper prauum esse signum. Deinceps boni indicij exempla proponam, dum varias Signorum diuisiones proposuero: Hîc autem de Indicio egi, vt vocis significationem exponerem.

Dictum est, indicium à Græcis τεκμήριον appellari. Dicamus præterea ea, quæ apud Galenum leguntur Commentario 1. in Lib. Hippocratis de Victus ratione in morb.acut.tex. 2. Τεκμάρσις (inquit) est quæ per τεκμήριον fit cognitio, τεκμήριον autem appellant Veteres Syllogisticum Signum, non autem simpliciter Signum omne. Pro Syllogistico Signo, iuxta Galenum, intelligenda venit Conclusio, quæ talis est naturæ, vt præpositis & præcōcessis præmissis.i. maiori, & minori propositione, negari nullatenùs queat. Συλλογίζομαι enim idem est Latinè, ac colligo, seu ratiocinatione colligo, vt ij, qui numerando calculis subductis summam conficiunt. Vnde apud Logicos idem est, ac colligo & concludo: Συλλογισμὸς ideò dicitur illa collectio, quæ ratiocinando fit: & ab Arithmeticis dicitur computatio, qua subductis calculis summa rerum numeratarum colligitur. Calculorum tamen vice ciphris hodiè passim Arithmetici vtuntur. Hæc dicta sunto, vt ea quæ Galen. proposuit, clariùs innotescant.

Syllogizare quid?

CAPVT V.

De Primaria, & Præcipua Signi Medici Diuisione.

Signi diuisio.

SIgni naturalis, & Medici, generalissima diuisio eruitur ex Galeno, Lib. de Arte Medicinali, cap. 2. vbi signum distribuit in Salubre, Insalubre, & Neutrum. Medicina, inquit, est Scientia Salubrium, Insalubrium, & Neutrorum. Nihil verò differt, si quis loco Insalubrium, ægrorum dixerit. Nomen verò Scientiæ communiter, & non propriè, accipere oportet. Salubre autem, & Insalubre, & Neutrum, vnumquodque tripliciter dicitur: hoc quidem, vt corpus: hoc autem, vt causa: hoc verò, vt Signum. Etenim Corpus, quod sanitatem naturâ suscipere aptum est: & causam, quæ eandem efficere, vel conseruare: & Signum quod potest indicare, hæc omnia salubria Græci appellare consueuerunt. Eadem ratione, & susceptiua morborum corpora, & eosdem efficientes, conseruantesque causas; & Signa indicantia, Insalubria vocant. Nec aliter corpora neutra, causas, Signaq; dixerunt. Et secundùm quidem primam rationem, atq; præcipuam, causarum Salubrium, est Medicina Scientia: propter eas autem, & aliarum, secundo loco Insalubrium: & tertiò Neutrarum. Et post has eodem modo corporum, primò quidem, & hic Salubrium: secundò loco Insalubrium: tertiò neutrorum. Itidem de Signis dicendum. In actionibus autem prima quidem est corporum dignotio, quæ habetur ex Signis: post hæc causarum, quæ in ipsis sunt, inuentio.

Medicina quid.

Medicina est Sciẽtia ex Galeno hic.

In praxi Semeiotica primum locum obtinet.

In hoc Capite Galenus dilucidè ostendit, Signum esse triplex, Salubre, Insalubre, & Neutrum: & hæc tria Corporis, & Causæ statum patefacere, ita vt aliquoties in Corpore appareant Signa Salubria, aliàs sana; aliquando neutra. Salubria in sanis maximè elucent, & in ægris, qui sanitatem sunt recuperaturi. Signa similiter Salubria Salubres causas patefaciunt. Insalubria verò Signa corpus ægrum, causasq; ægritudinis manifestè produnt. Neutra Signa neutrum ostẽdunt Corporis Statum; idest, nec omninò sanum, nec omninò ægrum, sed medium inter vtrumque;

Signum est triplex.

Quiuis corporis status signis dignoscitur.

quo

quo modo conualescentium corpora se habent. Signa itidẽ neutra causas patefaciunt. Licèt enim Signum, siue Salubre, siue Insalubre, siue neutrum fuerit, Corporis Statum Salubrem, Insalubrem, & neutrum detegat, ad causam inuestigandam non est inutile, quamquàm causa ipsa aliquoties Signi rationem habeat. Causa porrò morbifica in corpore extans, corpus idem insalubre reddit. Signis ergo dignoscitur; vt patet ex plenitudine, humore bilioso redundante, & febrem causante, reliquisq; pariter causis, quæ non nisi Signorum adminiculo, non secùs, ac reliquus status præter naturam, deteguntur: vt innuit in contextu iam cit. Galenus, dum ait: Post hæc causarum, quæ in ipsis sunt, inuentio.

Causa signis dignoscitur, etsi signi rationem aliquando induat.

Dixi, Signa Salubria quãdoq; in ægris reperiri, quæ quidẽ futurum morbi Salubrem euentũ prænunciant: etsi non ignorem, Signa Salubria simpliciter, & absolutè dici Signa Corporis Sani; prout asserere visus est Galenus lib. de Arte Medicinali (alij Artem Paruam appellant) cap. 4. aiens: Salubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu, tum bonam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis, tum in his, quæ ex illis componuntur instrumentis est commensuratum. Salubre verò nunc est corpus, quod in præsenti est sanum: est verò, & hoc eo tempore, quo sanum existit, bonam habens temperaturam, & commensurationem, non tamen optimam, at sibi propriam. Ipsius verò Salubris simpliciter Corporis tale quidem est semper id quod est optima temperantia præditum, ac maximè est commensuratum, vt multum autem, quod à constitutione optima non valde admodũ deficit. His constat, Signa Salubria propriè dici ea quæ sanum indicant corpus, licèt Signa Salubria dicantur ea, quæ in ægris sanitatem futuram præmonstrant: vt mox cum Galeno cap. 7. & cap. 83. Artis Medicin. dicemus.

Signorum Salubriũ latitudo.

Corpus simpliciter, & absolutè Salubre.

Corpus Salubre pro tempore.

Conditiones corporis Salubris simpliciter.

Signa Salubria in ægris iuxta, ac sanis visuntur.

Corpus insalubre opposito modo describit Galen. lib. cit. de Arte Medicin. cap. 5. vbi hæc habet. Insalubre verò simpliciter est corpus, quod ab ipso ortu naturæ, vel in consimilibus partibus, malam habet temperaturam, vel in instrumentarijs incommensurationem, vel vtrumque vitium. Insalubre verò nunc est corpus, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat. Neq; obscurum est, quod & hoc ipsum, eo, quo dicitur tempore ægrotans, vel in consimilibus malam habet temperaturam, vel in instrumentarijs in-

Insalubre corpus absolutè.

Insalubre pro tẽpore.

commensurationem, vel vtrumque. Est verò & semper insalubre, quod ex ipso naturæ ortu, vel pessimam habet temperaturam in simplicibus & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel his quæ obtinent Principatum, vel in instrumentarijs incommensuratissimum existit, similiter autem in his, vel in omnibus, vel aliquibus, vel illis quæ obtinent principatum. Vt multùm verò insalubre est corpus, quod ab huius quidem vitio recedit; nondum tamen in medio constitutum est.

Corpus sẽper insalubre, tale est à natiuitate.

Corpus insalubre vt multum.

Hoc in contextu Galenus patenter Insalubrem Statum corporis duplicem constituit; vnum à natiuitate talem: alterum in tempore, ob aliquam superuenientem ægritudinem, ortum. Non solum autem corpus insalubre ob aduenientem aliquo tempore ægritudinem, sed præterea ob concomitantem, vocat Galenus. Dicit namque vitium congenitũ esse vel totius Corporis, aut plurium partium similarium, aut cuiusdam nobilis, aut ignobilis intemperiem, vel partium dissimilarium malam conformationem. Non meminit expresè Galenus solutionis continui, quòd rara, aut nulla, à natiuitate criatur, si labrum oris alterutrum, supernum, vel infernum, leporinum, aut scissum excipias. Adde quod ad temperamentum partium vnio præsupponitur. Quòd omnia genera morborum hominibus quouis anni tempore contingant, quotidianæ mortalium ægritudines integram faciunt fidem. Signa ergo, quæ quemuis Corporis defectum, siue congenitum, siue tempore quodam ortum, demonstrant, Insalubria Galeno dicuntur.

Continui solutio à natiuitate rara.

Siquis nobis opponeret, morbos dari hæreditarios, aut congenitos, iuxta iam relatam Galeni doctrinam, facilis est responsio, à nobis lib. 1. nostræ Pathologiæ data, nullum morbum esse naturalem, habito respectu ad naturam communem; aliquam tamen indispositionem Petro connatam esse posse. Quod autem ab ipso ortu pessima sanitate nonnulli fruantur, præterquã quod quotidiana experientia id confirmatur, Galenus lib. 6. de sanit. tuenda, cap. 1. id confirmat: Præterea ad eos, inquit, qui statim ab ortu valetudinarium corporis statum sunt sortiti, &c.

Valetudinarij ab ortu.

Corporis neutri Statum Galenus cap. 6. citati libri de Arte Parua, consequutiuè hac serie describit: Quoniam verò, inquit, & neutrũ Corpus tripliciter dicebatur, vnum quidem quod neu-

Triplex status neutri.

trius erat extremæ dispositionis particeps: aliud autem, quoniam vtriusq;,aliud,quoniam aliquando huius, aliquando verò illius. Iuxta primum significatum, neutrum erit corpus, quod exquisitè medium est saluberrimi, & insaluberrimi corporis:& huius quidem hoc simpliciter tale, quod ab ipso ortu naturæ ita est constitutum: hoc verò vt nunc, quod in præsenti tempore medium exquisitè existit saluberrimi atque insaluberrimi corporis: ipsius .a. simpliciter, semper quidem tale est id quod in omnibus ætatibus tale perdurat: vt multum autem, quod nonnullas recipit mutationes. Iuxta verò secundum significatum,neutrum erit corpus, quod ab ipso ortu naturæ contrariarum simul est particeps dispositionum, aut scilicet in vna parte, aut in duabus differentibus:in vna quidem, si secundùm alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, vel etiam secundùm vtramque, sed in formatione, vel magnitudine, vel numero partium, vel situ delinquat: aut contra in his quidem rectè se habeat, vel omnibus, vel quibusdam, peccet autem in temperatura: in differentibus verò partibus, & iuxta omnes oppositiones potest quidquam simul particeps esse contrariorum. Et semper quidem tale,quod per omnes ætates in eodem perseuerat. Vt multum verò, quod aliqua ex parte euariat. Ita verò & nunc neutrum erit corpus iuxta secundum significatum, quia vel in parte vna hæc quidem sibi Salubria existunt, illa verò insalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus. Iuxta verò tertium significatum, neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando verò per vices existit, vt nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate Corporis vigent, cùm verò ad iuuentutem peruenerint,insalubres euadunt, aut contra: In vno autem tempore, quod ita est neutrum, exquisitè quidem consistere nequit: latius .v. si accipiatur, contingit. Nouimus autem, quòd, Nunc, dupliciter dicitur. Salubre igitur, & Insalubre, & Neutrum corpus, quot modis dicatur, & quale vnumquodq; sit, sufficienter explicauimus. De Signis verò deinceps dicendum. Hactenus Galenus in his nullo egens commentario.

Status neuter simpliciter.

Status neuter pro tẽpore.

Postquam Galenus Corpus Salubre, Insalubre, & Neutrum exposuit, Signa pariter Salubria, Insalubria, & Neutra, prædictis corporis constitutionibus correspondentia, seu triplicem il-

lam

lam corporis humani constitutionem, sanam, ægram, & neutram, indicantia, cap. 7. cit. lib. de Arte Medica siue Medicinali; luculenter propalat: Sunt autem, inquit, & ex his (Signis videlicet) Salubria quidem, & quæcunque præsentem indicãt san tatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subijciunt. Insalubria verò, quæ & præsentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ subijciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant, & memoriæ subijciunt, (& quæ nihil omninò de dispositionibus indicant, vel nihilo magis salubrem, quàm insalubrem dispositionem ostendunt:) & quæ partim quidem salubrem, partim verò insalubrem indicant dispositionem: & quæ aliquando quidem salubrem, aliquando verò insalubrem, & hæc quoque secundùm tria tempora, veluti salubria, & insalubria. Vocantur autem nonnunquam à Vetustioribus Medicis hæc omnia Signa prænunciatiua, quamuis præsentium, vel præteritorum sint indicatiua. Vsus verò non paruus est ex prænunciatiuis, atq; indicatiuis, minor autem ex his quæ memoriæ subijciunt. Cùm igitur sint Salubria Corpora, hæc quidem simpliciter, hæc verò vt nunc, quæ & sana dicuntur. Salubrium simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiam: quoniam nonnulla quidem semper, nonnulla verò vt multum essent talia. Et semper quidem, quæ optimam constitutionem sortita sunt: vt multum verò, quæ non magnoperè ab illa recedunt.

Salubria signa sunt triplicia. Insalubria triplicia. Neutra triplicia.

Prænũciatiua. Diagnostica, & Prognostica signa sunt magni vsus: minoris momenti sunt præteritorum signa.

Salubre corpus duplex.

CAPVT VI.

Quod est Vlterior præcedentis Diuisionis Interpretatio.

SECTIO I.

In qua Definitio Medicinæ à Galeno tradita examinatur.

Medicinæ definitio ab Herophilo data.

GAlenus Libro citato de Arte Medica cap. 2. Medicinam hoc ordine describit: Medicina est Scientia Salubrium, Insalubrium, & Neutrorum. Hanc definitionem Herophili,

phili, doctissimi Medici, esse testatur Galenus lib. de subfiguratione Empirica cap.4. etsi sub alia verborum serie: Sunt, inquit, qui ex rationis diuisione partes Medicinę venati sint: cùm enim, sicut Herophilus voluit, Medicina sit Scientia Sanorum, ægrorum, & Neutrorum, tria excogitauerunt, quibus singula istorum, conueniunt, Corpora scilicet, Signa, & Causas: nam sicuti corpora, ita Signa, & Causas, congruè sana; ægra, & neutra nuncupamus.

Hanc definitionem quidam improbant: & primò quidem, quia ab ipso Galeno hæc eadem definitio non valde probatur libro iã cit. de Subfiguratione Empirica cap.4. & lib. 6. de sanit. tuen. ca. 2. vt loquitur Sanctorius Commentario in Particulam primam Secundi Capitis, Artis Medicæ. Sed profectò nimis audacter Galeno imponit Sanctorius: cùm nihil tale apud Galen. extet. Verba enim Galeni de præfata definitione, libro de Subfigurat. Empir. cap.4. modò à nobis traducta sunt, vt videtis: in quibus tamen nullo pacto definitionem allatam improbat Galenus. Et multò minùs eandem reijcit lib.6. de Sanit. tuen. cap. 2. quòd in hoc ne verbum quidem de dicta definitione pronunciauerit idem Galenus. Dicit enim tantùm Herophylum neutrum admisisse Statum. Et lib. ad Thrasybul. cap. 8. postquam definitiones à fine desumptas non exiguas ambiguitates parere docuit, præcedenti cap. 2. Medicinam Salubrium, & Insalubrium Scientiam esse contra quosdam asserit. Ergo Herophyli definitionem, tanquàm bonam, probauit Galenus. Mera ergo impostura vsus est in hoc Sanctorius.

Prima obiectio.

Sanctorius meritò reprehenditur.

Solutio.

Secundò hanc definitionem nonnulli improbant: quia ex Aristotele lib. 2. Poster. & Galeno lib. 4. de differentijs pulsuum cap. 2. omnis bona definitio datur per causas externas. Sed prefata definitio non per has datur: cùm constare non videatur causa efficiente, & finali, quæ externæ rerum communiter censentur.

Secunda obiectio.

Sanctorius, post alios, his nixus præfatam Medicinæ definitionem spreuit, sed minùs oculatè; vt qui quamplurima loca sinistrè citat. Nam cap. 2. lib. 4. de different. puls. nusquam Galenus docuit, omnem bonam definitionem dandam esse per causas externas, vt legenti patebit. Galeni verba hæc sunt: Quare definitionem quam vocant essentialem, quæ est oratio essentiam

Solutio.

rei

rei docens, planum est genus explicaturam esse, & differentias, & vsum generationis, causam item efficientem; ad hæc materialem, aut instrumentalem, aut quoquo modo velis appellare. Hic non loquitur Galenus de Causis externis. Qui tamen diceret ipsum loquutum de efficiente causa, & vsu generationis pulsus, id libenter fateor. Sed in omni definitione etiam essentiali, omnes causas reperiri, minimè docuit: vt patet ex eodem cap. vbi inquit: Itaq; hoc tibi primum sit indicium hominum inanium, & vanorum, vbi eos rei propositæ afferre vnā definitionem audias. Nam sunt in quibus non iam duas, sed tres præstat, vel quatuor facere. Primam, quæ eiusdem linguæ omnibus hominibus sit confessa, quæ quidem de rei essentia nihil statuit, sed in nuda limitatur notione: alteram iam quæ aliquantum recedat de notione, atq; nonnihil accedat ad essentiam: ad hæc tertiam, quæ ampliùs cum de notione, tum de essentia aperiat: postremò quartam, quæ doceat totam essentiam. Ex his constat, duas dari definitiones essentiales, quæ non necessariò totam rei essentiam explicitè exponūt. Eodem rursus capite Galenus inquit: Omninò verò apud Tyrones cuiusuis disciplinæ ne proferendæ quidem definitiones essentiales sunt: verùm vbi à notione exorsi ad essentiæ eos notitiam deducamus, hic iam promptæ memoriæ gratia rem vniuersa m limitatam complecti oratione fuerit commodum. Quare, quicunq. Medici, & Philosophi, initiatis primum cuiuspiam Disciplinæ initium faciunt docendi ab essentialibus definitionibus, vt eloquentissimi sint, vt clarè interpretentur, obscuri euadunt tamen; quod assequi auditores, quæ amplam explanationem, quò intelligantur, quærunt, cùm restrictis hæc definitionibus referuntur, nequeant. Longa enim oratione prius rei qua de agitur, aperienda essentia est: quò cognita iam, & perspecta breuibus tandem verbis accipiatur. Hæc ergo, quia iure exprobro illis semper, qui definitionibus omnia docere conantur, huc exempli gratia veni.

Inanes reprehendit Galen.

Quadruplex rei definitio.

Disciplinam à definitione inchoare improbat.

Ex his omnibus constat, Galenum non improbare definitiones nominis, nec definitiones essentiales, etsi totam rei essentiam non complectātur. Operosissimum enim esse iudicat rei essentiam vnica breui definitione exponi: cùm quāplurima ad rei essentiā attineant, quæ nullatenùs breui oratione exponi queunt. Vnde

Quæuis definitio, etiam nominis prodest.

satius

ſatius eſſe iudicat in rebus nimis obſcuris ab intricatis definitionibus abſtinendum, quàm vtendum; vt omnis vitetur obſcuritas. Contentos ergo nos eſſe oportet quadam rei, de qua agitur, deſcriptione definitioneue, quæ nos ad rem tractandam manuducet: vt ex Galeni citato contextu colligitur: imò ex Ariſtotele lib. 2.Poſter.cap.7.vbi ait: Deinde quod omnes orationes poſſent eſſe definitiones. Nam quæ tandem oratio eſt, cui vnum nomen imponi non poſſit? Itaq; omnis diſputatio, omnis Sermo, definitionibus conſtabit: & nõn incommodè Ilias Homeri definitio appellabitur, &c. Ex his Ariſt. verbis liquidò conſtat definitionem quamcunq; eſſe ſufficienter bonam, dummodo rem propoſitam per eam intelligamus. Et poſito, quod definitio eſſentialis ſit, non eſt ſemper neceſſe eam per quatuor genera cauſarum dari, vt cum Galeno diximus, & patet ex Philoſopho lib. 2. cit. Poſterior. cap. 10. vbi ſic inquit: Quoniam autem definitio vocatur oratio, quid quæque res ſit declarans, hinc profectò planum eſt, genus quoddam eſſe definitionis quo explicatur, quæ ſit cuiuſq; vocabuli ſignificatio: aut ſi breuiùs appellare libet, nominis explicatio. Cuiuſmodi eſt oratio qua docetur, quæ ſit vis ac ſignificatio huius verbi, Triangulum: quod poſtquàm eſſe aſſequuti ſumus, tum quamobrem ſit quærimus. Et quibuſdam interpoſitis ait idem Ariſtoteles: Eſt enim alia ad quæſtionem, cur tonat; alia ad quæſtionem, quid eſt tonitruum, reſpondendi forma: Nam ad illam reſpondetur, quia extinguitur ignis in nubibus: Ad hanc autem, qua quid ſit tonitrus quæritur, hoc modo reſpondetur: Eſt Strepitus oppreſſi & extincti ignis in nube. Quare eadem hæc oratio vno modo expreſſa definitio eſt: alio modo demonſtratio: non illa quidem ſuis ſumptionibus diſtincta, ſed vna quadam oratione tota ſimul comprehenſa. Præter hanc.a.alia eſt Tonitrûs definitio, Strepitus in nube factus. Hæc.a.eſt concluſio illius demonſtrationis, per quam illuſtrari, quid res ſit, diximus.

Omnis oratio definitionibus conſtat ex Ariſtotele.

Quid definitio.

Definitio eſt duplex

Quomodo ſit tonitruum.

Quid eſt tonitruum

Hactenus Ariſtoteles, cuius verba inuitus huc tranſtuli, vt quorundam errores, hunc citando, diluerem. Philoſophus .n. definitionem exponens, ait: Definitio vocatur Oratio, quid quæque res ſit, declarans. Eandem doctrinam præpoſuit cap. 2. cit. lib. 3. Poſterior. Analyticorum, aiens: Etenim definitio, quid ſit res quæq;, declarat. Et eodem cap. longè poſt, inquit: Siquidem omnis De-

Quid est definitio? finitio eò pertinet, vt quid res sit, atq; essentiam declarat: Demonstrationes.a.omnes non quid res sit concludunt, sed ante demonstrationẽ, id positũ, ac perpetuum esse debet. Sanè nec ex his, neq; ex alijs, ex Arist. paulò ante allatis, quispiam inferre potest, omnẽ bonã definitionem finali, & efficiente constare causa. Definitio enim, vt ex Arist. & Galeno constat, est oratio rei quidditatem declarans. (Inuentionis initium in omnibus est, ante omnia cognoscere quidnam est id quod quæritur. Huiusmodi verò notitia gemina est: aut enim solam rei notionem, aut essentiam quoque percipimus, vt loquitur Galen. Lib. ad Thrasybul. cap. 1.) Quis, obsecro, mortalium proferre auderet, causas externas esse rerum quidditates, cùm hæ nullatenùs rerũ essentias constituant. Definitum enim genere & differentia implicitè constans, explicitè per hæc eadem, genus nimirum, & differentiam, explanatur, explicaturue: Et hæc explanatio, definitio appellatur. Homo ergo rectè definitur, dum dicitur esse Animal rationale: quæ duo intimè hominem componunt. Non est enim necessarium dictæ definitioni causam addere efficientem, aut finalem, cùm sufficienter & completè absque harum concursu hominis essentiam enucleet.

Inuẽtionis initium est rei de qua agitur quidditatem cognoscere.

Bona definitio. Semper enim, vt aliàs didici, docui definitionem illam esse bonam, quæ genere constat & differentia, quæq; cum definito ita conuertibilis est, vt nulli alteri rei, nisi huic soli congruat. Quæstioni.n.quid sit, per definitionem respondetur, vt loquitur Aristoteles: Quæstioni verò, cur res ita sit, reddendò causam respondetur. Dum quis quærit, cur tonat? huic vltimæ satisfit, quando dicitur, quia extinguitur ignis in nubibus, ita enim per efficientem causam respondemus. Primæ verò quæstioni quidditatem Tonitrûs quærenti satisfit, dum dicimus, est Strepitus in nube factus. In hac enim definitione nulla ponitur causa efficiens, aut finalis tonitrûs: sicuti nec in prima responsione, quam definitionem & demonstrationem simul vocat Aristoteles, finalis vlla. Ridiculè ergo finalem, & efficientem causam in definitionibus necessarias esse statuunt aduersarij.

Diluuntur aduersariorum cauilli.

Medicina definitio ab Herophilo data, est bona. Concludendum ergo, definitionem illam Herophili, quam, vt bonam, vsurpat Galenus, esse sufficienter bonam. Scientia enim in dicta definitione loco generis habetur: Salubriũ, Insalubrium, & Neutrorum, in ea differentiæ locum obtinent. Licet .a. neget

cum

cum alijs quibusdam Sanctorius, vocem, Scientia, in definitione propriè dici, fatetur tamen, vt verũ est, Medicinam apud Priscos Scientiam appellari. Quòd autem non nomine tenùs, sed re scientia sit, fusè satis in nostra probauimus Physiologia. Quamuis deniq; Salubre, Insalubre, & Neutrum inæqualiter aut æquiuocè fortassis de rebus dicantur, non incongruè differentię locum possident; quoniam circa Salubre, Insalubre, & Neutrum, vt Medicinæ obiectum (aut Partes) illa omninò, & non alia Scientia versatur. Corpus humanum Sanum & sanabile Medicinæ obiectum in Physiologia firmis rationibus statuimus. Cùm ergo ab obiecto, aut Partibus eam constituentibus, Medicina definita fuerit ab Herophilo, definitio bona censenda erit. Si autem definitio breuiuscula ab Hippocrate lib. de flatibus nobis relicta, ab Authore Libri Introductorij miris laudibus efferatur, cur non & hęc Herophili, à Galeno, alijsq; innumeris Viris doctis approbata? Fuit.n. hæc definitio à Gal. recepta, quoniam apud antiquos fuit in vsu; tum quia est aptissima ad faciendam doctrinam definitiuam (qua Galen. Lib. de Arte Medicinali passim vtitur) vt fatetur Sanctorius. Estque, vt etiam ait Oddus de Oddis, Definitio hæc à materia desumpta, sicut aliquando desumi potest definitio à fine, aliquoties verò ab ijs quæ semper fiũt. Vnde Hipp. per agenda Medicinã definiuit Lib. de flatib. dũ inquit: Medicina.n. est additio, & substractio. Et eorũ quidem quæ exuperant substractio, eorum verò quæ deficiunt, additio. Qui verò istud optimè facit, is optimus Medicus existimandus est, quiq; plurimum abest ab eo præstando, is plurimùm in Arte Medica deficere censetur. Hæc Hippocrates, qui, vt dixi, ab exercitio Medici Medicinæ definitionem hausit. Nam Medici Scopus est media disquirere idonea ad Sanitatis conseruationem, & recuperationem. Quamquam autem ante omnia Medicus Practicus Sanitatem, vt finem, mente concipiat, vix amplius de ea cogitat, sed media ad eius conseruationem, aut recuperationem omni studio perquirit, vt confirmare videtur Philosophus lib. 3. Ethic. cap. 5. vbi sequentia habet.

Medicinæ definitio secundùm Hippocratem.

Bonus Medicus quis, quisue malus.

Sed vtrum consultant de omnibus rebus homines, omniaque in consultationem cadunt, an de quibusdam consultari non debet? Ac fortasse id quidem in consultationem venire dicendum est, non de quo stolidus aliquis, aut insanus consultauerit:

Sanitas est finis aut Scopus Medici medentis.

 rit:

Ea quæ sub consilium non cadunt. rit: Sed de quo is, qui mentis est compos. De rebus æternis autem consultat nemo: vt de Mundo, aut de Diametro, & Latere, quoniã nulla dimensione inter se conuenire possunt. Neq; verò de ijs, quæ cum perpetuò moueantur, eodem semper modo fiunt: siue necessitate, siue natura, siue propter aliquam caussam: vt de Solis conuersionibus atque ortibus, nec de ijs quæ aliàs aliter fiunt, vt de siccitatibus, & imbribus: Neq; de ijs, quæ fortuitò eueniunt, vt de thesauri inuentione. Immò, ne de omnibus quidem rebus humanis: v. g. Quemadmodum Schytæ optimè suam Rempublicam administrare possint, nemo Lacedęmoniorum consultat. Nihil enim horum per nos effici queat. At de ijs consultamus, quæ cùm sub actionem cadant, tum in nostra potestate sunt. *Ea quæ sub consilium cadunt.* Hæc autem etiam sunt reliqua. Etenim rerum omnium caussæ videntur esse, natura, necessitas, fortuna: adde præterea mentem, & quicquid per hominem agit. *Rerum omnium caussa, natura, necessitas, fortuna, mensque.* Singuli autem homines de ijs consultant ac deliberant, quæ ab ipsis agi possunt. Neq; verò in Scientijs exquisitis, suaq; vi contentis, consultationis locus est: v. g. de literis non consultamus; non enim quomodo scribendum sit, ambigimus, sed de ijs, quæ tametsi nostra opera fiant, non tamen semper eodem modo fiunt: *Consultãt homines de ijs quæ ab ipsis fieri, aut tẽtari possunt.* vt de ijs quæ ad Medicinam, & ad artem pecuniæ quærendæ pertinent: & in arte gubernandarum nauium potiùs, quàm in ratione corporum exercendorum dubitare solemus, quanto minus illa quam hæc enucleatis, & exquisitis præceptionibus absoluta est: & præterea item de reliquis. *In Medicina consultatur.* Magis autem in artibus, quàm in Scientijs, consultationi locus est. In eis enim sæpiùs ambigere solemus. *In artibus quàm in scientijs frequẽtior est consultatio.* Consultandi autem ratio in ijs locum habet, quæ plerumq; vsu veniunt, cum eorum exitus incertus sit, & in quibus nihil est definiti. Itaq; ad res magnas considerandas alios in Consilium adhibemus, nobis ipsis diffidentes, quasi minus ad dispiciendas ac diiudicandas idoneis. *Quando in Consilium alij vocantur.* Consultamus autẽ non de finibus, sed de ijs, quæ ad fines pertinent. Neq; .n. aut Medicus, an sanaturus sit, consultat; aut Orator an persuasurus; aut Vir ad Rẽpublicam administrandam aptus, an bonis legibus Ciuitatem temperaturus, neq; alij denique Artifices de fine deliberant: sed omnes proposito sibi certo aliquo fine, quemadmodum & quibus rebus eum possint assequi, cogitant. *Non de fine, sed de medijs cõsultam.* Ac, si pluribus modis ac ratio-

tionibus id quod volunt, confici posse videatur, qua facillimè, & optimè confici possit, inspiciunt. Sin autem vna ratione commodè possit absolui, qua via ad illam perueniant, & qua ad hanc, eo vsq; ad primam causam peruenerint, quæ inuentione est vltima. Qui consultat enim, inquirere ac retexere veluti descriptionem quandam Mathematicã videtur; quemadmodum dictum est. Sed illud certè apparet, non omnem quæstionem esse consultationem, vt sunt quæstiones Mathematicæ: consultationem.v. omnem, esse quæstionem. Illud etiam planum est, quod est retexenti postremum, id esse agenti primum. Quod si ij, qui acturi sunt, in aliquid inciderint, quod fieri nequeat, tum ab eo desistunt: veluti si pecunia sit opus, eiusq; expediendæ nulla ratio inueniri possit. Sin autem alicunde suppeditari posse videatur, tum ad agendum aggrediuntur. Fieri autem posse dicuntur ea, quæ nostra opera effici possunt. Nam quæ amicorum studio, & opera transiguntur, nostra opera quodammodo fieri videntur. Principium enim in nobis est. Quæruntur autem aliquando instrumenta, aliquando eorum vsus: itemq, in reliquis, interdũ cuius opera, aliquando quomodo, aut qua via res explicari possit. Ac videtur sanè homo, quẽadmodum dictum est, actionum esse principium. Consultatio autem est ijs de rebus, quæ à quoq; agi possunt. At actiones aliarum rerum causa suscipiuntur. De fine igitur consultari non potest, sed de ijs, quæ ad fines pertinent. Neq; de rebus singularibus: v.g. sitne hoc Panis, aut sitne ita pistus vt oportet. Hæc enim sensu iudicantur. Quod si semper consultauerit, abibit in infinitum. Id autem, de quo consultatur, & id de quo consilium captum est, eadem sunt inter se: nisi quod definitum iam ac decisum est id, de quo consilium capitur. Quod enim consultatione adhibita reliquis præpositum est, id est, de quo consilium captum est. Nam quemadmodum quisque sit acturus, tum quærendi finem facit, cùm principium ad seipsum, & ad eam sui partem, quæ præest atq; imperat, reuocárit. Hæc enim est, quæ consilium capit. Quod ex Veteribus quoq; Reipublicæ administrandæ formis, quas Homerus imitabatur, perspici potest. Nam quibus de rebus Reges consilium cæperant, eas populo renunciabant. Quoniam autem id, de quo consilium capitur, sub deliberationem, & appetitionem cadit, cùm sit ex numero earum rerum quæ in nobis sitæ sunt: consilium

Quæ à nobis fieri possunt.

De quibus est Consultatio.

De ijs quæ sensibus percipiuntur, non fit Consultatio.

ſilium erit, earum rerum, quæ in noſtra poteſtate ſunt, appetitio ex conſultatione proueniens. Nam poſteaquam conſultatione adhibita iudicauimus, tum ei conſultationi conuenienter appetimus. Ac conſilium quidem quid ſit, quibuſque in rebus verſetur, earum deniq; rerum eſſe, quæ ad fines pertinent, ſic à nobis veluti adumbrando expoſitum ſit. Hactenùs Ariſtoteles.

Nimiæ prolixitatis me aliquis arguet, quòd Caput hoc integrũ ex Ariſtotele huc traduxerim, & quidem præter inſtituti Sermonis rationem. Sed meo iudicio nimiùm ineptè arguerer, quòd rem propoſuerim omni Viro prudenti, & maximè Medico, neceſſariam. Nam, & virtuti coniunctiſſima res eſt Conſilium, & ab eo magis, quàm ab actionibus, mores diiudicari videntur; vt loquitur Philoſophus lib. 3. Ethic. cap. 4. Quiuis autem, præter ineptum, & temerarium, conſilio in rebus dubijs vti debet: debetq; inſuper præſcire, quæ res ſub conſilium cadunt, & quæ non. Difficultas inueniendi, vel celebrandi varia remedia, ad integræ ſanitatis acquiſitionem, frequentem Medicorum conuentum, & conſilium expoſtulat. Vt autem quod bonum, & optabile eſt, nanciſcamur, & quod malum eſt, declinemus, conſilio vtimur. Omninò enim conſilium ad eas res pertinet, quæ ſunt in noſtra poteſtate: vt citato cap. 4. lib. 3. Ethicor. loquitur Philoſophus. Ex quo cõſtat, conſilia circa ea quæ à nobis fieri vllo pacto nequeunt, irrita fore; vt eodem capite ante citata iam verba confirmauit Philoſophus, inquiens: Conſilium enim non eſt eorum, quæ fieri non poſſunt: Et ſiquis dicat, ſe talium rerum agendarum conſilium cæpiſſe, Stultus eſſe videatur. Hinc elicio vana eſſe conſilia circa agenda in morbis incurabilibus; in quibus cùm nulla ſalutis recuperandæ ſpes eluceat, omne conſilium in ſeligend s medijs idoneis ad ſanitatis acquiſitionem inane cenſendum. Conſilia pariter fruſtra celebrantur circa ea, quæ perſpicua ſunt, & omnibus nota. Cuiuis enim ex plebe notum eſt, calida frigidis, & frigida calidis; Sicca humidis, & humida ſiccis; Bonis verò Medicis, contraria contrarijs curãda; vt docet Hippocrates lib. de Flatibus.

In morbis incurabilibus vana conſilia.

Ariſtoteles Hipp. definitionẽ confirmat.

In traducto Ariſt. contextu confirmatur illa Definitio breuiuſcula ab Hippocrate propoſita, quæ ab agendis conuenienter deſumpta eſt, quoniam Medicus Practicus media ad Sanitatem conſeruandam, vel acquirendam ſemper peruoluit: qui ideò, ſi do-

ctrina

ctrinâ pollet, & experientia, à ſuo munere minimè deficit, licèt finem ad ſuum nutum non conſequatur. Sufficit namq; Scopum attigiſſe, ſeu media exactè peruoluiſſe, & applicaſſe. Nec vllo modo Medicus Sanitatem integram conſeruare, aut amiſſam recuperare tenetur. Vnde definitio à fine deſumpta, quam poſuit Auerroës lib. 6. Colliget, cap. 1. non videtur abſolutè bona; quia quando Medicus ægrum priſtinæ Sanitati non reſtitueret, videretur ſuo non fungi officio: quod omninò ſæpè falſum eſt. Nam, vt ait Ouidius:

Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger:
Interdum doctâ plus valet Arte malum.

Quam ſententiam haurire viſus eſt Ouidius ex Hippocrate in principio libri Prognoſticor. vbi docet, impoſſibile eſſe omnes morbos curari. Galenus præterea, aut Author libri Introductorij cap. 6. non multum laudat Definitionem à fine ſumptam. Artes enim (inquit) non ex ijs, quorum neutiquam adeſt facultas, ſed ex his, quorum adeſt, definitionem ſortiuntur. Et paucis interpoſitis, ait: Recentiores huiuſmodi definitionem vſurpârunt. Medicina eſt Scientia Sanitatis conſeruatrix, morborum repultrix. Verũ ſecùs habet: non enim ipſa hæc efficit, ſed ex illis quæ efficit, hæc proueniunt, idq; nõ ſemper. Quapropter nõ ex his, ſed ex illis (.i. ex agendis ſiue efficiendis) quæ ab ea ſemper accipiuntur conſtituta eſt. Hæc a. (.i. quæ efficiũtur) ſunt adiectio, & ablatio. Proinde quæ capit Medicina hæc (.i. agenda ſiue efficienda) ipſam eſſe dixit Hipp. quibus, & in ſanis vtitur, cùm ſecundam ipſorum valetudinem conſeruat, & in ægrotis, vt morbis liberet. Quæ igitur ſemper facit, ea ipſam conſtituunt, non illa quæ ab his efficiuntur. Aliud namq; Ars, aliud eius finis eſt. Quod enim appetit, id aliud ab ipſa eſt diſtinctum, idque non perpetuò ſecum habet. Quò fit, vt quatenus ipſum non contingat, neque finis eius, ſed Scopus dicatur: cùm .a. contigerit, finis. Ita gubernatoria, & ſagittandi Ars non à fine, quem non ſemper contingunt, ſed ab alijs quibus conſtitutæ ſunt, & per quæ, vt finem aſſequantur, functiones obeunt, definitionem ſortiuntur. Porrò definitio hæc (ideſt adiectio, & ablatio) omnibus ferè poſt Hippocratem proba eſſe videtur. Rurſus Herophili definitionem dat, ſimulq; exponit author libri Introductorij, qui & Medicus etiam nuncupatur.

Ars à ſuo fine diſtinguitur. Scopus, & finis diſtĩguuntur. Artes non per finem, ſed per media potius conſtituũtur.

Cùm

Cùm constet definitionem allatam recentiorum à Galeno, vel Herophilo insinuatam, & à fine desumptam, improbari, idem de definitione Auerrois loco citato lib.6. Colliget, dicendum: illa huiusmodi est: Medicina est Ars operatiua, quæ est inuenta experientia, & ratione, conseruans Sanitatem, & remouens ægritudinem. Moderatior est, & Veritati proximior, altera Medicinæ definitio ab Auerroe posita lib. 1. Colliget c. 1. quæ talis est: Medicina est Ars operatiua exiens ex principijs veris, in qua quæritur cõseruatio Sanitatis Corporis humani, & remotio suæ ægritudinis, secundùm quod possibile fuerit. Particula .n. Possibile, in hac definitione rem omnem temperat: nam perpetuam certamq; Sanitatis conseruationem, aut omnimodam morbi amolitionem non spondet Medicina, nec Medicus. Vnde Cicero lib. 2. de Natura Deorum: Ægri quia omnes non conualescunt, non idcircò nulla Medicina est. Et Aristot. lib. 1. Top. Rhetor non semper persuadet, nec Medicus semper sanat.

Medicinæ definitio iuxta Auerroem.

Auicennæ definitio est hæc: Medicina est Scientia, qua humani Corporis dispositiones noscuntur, ex parte qua sanatur, vel ab eo remouetur, vt habita sanitas conseruetur, & amissa recuperetur. Est hæc præstantior illâ Auerrois: quia primò Medicina, iuxta Priscorum opinionem magis communem, dicitur Scientia. Secundò, Definitio inuoluit Scopum Medici, cuius munus est Corporis dispositiones, tam naturales, quàm præter naturam, indagare, vt sanitas, quo fieri potest modo, seruetur, & amissa recuperetur. Sine hac sanè cognitione nihil Medicus circa indiuiduos, aut singulares homines moliretur: vt testatur Galen. aut Herodotus, Lib. Introductorij, cap. 8. vbi hæc habet: Itaq; à rerum naturæ contemplatione altiùs auspicabimur: quoniam nec in sanis secundam valetudinem tueri, nec in ægris morbi causam cognoscere, nec Signis quid deprehendere, nec curationem admoliri rectè possis, ignorans, quibus homo elementis constet, & quomodo his immutatis à natura, quam obtinebant priùs, morbi nascuntur. Dicendum ergò, Definitionem Auicennæ clariorem, simulque fusiorem Definitione Hippocratis: & definitionem illam Herophili, & aliorum Antiquorum, à Galeno propositam esse bonam.

Medicinæ definitio ab Auicēna data.

Medici Scopus.

Cognitio Elementorum, & aliarum Physiologiæ partiũ Medico prorsus necessaria.

Obiectio 1.

Sed cum Thurisano vrget Sanctorius, allatam definitionem non

non esse bonam, quòd nominibus homonymis, siue æquiuocis constet. Salubre enim, Insalubre, & Neutrum, de Corpore, de Causa, & de Signo dicuntur: namq; Corpus est Sanum, causa est sana, aër verbi gratia purus, & temperatus: Signum est sanum, vrina, v.g. optima, quæ probam coctionem, & expulsionem facultatis coctricis, & expultricis, atq; caloris natiui operâ factam demonstrat. Similiter insalubre tria significat diuersæ rationis; corpus nimirum insalubre; causam insalubrem, & Signum insalubre. Idem de neutro statu admittendum. Dicta nomina æquiuoca esse probat Sanctorius authoritate Aristotelis lib. 4. Metaphys. tex. 2. & Galeni libro ad Thrasybul. cap. 8. Ita sentit quæstione 14. in Artem Medicam: & Commentario in secundam particulam secundi Capitis, Galenum ab Aristotele mutuatum fuisse varia dictorum nominum significata, vult.

Solutio.

Ad hoc Sanctorij argumentum responsio est facilis. Concedendum a. est, Salubre, Insalubreq; tripliciter dici; sed vtrumq; æquiuocum ab Aristotele dici, est vnum ex figmentis Sanctorij, qui, siquis alius, mala fide Priscorum doctrinam examinat, eosq; testes introducit. Aristotelis verba cap. 2 lib. 4. Metaphys. hæc sunt: Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad vnum, vnamque quandam naturam: & non æquiuocè, sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem: quoddam eò quòd conseruat: quoddam eò quòd facit: quoddam eò quòd Signum Sanitatis: quoddam verò capax eius est. Et Medicinale ad Medicinam: quoddam enim eò quod habet Medicinam, Medicinale dicitur: quoddam propterea, quod naturâ aptum ad eam sit: quoddam propterea, quòd opus Medicinæ sit: eodem modo cætera quoq; accipiemus: ita & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum quidem principium. Quædam enim, quoniam substantiæ, entia dicuntur: quædam, quoniam passiones substantiæ: quædam quoniam via ab substantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantiæ, siue eorum quæ ad substantiam dicuntur, aut ad aliquorum ex his negationes, aut substantias. Quare & ipsum non ens, esse non ens dicimus. Quemadmodùm igitur sanorum omniũ vna Scientia est, ita & de cæteris est. Non enim solùm eorum, quæ secundùm vnum dicuntur, verum etiam eorum, quæ ad vnam naturam dicuntur,

Ens non æquiuocè de suis inferioribus dicitur. Sanum, & Medicinale.

Videtur Aristoteles vim generandi substantiã alijs concedere entibus.

Medicina est scientia ex Arist.

Analoga attributionis.

vnius Scientiæ est speculari. Etenim hæc etiam quodammodo secundùm vnum dicuntur. Patet itaque vnius esse, & entia prout entia speculari.

Hoc in contextu à Sanctorio citato, manifestè Aristoteles pronunciat, ens non simpliciter, & absolutè multipliciter dici, sed multipliciter dici in ordine ad vnum, cui maximè conuenit: hoc autem quod maximè ens est, & participatione cuius cætera cuncta entia dicuntur, est substantia: Quare cùm ad hanc cætera entia ordinentur, & maximè ens sit, ens non propriè, sed impropriè multipliciter & æquiuocè dicitur de substantia, & Accidentibus; vt innuit Aristoteles dum ait: καὶ οὐκ ὁμωνύμως, idest, & non æquiuocè. Dicitq; ens de suis inferioribus dici eodem prorsus modo, quo sanitas de omnibus sanis. Licèt autem Sanitas propriè homini competat, res tamen nonnaturales debitè dispositæ, & hominem conseruantes, sanæ dicuntur: Remedia similiter sanitatem vnà cum natura efficientia, sana dicuntur. Vrina pariter, & reliqua excrementa, Pulsus, & cætera cuncta bona Signa, sana appellantur, quia Sanitatem Corporis, quod solum illius est capax, demonstrant. Omnia igitur sana dicuntur, sed in ordine ad vnum principium, corpus videlicet sanum, quod propriè sanitatis est capax. Constantissima ergo Aristotelis opinio est, sanum in communi non esse æquiuocum, sed analogum, quod attributionis à Logicis appellatur: nam absolutè prolatum, pro principali analogato, homine videlicet sano, aut sanabili accipitur. Cùm ergo ens non æquiuocè dicatur, sed eo modo quo sanum siue Salubre, vt loquitur Aristoteles, hinc est, vt ex Aristotele concludamus, Sanum non esse æquiuocum, sed ad summum analogum: Atq; adeò Medicinam competenter definitam esse per Salubre, siue Sanabile, aut Sanum, insalubre, & neutrum. Non malè ergo Hieremias Thriuerus Brachelius, Louaniensis Professor, commentario in cap. 2. Artis Medicæ propositæ obiectioni, quam ex eo fortassis desumpsit Sanctorius, respondit, aiens insalubre, Salubre, & neutrum vniuocè suis conuenire inferioribus; causis nimirum, signis, & corporibus. Vnde Herophili definitio huic æquiualet: Medicina est scientia omnium eorum quæ ad Salubrem, insalubrem, & neutrum affectum pertinent, causarum scilicet, corporum, ac Signorum: hìc enim nulla confusa æquiuocatio subsistit.

Sanum multipliciter dicitur.

Quod

Quod attinet ad locum Galeni, citatum à Sanctorio, respondemus, verum esse, ab eo æquiuocationem admitti in nomine, Sano, siue Salubri: sed hæc æquiuocatio analogia est: nam hanc Antiqui inter æquiuoca analoga collocabant; & vix nominis Analogorum meminêre: Salubre igitur ab illo in sua significata distribuitur: Et inquit, Signum Salubre appellari illud, quod ægrotantibus adueniens futuram sanitatem portendit. Salubris causa est illa, quæ corpori ægro adhibita, Sanitatis est procreatrix, qualia nimirum sunt vniuersa remedia. Cæterùm Definitio illa Herophili Galeno, contra quam dixit Sanctorius, probatur citato cap. 8. Lib. ad Thrasybulum. Quid igitur, inquit, est Medicina? Salubrium, Insalubriumq; Scientiam quis esse responderit. Verùm & iste nimis audacter Salubre, tanquam scilicet Medicinæ partem accepisse videbitur. Vnde contrariæ factionis nonnullos ægrotabilium tantummodo Scientiam Medicinam esse dicturos existimo. At isti primum ignorant, contrariorum omnium vnam esse Scientiam: & quicunq; ægrotabilia nouerit, hunc & salubria non latere necesse est. Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 1. visus est dictam definitionem probasse, dum inquit: Rhetorica igitur est vis & facultas percipiendi, inueniendiue, quid in quaq; re possit esse persuasibile. Hoc nullius alterius Artis est opus: quippe cum reliquæ facultates omnes, atq; disciplinæ, vim quoque suam docendi, persuadendiq; circa vnam quampiam rem subiectam obtineant. Medicina circa salutaria, & insalutaria. Geometria circa eas affectiones quæ magnitudinem spectant. Arithmetica circa eas, quæ numeris adiunguntur: eadem ratio in cæteris quoque artibus, & Scientijs omnibus reperitur. Ecce Aristoteles Medicinam à reliquis distinguens per Salubre, & Insalubre: circa quæ protinùs versatur.

Cuidam obiectioni occurrit Galenus.

Quid Rhetorica.

Obijciunt præterea dictæ Definitioni Aristotelem, qui in Postprædicamentis, Cap. de Oppositis, inter Sanitatem, & Morbum non admittit medium. Quare particula, Neutrum, frustra in definitione ab Herophilo proposita, & à Gal. vsurpata, ponitur.

Obiectio secunda.

Sanctorius, cum alijs respondet, Aristotelem lato modo accepisse sanitatem, prout integram sanitatem, & neutrum statum complectitur. Galenum verò loquutum ex professo strictiùs pressiùsq; de Sanitate, & Morbo, à quibus ideò neutrum, siue medium

Solutio.

ſtatum ſeiunxit. Non in re ergo, ſed in modo exponendi rem, Ariſtoteles à Galeno diſcrepat.

Alia Solutio.

Licèt hæc Authorum citatorũ conciliatio probabilis ſit, meo tamen iudicio, quando Ariſtoteles inter Sanitatem & morbum nullum dari medium docuit, non de Sanitate latè ſumpta, quatenus bonam & fragilem complectitur, loquutus eſt, ſed de integra optimaque Sanitate, quam ſolam corporis virtutem ille appellat lib. 1. Rhetoric. cap. 16. Corporis, inquit, virtus eſt Sanitas. Sanitatem intelligo, quæ morbis omnibus caret, quæq; cum exercitatione, atq; vſu coniungitur. Multi quidem valentes ſunt, vt de Herodico dicitur: ſed huiuſmodi valetudinem, ob quam ille ab omni ferè vſu abſtinebat humano, nemo in parte fælicitatis ponebat. Nos in noſtra Phyſiologia rem hanc eodem fermè modo expoſuimus. Diximus enim, Phyſicè loquendo, nullum inter Sanitatem & morbum dari medium; quia vera & realis ſanitas ne minimum quid ægritudinis complectitur; nec in ea primum ægritudinis punctum continetur: ſecùs ſe habet Sanitas Medicorum commodo laxè ſumpta, & in tres, aut quatuor ſpecies diuiſa: quarum imperfectiores medium locum inter Sanitatem & morbum occupant; vt in noſtra Hygieine abundè dicemus.

Sanitas eſt corporis virtus ex Ariſtotele.

Hofmannus.

Sed recentem audiamus, non ſolùm doctiſſimorum Virorum, ſed ſummi Galeni Cenſorem Hofmannum, qui nullo pacto neutrum Statum admittit. Ille lib. 4. Inſtitutionum, Paragrapho 6. ait: Heic aliquis, vbi eſt Neuter Status, quem Galenus in Arte profitetur? Vno verbo ἡ μικροτέχνη dicta, tam eſt Galeni, quàm mea. Cuius igitur? Herophili, cui alibi quoq; tranſcribit Galen. neutrum illum Statum. Hunc, cùm & perturbatiſſimum eſſe videret Galen. & verò indicationes nullas afferre: prætulit illi Sanitatis latitudinem, conſtituto ex Hippocrate limite illo, quem dixi. Tu puta, vt ſanus dicatur tam is, qui piſciculos ſex minutos, aut paſſerculum vix concoquit, quàm is qui libram Semis carnis bubulæ, porcinæue. Tam is, cui pro potu ordinario ſufficit ſextarius Cereuiſiæ, Viniue ὀλιγοφόρυ, quàm is qui duas menſuras bibit. Tam is, qui per integrum diem ligna findit, aut aliud quod opus graue facit, quàm is, qui ſtadio vno peracto concidit. Tam is, qui quoſuis in victu errores tolerat, quàm is, qui ne minimum quidem. Et ſic de cæteris actionibus humanis, tam totius Corporis, quàm partium, v.g. viſûs, &c.

Rur-

Rursùs in Censuris, quas Capiti postponit, sub Titulo, ABERRATIONES, aduersùs Viros doctos, Sennertum carpens ait: Cap. 2. statim nauseam mihi mouet illatione statûs neutrius. In Liddelium sic idem inuehitur: Partim quia libro 4. cœno statûs neutrius se immergit, &c. In Syluium sic: Subitum mihi terrorem incutit tot crucibus, quibus ornat Statum Neutrum Herophili, qui nauci apud me est.

Ex his colliget quiuis, quanta cum acrimonia in suis Aberrationibus doctissimos plerosq; Scriptores Hofmannus lacerat: imò nec ipsi parcit Galeno, quem suis Censuris fædè proscindit. In Aberrationibus cap. 38. Sect. 6. lib. 4. Galenum sic carpit: Imò verò Galenus relictis Ducibus suis (Hippocrate scilicet, & Platone) onus probandi in se suscipit: sed tam non præstat, vt pudeat me ipsius. Successêre quidem humeris ipsius plurimi, inter quos præcipui, Fernelius, Bertachius, Costæus, Mercatus, Thomas à Veiga, & Peramatus verùm ego ita illos fregi Com. de Thor. 2. vt nemo hactenùs ausus sit illis suppetias ire. Eant igitur, si commodùm, exequias, ne porrò turbentur bona ingenia. Qui tamen volunt in istis Sordibus consenescere, faciant suo vsq; arbitratu. His, & alijs inanibus iactantijs, homo ieiunus, siquis Mortalium in re Medica, semet extollit ad astra, & plerosq; Medicos procaci calamo ita mordet, vt nec ipsi Galeno in apparenti defectu indulgeat. Vtinam diligentius rei Medicæ, quam stylo dicendi tragædico, ex Plauto, & Terentio decerpto, paulò diligentiùs incubuisset, vt Galenum perciperet, & Scripta posteritati paulò succulentiora, quàm fecit, relinqueret.

Insulsus Hofmannus in sua perseuerat iactantia.

Censura in Hofmannum.

Errat ergo in primis, dum Artem Paruam, siue Artem Medicinalem Galeni non esse censet. Nam Galenus ipse, hoc Opus, suum esse Partum, & non Herophili, testatur, Libro de libris proprijs cap. 3. imò lib. 5. de sanitate tuen. cap. 11. fatetur, se Librum condidisse, cui Titulus, Ars Medica. Diximus autem, inquit, temperamentorum notas, non solùm in libro de Temperamentis, sed etiam in Libro de Arte Medica. Is enim vni ex Libris nostris est titulus. Hæc Galenus. Galenum ergo nondum euoluit Hofmannus, vt quæ vera sunt, falsitati præponeret. Præterea, cur se tam anxium præbet Hofmannus, Statum neutrum repudiando; cùm perinde sit hunc admittere, atq; negare. Nam quidquid horum di-

Ars Medica est Galeni.

Delirus perstringitur Hofmannus.

dicatur, rei, de qua est sermo, veritas illæsa manet. Quoniam qui fragilem sanitatem, qua conualescentes, & à morbo fermè liberati fruuntur, neutrum Statum inter Sanitatem, & morbum appellant, Sanitatem tunc pro bona solam accipiunt, qui verò neutrum statum prorsùs repudiant, fragilem, & parum constantem sanitatem, sub sanitate latè sumpta comprehendunt. Hanc

Galenus neutrũ statũ aliquãdo admisit, aliquãdo omisit.

ob causam Galenus ipse aliquoties de Salubri, & insalubri, neutro omisso statu, loquitur: Quandoq; neutrum Salubri, & Insalubri adijcit: & quidem ex sua sententia. Neutrum omisit statum Libro ad Thrasybulum cap. 8. dum Medicinam Salubrium, & Insalubrium Scientiam esse cum alijs admittit. Libro de Sectis ad

Medicinæ finis est sanitatẽ parare, eius scopus est sanitas.

eos qui introducuntur, cap. 1. eodem modo loquitur: Id sanè, inquit, quod Medicina intendit, Sanitas est: hanc verò ipsam parare Artis eiusdem finis est; quibus autem rebus aut absens comparetur Sanitas, aut eadem conseruetur præsens, cognoscant Medici

Quid Medicina iuxta Priscos.

necesse est: vocanturq; ea, quibus absens illa creatur, remedia, auxiliaq;: quæ verò præsentem eandem custodiunt, Salubris ratio Victus: Quapropter Ars ipsa medendi Salubriumque, Insalubriumq; Scientia ab Antiquis Scriptoribus dicta est; qui Salubria dixerunt, & quæ præsentem sanitatem conseruant, & quæ eandẽ corruptã resarciunt: insalubria verò, quæ illis contraria sunt: vtraq; enim cognoscant Medici necesse est, vt illa eligant, hęc autem effugiãt. Hîc exponit solummodo Galenus vnã Salubris, & Insalubris significationem; Salubres enim causas, tam sanis, quàm ægris

Præcipuæ Medicinæ partes Hygieine, & Therapeutica.

vtiles: & insalubres vtrisq; noxias, insinuat. Vt vt sit, neutrius status non meminit: sicuti nec libro 1. de sanit. tuen. cap. 1. vbi Practicam sic diuidit: Cùm vna sit Ars, quæ corpori hominis tuendo dicata sit, vt alibi à nobis ostensum est, eius primæ ac maximæ partes sunt duæ: quarum alteram (ὑγιεινόν) Sanitatis tuendæ, alteram (θεραπευτικόν) morbi profligandi facultatem appelles. Earum contraria inter se officia sunt: siquidem illi tueri, huic immu-

Contraria officia.

tare statum Corporis est propositum.

Statum neutrũ admisit Gal.

Verùm non idcirco repudiauit Galenus Statum Neutrum, sed cum Herophilo in Arte Medicinali libenter eum amplectitur; veluti etiam lib. ad Thrasybul. cap. 30. vbi Medicinam correctiuam

Curatrix multũ corrigit, Conseruatrix modicè.

appellat: sed aut multum corrigit, aut pauxillum: quæ eius pars multum semel corrigit, Medicatiua, Curatiuaq; nuncupatur: quæ

verò

verò pauxillùm, Conseruatiua. Curatricis partes aut differentias plurimas esse docet, vti nos cum illo docuimus in superioribus. Conseruatricem in tres partes distribuit: Vna Euectice, siue Euectrix dicitur, estq; boni habitus Seruatrix: Altera dicitur Refectrix eorum, qui iam morbum euaserunt, seu, vno verbo, Conualescentium: Et hæc pars à nonnullis recentiorum Medicorum, vt loquitur Galen. Analeptice, hoc est Instauratrix, seu Resumptrix appellatur. Inter vtramq; partem iam expositam, ea pars collocatur, quæ ab ipsis propriè (inquit Galen.) Salubris nominatur; nam vulgò, & Conseruatiua simul, & Salubris dicitur. Tres igitur hæ partes Conseruatiuæ modò enumeratæ (sunt Galeni verba) Analeptice, Salubris, & Euectice, sunt quidem omnes sub ea Medicinæ parte, quæ exigua vitia tollit. Inter se autem ratione maioris minorisq; dissentiunt: magis enim parua vitia castigat Euectice, minùs verò Salubris; hâc adhuc minùs parua emendat Analeptice. Quidam verò, & quartam particulam adiecerunt in hac Conseruatiua, quæ ab ipsis propriè Prophilactice, .i. Præseruatoria, vocata fuit, facultatem ei oppositam habentem, quæ à morbo proximè liberatos recreat. Hasce autem ambas (.i. Prophilacticen, & Analepticen) ancipitis quodammodo esse naturæ inter contrarias totius Artis Medicæ partes nemo ambigit: dico autem inter eam, quæ magna vitia, & eam, quæ parua dissoluit. Curatiua sanè pars, quòd magna vitia, Euectice autem, atq; Salubris, quòd parua discutiat, id quoq; perspicuum est. In medio verò ambarum interstitio Instauratiua nominata, atq; præseruatoria, positæ sunt, si ad Salubrem, Euecticenq; comparentur, non exigua vitia emendantes: si ad Curatiuam, non magna. Propterea, & quicunq; ambas has partes Neutras appellauerũt, haud malè mihi sensisse visi sunt. Libro etiam 5. de Sanit. tuen. cap. 11. hæc de Neutro Statu habet: Nec mirum sanè est, intemperatæ naturæ, quæ in medio exactæ Sanitatis, & Morbi Sensibilis, consistunt, etiam ad ordinandum victûs modum sint ancipites. Hæc Galenus.

Euectica.

Analeptice, siue restauratrix.

Tres Conseruatricis partes parua vitia castigant.

Prophilactice siue Præseruatoria, quarta conseruatricis pars.

Partes neutras admisit Gal.

Intẽperies natiuæ sũt in medio exactæ sanitatis, & sensibilis morbi.

Ex his constat, quàm apertè à Galeno Neuter Status admittatur: hunc Statum, Neutram affectionem ab Herophilo dictam fuisse testatur idem Galenus lib. 6. de Sanit. Tuenda cap. 2. & hunc Statum in conualescentibus à grauissimis febribus, veluti & in Senibus, conspici ait: imò Senectutem à quibusdam naturalem morbum

Neuter status neutra affectio dicitur.

Senectus quibusdam naturalis morbus dicta.

bum dici ibidem docuit; & Senis sanitatem non simpliciter, & absolutè Sanitatem dicendam, sed Senis sanitatem. Quòd autem Senum Sanitas non sit absolutè Sanitas, probatur ibidem à Galeno. Nam sanitas absolutè dicitur illa, quæ propter ipsam actionum virtutem integra est, & de qua queri non possit. Atqui Senum Sanitas querimonijs non vacat: quamuis enim omnes actiones habet Sanitas Senilis integra, nullam tamen validam habet actionem. Atq; adeò illa pars Artis, quæ de Senum ductu instituitur, hùc tantum consilia dirigit, vt sanitatem eorum, quatenus fieri licet, tueatur. Corpora verò, quæ à prima statim genitura pronum ad morbos (νοσώδη, .i. morbosum, scilicet statum, non pronum ad morbos, videtur dicendum) statum sortita sunt, ea planè ad Senectutem nunquam perueniunt, aut si quando peruenerunt, vno saltem diutino morbo penitùs laborãt. Libro 6. de Sanit. tuen. cap. 1. quosdam statim ab ortu valetudinarium Corporis statum sortitos asseuerat.

Senũ Sanitas, non est absolutè Sanitas.

Qui à primordio generationis ad morbos sunt proni, ad Senectutem nõ perueniũt.

Obiectio.

Fortassis quispiam cauillis, quàm veritati, magis addictus, Galeni argumentum, constituens Sanitatem absolutam in actionum robore consistere, reprehendet: Nam contrarium ab eodem asseritur Lib. de diff. morb. cap. 2. vbi expresè docet Sanitatem in actionibus non esse sitam, vti fusè in nostra docuimus Pathologia.

Solutio.

Responsio est facilis, si dicamus, quod verum est, Sanitatem non in actionibus positam esse, cum quis in vmbra sedens, aut decumbens non moueatur, etsi sanitate fruatur. Verùm id nihil vetat, quin actiones validæ testes sint absolutæ Sanitatis; cùm illæ sint præcipua, & infallibilia integræ sanitatis indicia. Sanitatis porro habitus ex functionibus secundùm naturam obeundis discernitur, teste Galeno lib. 1. de Sanit. tuen cap. 4.

Optimæ Sanitatis indicia sũt actiones integræ.

Neutrum Statum ratio admittit.

Rationi demum consonum est, Neutrum statum admittẽdum; quoniam multi, verè, & Physicè loquendo, ægrotant, non tamen à Medicis ægrotare dicuntur, donec lecto hærere cogantur, aut actiones ita habeant manifestè læsas, vt ampliùs naturalibus functionibus vti nequeant. Quotidiana experientia ducti quàmplurimos conspicimus veluti ægrotantes, antequam hi tales se esse absolutè fateantur, aut antequàm à Medicis tales censeantur. Quotiescunq, aliqua intemperie quispiam laborat, certum est, talem intemperiem sensibiliter lædentem actiones, non subitò, sed

pau-

paulatim, mediante alteratione, quæ in tempore fit, introduci. Ergo antequam ad talem peruenerit vigorem, vt actiones sensibiliter & manifestissimè lædat, eius aliquid præfuit, quod non fuit naturale, sed omninò præter naturam: omnes enim, caloris v. g. superuenientis, siue præter naturam, partes, sunt eiusdem rationis, ita vt prima eius pars introducta, sit æquè benè præter naturam, ac vltima producta. Ergò cùm pars intemperiei primò producta, sit aliquid præter naturam, etsi non valdè, aut impensè lædat actiones, vt talis læsio à nobis dignoscatur, morbus Physicè & realiter dici potest. Attamen, quoniam non multum vexat naturam, Morbus Medicus non dicitur. Commodè ergò tunc temporis corpus Neutro statu correptum dicemus; veluti illum, qui à febre acuta, aut chronica liberatus est: qui tametsi non sensibiliter febricitet in conualescentia, celeriorem habet pulsum, quàm in statu perfectè sano: tum quia arteriæ adhuc in conualescentia, ob relictam in corpore siccitatem, ad motum sunt inobedientes. Non potest autem magnus edi tunc pulsus, tum propter instrumenti duritiem à siccitate ortam, tum etiam ob facultatis vitalis modicum robur. Addamus & his Empyreuma quoddam, siue igneam quandam qualitatem, sicuti in cineribus lignorum adustorum, in conualescentibus superesse: Qui præterea extenuati sunt; & consequenter morbo laborant in quantitate diminuta. Quapropter quamquam morbo exempti censeantur, verè tamen, & realiter morbo, aut morbis laborant. Si ergo tales conualescentes non sunt inter ægros recensendi, procul dubio Neutro statu affici iure dicentur: cùm reuerà non sint sani; vt patet ex actionum imbecillitate, & morbi præcedentis manifestis vestigijs: imò ex actuali diminutione, & siccitate Corporis.

Morbus Physicè & Medicè dictus.

Conualescentes exiguis morbis sunt affecti.

Functionū imbecillitas argumento est conualescentes nō esse integre sanos.

Conualescentium statum salubri integritate vacuum, adeoque omnibus notum, tanquam Neutrum, cum fundamento admittendum puto; Priscorum, eorumq; doctissimorum Virorum authoritate, & ratione solidissima antea producta, ad id excitatus. Quod attinet ad præcedentem procliuitatem in morbum, Medicus congruentibus remedijs, dum eam manifestè agnoscit, non rarò compescit: non sedata verò in morbum desinit manifestissimum, eũq; vt plurimum, vel acutum, vel pertinacem. Corpus v. g. valdè cacochymum, aut valdè plenum, dispositum est, accedente quauis

Corpus paratum ad morbū est in neutro statu. leui occasione, ad morbos varios. Ergo tale corpus vix sanum dici debet, & meliùs Neutrum dicendum. Nam causa adest morbifica, eaq; interna: adest sæpenumerò febricula, quam nec æger, nec Medicus ipse dignoscit; quia res est perdifficilis primas intemperiei alicuius partes introductas deprehendere; vt innuit Galenus lib. 1. de Sanit. tuenda cap. 4. Illud ergo, inquit, confessum vtriq; arbitror, quod quæ vulnere, vel illisu, vel simili aliqua ratione lædunt, aut corrumpunt sanitatem, omnibus hominibus esse nota; quæ calefaciendo, vel frigefaciendo, vel madefaciendo, vel siccando, non omnibus. Quæ de hoc statu Neutro habet Galenus lib. de constitut. Art. Med. cap. 19. hoc ordine produxit: Etenim, si humorum, vel copia, vel prauitas, si obstructio, si vis aliqua corrumpens in corpore suboriatur, homini periculum affert, ne quàmprimùm in morbū illabatur, quandoq; verò ne extremè periclitetur. Verùm sæpè hæ causæ sunt cognitu difficiles, cùm nullam ferè homini molestiam præstent: statim enim morsus canis rabidi nullum peculiare signum, antequā propè instet rabies, in corpore reliquum est, adeò vt Medico necesse sit has ex ægrotantibus causas sciscitari, & quid cuique euenerit: quum tamen humorum copia, aut eorundem prauitas, aut aliquem excitet in corpore tumorem, aut quodpiam viscus oppilet: potest id ex symptomatibus quibusdam intelligi, quæ medium inter ea, quæ in sanis reperiuntur, & ea quæ ægris eueniunt, locum seruant: qui, quum ea, quæ sanis insunt, ex natura sint omnia, & omni culpa vacent: quæ ægris, vt præter naturam sunt, ita etiam culpanda: quæ verò media sunt, ad genus quidem eorum, quæ morbis eueniunt, attinent: Verùm adeò sunt magnitudine exigua, & viribus imbecillia, vt nondū solitas vniuscuiusq; actiones lædere queant. Neque.n. si dolor quispiam, aliquem, vel secundùm caput, vel secundùm aliam quampiam partem infestet, statim tantus est, vt hominem lecto decumbere cogat. Neq; si grauedo præterea caput, aut præcordia, aut alias partes, vel alia viscera detineat, tanta etiam erit, vt à consuetis functionibus desistere faciat. Corporis etiam tumor, aut gracilitas, decoloratio, pigritia in motu, procliuitas in Somnum, Vigilia, non sufficiunt, vt ab actionibus, quibus ad vitæ munera peragenda egemus, detrahant; nec cibi appetentia, aut nimis adaucta, aut omninò ablata: nam & hæc ambo

Morbi per se noti.

Morbi intemperiei difficulter noscuntur.

Causæ morbum minitantes, sed cognitu difficiles.

Aegros examinet Medicus.

Signa media, siue neutra.

Exigui morbi sunt neutri.

A decubitu, morbi sensibilis principiū desumēdū.

Signa neutra quæ morbū sensibilem nō arguunt.

ad corpus pertinent non integrè ſanum: ſicut nimia ſiti torqueri, vel eius eſſe nimis expertem. Secundùm Stomachum etiam, vel ventrem morderi, aut ſe laſſum ſentire: quippè hæc eſt ferè eorum formula, quæ illis contingunt, qui procliues ſunt in morbos. Libro 1. de Sanit. tuen. cap. 5. confirmat hanc ſuam doctrinam Galenus, ſtatuens, quamlibet actionum læſionem, non indicare morbum, ſed notabilem, & benè ſenſibilem. Pari modo, inquit, actionis vitium cuiuſq; præter naturam ſuam malè habentis membri, non ante morbum decernemus, quàm ad ſenſibilem magnitudinem peruenerit. Rectè ergò Signa quædam neutrum ſtatum prodentia propoſuit Galenus; cùm neuter ſtatus nec morbus ſit, nec Sanitas. Sed de hoc argumento hæc ſufficiant. *Non omnis actionum læſio, ſed ſola notabilis morbũ indicat. Signa neutra hactenus cum Galeno deducta ſunt.*

Nobis demùm quiſpiam obſtabit, datam ab Herophilo, Galeno, & alijs, Medicinæ definitionem, non comprehendere omnes Medicinæ partes, ſed ſolam Salubrem, & Inſalubrem, ſeu Conſeruatricem, & Curatricem. *Vltima obiectio cõtra definitionẽ Herophili.*

Reſpondeo, Definitionem præfatam ad totam Medicinam extendi; quoniam omnes Partes, vel Sanum, vel ægrum Statũ, directè, vel indirectè conſiderant; vti in ſuperioribus, & in noſtra expoſuimus Phyſiologia. Idẽ.n. de Medicina dicendũ, quod de Geometria. Nam hæc, iuxta Vocis ſignificationẽ, eſt facultas cõmenſurandi terras: adeòq; plana tantùm metiri deberet. At verò Geometriæ nomen extenſum adeò eſt, vt de Solidorum Corporum commenſuratione agat, ita vt non amplius extet in vſu vox, Stereometria, quæ peculiariter de ſolidis agebat: Στέρεος enim idem eſt, ac Solidus: ſed Geometria omnes planè dimenſiones perpendit, & examinat. Pari modo Medicinæ nomen, etſi à Principio Soli Parti Curatrici fuerit impoſitum, deinceps reliquis Medicinæ Partibus poſteriùs adinuentis impoſitum eſt. Porrò, quamquàm à Medendo Medicina deriuetur, & Medela penès Curatricem ſit, Phyſiologia Medicinæ Pars rectè dicetur, quòd de primario Medicinæ ſubiecto, Corpore Humano, diffusè agat. Hoc ipſum præterea eſt, quod in varias labitur ærumnas, quodq; rursùs curandum à Medico ſuſcipitur. Sed de his ſatis. *Solutio. Stereometria quid? Medicina à medendo dicitur.*

SECTIO II.
An Medicina sit Ars?

Argumenta asserentia Medicinam non esse scientiam.

MVlti existimant, Medicinam propriè non dici Scientiam in Definitione ab Herophilo proposita, & à Galeno introducta: quia Galenus ipse, postquam Definitionem præfatam exarauit, ait, Scientiam non propriè, sed communiter in definitione accipi. Secundò, quia Libri Galeni, in quo posita est prefata Definitio, Titulus est Τέχνη ἰατρική, .i. Ars Medica, siue Ars Medicinalis. Tertiò, quia varijs in locis Medicinam Artem appellat Galenus, vt Libro de Constitutione Artis Med. cap. 2. vbi expressè Medicinam inter factiuas Artes collocat, dum ait: Opus quippe est reuocare in memoriam, quamobrem huiuscemodi Artem assequi cupieris: & illud erat, quod, quum hoc negotium aggrederemur, omnium primum ex te sciscitabar: mihiq; respondisti, velle te homines, in primis, qui corpore sunt præter naturam, affectos (si tamen fieri possit) in naturalem statum restituere: sin minùs, saltem cognitionem aliquam comparare, qua discerni possint illi, qui sanari possint, ab ijs, qui secus (.i. qui sanari nequeunt.) Vnde dato à te nostro huic sermoni Principio, affirmaui statim, his indicari, eam artem, quam constituere affectas, ex effectiuarum esse numero: habet enim opificium aliquod, quod finita actione possis ostendere. Sunt nempe & aliæ præterea Artes quamplurimæ effectrices, vt Æraria, Sutoria, ars constituendarum nauium, fabrilis, figulina, Pictoria, & tantus Artium factiuarum inter mortales numerus, quantus ferè nullius alterius generis inuenitur. Sequenti Cap. 3. eiusdem lib. de Constit. Art. Med. eandem doctrinam adhuc repetit Galenus, aiens: Itaq; prima quæ in nobis suboritur cognitio, tum nostrum ipsorum est, tum aliorum hominum, dum bene valent. Altera ab illa, eorundem cum morbis impliciti sunt: vnde mox in nobis benè valendi desiderium assurgit, & insuper artem aliquam Sanitatis Procuratricem constituendi. Vt autem bonam valetudinem efficere proponimus; ita ex factiuarum numero ea ars futura est, quæ à nobis est constituenda. Libro pariter de Optima Secta ad Thrasybul. cap. 5. Medicinam Artem nuncupat. Artium igitur, inquit, aliquæ,

Variæ artes.

ea,

ea, quæ non sunt efficiunt; vt nauium Structoria; nonnullæ quæ facta sunt conseruant, vt nauium gubernatoria, nonnullæ vtrūq; præstant, vt ædificatoria: in facientibus artibus, aut seruantibus, vnus est consequendi finis modus: propterea in his simplex est vtilis æstimatio: sed in his, quæ iuxta faciunt, & conseruant, non facile est dijudicare. Non enim, tanquam inutile, refutandum est, quod ad conseruationem non conducit: sed diligenter perquirendum, num quippiam ad eius, quod non est, productionem conferat. Ars itaque Medica inter eas est, quæ faciunt, & conseruant: non idcircò tamen geminum esse Artis finem credere oportet, &, quod non est, facere, vtpotè sanitatem, & eam, quæ est, conseruare: Per eadem enim præcepta, vt aiunt, sanitatem creans, eademq; conseruans geminum habere finem videatur. Profectò, si euidenter eadem essent pręcepta ad vtrumq; finem ducentia, differentibus etiam finibus, diuersæ vtiq; essent Artes, & duæ Medicatiuæ: At quoniam, eadem cùm sint præcepta, proposita euariant, vna ars differentia habebit proposita: Sed meherculè ignorant Artis esse vnum propositum, Sanitatem scilicet, finemque vnum, qui est eius consequutio; modos autem consequutionis multiplices. Non variat igitur propositum, neq; finis secundùm varium habendæ Sanitatis modum. Siquidem nobis apta efficere cognoscentes, modò ipsa nocentia submouentes, sanitatē acquirimus, modò ea deuitantes ipsam præsentem conseruamus. Quare vtile in Medicina rectè æstimabimus, nonnunquam, an ad sanitatem accersendam, nonnunquam, an ad eam retinendam conferat, nobiscum reputantes. Libro quodam ad Thrasybul. cui titulus; Num Ars tuendę sanitatis ad Medicinalem Artem spectat, an ad Exercitatoriam, cap. 2. Medicinam, Medicam Artem appellat Galenus. Capite 5. eiusdem libri idem dicere visus est. Siquis à quopiam interrogatus, quid sit Medicina, Artem eam esse ægrorum Curatricem, Sanorumq; Conseruatricem, respondeat, nonne per Iouem iste, quod controuersum est, tanquam manifestum accepisse videatur, Medicinæ Partem, Salubrem esse pronuncians? Quemadmodùm rursùs, si quis Medicinam, laborantium tantùm curam habere confirmet, alio modo & iste id, quod in quæstione versatur, pro concesso accipiet, à Medicina Salubrem abstrahens; &c. Eodē lib. cap. 6. similiter ait: Medicæ namque

Quædam artes effectum omnino non producunt. quædam quod productū aut effectū est conseruāt.

Ars Medica media est inter eas quæ efficiūt & conseruāt.

Dubio occurrit Galenus.

Medicinæ propositum est sanitas. Eius finis est sanitatis consequutio. Modus curandi, & conseruandi.

que Arti Sanitatis creationem, non seruationem custodiamque, Gymnasticæ verò bonum habitum, finem esse statuentibus, &c. Multis alijs in locis Galenus Medicinam Artem appellat.

Responsum ad varias Galeni autoritates. Responsio ad hæc omnia est facilis: Nam Galenus, tum in Titulo, tum in reliquis locis citatis, Artem in laxiori significato accepit, prout Scientiam significat: Medicinam verò factiuam Artem, quoad modum esse dixit; etsi eam Scientiam esse voluerit. Cùm autem medicamenta Sanitatis gratia præparētur quotidiè, & manualis operatio, tum in his conficiendis, tum in Chirurgicis operationibus necessaria sit, ob talem modum operandi, Medicina, quoad modum, Ars dici potest; quanquam reuerà Scientiæ rationem habeat. Constat sanè Medicina Practica (de qua ferè sola, non verò de reliquis Partibus, quæ Scientificæ, & Contemplatrices omninò sunt, est maior, aut omnimoda controuersia) principijs, præceptisq; innumeris, quorum robore Scientifica euadit, etsi in ea coniecturis non rarò vtamur: quæ sanè coniecturæ nostrum cognoscendi hebetem modum arguunt, nihil detrahendo rationi Scientiæ, quæ Medicinæ practicæ congruit; vt testari videtur Galenus lib. 6. de optima Secta ad Thrasybul. cap. 4. Omne autem, inquit, præceptum commune est, & firmum. *Principijs & præceptis Medicina cōstat.*

Quamobrem errant illi, qui eò artem coniectricem aiunt, quòd coniecturalibus præceptis continetur: nō enim à præceptis coniectrix denominatur (hæc namq; perpetua sunt) sed ab actione, & medentium operâ: hæc enim incertum euentum habens coniectricem Artem reddit: Nam omnium Artium præcepta æquè firma sunt, & constantia. Verùm, quoniam non omnium artium finis semper attingi potest, eò fit, vt ipsarum nonnullæ coniectrices appellentur, quæ incertum ancipitemque, vt dixi, euentū habent. *Cur ars coniecturalis dicitur. Nōn omnium artium finis semper attingitur.*

Vt præceptorum maximam vim patefaceret Galenus, eodem in Cap. statim in principio, fontes, è quibus præcepta eruuntur, proponit, inquiens: Præcepta namq; aut in euidentibus, aut in his quæ ex alijs percipiuntur, aut in his quæ præostensa fuêre, aut in manifestis intellectui consistunt, in hunc sanè modum: In euidentibus quidem sic: Quidam plures intuitus sauciato corde morientes, mortis causam scrutatus est: considerans igitur inuenit, neq; ob facultatis deliquium, neq; propter materiæ Medicinalis penuriam, sed propter necessarium membri illius vsum, *Primi præcepti fundamētū est experientia.*

istos,

istos interire. Quare cognoscens absq; membri huius actione, vtilitateq; ab ipso Corpori subministrata, animal superesse non posse, rationeq; ea, quæ in euidentibus inuenit, colligens, hoc præceptum constituit: Quicunq; in Corde sauciatur, morietur. Quod igitur ex euidentium consensu ratione inuentum est, & vniuersim prolatum, præceptum dicitur: quin potiùs in euidentibus præceptum consistit: vt ab euidentibus in phlegmone: siquis phlegmone afficitur, ille tumorem habet, renitẽtem, pulsatiuum, dolorem inferentem. Sunt itaq; euidentia præceptorum inuentionis primordia: at præcepta ex euidentium consensu reperta constituendæ artis sunt principia, & ab euidentibus ad hunc sanè modum præceptum conflatur. Ab his autem quæ ex alijs percipiuntur hoc modo præceptum colligitur: Si quem hi casus infestant, hic sanguinis copia laborat: Cui hæc eueniunt, illi iecur, aut renes, aut id genus aliquod afficitur. Ab his autem quæ præostensa sunt, hoc modo conficitur: si ante probatum fuerit, quid sit concoctio, &, quæ concoquuntur, fundi, eliquari, atq; ita mox distribui, & ægrotantes non multo in conficiendis cibis labore indigere, ab his huiusmodi præceptum nascitur: Liquidi cibi omnes febricitantibus benè faciunt. Sed ex manifestis præceptum oritur: Quidquid est multum, naturæ aduersatur: & illud: Non saturitas, non fames, neq; aliud quicquam bonum est, quod naturæ fines egreditur: & illud: Vbi saturitas morbos creat, euacuatio medetur. Nam, cùm per se constet in illis quidem, si facultatem vincentia, in hoc verò, si efficiens causa repellatur, quod fiebat non futurum esse, dicta præcepta fuêre composita: omne autem præceptum commune est, & firmum; & reliqua quæ antea ex Galeno traduximus.

Cordis vulnus lethale. *Secundi præcepti fundamẽtum sunt ipsa quæ sensibus euidentia sunt.* *Phlegmones signa.* *Tertij præcepti fundamẽta.* *Quarti generis præceptorum fundamẽta.* *Vt fit concoctio.* *Quinti generis præceptorum fundamẽta sunt manifesta.* *Omne præceptum est firmum.*

Hoc in Capite exactè satis solertissimus Galenus fundamenta exposuit certissima Theorematum Medicinæ: sed potissimum Practicæ: quorum theorematum certitudo, & firmitas Scientiæ nomen, vim, & rationem Medicinæ contribuunt. Eruuntur primò præcepta firmissima ex euidentijs. Pro exemplo Cor sæpiùs saucium in medium producit. Et compertum, Cordis vulnus semper fuisse lethale. Cùm ergo mors ob inflictũ Cordi vulnus non superueniat ob defectum Medicamentorũ, quæ semper iuxta Artis præcepta præscripta fuêre: nec propter defectum virium ægri, seu potiùs

Primus Præceptorum fons.

tiùs ipsius cordis, quod ante acceptum vulnus viribus pollebat, quas ei ipsi natura concessit: sequitur tam subitaneam mortẽ euenire ex defectu Spiritus Vitalis, quem cor Vniuerso Corpori, ad spirituum insitorum, siue caloris natiui reliquarum corporis Partium conseruationem, perpetuo fluxu subministrabat. Hinc rectè statuitur Principium illud: Omne Cordis vulnus lethale. Præter rationem, experientia hanc doctrinam, hocue theorema, confirmat. Idque testatur Ouidius dum ait, ipsum Epidaurium, id est Æsculapium, cordis vulnus sanare non posse. Aliud præcepti exẽplum in euidentibus collocati, est Phlegmones signa Pathognomonica, seu propria, & demonstratiua. De Phlegmone enim, quæ est inflammatio cum affluxu humoris ad partem affectam, quæq; tumor est præter naturam, à sanguine superfluo proueniens, non verò de phlegmone, quæ phlogosis, siue inflammatio nuda sine affluxu dicitur, loquutus est Galenus: qui rectè monet, vbicunq; apparet percipiturue tumor præter naturam, cum renitentia (dum pars phlegmonosa tangitur, & à Medici digitis comprimitur, renititur resistitue, nec digito cedit) & dolore pulsatili, ibi phlegmonem necessariò esse. Si rubedinem dictis signis adderemus, completius præceptum statuemus. Sanguis.n. naturaliter rubicundus, suo inficit colore partẽ cui abundè affigitur: Tactui.a. Phlegmone renititur; quia pars phlegmone affecta, indurata est; & indurata, quia tensa distentaue: & distenta propter copiosum sanguinem, omnia partis vasa, minimosq; meatus infarcientem. Dolor verò pulsatilis ex humore feruente & partes dilatante, & compressione arteriarum partis inflammatæ, nascitur. In quacunque ergo Corporis parte Symptomata hæc orta sunt, phlegmonem adesse demonstrant: Non secùs, ac risibilitas hominem. Et sic ab euidentibus præcepta statuuntur infallibilia. Signa .n. Pathognomonica sunt proprietates rem vnam semper demonstrantes. Sic pulsus durus & Serratilis, dolor punctorius, difficultas respirandi, tussis, & febris acuta, Pleuritidem, siue inflammationem Pleuræ siue membranæ succingentis interiùs costas, tanquam Signa demonstratiua, si simul adfuerint, necessariò adesse significãt.

Secundus fons.

De qua Phlegmone loquutus est Galenus.

Dolor pulsatilis vnde nascitur.

Pleuritidis signa.

Tertius Præceptorũ fons.

Ex alio adhuc fonte firma præcepta colligi, atque constitui docet Galenus. Ex ijs nimirum, quæ ex alijs percipiuntur, vt loquitur. Ea.n. quæ ex alijs percipiuntur, sunt casus, siue symptomata,

vel accidentia quædam, quæ superuenire solent, familiariùs huic, quàm alteri, ex quibus præcepta nascuntur. Sanguinis autem redundantis, huiusue redundantiam significantia signa, sunt color rubicundus, latitudo venarum, carnositas, corporis grauamen, hilaritas, garrulitas, ad concupiscentiam, tam alimentariam, quàm veneream, procliuitas: amicitia, & cætera plura, quæ in nostra Physiologia prolixè produximus. Quoties hæ sanguinei humoris notæ in aliquo conspicientur, inde illicò inferemus, talem hominem sanguineis affectibus esse familiarem, obnoxiumue: itaq; in hæmorrhagiam facilè incidet; veluti in capitis dolorem, in febrem Synocham non putridam, in fugacem respirandi difficultatem, ob hepar impediens diaphragmatis liberiorem motum. Nam in Sanguineis Sanguis copiosus in hepate, & venis feruet, inde tumiditas quædam; ob tumorem hepatis inde natum liberè Diaphragma non mouetur. Similiter ex Signis humoris biliosi, aut alterius in corpore redundantis, alia statuentur præcepta: quemadmodùm ex Hippocratis Aphorismis, alijsque eius operibus, vnusquisque eruere potest. Deniq; cui alui fluor loturæ carnium recentium similis superuenit, indicium erit hepatis læsi, & omninò imbellis. Si. a. vrinæ excernantur similes loturæ carnis recenter mactatæ, indicium est imbecillitatis renum. Et hinc præceptum statuitur, omnes laborantes hepatica passione, quam imbecillitatem hepatis appellant, serum eijcere sanguinolentũ, nunc per aluum, aliquoties per vias vrinæ: etsi, vt dixi, ab imbecillitate renum non raro talis vrina sanguinolenta procedat. Hippocrates in Aphorismis statuit similiter, venulam in renibus ruptam esse, quoties sanguis per meatum vrinarium excernitur. Hæc omnia præcepta sunt infallibilia in se. Ea tamen non benè percipientibus coniectandi ansam tribuunt: & ob imbecillitatem ingeniorum Medicina coniecturalis à pluribus dicta est. Quod de hepate, & renibus, idem de reliquis Partibus dicendum: nempe ex ijs quæ percipiuntur in omnibus partibus Theoremata institui posse. Vno verbo, vbi Signa apparent pathognomonica rerum, prout in alijs experti sumus, ibi causa talium Signorum necessariò inuenietur.

Sanguinolenti signa.

Cur Medicina coniecturalis dicta.

Quartum fontem præceptorum vocat Galenus ea quæ præostensa sunt. Admissa quidem aliqua doctrina, eaq; Scientifica, præcepta firmissima exinde haurire poterimus. Ab omnibus au-

Quartus fons.

tem admittitur alimentorum in ventriculo, & Hepate concoctio. Concoctio rursùs est quædam elixatio: dum elixatio fit, cibus in ore priùs comminutus, fundi debet & colliquari; rursusq; distribui deferriue per ductus conuenientes ad hepar, in quo pars chyli purior attracta in quatuor humores transmutatur, & massa sanguinaria inde emergens, & depurata, ex hepate in venas, & illinc ad omnes corporis partes nutriendas deuehitur. Hac doctrina percepta, quis non videt, Præceptum esse, & Principium infallibile, victum liquidum febricitantibus omnibus conuenire? vt monuit Hippocrates lib. 1. Aphorism. 16. vbi ait: Victus humidus febricitantibus omnibus confert: maximè verò pueris, & ijs qui tali victu vti consueuerunt. Cùm autem calor natiuus sit præcipuum instrumentum Animæ, vt coctiones celebrentur: quia hic in febricitantibus ignescit, coctionem nec facilè, nec probè perficit, sed alimenta adurit, vel corrumpit. Quare liquidiora alimenta necessariò tunc concedenda, duas præcipuè ob causas. Primò, quia talia alimenta facillimè coquuntur, distribuunturq; ; proxime enim ad naturam chyli accedunt. Secundò, quia liquida sua actuali (si non potentiali) humiditate, febrilem vim, siccitatem remittendo, retundunt.

Victus humidus febricitantibus congruit.

Quinctus fons.

Quinctus Præceptorum fons, sunt ea, quæ manifesta sunt. Manifestum autem est, ea quæ quantitate aut qualitate, plurimùm excedunt, esse nostræ naturæ aduersa; nec ab hac domari posse. Inde præceptum illud nascitur, quod apud Hippocratem extat lib. 2. Aphor. 51. vbi hæc habet: Plurimùm, atq; repentè, euacuare vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum. Omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cùm ab altero ad alterum (.i. à contrario in contrarium) transitus fit. Pariter manifestum est, nimiam ingluuiem, sicuti oppositam ei famem inediamue, plurimùm nocere. Inde nascitur Præceptum illud apud Hippocratem lib. 2. Aphor. 4. vbi ait: Non satietas, non fames, neq; aliud quicquam, quod modum naturæ excesserit, bonum. Aphorismus etiam 3. eiusdem Libri, similem habet sententiam: Somnus, & Vigilia, vtrumq; modum si excesserit, malum. Aphorismus etiam 17. lib. 2. Sententia est, ac Principium firmissimum: Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum

facit:

facit: Ostendit autem sanatio. In contextu autem à nobis traducto Galenus compendiosius præceptum hoc pronunciauit, aiens: Vbi saturitas morbos creat, euacuatio medetur. Rectè sanè euacuatio, quæ repletioni aduersatur, tum ab Hippocrate, tũ à Galeno, præscribitur, ne morbum cibus crudus, aut corruptus in corpore, efficiat. Satietas autem, vt habet Galenus lib. 2. Aphor. comment. 17. sic describitur: Plus enim cibi, quàm corporis naturæ conueniat, Satietas nominatur. *Satietas quid.*

Ex his constat, Medicinam, etiam Practicam, innumeris constare Principijs firmis, certisq;, quæ Scientificam eam necessariò reddunt. Nec mirum, cum duo sint fundamenta, quibus Medicina innititur, Experientia, & Ratio; prout comment. in Aphor. 1. lib. 1. alijsq; in locis testatur Galenus.

Diximus in principio Solutionis propositæ obiectionis, Artem non solùm de veris Artibus, sed etiam de Scientijs, dici à Galeno, & Antiquis; vt videre licet apud Galenum lib. de Constit. Art. Med. cap. 2. qui hac serie scripsit: Quum Artium aliæ quidem in sola naturæ rerum earum contemplatione suum habent finem constitutum, quas sibi considerandas proposuêre, sicut Arithmetica, Astrologia, ac etiam naturalis Scientia: aliæ edant præterea actiones nonnullas, vt tamen nullum deinde habeant opificium ostendere, quod, postquàm agere desierint, aliquo tempore maneant, vt Saltatoria, & Præconum Ars. Aliæ verò istis è contrario opificium insuper aliquod habent, quod ostendant; quemadmodum Ædificatoria, & Ars Fabrilis: Nonnullæ nihil ipsæ quidem conficiunt, nauant tamen operam, studentque, vt aliquid capiant, & acquirant; veluti Piscatoria, & quæ Canibus Feras insectantur, omnes tandem Venatoriæ: Et cùm tu Medicam Artem Methodo constituere institueris, id primum considerandum occurrit, in quonam sit illa Artium ordine, num in Contemplatiuarum numero, an actiua potiùs, vel factiua, vel acquisitiua: nec idipsum difficilem, aut inquisitionem, aut inuentionem habet. Opus quippe est reuocare in memoriam, quamobrem huiuscemodi Artem assequi concupieris: & illud erat, quod, cùm hoc negotium aggrederemur, omnium primum ex te sciscitabar: mihiq; respondisti, velle te homines, inprimis, qui corpore sunt præter naturam affecto (si tamen fieri possit) in naturalem statum restituere: sin *Ars late sumpta scientias complectitur.*

minùs, saltem cognitionem aliquam comparare, qua discerni possint illi, qui sanari possint, ab ijs, qui secùs. Vnde dato à te nostro huic sermoni hoc principio, affirmaui statim, his indicari, eã artem, quam constituere affectas, ex effectiuarum esse numero: habet enim opificium aliquod, quod finita actione possis ostendere: Sunt nempe, & aliæ præterea Artes quamplurimæ effectrices, vt æraria, sutoria, ars construendarum nauium, fabrilis, figulina, Pictoria, & tantus Artium factiuarum inter mortales numerus, quantus nullius ferè alterius generis inuenitur.

Medicinã inter effectiuas collocat.

Hoc in contextu Galenus manifestè Mathematicæ Partes, & Naturalem Philosophiam, Artes appellat, etsi Scientiæ sint, & quidem Contemplatiuæ, vt asserit. Vnde colligitur, Scientias ab Antiquis non raró Artes appellari. Videtur tamen Galenus absolutè asserere, Medicinam esse Artem effectiuam, dum hac de re Patrophilum, in cuius gratiam Librum de Constitutione Artis Medicæ scripsit, certiorem facere visus est. Medicinam enim Sutoriæ, fabrili, figulinæ, & alijs artibus, quarum operâ opus aliquod efficitur, comparat. Verùm propterea non existimauit Galenus, Medicinam esse Artem effectiuam, sed exempli gratia eam dictis Mechanicis artibus cõtulit, vt Patrophilum faciliori methodo ad veritatis cognitionem manuduceret. Huius verò desiderium omnibus palam facit in primo Libri Capite, aiens: Nam cur in hoc non descendam: cùm te videam viæ ad veritatem ducentis, aliquod iam esse assequutum principium, quam tamen præ illius, tum sublimitate, & longitudine, tum etiam asperitate solus consequi non possis. Siquidem quàmplurimos quotidiè animaduerto quantumlibet inuitatos, non modò eò se conferre nolle, sed pigritia potiùs torpentes ab illa auerti. Te autem contra, ac illi, affectum esse video: qui, quum alij in hunc vsq; diem ferè omnes ab ea diuertentes ad alias vias se conuertant, quasi veritatem ex sublimi quadam specula perspexeris, pulchritudinis illius ardenti statim amore captus, nec iter detrectes, nec soli eam prouinciam tibi committere audeas. Et quibusdam interpositis, Patrophilum hac serie alloquitur: Ego, id, quod cuperes, ostensurum pollicitus sum, si modò tantisper sustinere velles, donec hanc rationem in alijs etiam Artibus prius exerceam. Tu verò nec ab ea inuitatione te alienum ostendebas, nec alioquin tergiuersari

Cur Medicinam effectiuam vocauit Galenus.

Aduerte.

uersari præ te ferebas: imò tibi gratius fore hoc, quàm alio modo ad istud institutum progredi affirmabas, si tamen me hoc etiam ostensurum profiterer; omnium, inquam, eandem esse methodum. Quod, quum non modò assererem, verùm & continuò in prima propositata contemplatione monstrarem: præ illius veritate quasi gestientem conspexi. Et quum multæ prætereа aliæ, præsertim verò illæ, quæ ex effectiuarum numero sunt, (eiusce enim generis est, & hæc quæ circa sanitatem versatur) eadem ratione pertractarentur, statim te ad hanc, quam ab initio aggressus fueras, contulisti. Ac, vbi hîc quoq; animaduertisti eandem methodum locum habere, ne hæc quæ à nobis exposita fuerant, è memoria laberentur, referri in commẽtarium efflagitâsti. Ego verò tuo hoc Veritatis Studio allectus, duos confeci, &c. *Medicinã effectiuam appellat.*

Hæc Galenus, qui, vt dixi, Artium, & Liberalium, & Mechanicarum mentionem fecit, vt Medicam Methodum (earundem artium methodum imitatus) institueret, quam facilè posset addiscere veritatis auidus Patrophylus. Semper .n. quoties commodè potest, Galenus exemplis familiarissimis ad rem optimè clareq; explanandam vtitur. Sed cùm in exemplis non requiratur veritas, à vero remotum est, quod Medicina sit propriè loquendo Ars, sed secundùm modum agendi tantùm, & per quandam similitudinem. Et quamquam visus sit Galenus, Medicinam practicam in numero factiuarum collocare, cap. tamen 3. iam cit. Medicinam à merè factiuis prorsùs excludit, aiens: Deinde verò cùm duplices sint, vt monstrauimus, factiuæ Artes; hæc quam inuestigamus, in eis potiùs erit, quæ rem factam corrigunt, quam quæ aliquid priùs non esset conficiant. Sunt enim Artes nonnullæ, quæ res ipsas conficiunt, sicut sutoria, & textoria: aliæ labefactatas, vitiatasue resarciunt, vt illæ quæ vestes corrosas, aut dilaceratos calceos consuunt. Nos verò iam ostendimus fabricandarum quoq; ædium Artem eodem se habere modo: quippe cum nihilominus in illa duo hæc reperiantur munia: etenim & ædes, quæ nunquàm priùs fuerint, erigit: & vitia earum, quæ labefactatæ sint, resarcit. Ostendimus prætereа, necessarium fore artifici ad hæc vtraq; peragenda munera, ædium particulas omnes nouisse, qua substantia constent, qua figura, qua magnitudine, quo numero, atq; etiam quam inuicem compositionem habeant. Quare illi quidem, qui Artem *Exponitur mens Galeni.* *Factiua ars duplex.*

circa

circa humanum corpus versantem constituturus est (sed eos primùm, qui de nominibus quotidiè rixantur, rogatos velim, vt illam mihi Medicinam in præsenti appellare permittant) sanè necessariũ illius partes omnes sigillatim cognoscere, quali (inquam) substantia, qua magnitudine, quali figura, quo numero præditæ sint, quamque inter sese compositionem habeant. Atq; veluti qui extructas iam ædes, sibi exactè, qualesnam sint, cognoscendas proponit, nunquam earum cognitionem, nisi ex dissolutione, resolutioneue assequi poterit: ita nos Corporis humani notitiam ex illius dissectione consequimur. Deus namque, & ipsa Natura instar illius, qui ædes primùm fabricatus est, partes prænorunt earum officijs pro exemplari vsi: nos verò illum, qui extructam domum contemplatur, imitamur. Cæterùm, nisi nos quoq; aliqua Diuinæ illi similem (quoad tamen eius fieri possit) cognitionem attentauerimus, nunquam profectò discernimus, num omnia ad aliquem vsum sint procreata, an etiam nonnulla frustra (etenim vtrumq; in opinionem cadere potest), & præterea quod aliqua potiùs malo sint. Immò ex illo capite ea prodit cognitio, quam nobis de optimè constitutis Corporibus comparamus. Sed de his postea.

Anatomia necessaria Medico.

Deus, & Natura.

Ex his constat Medicinam practicam, & multò minùs speculatiuam, non esse factiuam, sed solùm restauratricem, refectricemue, emendatricemue quorundam errorum corpori humano contingentium: nec eam esse factiuam, nisi impropriè, & ratione præparationis medicamentorum, & quarundam Operationum Chirurgicarum; quæ sanè Scientiæ etiam Speculatiuæ rationem, Medicinæ non adimunt; sicuti nec enumeratio quotidiè à Mercatoribus facta, Arithmeticæ, quam tamen contemplatiuam Speculatiuamue statuit Galenus. Licèt autem Medicus, quatenus Practicus, quasdam Operationes exerceat, non proinde omninò similis est ei, qui dilaceratas vestes, calceosue, aut rimosas ædes reficit: quia verè talis artifex ex se aliquid facit, & operi præexistenti addit. At verò Medicus non addit quidpiam corpori humano, sed natura est, quæ propriè operatur. Medicus verò, vt naturæ minister, ea quæ huius operationes impediunt, quibusdam adhibitis naturalibus præsidijs aufert. Quod autem naturæ operantis Medicus se Ministrum, aut spectatorem frequentius

Medicina non est effectiua, sed resarciens, reficiensue.

præ-

præbeat, ex Galeno constat libro cit. de Cōstitutione Artis Med. cap.21.& vltimo : in quo, quæ in præcedentibus capitibus exposuit, breuiter ille repetit, & hac quidem serie: Quod tibi, inquit, à nobis est confectum, reliquum est & vniuersam Medicinæ rationem per capita resumamus, illiusq; cum cæteris actiuis Artibus comparationem. Igitur Medicina est è numero Artium factiuarum, non tamen vt ædificatoria, vel fabrilis, vel textoria: sed vt ea potiùs quæ labefactatas ædes instaurat, vel dilaceratas vestes consuit. Harum verò, vt monstrauimus, duplex est constitutio: nonnunquàm enim ipse sibi Artifex exemplum confingit, quandoq; autē quod exterius consistit, contemplatur. Medicinam verò nos ostendimus esse in hoc secundo genere, vtpotè, quæ minimè sibi vllum confingat exemplum, sed omnia ex corporis dissectione contemplatur, & subinde, siquid vitiatum sit, corrigere conatur. Sed hoc differt ab alijs Artibus, quod maxima ex parte naturæ operanti ministram præstat: tamen Medicus vniuersam eam contemplationem, vnde ipse excitatur, vt minister correctorue euadat, similem habet cæteris omnibus factiuis artibus: qui & similarium partium substantiam nouit, & modum generationis instrumentariarum, pariterq; affectus inuenit, scoposque præterea eorum curandorum inuestigat.

Medicina est ars factiua, sed impropriè.

Nota hæc.

Licèt vltimis his verbis videatur Galenus velle Medicinam esse factiuam, non obscurè tamen antea protulit, Naturam esse, quæ operatur, Medicinam verò maiori ex parte se ministram exhibere naturæ. Quod idem est, ac si diceret, Naturam in ægris sanisq; propriè operari, tum ad conseruationem, tum ad restaurationem Sanitatis, Medicinæ finis; à cuius notione suam constitutionem Medicina est sortita, vt loquitur Galen. in calce capitis 20. libri de Constitut. Art. Med. Hæc sententia est doctrinæ Galeni congrua: & præsertim in Opere de Crisibus, vbi docet, ob ægri, aut Medici ignorantis errores, crises quandoq; à natura non moliri. Agnoscit.a. Galenus naturam, causam sanationis præcipuam; quum ea sit, quæ causam morbificam in corpore concoquat, excernatque. Naturam esse, quæ morbos curat, testatur Diuinus Hippocrates lib. 1. de victûs ratione, dum ait: Ars Medica, ab eo quod molestum est liberat, & id ex quo quis ægrotat auferendo sanitatem reddit. Idem & Natura facere per se nouit. Eandem

Natura morbis medetur.

Medicina morbos aufert: natura pariter, ex Hippocrate.

dem ſententiam habet Hippocrates, lib 6. Epidemior. aiens: Morbis naturæ medentur: vel conformius textui Græco: Naturæ Morborũ Medici. Græcus enim textus ſic legitur: Νούσων φύσιες ἰητροί, ideſt, Morborum Naturæ Medici, aut Medicæ. Cùm autem Natura ſanitatis gratiâ omnia moliatur in nobis, ipſi omnia ſalutis gratia accepta referre oportet: Eſt enim Natura, quæ morbos, morbiq; cauſas indeſinenti conatu profligat: Ipſa eſt, quæ humores ſuperfluos concoquit, ſeparat, & paulatim, aut criticè excernit. Sententiæ Hippocratis ſubſcribit Galenus lib. ad Thraſybulum (non de optima Secta ad Thraſybul. ſed libro, cui titulus, Galeni Ars tuendæ ſanitatis, num ad Medicinalem Artem ſpectet, an ad exercitatoriam? liber ad Thraſyb.) cap. 26. quod caput dignum eſt huc transferatur: Quemadmodum enim, inquit, ſi ab initio nos confeſtim animal creare potuiſſemus, non alia quidem vlla ratione eius primam formationem inſtituiſſemus, alia vero emendationem adhiberemus: aut ſecùs poſtea, quàm neutrum horum nos primi efficimus, ſed natura eſt, & primaria animalis opifex, & in præſentia ægroto ſanitatem comparat, non alia profectò ratione, carnem prius generauit, alia verò nunc: neq; quidem ratione fœtui, alia in præſentia in lucem edito, alimentum ſuppeditat, verumetiam ſimiliter nunc operatur, alit, digerit, excernit, omniaq; vt ſemel dicam, in præſentia, vt priùs, eadem ratione miniſtrat. Medicum autem Naturæ eſſe Miniſtrum, primariamq; eſſe illius Artem quandam, ac ritè celebre eſſe dictum illud: (Hippocratis eſt hæc ſententia Libro de Alimento) Natura in omnibus auxiliatur: quin etiam naturam morbos iudicare, naturas morborum eſſe medicatrices (eſt ſententia paulò ante citata, & tranſlata ex lib. 6. Epidem.) à priſcis Sapientibus abundè tradita, quid ego iterum ſuperuacuè repetam? quod enim in præſentia vtile eſt, in memoriam tantum reuoco, non alterius Artis eſſe, Opus facere, alterius vitiatum corrigere, ſeu eiuſdem. Quod ſi & non eiuſdem, at ſupra, Medicinam oſtendimus, non artis veſtes facientis, aut nullam, quicquam quod prius non eſſet, procreare, ſed artis laceras tritaſq; veſtes ſarcientis aſſimilem. Explicauimus item conſeruationem eſſe duplicem, alterumq; genus, ſub quo & præſens de tuenda ſanitate, tractatio reponitur, parum labefactata corrigere: idque multos ſubterfugit, tanquam ſit à Curatiuo differens genus. Hactenus Galenus.

Natura morborum Medici.

Natura animal procreat, ægrumq; ſanat.

Natura omnes operationes edit.

Medicus naturæ miniſter.

Natura in omnibus auxiliatur.

Quo-

Quoniam hoc Caput aureum est, quod grauissima doctrina refertum sit, paulò attentiùs expendendum. Statim Galenus docet, in potestate Medici non esse hominem efficere aut effingere, siue efformare, imò nec defectus in eum cadentes emendare; sed talia opera ab ipsa natura dependere, à facultate videlicet formatrice, alteratrice, & cæteris deinceps famulantibus. Sed Natura, inquit, est, & primaria animalis opifex, & in præsentia ægroto sanitatem comparat. Hanc sententiam probat; quia in principio formationis fætus in vtero, facultas nutrit ua est, quæ carnem generauit: & est eadem nutrix, quæ carnem hominis in lucem editi ad mortem vsq; regenerat. Quotidiè autem, vt in nostra docuimus Physiologia, triplex substantia, spirituosa videlicet, humoralis, & solida, quibus homo quiuis constat, resoluitur, dissipaturue; quam deinde nutrix, suis quatuor famulatricibus adiuta, reficit; non aliter, ac in principio formationis fætûs, & antequam hic in lucem emitteretur. Nec vniuersum Corpus inanitũ aut extenuatum, solummodò natura reficit, sed in vlcere, aut vulnere, carnem deficientem regenerat, & solutionem continui reunit. Nec solùm in principio ad ætatem vsque adultam fætum adauxit facultas auctrix, sed partes morborum vi diminutas rursùs adauget. Nemo tam insanus est, qui hæc negare audeat: cùm quotidiana experientia moniti dictas Naturæ operationes manifestè conspiciamus. Vnde rectè hæc protulit Galenus: Neque alia quidem ratione Fætui, alia in præsentia in lucem edito, alimentum suppeditat, verumetiam similiter nunc (idest postquàm Fætus in lucem editus est) operatur (Natura scilicet) alit, digerit, excernit, omniaque, vt semel dicam, in præsentia, vt priùs, eadem ratione ministrat. Commentario autem 2. in Lib. 1. Epidem. text. 45. qui sic habetur (Coctiones celeritatem portendunt iudicij, securitatemque salubrem.) exponens, ait: Etenim siquæ probè à Natura fiunt, vult imitari Medicus. Concoctiones autem Naturæ opus sunt, clarum est eas, celeritatem iudicij, & securitatem, & sanitatem significaturas. Galenus etenim Medicum, vt Naturæ Ministrum, & Imitatorem vtilem esse docet; & quidem authoritate Hippocratis, Lib. 1. Epidem. vbi inquit: Ars his tribus constat, morbo, ægro, & Medico Artis administro. Galenus ipse in Comment. huius sententiæ, loco Artis, dicit in quibusdam exemplaribus

Coctiones sunt boni ominis.

Ars tribus constat, Morbo, ægro, & Medico, aut Natura.

ribus Operum Hippocratis, reperiri, Naturæ. In multis itaq; inquit, est exemplaribus scriptum, Medicus Artis administer, in quibusdam, non Artis, cæterùm scriptum est, naturæ. Sed deinceps ostendemus, quomodo Medicus Naturæ minister dicendus. Nunc prosequamur expositionem Capitis traducti 26. libri ad Thrasyb. in quo Galenus, vt probet, Naturam morbis mederi, doctrinam Hippocratis, & reliquorum Sapientum, in medium profert. Et præter sententiam iam allatam ex lib. 1. Epidem. aliã, quæ apud Hippocratem libro de Alimento legitur, in medium adfert, veluti tertiam iam antea citatã, quæ habetur lib. 6. Epidem. prout parenthesi superiùs textum Galeni scribens, comprehendi.

Galenus sub finem capitis, Medicinam arti laceras tritasq; vestes resarcienti, non verò arti vestes facienti, comparat: quia ars vestes faciens aliquod nouum opus producit; Medicina autem nihil tale efficit, sed resarcit, reficit, atq; emendat defectus varios, quibus humana corpora, leuiter grauiterue, infestantur; eodem fermè modo, quo ars illa, quæ laceras vestes resarcit.

Medicinæ Practicæ munus.

Non solũ Salubris Medicina sed Curatrix, Cõseruatiua dicitur.

Salubris Pars leuiora errata, Curatrix grauiora corrigit.

Hygieines & Curatricis idem finis Sanitas.

In dicti Capitis calce Galenus doctrinam exponit obseruatu dignam. Ait enim, se explicuisse, duplicem esse hominis conseruationem: cuius vnum genus tractatum de sanitate tuenda complectitur: alterum, curationem: docetque, genere non distingui Salubrem, & Curatricem Medicinæ partes; quia vtraq; Pars errores Corporibus contingentes, vt potest, aufert: Salubris autem leuiora errata; Curatrix verò grauiora; morbum videlicet patenter lædentem actiones, morbi, causam, & Symptomata. Salubris verò dispositiones, morbũ minantes, præscindit, & auertit; corporiq;, ne à morbis corripiatur, robur addendo, prouidet. Cùm ergo vtriusq; Partis Medicinæ finis, sit Sanitas, rectè conueniunt, & vnã conflãt Scientiam, quãquàm diuersis vijs sanitatis integritatẽ procurent. Quod a. pari modo corporis sanitatem solicitent, testatur Gal. eodẽ cit. lib. ad Thrasyb. cap. 20. vbi in calce habet: Vtrumq; enim vitium ars vna modo vno emendat, quod deficit scilicet, instaurans: in quanto vero, non in quali, emendationis differentia versatur. Hæc autem ideò dixit, quia minora, paucioraque medicamenta à Medico ad Sanitatis conseruationem in statu saniori, quàm in morboso præscribuntur. Sed ne Sectio hæc in immensum crescat, sequenti Sectione quædam desideranda exponam.

SECTIO III.

An ſola Natura eſt, quæ ſanat?

DIximus cum Hippocrate, & Galeno, locis in antecedenti Sectione citatis, Naturam morbis mederi; adeoque principium actionis, & operis medendi in ipſo homine ſano, aut ſanabili, non verò in Medico, conſiſtere. Galenus autem lib. 3. de Criſib. cap. 1. manifeſtè docet, bonam Criſim à natura fieri: De prima igitur, inquit, quæ repentè fit, permutatione dicamus, quoniam omnium, quas ante diximus, optima eſt; atq; ideo ipſam per excellentiam, Criſim nominant, quoniam naturâ, quæ præter naturam ſunt, ſuperante, exquiſitè perficitur. Cicero 3. Tuſculan. Quęſt. Hippocratem ſequutus, docuit, ad Corporum ſanationem multum ipſa corpora, & naturam valere. Celſus, oculos naturæ ſpontè ſæpiùs curari ait, poſtquàm irritus fuit medicamentorum vſus. Et præterea inquit: In nullo quidem morbo minus natura ſibi vendicare, quàm ars poteſt, vtpote cum repugnante natura, nihil Medicina proficiat. Poſtquam Galenus comment. 3. in librum Hippocratis de Alimento, exponens verba hęc (Natura ſufficit omnia omnibus.) monuit, Ariſtotelis, & Theophraſti ſcripta eſſe veluti commentaria in Phyſiologiam Hippocratis, nonnulla de natura, iuxta Hippocratem, & iam citatos Authores, veluti theoremata proponit, rurſuſq; naturæ encomia abundè exponit: Eraſiſtratum verò reprehendit; quia lienem ſine cauſa factum eſſe credidit, licèt Hippocratis, Ariſtotelis, & Theophraſti vnicam inter plures admiſerit ſententiam, quæ huiuſmodi eſt: Natura alicuius rei cauſa facit omnia, & nihil fruſtra. Aſclepiadis temeritatem vlteriùs reprehendit, quòd fortuitò, vt Eraſiſtratus, quædam fieri crediderit; de cuius ideò temeritate ſic loquitur Galenus: Si verò cauſam diſcat, cur nihil fruſtra factũ ſit, & omnia in corpore ad vſum vergant, vel ex eo naturæ in animalibus, & prouidentiam, & artem credet. Quare Hippocrates, vt qui primus naturæ opera nôrit, hanc admiratur, & perpetuò prædicat: vt & iuſtam nominet, & ſolam animalibus ad omnia ſufficere dicat: & ipſam ex ſe ſine doctore, quæ opus ſunt, efficere. Si verò naturæ prouidentiam ac ſapientiam quiſpiam velit

Criſis eſt opus naturæ, non Medici.

Cicero, & Celſus naturæ magnam vim tribuunt.

Aſclepiadem & Eraſiſtratũ reprehẽdit Galenus.

Hippocrates primus opera naturæ nouit.

accuratè cognoſcere, id poterit percipere, ſi in diſſectionibus (corporum) ſpectet & conſideret, iuſtène, an ſecùs, ſuas portiones omnibus partibus diſtribuerit: ſed alijs maiores, alijs minores ſit impertita; quantæ nimirum ſatis erant æſtimata accuratè cuiuſq; dignitate, alij maiorem, alij minorem portionem tribuit: vnicuiq; verò tantam dedit, quantam tribui erat æquiſſimum. Sic Hippocrates vocat Medicum Naturæ adminiſtrum, eum, inquam, qui reuerà Medicus ſit, non Pharmacopolam quendam de triuio. Hic enim (Pharmacopola ſcilicet) tantum abeſt, vt meritò naturæ adminiſter appelletur, vt potiùs inimicus & aduerſarius naturæ, atque ægrotantium, nuncupari iure debeat. Perinde .n. par eſt efficere Medicum, vt naturam ſemper facere intuemur. Ipſa enim innumerabiles machinationes conſeruandorum Corporum cauſa adinuenit, cùm quaſdam partes circumueſtierit, ac clauſerit, ne quid exteriùs exuperet: quaſdam perforârit, & dilatârit, canaleſq; induxerit, quibus modo alimentum, modò refrigerationem, ſpiritumq; traherent: ſimul etiam excrementa per alios craſſa, per alios tenuia extruſerit. Omnem profectò de Vſu partium ſcriptionem huc imprudens transferam, ſi omnia naturæ opera deinceps recenſeam. Haud igitur mirabile eſt, ſi ait, Naturam omninò ſufficere. Naturæ enim, vt ipſe libro 6. Epidem. ſcribit, ſunt Morborum Medicæ: propterea quod ſi natura ad animantis ſalutem molitur omnia, conſentaneum etiam eſt, ab ipſa Principe morbos curari, aut dum copioſum ſudorem effundit, aut per vrinam, aut per aluum, aut per vomitum humores noxios excernit. Id autem ſæpè fieri cernitur ab ea Potentia, quæ in corporibus ineſt, quæ ab ipſa gubernantur, quam Hippocrates Naturam appellare conſueuit. Hanc quidem & indoctam, & non didiciſſe ait, ſed tamen efficere, quæ oporteat: Siquidem ipſa ſine Magiſtro nouit, motus voluntarios ab omnibus effici animantibus. Hæc autem effici nos euidenter cernimus: quomodo autem fiant, hoc verò humanum ingenium ſuperat; nec magis quicquam, quam admirari, poſſumus intelligere. Ac natura omni tempore in animali admirabilia commenta machinatur, &c.

Medicus qui verè talis eſt, nõ Pharmacopola è triuio, eſt Naturæ Miniſter.

Pharmacopola naturæ inimicus.

Natura omninò ſufficit corpori medẽdo & effingendo.

Natura morbos curat, per varias vias euacuãdo.

Magiſtro non eget natura.

Præter iam dicta, nonnulla alia in laudem Naturæ Galenus eodem cap. protulit. Simili cum admiratione de natura loquitur Galenus lib. 6. Epidemior. comment. 5. ſtatim in limine, expo-

nens

nens verba hæc:Morborum Naturæ Medicæ:præter Naturam tamen, Medicinam ille admittit, his verbis: Et nunc igitur semel de natura sermonem faciam, & quare ipsam morborum esse curatricem Hippocrates asserat, & quod ab hoc decreto nequaquam Artem Medicam euerti, tollique contingat. Tu verò, qui hæc nostra commentaria euoluis iam mihi orationē exordienti animum aduerte. Morbos ab alimento, congruenti qualitate, & copia, in tempore exhibito, ab humido fomento, à cataplasmatis, à Clisteribus, à venæ sectione, & à quibusq; id genus alijs, propulsari si quis dicat, non vtiq; mentietur, sicut neq; ille, qui à Medicis morbos curari asseueret, nec qui Artem Medicam laborantium sanatricem esse testetur. Quemadmodùm verò hæc prædicans, vt mendax reprehendi non poterit, eadem sanè ratione, neq; ille, qui naturam seruandi animalis causa omnia administrare existimet. Hoc verò, & illud consequitur, eam primam languoribus mederi, & maximè cùm euidenter hominem sanat, sudorem copiosum profundens, aut per lotium, aut per deiectiones, aut per vomitus, infestos humores eijciens. Quodnam igitur dignitate primarium sit, quod secundas, quod tertias habeat inter hæc omnia, quæ sanitatem facere diximus, contemplari conuenit, eò etiam magis, quòd, & alia quædam, per quæ morbi curantur, accedunt, quorum omnium pro dignitate ordinem internosse præstiterit. Nobis verò enim melius dici videtur, & Naturam morbos medicari, rectè verò, & Artem Medicam, & Medicum: verè quoq; & eius ministrum, & Venæ scissuram, & per ipsam factum sanguinis profluuium, &c.

Vltra natura opera Medicina est vtilis.

Medicina morbos propulsat.

Natura sanat.

Et hoc in contextu, & in altero præcedenti, ac alibi passim, Galenus Hippocrati, Aristoteli, & Theophrasto adhærens, debitam vim naturæ concedit, quæ hominem efformat, rursùs enutrit, & auget, ab iniurijs omnibus quibus potest modis defendit, conseruat, deniq; & reficit, atq; restituit. Adeò enim doctè tres citati Authores Naturæ opera, Hippocratem sequuti, scrutati sunt, vt multi cum admiratione ipsorum doctrinam euoluere cupiuerint. Vnde Eusebius lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 28. de ijsdem hac serie loquitur: Aristoteles, & Theophractus ab his in admiratione habetur: Galenus verò à nonnullis eorum adoratur. Cæterùm, etsi compertum sit, Naturam morbos curare, Galenus cum anti-

Opera Naturæ.

Aristotelis, Theophrasti, & Galeni veneratio apud multos.

antiquis Medicinam admittit, quæ etiam Sanitatem conseruat, & reficit: Sed secundariò, & minus præcipuè. Nam sæpissimè se solâ, nullo aliunde suscepto auxilio, natura morbos sanat: aliquoties autem succumbit, & fatiscit adeò, vt à morbo victa homo intereat: Aliquando Medicinæ industriâ æger à morbo liberatur, & Sanus euadit: secundariò tamen, vt dixi; quoniam iuuando naturam Medicina morbos abigit. Natura autem est, quæ semper ægros curat, atq; reficit; quia tamen se sola quandoq; morbi vehementiam sustinere non potest, aut superfluos humores imparatos præparare, aut coquere, vt rursùs deturbentur, quibusdam eget suppetijs, quas Medicina subministrat, & Medicus Naturæ minister peritè porrigit. Itaq; verum est semper Naturam morbis primariò mederi, Medicum verò, dum auxilium porrigit, secundariò; tertio autē loco ministros, quibus imperat Medicus, vt est ille, qui venam scindit, qui clysterem inijcit, qui cucurbitulas affigit, qui scarificat, quiq; aliud opus circa ægrum ex præscripto Medici patrat. Infimum locum nobilitatis occupant herbarij, metallorum effossores, coquus alimenta præparans, textor, qui vestimēta, stragulas, linteamina, & consimilia, quibus vtitur æger, contexuit; ædificator, qui domum ægro necessariam è fundamētis excitauit, & perfecit: faber ferrarius, qui scalpella, clisteres, specilla, forfices, & alia multa instrumenta Medico necessaria fabricauit.

Natura primariò, Medicus secundariò sanat. Multi Ministri Ægris in sua Arte prosunt.

Quoniam aliquis dicere posset, Coquum, & alios artifices, æquè benè, ac Medicum, Naturæ ad sanitatis recuperationem aliquid conferre, Galenus huic obiectioni obuians, eam sequenti serie diluit. Fortassis autem quispiam putauerit, & coquum aliquid conferre, & textorem, & ædificatorem, & ferrarium fabrum, & alios quosdam artifices, quorum opificijs vtimur, ad eorum ministrationem quæ hominibus sanitatis causa præparantur. Verùm (Obiectionem sic soluit) istorum, quædam auxiliorum materiæ, non auxilia sunt. Nonnulla verò instrumenta auxiliantibus idonea, sed tunc auxilia fiunt, quando in tempore, atq; vt decet, ea Medici applicant. Nam vinum ægrotis propinatum, si iuuerit, eius propinatio auxilium est: at si importunè oblatum, delirium, Phrenitida concitet, tunc morbifera, non salubris causa, neq; auxilium fuerit. Quis igitur est faciendi auxilij auctor?

Dubio occurritur.

Vinum tempestiuè datum, aut intēpestiuè.

occa-

occaſionis ſcilicet inuentor. Quo nomine autem hunc Græci appellant? nonne & hoc hominibus patet, Medicum ſcilicet ipſum appellari? Quapropter Medicus Vino potior eſt ad naturalem factitiamque Sanitatem (ſiue ad ſanitatis tum cuſtodiam, tum creationem.) Etenim vinum in tempore exhibitum, & temperanter epotum rectè valentibus prodeſt: Languores autem, cùm opus eſt, aſſumptum diſcutit. Cæterùm Medicus non quod animal ſit, aut pedeſtris, aut bipes, aut rationis particeps, aut ciuilis, eò cuiuſq; materiæ tempus idoneum, ac modum nouit, ſed quoniam artem Salubria atque morboſa diſtinguentem addidicit: Nam ſi per illa hæc noſſet, omnes planè homines eandem callerēt Scientiam. Quare dignitate prior Medicis Ars eſt, per quam Medici fiunt; nam eius vi illi vtentes, morbos pellunt. Sed quam rationem materia, atq; inſtrumenta ad Medicum, eiuſq; Artem, eandem ipſe rursùm atque ars ad eius, qui curatur, naturam habent. Illa namque eſt omnia congruentia in animalium corporibus faciens: & alens quidem, cum alimento opus eſt: ſibi autem ſanguinem præparans, per quem alimenti egenas particulas nutriat: atq; iterum, vt ſanguis ipſe creari poſſit, cibum in ventriculo præparans, atq; conficiens. Quod ſi deuorata cibaria, neq; rectè concocta ſint, neq; digeſta, neq; in ſanguinem verſa, neq; alendarum partium vim inuenerint, ſtatim mehercule, neque corporis noſtri alimentum fuiſſe dicentur. Quemadmodùm verò ad nutriendas partes refectionis egentes ipſas nutriens facultas longè princeps cauſa eſt, eodem ſanè pacto & ventriculi vis ad cibos concoquendos, & iecoris, venarumque facultas ad concoctum in ſanguinem conuertendum, ſeſe habent.

Inuentor occaſionis eſt author faciendi auxilij: iſque Medicus appellatur.

Vinū tempeſtiuè exhibitum prodeſt.

Medicina Medico nobilior.

Verùm enimuerò cuncta me Naturæ opera particulatim nunc recenſere neceſſe non eſt. Nam memoria repetere ſatis fuerit, in Commentarijs de Naturalibus viribus (ſeu facultatibus) omnes Naturæ communes facultates fuiſſe explicatas, numero quatuor, quibus animal regens, omnia molitur, ac perficit, primam quidē propriorum attractricem: Secundam verò, horum ipſorum commutatricem, & concoctricem: tertiam, vtilium retentricē: & quartam, alienorum expultricem. His itaq; poteſtatibus non modò ſanum animal tuetur, ſed etiam ægro ſanitatem reſtituit. Et ex his abundè conſtat, quantum ſanitatis effectrices cauſas natura

Quatuor facultates naturales animal regentes.

digni-

dignitate antecellat. Omnia enim reliqua materiam ipsi parant, & suggerunt; quemadmodùm exterius quoq; artem aliam alij ministrantem videmus. Textori namq; radios textoria, & pectines lignarius faber molitur: huic verò ligna, materiæ excisor: securim item, & dolabram ferrarius artifex: ferrario autem ipsi ferrum metallorum effossor comparat: rarumque est artem effectiuam inuenire nulla alia egentem, quæ aut instrumenta fabricetur, aut materiam operi idoneam reddat. Ita sanè, & Medico multæ Artes aptas materias præparant: perinde vt ipse rursùm naturæ cum quibusdam ministris suppeditat. Quam enim proportionem Architectus erga ædificatores, lignariosq; fabros, & alios, quibus imperat, artifices, eandem, & Medicus erga ministros suos gerit. Isti verò sunt Herbarij, Vnguentarij, Coqui, Cataplasmata adhibentes, humore conspergentes, clystere suffundentes, scarificantes, venam scindentes, cucurbitulas affigentes. At si nos etiam hæc didicimus, & facimus, perinde facimus atq; gubernator nauigandi peritus, & facilè summum malum conscendere valens, & omnia alia naturarum munera cognoscens, & exequens. Etenim multi Imperatores sæpe, & arcu vti, & iaculari, & pugnare gladio, hastaq; sciunt, & faciunt; & Reges pariter: sed non vt Rex, vt Imperator erat Alexander Macedo, aut eius Pater Philippus, sed per alias artes Imperatoriæ, atque Regiæ inseruientes hæc militaria munera obibant. Itaque, & Nos, vt Medici, cuiuscunque auxilij qualitatem, quantitatem, occasionem, & vtendi modum cognoscimus: vt ministri verò, venam rescindimus, & cucurbitulas admouemus, & reliqua manibus operamur. Dignitate igitur Ars Medica Medicis præstat, Medicus Arti seruienti (.i. arti Ministrorum,) illa (idest ars ministrorum) ministris; ministri artibus sibi instrumenta materiasq; parantibus; illæ artificibus per ipsas agentibus; artifices verò præparatis materijs, atq; instrumentis. Conuerso igitur ordine firmioris notitiæ, atq; memoriæ causa, enumerandis artibus accidit, ad seruandam efficiendamq; sanitatem, nobilitate vltimos esse, qui nobis clysteres, scalpella, specilla, forfices, & reliqua Medicæ Artis instrumenta fabricantur. Cum his, & eos qui materias præparant (qui scilicèt cibum & potum parant,) quos radicum excisores, & herbarios vocant: nec non, & qui ex metallis effossa, aliaq; id genus, præbent: supra hos ve-

Multæ artes materias Medico præparant, & rursus ille suppetias naturæ morborum medicatrici adfert.

Comparatio Medici ad suos ministros.

Medicus quatenus operatur, nō Medicus, sed minister Medici nominandus.

Medici & nō ministri est auxilij cuiusuis qualitatē, quantitatē occasionē, & modum vtendi cognoscere.

Ministri munus.

Ignobiliores artifices rei medicæ.

verò, ipsorum artes, supra quas, & Ministros Medicorū: his quoq; superiorem ipsorum Artem: ea superiores, Medicos esse: Medicis Artem Medicam, quæ rursùs naturæ ministra est. Atqui inter ipsius naturæ facultates nōnullæ quidem primariæ sunt, per quas scilicet animal in vita seruatur, summam nobilitatem ad optimam corporis vitam possidentes. Optimam autem vitam nomino, quæ in sanitate videlicet agitur, praua enim in morbis vita est. Alteræ verò sunt istarum ministræ facultates, deinde illarū item aliæ. Itaq; posteaquam hoc in sermone Artes omnes, ac potestates, Sanitati, vitæq; necessarias, nunquam alibi eas prosequutus recensere constitui, neq; regentium nos potestatum dignitates adijcere me piguerit. Primæ igitur sunt Salubrem animanti moderationem, in quali, & quanto conseruantes. Cùm enim Corporis nostri substantia, nec magnitudinem, nec qualitatem eandem retineat: sed magnitudo per sensus latentem exhalationem dilabatur, qualitas verò temperatura semper variante, permutetur, non ab aëre solùm ambiente, sed etiam ex nobis, quemadmodum in Libris de Tuenda Sanitate explicauimus: ad magnitudinem sarciēdam altrix potestas in nobis inest: ad qualitatem corrigendam, & respiratio, & per totum corpus difflatio, comparatæ sunt. Sed cùm nutriendæ partes, idonea ac propria materia egerent, alia quædam in nobis vis inest, quam haud alienum fuerit, breuis ac dilucidæ doctrinæ causâ, sanguificam nominare: cui rursùm alia vis (siue facultas) præsto est in ventriculo, concoctrix scilicet. Omnibus autem dictis viribus (siue facultatibus) communes aliæ quatuor sunt, quas paulò ante memoraui, & clarioris doctrinæ causâ proprijs nominibus appellaui, attractricem scilicet, retentricem, commutatricem (.i. concoctricem) & expultricem. Hæc igitur vos meminisse dignum puto, illud scientes, me hoc loco tantùm hunc sermonem fecisse, naturam omnium artium ad medendum primariam, atq; potissimam esse declarantes.

Medicina naturæ ministra.

Optima vita in sanitate agitur, in morbis verò praua.

Conseruatrix medicina valde necessaria est, & quare.

Nutrix facultas magnitudinem amissam resarcit: respiratio, & trāspiratio natiuū seruāt calorem.

Sanguifica facultas in hepate, coctio in vētriculo fit.

Quatuor facultates famulātes nutrici.

His vltimis verbis necessitatem propositæ nunc doctrinæ confirmat Galenus, & quemadmodùm diximus, adhuc repetit, quod sæpius docuit, Naturam primariò ægris æquè, atq; sanis, ad sanitatis conseruationem, & emendationem, auxiliari: secundariò autem penès Medicum stare auxilium sanis ægrisq; porrigere: Tertio loco Ministri Medici auxilium à Medico præscriptum porrigunt; vel

Natura primariò, secundariò Medicus, tertio loco ministri, auxilium præbent.

vel Medicus ipſe Miniſtri officio fungi cupiens, manu propria quæuis auxilia, iuxta regulas Medicas præſcripta propinat, & celebrat. Cæteri omnes artifices, vel materiam auxiliorum, vel inſtrumenta idonea ad auxiliorum celebrationem ſubminiſtrant: nequaquam autem auxilia ſuppeditant; cum ad ſolum Medicum doctrinâ Medicâ probè inſtitutum, Methodus præſcribendi appoſitè auxilia quæuis, Sanitatis ergò, ſpectet.

Hinc conſtat, quàm inuerecundè, & impudenter Medicos ſe iactent quidam Chirurguli, & Pharmacopæi, præſertim in Gallia, in qua, ob Iudicum innumeras cateruas, ſimilibus homuncionibus liberè permittitur Medicinam, quam ignorant, exercere; Medicis detrahere, & Medicorum formulas, ſiue recepta, ad libitum emendare, vel abbreuiare. In Italia autem, & Hiſpania, ſumma cum prudentia, Medicis omnis Medendi prouincia Principum decreto committitur; & cuiuis omninò nefas Medici munus exercere, niſi expreſſo Medicorum Diplomate idipſum fuerit conceſſum. In Gallia, vt dixi, dummodò Pharmacopola, & Cheirurgulus, quoſdam habeant amicos, vel pecunias, ad lites contra Medicos protrahendas, numeroſas habeant, vtriq; vtriuſq; & Medici ſimul officio fungi impunè licebit: cùm hi merè Miniſtri Medicorum, & non Medici dicendi. Verus enim Cheirurgomedicus dicitur ille, qui Solutioni continui, luxationibus, tumoribuſq; præter naturam, iuxta Medicinæ præcepta, mederi nouit: qui verò manum operi adhibet, ſiue fuerit idem Medicochirurgus, ſiue alter, non ampliùs Medicochirurgus, ſed huius miniſter dicendus erit. Pharmacomedicus itidem dicendus ille, non miniſter qui medicamenta præparat, ſed qui hæc ipſa in debita qualitate, quantitate, occaſione, & conuenienti modo ſiue forma, præſcribere nouit: quæ cùm communes Chirurgulos, & Pharmacopæos lateant, hi, ſiquid medelæ ægris adferunt, vt Miniſtri, non vt Medici, idipſum efficiunt: Quod in contextu iam antea allato teſtatur Galenus, dum ait, Medicum ad miniſtros, alioſq; artifices materiam, aut inſtrumenta ſuggerentes, ſe habere eo modo, quo Architectus ad Lapidarios, alioſq; quibus imperat. Præterea, inquit, Morbos ab alimento, congruenti qualitate, & copia, in tempore exhibito, & ab humido fomento, à cataplaſmatis, à clyſteribus, à Venæ ſectione, & à quibuſq; id genus alijs, propulſari ſiquis dicat, non vtique mentietur,

Chirurguli ſeu potiùs Barbitonſores, & Pharmacopæi, ſe Medicos fingunt.

Chirurgomedicus.

Pharmacomedicus.

ſicut

ſicut neq; ille, qui à Medicis morbos curari aſſeueret, nec qui Artem Medicam laborantium ſanatricem eſſe teſtetur. Et quibuſdam interpoſitis dixit: Verùm iſtorum, quædam auxiliorum materiæ, non auxilia ſunt; nonnulla verò inſtrumenta auxiliantibus idonea, ſed tunc auxilia fiunt, quando in tempore, atq; vt decet, ea Medici applicant. Nam vinum ægrotis propinatum ſi iuuerit, eius propinatio auxilium eſt: at ſi importunè oblatum, delirium aut phrenitida conciter, tunc morbifera, non ſalubris cauſa, neq; auxilium fuerit. Quis igitur eſt faciendi auxilij auctor? occaſionis ſcilicet inuentor. Quo nomine autem hunc Græci appellant? nonne & hoc hominibus patet, Medicum ſcilicet ipſum appellari? Pluribus interpoſitis rursùs in hæc Galenus prorũpit verba: Itaq; & nos, vt Medici, cuiuſcunq; auxilij qualitatem, quantitatẽ, occaſionem, & vtendi modũ cognoſcimus: vt miniſtri verò venã reſcindimus, & cucurbitulas admouemus, & reliqua manibus operamur.

Quatuor in remedio conſiderãda.

Quomodo, quæſo, Pharmacorum confectores, aut Chirurguli, ſeu potiùs Barbitonſores, vt tales, Medici munus dignè obire poſſunt, ſi ciborum, & medicamentorum qualitatem, quantitatem, occaſionem, & propinandi modum ignorant? In his porrò quatuor medẽdi cardo conſiſtit: ad quorum integram intellectionem, non Medicinæ tantùm, ſed vlteriùs Philoſophiæ cognitionem habere eſt neceſſe. Cibi enim, & remedij qualitates neceſſariò præcognoſci debent; quia contraria contrarijs curantur, & ſimilia ſimilibus conſeruantur. Si .a. calida laboret intemperie corpus, alimenta, ſimul & remedia oppoſita qualitate vigentia, adminiſtranda ſunt. Ergo cùm frigus calori opponatur, & duo contraria in eodem ſubiecto cohabitare nequeant, tunc remedia refrigerantia ad ſuperflui caloris remiſſionem ſcientificè à Medico præſcribuntur. Nec ſolùm primarum qualitatum, ſed ſecundarum oppoſitio à Dogmaticis, veriſq; Medicis obſeruatur: ita vt ſi compertum fuerit in corpore redundare humorem craſſum, & viſcidum, ac lentum, methodicè debeamus remedia præſcribere oppoſitis qualitatibus dotata: Atq; adeò craſſis attenuantia; viſcidis incidentia, & lentis, vtpotè tenaciter hærentibus parti, vel partibus aliquibus, detergentia ritè opponemus. Et quoniam quæ craſſa ſunt, aut viſcida, obſtructiones pariunt, ductus nimirum & meatus infarciendo, & occludendo, aperientia inſuper remedia præſcri-

Contraria contrarijs curantur.

Exempla contrarietatis.

ſcribemus. Item, ſiquæ in corpore partes indurantur, emollientibus recreantur; veluti vice verſa indurantibus, dum præter modũ aliquæ partes emolliuntur. Et ita in reliquis obſeruandum.

Remedij quantitas obſeruãda. Non ſufficit, remedium ægritudini qualitate oppoſitum, ſed præterea debitam eiuſdem remedij quantitatem, rem prorſus arduam & perdifficilem ſcire.

Forma medicamenti ægro grata eſſe debet. Nec hîc ſolum ſiſtendum, ſed præter qualitatem, & quantitatem remedij, congruentem exhibendi modum Medicus ad ægri electionem ſeligere debet. Sunt quidem nonnulli, quibus medicamenta in forma potionis non placent, in forma Pilularum, aut Boli, aut Pulueris, arrident: Et è contra alijs quibuſdam in forma liquida, quàm ſolida, gratiora ſunt remedia.

Occaſio, ſiue tẽpus propinandi remedium ſedulò notanda. Quartum verò cognitu difficillimum, aut ſaltem inuentu arduum, eſt occaſio, ſiue articulus temporis quo auxilia quæuis, vnumquodq; ſuo tempore, & ordine celebrari debent. De difficultate ex occaſione emergente vigilanter Hippocrat. lib. 1. aphor. aphor. 1. monuit; Occaſio præceps; experimentum periculoſum: iudicium difficile. Legenti Galenum in dicti Aphoriſmi commentario, apparebit, quàm arduum ſit occaſioni correſpondere, experimento vti, & iudicio: cum tamen experimentum, & iudicium ſiue ratio (Iudicium ibidem pro ratione accipitur, vt teſtatur Galenus) ſint duo fontes, è quibus Medicina eruitur. Artem verò ipſam hac ratione (inquit Galenus) arbitror longam exiſtimare, quoniam omnium ferè operationum particularium occaſionem habeat momentaneam, & ob id difficulter cõprehẽſibilem: vt nemo eam poſſit cognoſcere, niſi qui diu in hac fuerit exercitatus.

Duo inſtrumenta inueniendi artes, Experientia & iudiciũ. Et cùm duo ſint inſtrumenta ad artes inueniendas neceſſaria: alterum, ſcilicet experimentum, periculoſum eſt: alterum verò, ex ratione iudicium, haudquaquàm facilè exiſtit: imò, ſiquid aliud, maximã habet difficultatẽ. *Cur præceps occaſio.* Eſt igitur occaſio præceps, quia materia, circa quam verſatur Ars, continuò fluit. Corpus ſiquidem noſtrum mutationibus obnoxium eſt, neque à cauſis extrinſecis tantùm, ſed etiam ab intrinſecis (ſiue ex ſeipſo) faciliter alteratur. *Cauſæ continuo mutantes corpus.* Experimentum verò periculoſum, propter materiæ dignitatem, non propter tranſmutationis facilitatem: hæc .n. in momentanea occaſione continetur. Iudicium verò, ſi quis (vt ego aſſero) pro ratione accipiat, liquet ipſam eſſe difficillimam, cùm ad hoc vſq; *Experimẽtum periculoſum.*

æui ambigua permanserit: Si verò (vt nonnulli, qui se ab experientia Empiricos nominant, opinantur) per iudicium intelligat eorum quæ experientia eueniunt, diiudicationem; sic quoque non est obscura eius rectitudinis difficultas. Pluribus interpositis, iterum in commentario difficultatem acquirendi Medicinam Galenus sequenti serie exponit. *Iudicium, siue ratio difficilis. Iudicium iuxta Empiricos.*

Quod verò ars longa sit, verba hæc, quæ subsequuntur, demonstrant: Occasio præceps, experimentum verò periculosum, iudicium difficile. Quasi ita dixerit: Vita breuis, ars longa: quoniam & occasio præceps, & experimentum periculosum, & iudicium difficile. Propter hoc enim & Ars longa, quoniam occasio agendorum in ipsa est maximè præceps, hoc est, angustissima, & breuissimi temporis. Præterea cùm sint duo instrumenta, per quæ remedia inueniuntur, ratio & experientia: hæc quidem est periculosa, ratio verò difficilis, hoc est, non facilis cognitu (seu non facilior altera cognitu.) Vera .a. esse quæ dicuntur, non est difficile paucis ostendere. Occasio enim præceps & propter artis materiã: dico autem Corpus, quod continuè fluit, & momento temporis transmutatur. Experimentum autem periculosum est, & ipsum materiæ ratione. Neque.n.lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, Coria, Artis Medicinalis, vt aliarum, materia sunt: in quibus experiri, & exercitari multis modis impunè licet illi, qui se circa materiam exerceat, & Artis Theoremata meditetur: id quod in lignis carpentarij, (seu fabri lignarij) in corijs coriarij faciunt. Ligna enim, & corium, si malè tractando destruxeris, nullum exinde periculum. In corpore .a. humano illa experiri, quæ non sunt experientia comprobata, non est citra periculum, cùm mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. Quin etiam Iudicium (est autem ratio ipsa iudicium, quoniam per eam, quæ sunt facienda, iudicantur) difficile est; verum, inquam, iudicium, seu vera ratio non facilè inuenitur: quod multitudo sectarum & opinionum in Arte ostendit Medicinali. Neq; enim si veritas esset inuentu facilis, tot, ac tanti Viri, qui illam perquisierunt, vnquam fuissent in tam contrarias sentẽtias dispartiti. Empiricis verò non videtur ratio dici iudicium, sed quæ per experientiam inuenta fuêre, auxiliorum diiudicatio. Nam, vt verum fateamur, hæc difficilis est, nec exploratu facilis, quando multa remedia adhibita fue-

Nota hæc. Experientia, & ratio sunt instrumenta per quæ remedia inueniũtur. Occasio cur præceps? Mala experientia. Iudicium difficile.

fuerunt ægrotanti, & aliquod illorum in causa fuisse dicatur, vt æger, vel melius se habeat, vel deteriùs: quem si fortè contigerit benè dormisse, deinde vnctum fuisse, & postea emplastrum adhibuisse, deinde clysterem, vel spontaneam habuisse ventris deiectionem, & deinde comedisse, & tales assumpsisse cibos, & post hæc omnia sensisse iuuamen, vel detrimentum: non facilè dictu est, quidnam eorum, quæ circa ipsum facta sunt, aut iuuerit, aut nocuerit. His igitur ex causis omnibus iudicium perdifficile est. Iam igitur sermonem totum vno capite colligamus. Ars quidem longa fit, si eam vnius hominis vita metiamur. Expedit autem relinquere posteris commentationes, præsertim compendiosas atq; Aphoristicas: Nam talis doctrinæ modus, & ad primam disciplinam, & ad illa quæ didicerimus memoria retinenda (alia versio habet, & ad illa quæ quis didicit retinenda) quæq; oblitus postea fuerit, in memoriam reuocanda, vtilissimus est.

Ars longa.

Ex hac Galeni doctrina satis liquet, Chirurgulos, & Pharmacopæos à Medici dignitate longè remotos esse; cùm iudicium, siue ratio, ex scientiarum scrinijs erutum, nunquam sub doctorum regimine, ab ipsis cultum, vel haustum est. Experientià fortassis, ob consuetudinem quam cum Viris doctis habuere, se pollere dicent. Et hoc ego lubens admitto; Experientia tamen ipsorum mala est, & ad interitum sæpè ducens, quia rationem non habet comitem. Vnde Empirici, & quidam Ganeones, qui se Spagiricos nominant, siquid medelæ ægris cum fructu propinant, per accidens prodest; non aliter, ac nonnulla remedia, quæ à Mulierculis, & plebeis quandoq; adhibentur. Cùm denique occasio, temporis sit articulus, quomodò Pharmacopolæ, & Chirurguli, qui tempus & momenta ignorant, qui septem res naturales ex quibus homo coalescit, sex res nonnaturales, res præter naturam, naturalibus aduersas, non exactè percipiunt, medendi occasionem, siue oportunum tempus, crinibus arripient. Nam hac præterita, omnis medendi conatus, vel irritus erit, vel molestissimus: veluti præcox medendi ansa, antequam votis occasio, siue tempus opportunum, correspondeat. Sileat ergo grex ignarus, doctissimos Medicos quotidiè arguens, quòd hi sine suo ministerio ægrorum languores abigere non valerent. Ante viginti tres annos (Anno videlicet 1628.) cùm in diuersis Galliæ Prouincijs ægros pestifera lue

Pharmacopæi, & Chirurguli à dignitate medica excludendi.

Occasio est temporis articulus.

cor-

correptos, Magnatū precibus, æquè liberè, ac intrepidè visitarem, non sine nausea procacissimos quosdam Chirurgulos, & inani gloriola superbientes audiueram; sibi nimirum asserentes modum omnem dignoscendi, & curandi Pestem. Horum ego impudentem audaciam Anno 1629. in meo Libro de Peste, sufficienter obstruxi; & probaui, verum Medicum (ignaros, & inexpertos à bonis excludo) posse Medicamenta præparare, & manum cuiuis operi, modica præhabita sedulitate, porrigere. Vtinam vtinam id à Medicis fieret, ne tot errores, quot quotidie inter medendum, ob ministrorum incuriam, auaritiam, inanem gloriam, & ignorantiam, committi percipimus, contingerent. Huc transferre lubet, quod de occasione, tempore, experientia, & ratiocinatione, habet Hippocrates libro de Præceptionibus statim in limine.

Liber de peste Tolosæ editus.

Tempus, inquit, dicendum est, in quo occasio consistit. Occasio autem, in qua tempus non multum. Medicatio in tempore fit, aliquando etiam occasionem requirit. Qui igitur ista nôrit, ad curationem aggredi debet, neq; priùs ad ratiocinationis persuasionem, quàm ad vsum cum ratione coniunctum, animum adhibere. Ratiocinatio enim in eorum, quæ sensu comprehenduntur, recordatione quadam consistit. Sensus namque euidenti imaginatione conceptus, primā eorum quæ subiecta sunt perpessionem suscipit, & ad cogitationem transmittit. Hæc verò vbi recepit, frequenterq;, quibus, quando, & qualiter conuenit ista conseruarit, in sese reponit, & recordatur. Ratiocinationem igitur plurimum laudo, &c.

Tempus, & occasio diligenter à Medico curante animaduerti debent. Experientiam cum ratione coniunctam laudat Hippocrates.

Paucis Hippocrates ignaros reprehendit, siue hi Empirici fuerint, siue Sophistæ experientia vacui. Empiricos autem quotidiè garrientes conspicimus, pariter & Iuniores Medicos Praxis Medicæ prorsùs ignaros; quibus & impudentes quosdam, tametsi plerumq; vtriq; nominati sua non careant procacitate, & impudentia, addere possumus: Omnibus his vtile foret, inter alia Hippocratis præcepta, sequentia tenaciter obseruare, quæ eodem lib. Præceptionum habentur. Fallax enim, & ad errorem procliuis asseueratio, quæ est cum garrulitate coniuncta. Quocirca his quæ fiunt in vniuersum insistere oportet, & circa ea vel maximè versari, si quis facilem, & eum extra culpam habitum, quem certè Medicinam vocamus, sibi comparare velit. Maximam enim vtilitatem,

Garrulos improbat Hippocrates.

tem,

Consilia Medicorũ probat Hippocr. tem, tum ægrotis, tum ijs qui illorum res administrant, comparabit. Et eodem in libro sequentia habet: Neque sanè indecorum fuerit, si Medicus in rei præsentis angustia circa ægrum versatur, imperitiæ etiam tenebris circumfusus, alios quoq; accersiri iubeat, quo communi consilio, quæ in rem ægri sunt, disquirantur, & illi ad præsidiorum facultatem operas suas conferant. Vbi enim assiduè vrget affectio, morbusq; increscit; plurima in animi angustia ad rẽ præsentem opportuna elabuntur. Tunc igitur cõfidenti animo esse oportet. Neque enim vnquàm tale quid definio, cùm id ad artem pertinere censeatur, de eo minimè ambitiosè contendere, seipsos ludibrio exponere. Hoc namq; iureiurando affirmare audeam, Medicum ratione vtentem alterum nunquam inuidiosè calumniaturum. Sic enim Animi impotentiam prodet.

Medicos calumniatores, & inuidos reprobat. Libro verò de Prisca Medicina, ait: Quãquàm equidẽ vehementer hunc Medicum laudàrim, qui parùm peccet. At exacta certitudo raro cernitur. Quare Medicorum pleriq; malorum nauium gubernatorum mihi simillimi videntur, qui si tranquillo mari nauem regunt, nemo eos peccare deprehendet. Quod si eos vehemens ventus, aut tempestas oppresserit, iam omnibus manifestè constat, eorum imperitia, & culpa nauem fuisse perditam. *Mali Medici malis nauiũ gubernatoribus assimilantur.* Ad hunc sanè modum improbi pleriq; Medici, dum leuiter affectos curant, in quibus vel grauissimi errores cõmissi, nihil periculi admittunt (cùm multi huiusmodi morbi, ac longè frequẽtiùs, quã grauiores, hominibus cõtingãt) in ijs quidẽ si delinquãt, plebeios latent: vbi verò in magnum, & vehementem ac periculosum morbum inciderint, tum ipsorum ars, & errores omnibus sunt conspicui. Libro de Præceptionibus, malos prauosque Medicos hac serie carpit: *Medicus erga homines humanus esto.* Quod si vel hospiti, vel egeno largiendi occasio se offerat, his vel maximè succurendum est. Qui enim erga homines humanum se exhibuerit, is artis amore teneri censetur. Multi namq; ægri cùm sciant se morbo minimè salutari teneri, etiam Medici probitate sanitati restitutos esse celebrari gaudent. Sanitatis autem causa ægris quidem præesse præclarum est, & benè valentium curam gerere, vt ne ægrotent. *Salubrem Medicinã nouit Hippocrates.* Quin, & Sanorum quoq; cura, venustatis causa suscipienda est. Qui igitur in ignorantiæ profundo submersi sunt, ij prædicta minimè percipiunt, cum Medici nomine indigni, re ipsa comprobent, quàm repentè euecti sint, fortunæ tamen

egentes,

egentes, per diuites quosdã ex angustijs emergunt, vtriq; ex euentu nominis celebritatem adepti, & in peius ruentes, luxu diffluunt, & quæ in arte nulli rationi reddendæ sunt obnoxia, negligunt, quibus bonus Medicus viget, & ipsius artis opifex nuncupatur. Alia quàmplurima habet Hippocrates libro citato de Præceptionibus: Libro de decenti habitu: Libro de Medico: Libro de Prisca Medicina: Libro de Arte: Libro le lege: & Libro de Iureiurando; quæ si Medicis quibusdam cognita essent, humanius fideliusq; quàm faciunt, in dies procederent. Sed de his satis.

Magnatũ quorundã auxilio ditescunt quamplurimi ignari Medici.

Ex varijs hactenus productis Galeni testimonijs, notum est, Naturam primariò, & per se ægris mederi, secundariò verò, & quidem Medicinæ ductu, Medicum. Non fuit Galenus huius sententiæ primus author; cùm apud Hippocratem extet libro illo 1. de Victûs ratione, superiùs citato, veluti libro de Alimento. In illo, vt retuli, hæc habet: Ars Medica ab eo, quod molestum est, liberat, & id ex quo quis ægrotat auferendo, sanitatem reddit. Idem & natura per se facere nouit. In reliquo huius Libri, Artium plerarumq; cum Natura humana communionem exponit Hippocrates, & postquam nonnullarum artium agendi modum proposuit, statuarij methodum narrat, & subsequenter Medici: Statuarij, inquit, corporis imitationem sectantur, animo excepto (neq; enim mentem habentia fingunt) ex aqua & terra, dum quæ sunt humida, siccant, & quæ superant, demunt, & ad ea quæ deficiunt, adijciunt, ex minimo ad maximum incrementum perueniendo. Eadem homini contingunt, ex minimo ad maximum incrementum deducitur, dum quæ superant detrahit, quæ deficiunt, apponit, sicca humectando, & humida siccando. Hic enim, & Naturæ, & Medici opera intermiscet Hippocrates: nam natura est, quæ incrementum dat, Medicus qui sicca humidis sanat, & vice versa humida siccis. Natura quidem superflua demit, & deficientia addit: quæ etiam à Medicina fieri possunt. Quod autem Natura Medicinæ opera aliquoties egeat, non obscurè docuit libro de Alimento, inquiens: Natura omnia omnibus sufficit. Ad eam extrinsecùs quidem accedunt cataplasma, illitus, vnctio, nuditas, & tegumentum totius, & partis, calor, & frigus ad eandem rationẽ, & vlceratio, morsus, & quod pinguefacit. Intrinsecus.a.& ex prædictis quædam, & adhæc causa occulta, & toti, & parti, & cui-

Medicina sanat corpora.

Natura & Medicus operãtur circa corpus humanum.

dam etiam, cuidam vero minimè. His ille Medicinæ necessitatem ostendit, vt eius operâ, Natura non rarò ægritudinibus succumbens, iuuetur. Libro de Lege, Medicinam nobilissimam Artium vocat, & bis ibidem eam Scientiam nominat. Imponunt autem aliquoties Interpretes, dum Latinè, Medicinam Artem Medicam appellant, cùm in textu Græco ἰητρικὴ, .i. Medicina, sine voce, τέχνη, .i. Ars, solummodò reperiatur: vt videre licet libro de Arte, varijs in locis; & libro 1. cit. de Vict. ratione. Libro de Arte contra calumniatores, qui quæstûs Medicinam arguunt, de eadem Medicina dum loquitur, inquit: Hæc autem nostra Oratio aduersùs eos instituitur, qui hoc pacto Medicinam questûs gratiâ insectantur, animos quidem attollens, propter eos quos reprehendit, abundans verò propter Artem cui opem fert, potēs quoq; ob Sapientiam quâ est exculta. Ex hoc Hippocratis contextu inferendum videtur, Medicinam Sapientia excultam esse: Et quidem iuxta Sacram Scripturam à nobis in nostra Physiologia citatam, quæ affirmat, Altissimum de Terra creâsse Medicinam, & Virum Sapientem non abhorrere eam. Itidem præcipit, Medicum honorandum, quia propter necessitatem ipsum creauit Altissimus. Hippocrates ante Ecclesiastes Authorem libro de Prisca Medicina, hæc habet: At nunc necessitate Homines coacti, Medicinam inuenerunt, & inuestigarunt, quòd ægrotis oblata bene valentium victûs ratio nihil contulerit, &c. Libro de Arte ait: Ars autem Medica ex his esse cernitur, quæ ob aliquam causam prouidentia quadam sunt instituta, prætereaque etiam subsistere conspicietur. Atqui ad eos, qui Fortunæ Sanitatem acceptam ferunt, Arti verò eam denegant, huiusmodi oratione quis vti possit: At verò, qui ex morientium calamitatibus Artem funditùs delere conantur, miror quanam satis iusta oratione elati, in morientium intemperantiam causam non reijciunt, sed eorum qui Medicinam exercent, prudentiam accusant, quasi Medicorum sit quæ nō conueniant præscribere, in ægrorū.a. facultate non sit, aliquid contra imperata admittere. Atqui longè magis est rationi cōsentaneum, ægros non posse imperatis obsequi, quam Medicos ea quæ minimè conueniunt, imperare. Hi .n. sana mente & corpore, tum præsentia, tum ex præteritis, quæ cum præsentibus similiter se habent, in considerationem adhibentes, ad curationem aggrediun-

Medicina artium nobilissima.

Interpretū error.

Medicina sapientia exculta.

Ob necessitatem Medicina inuenta est.

Sanatio nō fortunæ sed Medico adscribenda.

In ægros nō in Medicos mortis culpa reijcienda.

diuntur; adeò vt qui curatus est, aliquando fateatur se illorum ope à morbo liberatum. Illi.v.(ægros intelligit) neq; quo morbo, neque quam ob causam laborent, neq; quid ex præsentibus euenturum sit, neq; quid ex his quæ sunt eiusmodi, fiat, intelligentes, imperata facere iubentur, præsenti quidem morbo afflicti, euentum verò rerum metuentes, & morbo quidem grauati, cibis verò vacui, ea quæ morbo grata sunt potius eligunt, quàm quæ ad sanitatem conferunt, non quod mori desiderent, sed quod toleranter ferre morbum nequeant. Hos verò sic affectos an est verosimilius, quæ à Medicis imperantur, quàm alia quæ non imperantur facere? an Medicos eiusmodi quales antea exposuimus, ea quæ minimè conueniunt, imperare? Nonne longè æquius est eos quidem rectè imperare, illos verò, vt par est, parere non posse, eamque ob causam mortem incurrere? Quorum quidem causam, qui non recta ratione reputant in eos qui culpa vacant, reijciunt, illis absolutis, qui maximè culpæ sunt obnoxij.

Aegrorum fatuitas.

Culpa vacantes accusantur, & culpa pleni excusantur à viris fatuis.

Non desunt autem qui Medicinam reprehendunt (malè Interpres, Artem Medicam, loco, Medicinam, ponit) eò quòd nullus ijs, qui à Morbis sunt superati, manus admouere velit, dicentes, eos quidem morbos quos curatione aggrediuntur, posse per sese sanari, eos.v. qui auxilio indigent, non attingere. Oportere autem, siquidem Ars sit, omnibus ex æquo curationem admouere. Qui ergo huiusmodi verbis vtuntur, si Medicos accusant, quod talia dicentium, tanquam delirorum, curam non suscipiunt, multò certè iustiùs, ob ea, quàm ob illa, incusant. Siquis enim Artis facultatem, ad ea, quæ artis non sunt, aut naturæ, ad ea quæ minimè apta est, requirat, is istud non intelligit magis ad insaniam cum ignorantia coniunctam, quàm ad imperitiam accedere. Quorum.n.facultatem tum per naturæ, tum per artium instrumenta consequimur, eorum nos opifices profiteri possumus, aliorum non item. Si quid igitur homini contigerit, quod Medicinæ instrumenta superet, id ne sperandum quidem est à Medicina euinci posse. Atq; vt exemplo rem ipsam doceamus: Ignis eorum omnium, quæ in Medicina vrendi facultatem habent, summè vrit, eo verò minùs alia pleraque. Atqui certè ex leuioribus, quæ sunt præstantiora, an curari possit, nondum planè constat. Ex potentissimis autem quis dubitet ea, quæ præstantiora sunt, curari non posse?

Excusat Medicos nolentes incurabilibus morbis manus adhibere.

posse? In his enim, quæ ignis non efficit, an non ea, quæ ab ipso superari nequeunt, satis arguunt, alia opus esse arte, quàm ea, quæ igne vtitur, vt instrumento.

Eadem verò mihi dicenda sunt de his, quæ Medicinæ subseruiunt, in quibus singulis si res Medico non succedit pro animi sententia, meo quidem iudicio, in morbi vehementiam, non in artem ipsam culpa reijcienda est. Qui igitur eos reprehendunt, qui victis à morbo manus non admouent, non minùs adhortantur ad ea suscipienda, quæ attingere fas non est. In eoq; apud eos qui nomine tenùs Medici sunt, admirationem sibi conciliant, ab artis verò peritis ridentur. Neq; verò huius artificij periti tam imprudentes, aut reprehensores, aut laudatores morantur, sed eos qui recta ratione iudicant, quemnam ad finem deductæ artificum actiones perfectæ sint, & quanam in re deficientes imperfectæ. Ac præterea earum imperfectarum actionum, quænam ad artifices, quænam etiam ad ipsa effecta referendæ. Eodem in libro, longè post, Hippocrates ait: Quæ verò ex eo ægris contingunt, quod non protinus statim affectus cernatur, eorum culpa non in Medicos, sed tum in ægrotantis, tum in morbi naturam reijcienda est. Ille enim (æger scilicet) cùm neq; doloris causam oculis cernere, neq; auditione cognoscere queat, ratiocinatione cõsequitur. Qui nãq; obscuro morbo laborant, siquid de morbo Medicis indicare conantur, id ex opinione potiùs, quàm ex certa cognitione denunciant. Neque enim si certò scirent, ipsis (idest Medicis) se committerent, cum eiusdem sit prudentiæ, tum morborum causas cognoscere, tum omnibus præsidijs, quæ morbos augeri prohibeant, eos curare nosse. Cùm igitur ex his, quæ denunciata sunt, non liceat ad aliquam certam cognitionem peruenire, aliò sanè, qui curationem instituit, respicere debet. Huius igitur moræ causa, ad corporum naturam, non ad Artem ipsa referenda est. Hæc enim (.i. Ars) vbi morbum percepit, curationem instituendam censet, id vnum spectans, ne temeritate magis, quàm consilio, & vt facilitate potius, quàm vi, curationem adhibere videatur. Illa verò, si tamdiu morbum ferre possit, vt à Medico rectè perspici possit, curationem etiam benè feret. Sin .v. interim dum morbus cognoscitur, à morbo euicta fuerit, vel quòd seriùs ad Medicum accesserit, vel ob morbi celeritatem, æger peribit.

In morbi vehementiam, non in Medicinam culpa mortis reijcienda.

Qui rectè agũt rectè medentur.

Medicos excusat.

Qui morborum causas rectè dignoscit, præsidia nouit quæ morbũ augeri prohibent.

Mortis quædã occasiones.

Neq;

Neq; enim qui ex æquo ad curationem procedit, morbus celer existimandus est, sed qui præuertit. Præuertit autem tum ob Corporum densitatem, in qua non conspicui morbi delitescunt, tum etiam propter ægrotantium negligentiam, qua curationem differunt, sed tum demum morbis correpti curationem expetunt. Quare artis facultatem admirari certè longè æquius est, si quem ex obscuro morbo laborantem restituerit, quàm si quæ fieri non possunt, aggressa fuerit. Neque verò in vlla quapiam arte iam inuenta tale quippiam inesse conspicitur, verùm ex his quæcunq; igne opus suum perficiunt, si eis desit, ab omni opere feriantur; vbi verò eum contrectârunt, in opere continentur. Et quæcunq; in facilè emendabili materia opus suum exercent, vt in lignis quædam, aliæ in corijs, quædam etiam stylo, ære, ferro, atq; id genus alijs quamplurimæ. Quæ tamen opera ex his, & per has perficiuntur, quanquàm facilè emendari possunt, non tamen celeritatem magis ad opificium requirunt, quàm vt ritè minimeq; perfunctoriè tractentur: sed si quod instrumentum defuerit, ab opere quiescunt: & quamuis illis mora sit ad emolumentum incommoda, ea tamen pluris æstimatur. Libro de Prisca Medicina, alia multa, præter relata, habet Hippocrates in Medicinæ commendationem; quæ omnia Medico in sui defensionem contra Calumniatores plurimum proderunt: cùm Hippocratis authoritas apud Priscos, & Nuperos quosuis tanta fuerit, & etiamnum viget, vt nemo, præter amentem, eidem renitatur.

Densitas corporis, & ægri negligentia.

Nobilitate longè superat alias artes Medicina.

Aliarum artiū materia.

Aristoteles visus est iam citata Hippocratis loca legisse, dum in Procemio Rhetoric. cap. 8. hac serie loquitur: Nunc illud obiter manifestum puto Orationis non videri necessarium munus, atque officium, persuadere: sed inuenire & colligere ea, quæ in quaque re apta sint, & apposita ad persuadendum: quod quidem & reliquæ habent Artes. Nam Medici officium non est, Curatione sanare, sed curare ad sanandum appositè: idest curando eatenus progredi, quò licet. Fieri siquidem potest, vt quanquam nulla ratione aliqui queant sanescere, diligenter tamen & scitè curentur. Et libro 1. Topicorum: Rhetor non semper persuadet, nec Medicus semper sanat. Aristotelem sequutus Fabius, inquit: Tendit ad Victoriam, qui dicit; sed cùm benè dixit, etiamsi non vincat, id quod arte, continetur, efficiet. Nam & Gubernator vult saluā nauí

Medici munus non est, Curatione sanare, sed curare ad sanandum appositè.

Quintilianus Aristotelem sequitur.

naui in portum peruenire: Si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideò minùs erit Gubernator, dicetq; notum illud: Dum clauum rectum teneam, &c. Huc spectat egregium illud Ciceronis dictum lib. 2. de Natura Deorum: Magna, inquit, augurum auctoritas. Quid Haruspicum Ars, nonne Diuina? hæc innumerabilia ex eodem genere qui videat, nonne cogatur confiteri Deos esse? quorum .n. Interpretes sunt, eos ipsos esse certè necesse est. Deorum autem Interpretes sunt. Deos igitur esse fateamur. At fortasse nō omnia eueniūt, quæ prædicta sunt. Ne ægri quidem, quia non omnes cōualescunt, idcircò ars nulla Medicina est. Hæc exempla apposite Medico adaptantur, qui dummodò eòusque, quò licet, medendo progreditur, etiamsi Sanitatem restituere non possit, rectè agit. Vnde Hippocrates ipse lib. 2. Aphorism. 52. ait: Omnia secundùm rationem facienti, si non succedant secundùm rationem, non est transeundū ad aliud permanente eo quod ab initio visum est. Nos autem Plato admonet, eundem haberi Medicinæ, ac Rhetorices, modum: quoniam in ambabus his facultatibus subiectæ rei, siue materiæ vis & natura diuidenda est; in altera quidem corporis, in altera. v. Animæ: vt non vsu quodam rationis experti, nec leui cura, sed Arte & ratione Corpori sanitatem medicamentis, Animæ rectum sensum dicendo inducere studeamus. Ex omnium ergo Priscorum consensu, dummodò rectè Medicus suo fungatur officio, idest, iuxta Medicinæ præcepta medeatur, nullatenùs Mortis culpa ei obijcienda.

Ciceronis de Medicina sententia.

Aphorismus.

Platonis sententia.

In nostra Physiologia, veluti in præcedentibus, abundè Medicinæ necessitatem, iuxta Hippocratem & Galenum, ostendimus; quibus adhuc addere lubet pauca ex Hippocrate, libro de Prisca Medicina: Medicinam igitur, inquit, quam omnes ægrorum causa inuentam esse fatentur, in considerationem adhibeamus, num & nomen, & artifices habeat, ipsisq; superior esse velit, & vndenam originem traxerit. Ac mea quidem opinione (quod supra dixi) nemo ad Medicinam inuestigandam animum applicaturus fuisset, si eadem Victus ratio, & ægris, & Sanis, accommodata esset. Quare etiam in hunc vsq; diem Barbari, & Græcis finitimi, apud quos nullus est Medicinæ locus, eâdem victûs ratione, qua sani ad voluptatem vtuntur; neq; eo quod expetunt, abstinent, neq; sibi temperant. At verò qui Medicinam perscrutando inuenere

Ægrorū gratia Medicina inuenta.

Si eadem victus ratio, ægris simul, & sanis conueniret, Medicinæ nemo incumberet.

nere, eandem, quam qui à me superiore oratione dicti sunt, sententiam sequuti, primum quidem (vt sentio) de suis cibis copiam detraxerunt, deinde pro multis paucos sumpserunt. Quod cùm ægrotantibus quibusdam satis esset, palamque prodesse, non tamen omnibus constaret, verùm quòd erant quidam ita affecti, vt ne paucos quidem cibos conficere possent, quibus sanè imbecilliore quodam cibo opus esset, sorbitiones inuenerunt, valentes cibos paucos multa aqua diluentes, eorumq; vim temperatione & coctione detrahentes. Quod, si qui neq; sorbitiones superare possent, ijs etiam detractis potiones substituerunt, obseruantes, vt & vsu, & copia moderatæ essent, neq; iusto copiosiores, neq; meraciores, neq; pauciores exhiberentur. In primis autem animaduertere oportet, quibus in morbis sorbitiones minimè conueniũt, sed continuò vbi assumptæ sunt, febres ac dolores exacerbari, ex quo efficitur, vt quod assumptum est, morbum quidem foueat, & augeat, Corpus verò imminuat, & imbecillius reddat. At verò qui ita affecti cibum siccum, aut mazam, aut Panem quantumuis modicum assumunt, ij decuplo magis atq; manifestiùs læduntur, quàm si sorbitione vtantur, neq; aliam ob causam, quàm quod cibus viribus sit valentior, quàm affectus requirat, tum quod cui sorbere, ei edere minimè conueniat. Quò namq; plura comederit, eò peius afficietur: Si verò pauca, etiam dolebit. Atque ad id sanè referuntur omnes doloris causæ, quod valentissima edulia maximè, & euidentissimè homini tam sano, quàm ægro sunt noxia. Quamnam igitur aliam habuisse mentem videtur is, qui Medicus, & omnium confessione Artifex vocatur, cùm victus rationem, qua ægri vtuntur, inuenit, aut qui ab initio omnibus mortalibus victum illum, quo nunc vtimur, loco illius agrestis ac ferinæ victûs rationis adinuenit, & apparauit? mihi equidẽ eadem esse ratio, & vno eodemq; modo excogitata videtur. Hic enim ea quæ occurrerent, & à natura humana bene valente propter feritatem, & incommoderationem superari non poterant, ille verò quæ quiuis quomodolibet affectus minimè superare poterat, detrahere studuit. At quid inter hoc, & illud est discriminis? nisi quòd hoc multiplici & vario magis genere constat, & plus habet negotij, originem autem præbuit quod prius fuit institutum, & cætera quæ sequuntur.

Barbari dum ægrotant victu sanorum vtuntur, homines verò ciuiles neutiquam.

Sorbitionis inuentio.

Cibi maximi nutrimenti vis minuẽda pro ægris.

Etiam sorbitiones febres doloresq; excitant, tũc ideò potionibus, id est valdè liquidis vtendum.

Valentissima edulia, id est valdè nutrientia, causas doloris in sanis ægrisq; procreant.

Ante Hippocratem victus ratio, atq; ac Curatrix Medicina inuenta est.

Licèt appositè modum, quo Medicina, & præsertim Salubris inuenta est, exposuerit Hippocrates, causam tamen exactè non est persequutus, propter quam ipsa alimenta, nunc parcè, nunc abundè, nunc autem mediocriter, propinanda sunt. Quare Galeni verba, ex Libro ad Thrasyb. cap. 19. Medicinæ primariam necessitatem exprimentia, huc transferre par est. Postquàm autem cibum, & potum, aliasq; res nonnaturales, ac optimum horũ vsum, ijs, qui ijsdem egent, persuasit, hæc ait: Verùm, si ex toto integrum illæsumq; corpus duraret, taleq; quale ipsum ab initio Creator fabricatus reliquit, nequaquam correctore semper eguisset. At nunc cum diffluat semper, atq; dispereat, aliquo præsente obseruatore indiget, qui &, quod dissipatur, quantum qualeq; sit, cogniturus est, illicòq; tale, ac tantum vicissim reponens instaurabit. Insitum humidum dilabitur, tantundem humoris, potum exhibens, irrigato: calidum digeritur, tantundem caloris addito: Aridum consumitur, iam alendi instat occasio: vel semel dicam, quod discutitur atq; euanescit, ingeri paulatim, atq; reponi, antequam in multorum notitiam veniat, opus est. His paucis, & reliquis quæ eodem cap. dixit Galenus, palam ostendit, non solùm viuendi rationem, sed præterea causam, ob quam victu egemus; quia nimirum continuò calor noster natiuus, & humidum radicale, partesque solidæ absumuntur.

Medicinæ necessitas.

Insiti humoris restitutio.

Caloris siue spiritus, & partiũ solidarũ restauratio.

Sequenti Capite 20. eiusdem Libri ad Thrasybulum, quomodò inter se conseruatrix, & Curatrix Medicina discrepant, veluti vtriusq; partis necessitatem, pulcherrima doliorum aliquo liquore refertorum comparatione declarat. Igitur, inquit, quemadmodùm si duo cogites dolia multis in locis foraminibus terebrata, ambo æquè ab initio plena, pariterq; per illa spiramina hàc atque illàc perfluentia, horumq; alterius quidam curam gerens, semperq; assidens tantum vicissim ingerat, quantum elabitur, alterum verò antequam valdè inanitum est, nemo custodiat, postea quispiam repentè superueniens semel totum impleat, clarissimè constat, doliorum istorum primum neq; inaniri; neq; repleri vnquam, alterum verò ambo hæc pati à multis inspectantibus testatum iri: ita quoq; in sanis, ægrotisq; Corporibus res habet. Vtrumq; enim vitium ars vna modo vno emendat, quod deficit scilicet, instaurans; in quanto verò, nõ in quali, emẽdationis differentia versatur.

Conseruatricis, & Salubris partis necessitas pulchro exemplo exponitur.

Ga-

Galenus dolium liquore plenum,& patentibus foraminibus in ambitu peruium, humano Corpori assimilat: nec extra rem: quoniam corpus humanum exilibus meatibus, poris communiter dictis, in toto ambitu cutaneo apertum est, vt per cutem, tanquam per sentinam cribrosam aut perforatam, fuligo omnis, sudorque, & quæuis alia excrementa habitûs corporis euacuentur. Nec sola excrementa per cutem, aut patentiores vias vrinæ, fæcum, sputorumq; euacuantur, sed insuper calor natiuus, & humidum radicale dictum: quæ faciliùs multò, quàm crassa excrementa, dissipantur, & euanescunt. Hinc necessitas reficiendi illatum Corpori damnum: cum calore verò exhalante dissipatur & humor; imò solidiores partes, præsertim molliores, vi caloris attenuantur, & rursùs, more humorum, ac spiritus, per tot spiramina perpetuò euacuantur. Si natura se sola quidquid euanescit, resarcit, & sua munia probissimè subit, quod amissum est, recuperando, integrum ei negotium committendum; vt præcipit Galenus cap. 19. citati Libri ad Thrasybul. aiens: Aliaq; in hunc modum omnia agens, & in summa id ante oculos habens, vt in corpore exactè sano ac valido, nihil nouare audeat. Cùm verò aliquantulùm exquisitam moderationem transierit, continuò, quod deficit, priusquàm latiùs malum serpat, resarciat (Medicus) perinde, ac si subtegminis fila ex aliqua veste non simul omnia, sed singulis diebus singula excidentia, qui huic rei præest, assidens illicò reponat adeò, vt huiusmodi correctio atq; emendatio, multorum notitiam præ exiguitate subterfugiat. Talem, Medius Fidius, & benè valentibus præfectum Artificem esse opus est, minimæ cuiusq; differentiæ ac noxæ obseruatorem iuxta, atq; emendatorem.

Corpori exactè sano nihil præscribendum.

Corpora à bono statu declinantia illico emendanda.

Quod Medicus corporibus perfectè sanis mederi non debeat, docet Hippocrates lib. 2. aphor. 36. Qui sana habent corpora, medicamenta purgantia assumentes statim debilitantur: & qui prauo vtuntur cibo. Et aphorismo 37. Qui benè valent corpore, difficulter ferunt Medicationes. Et Aphor. 16. lib. 4. aphor. Carnes sanas habentibus Elleborus periculosus: facit. n. conuulsionem. Ex Galen. lib. 1. Aphorismor. comment. 2. Purgatio est humorum, qui sua qualitate molestant, euacuatio. Ergo cùm in corpore perfectè sano humores Biliosi, Melancholici, Pituitosi, & Serosi, non superfluitent, medicamentum purgans assumptum non exiguam

Ex Hippocrate sana corpora non sunt purganda.

Purgatio quid.

corpori molestiam adfert. Nam & vertigines, & tormina patiuntur illi, qui purgans assumunt medicamen, vt loquitur Galen. commentario citati Aphor. 37.lib.2. Vnde & difficulter, inquit, his purgatio procedit, & præterea celeriter exoluuntur. Fiunt autem hæc omnia, purgante medicamento proprium quidem attrahere humorem appetente, vel flauam bilem videlicet, aut atram, aut pituitam, aut aquosam superfluitatem: quia verò ille superfluus humor non adest, sanguinem colliquat ac carnes, vt ex ipsis proprium attrahat humorem.

Quomodo purgatio sanis nocet.

Habemus ergo ex ambobus Medicinæ Principibus, non esse, nec medicamentis, nec alijs rebus superflua dementibus, infestanda corpora benè sana, donec ab hoc perfecto sanitatis gradu declinent. At verò cætera corpora à perfecto statu sano declinantia, à minima superfluitate liberanda, & quidquid ijs deficit, addendum; reficiendum.n. incunctanter, quoties aliquid ei deficit, eodem penè modo, quo dolium perforatum, vino, alioue liquore priùs plenum, sed quod paulatim rursùs euacuatur: quod enim euacuatur, de nouo restituendum, seu aliquid eius loco reponendum. Corpora pariter præ ægritudine nimiùm euacuata & extenuata copiosè reficienda sunt, eo modo, quo dolium perforatum, & impensè euacuatum, replendum. Eodem .n. modo reficiuntur corpora mediocriter sana, & ægra; sed inæquali quantitate restaurantur sana, nempe minori, ægra verò maiori.

Hæ corporis emendationes Medicinæ omnimodã arguunt necessitatem. Restaurantur enim eius præscriptis, humidum radicale, quo fieri potest modo: calor similiter natiuus, ignis nobis connatus ab Hippocrate dictus lib. de Arte: & Ignis lenis, lib. 1. de Vict. rat. quo eodem libro Anima dicitur: At verò, inquit, hominis animus (velut à me etiam antea dictum est) Ignis, & aquæ temperationem sortitus; Et eodem libro, loquendo de masculino, & fæminino semine, eorumq; commixtione, ait: Siquis .a. animum animo commisceri minimè sibi persuadeat, is ratione caret. Galenus comment. 5. in lib. 6. Epidem. exponens hanc Hippocratis sententiam (Hominis Anima semper producitur vsque ad mortem. Sin .a. ignescat simul cum morbo, & Anima corpus depascitur:) postquàm plurimorum de Anima sententiam proposuit, & Spiritum in cerebri ventriculis contentum, quem communiter

Caloris natiui nomina ex Hippocrate.

Anima apud Hippocratem.

niter Animalem dicimus, primarium Animæ instrumentum statuit, rursùs hæc habet: Atqui verbum hoc, ignescat, indicare videtur, ex Hippocratis sententia, Animæ substantiam, calorem esse naturalem, quem naturalium operum multis in locis auctorem esse testatur. Et quibusdam interpositis, ibidem Galenus ait: Nempè quod insitum calidum, cui maximè corporea opera Hippocrates tribuit, igneum factum, non solùm priora munera obire non possit, sed neq; corpus nostrum alere, quod ipsius erat primarium officium; immò contra, perdat, atque, vt ignis, liquefaciat, nobis ratione contemplantibus, & corporis eliquationes à perurentibus febribus factas, euidenter cernentibus, apertum est. Verùm in tota hac habita oratione tertia anima prætermissa sit, siue facultas, siue vtcunque eam nominare velis, quam Plato Iracundiam appellauit, & de ipsa aliquid dicere satius fuerit, vt nihil præterea in sermone de Anima dicendum relinquatur. Calor sanè quidam naturalis, per quem sanguis creatur, in iecore continetur: calor etiam alter in corde maior inest, ad iram excitandam nobis datus, nam & ipsius quidam vsus est, vt in libris de Hippocratis, & Platonis Decretis explicauimus. Et hic quidem calor (de Calore Cordis loquitur) spiratione (siue nutrimento) eget: alter, (idest, Calor natiuus, siue naturalis, in omnibus Corporis partibus, sed præcipuè in hepate, constans) difflatione: ita .n. Medicis vocare mos est duplicem in toto corpore arteriarum actionem, fuliginosum excrementum per compressionem expellentium, aërem verò circumfusum per distensionem attrahentium.

Anima substantia ex Hippocrate.

Animæ species.

Calor iecoris sanguinẽ procreat.

Calor cordis.

Duplex arteriarũ munus.

Hîc Galenus iuxta Hippocratem ait, calorem natiuum esse auctorem omnium actionum naturalium; nec sanè Hippocrati Galenus imponit, qui libro de Carnibus hæc habet: Quod calidum vocamus, id mihi immortale esse videtur, cunctaque intelligere, videre, & audire, sentireq; omnia, tum præsentia, tum futura. Cuius pars maxima, cùm omnia perturbata essent, in supremum ambitum secessit, quod mihi veteres videntur Æthera appellasse. Altera pars locum infimum sortita, terra quidem appellatur, frigida & sicca, multasq; motiones habens, & in qua sanè multum calidi inest. Tertia. v. pars medium aëris locum nacta est, calidum quid existens. Quarta pars terræ proximum locum obtinens, hu-

Calor natiuus omniũ actionũ author ex Hippocrate.

midiſſima,& craſſiſſima.His igitur in orbem agitatis, cùm turbata eſſent calidi magna pars aliàs in terra relicta eſt, partim quidem magna, partim verò minor, aliàs etiam valdè parua, ſed in multas partes diuiſa. Et temporis ſucceſſu à calido reſiccata terra,iſta in ea tanquam in membranis contenta, circum ſe putredinem excitant. Ac longo tempore incaleſcens, quod quidem ex terræ putredine pinguedinem ſortitum eſt, & minimum humidi habet, id citiſſimè exuſtum, oſſa produxit. Quæ verò naturam glutinoſiorem ſortita ſunt, & frigidi communionem habent, ea neq; calefacta exuri potuerunt, neq; etiam humida fieri, ideò formam longè ab alijs diuerſam nacta ſunt, & nerui ſolidi extiterunt, cùm non multum in ijs frigidi ineſſet. At venæ frigidi multum habebant, cuius pars circumcirca ambiens, & quod erat glutinoſiſſimum à calido exaſſatum, membrana extitit. Quod verò erat frigidum à calido ſuperatum, diſſolutum eſt, ideoque humidum euaſit, &c. Reliquarum partium corporis formationem proſequitur in contextu Hippocrates, qui omnes operationes calido manifeſtè concedit. Libro autem de Corde, Caloris natiui meminit, dum ait: Connatus enim à natura ignis in dextro (ventriculo ſcilicet Cordis) non eſt, vt mirum ſubeat ſiniſtrum aſperiorem fieri,cùm intemperatum aërem inſpiret. Sed hac parte (ideſt, in ventriculo ſiniſtro) vt calidi robur cuſtodiat, craſſitudo intus extructa eſt. Eorum.v.oſcula aperta non ſunt, niſi quis cordis auriculas, eiuſque caput præcidat, tuncq; duplicia oſcula in duobus ventriculis erunt conſpicua.Vena enim craſſa ex vna decurrens ſi ſecetur,viſum fallit.Hi ſunt Humanæ Naturæ fontes, hincque flumina excurrunt, quibus corporis alueus irrigatur. Atq; hæc vitam homini conferunt, & ſi reſiccata fuerint, homo perit. In hoc contextu Libri de Corde, clarè exponitur denſitas, craſſitieſque, quibus ſiniſter Cordis ventriculus dextrum ſuperat.Longè craſſiorem eſſe ſiniſtrum Cordis ventriculum docuit, vt calidi innati, quo cor præ cæteris partibus corporis abundat,vis, & robur ſeruetur.Debuit.n. ventriculus ſiniſter craſſitie ſuperare dextrum, ea proportione, qua materia ſpirituoſa in illo concluſa tenuitate ſuperat materiam in dextro ventriculo contentam. Viſus eſt Author huius Libri de Corde admiſiſſe,Cor principium venarum,& neruorum. Imò eodem libro hæc habentur. Mens enim humana in ſiniſtro

Efformatio variarum partium corporis.

Calor natiuus dicitur Hippocrati connatus ignis.

Videtur Hippocrates conſtituiſſe cor ſanguinis officinam.

ſtro ventriculo à natura inſita eſt,& reliquæ Animæ imperat. Hęc doctrina, Hippocrate indigna, multos iure meritò in ſuſpicionem adeò duxit, vt exiſtiment hunc librum non eſſe Hipprocratis. Nec .n. eius vnquam Galenus meminit; nec inter libros Hippocratis eum recenſet Erotianus. Libro tamen de Carnibus, Cor venarum & arteriarum principium ſtatuiſſe videtur Hippocrates, inquiens: Duæ.n. ſunt à corde venæ cauæ, & hæc quidem arteria, illa verò vena caua nominatur, iuxta quam cor poſitum habet. Arteria verò calidi plus continet, quàm vena caua,& ſpiritûs penus eſt. Verùm Hippocrates iuxta communem Philoſophorum opinionem, cor venarum & arteriarum principium conſtituit, non autem ex propria ſententia. Et poſitò quòd ille Philoſophis conſenſerit, in hoc planè deſerendus erit, ob varias, quas in noſtra Phyſiologia deduximus, rationes.

Mens humana ī ſiniſtro cordis ventriculo ſedem obtinet.

Hippocratis authoritati ſatisfit.

Sed exponamus verba à nobis in medium producta de Calido, ex eodem lib. de Carnib. aut Principijs. Calidum ergo omnium operationum principium effectiuum conſtituens Hippocrates, viſus eſt cum cæteris Antiquis Chaos illud, ſiue confuſionem omnium rerum, admiſiſſe: ex quo rursùs quatuor elementa ſunt extracta, & in diuerſis ſedibus iuxta cuiuſq; naturam debitè collocata. Supremum verò elementum, ignis communiter dictum, Æther, Veterum more, ab ipſo appellatur: quem in ſuperiori regione mundi ſublunaris (in principio autem Libri cit. de Carnib. de rebus cæleſtibus non niſi mediocriter diſcurrere oportet, vt ait) locum habere aſſeuerat. Secundum aëri tribuit: tertiū aquæ: quartum terræ. In quibus inferioribus elementis aliquid caloris contineri, tanquàm in principio productionis mundi relictum, aſſeuerat. Calori ergo, omnium partium conformationem ille tribuit: Et eum ſequutus Cicero lib. 2. de Natura Deorum, vim omnem in animantibus, cæteriſq; cunctis, Calori manifeſtè concedit. Zenonis porrò argumenta probantis, Deum eſſe, poſtquam in medium protulit Cicero, ipſe ſequenti ordine loquitur: Sed quoniam cæpi ſecus agere, atq; initio dixeram: negâram .n. hanc primam partem egere oratione, quòd eſſet omnibus perſpicuum, Deos eſſe: tamen idipſum rationibus Phyſicis confirmari volo. Sic enim res ſe habet, vt omnia quæ alantur, & quæ creſcant, contineant in ſe vim caloris, ſine qua neq; ali poſſent, neq; creſcere.

Calidum principium effectiuum omnium operationū.

Ignis Aether dicitur.

Elementorum ſituatio.

In terra aliquid caloris latet.

Calor partes corporis effingit.

Calor in omnibus eſt, quæ creſcūt, & aluntur.

Nam

Nam omne, quod est calidum, & igneum, cietur, & agitur motu suo: quod autem alitur, & crescit, motu quodam vtitur certo, & æquabili: qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu sensus & vita remanet: refrigerato autem & extincto calore, occidimus ipsi & extinguimur. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore: negat enim vllum cibum esse tam grauem, quin is die & nocte concoquatur: cuius etiam in reliquis inest calor ijs quas natura respuerit. Iam verò venæ & arteriæ micare non desinunt, quasi quodam igneo motu: animaduersumque sæpè est, cùm Cor animantis alicuius euulsum ita mobiliter palpitaret, vt imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur, quod viuit, siue animal, siue terra editum, id viuit propter inclusum in eo calorem. Ex quo intelligi debet, eam caloris naturam vim in se habere vitalem, per omnem mundum pertinentem. Atque id faciliùs cernemus, toto genere hoc igneo; quod tranat omnia subtilius explicato. Omnes igitur partes mundi tangam, quæ maximo calore fultæ sustinentur; quod primùm in terrena natura perspici potest. Nam & lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus, & recenti fossione terram fumare calentem. Atq; etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, & id maximè hybernis fieri temporibus, quod magna vis terræ cauernis contineatur caloris: eaquè hyeme sit, ob eamq; causam calorem insitum in terris contineat arctiùs. Longa est oratio, multæq; rationes, quibus doceri possit omnia, quæ terra concipiat, semina quæq; ipsa ex se generata stirpibus infixa contineat, ea temperatione caloris, & oriri, & augescere. Atq; etiam admistum esse calorem, primùm ipse liquor, tum Aquæ declarat effusio, quæ neq; conglaciaret frigoribus, neq; niue, pruinaq; concresceret, nisi eadem se admisto calore liquefacta, & dilapsa diffunderet. Itaque & Aquilonibus, reliquisq; frigoribus adiectis durescit humor, & idē vicissim mollitur, tepefactus, & tabescit calore. Atq; etiam maria agitata ventis ita tepescunt, vt intelligi facilè possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorē: nec.n. ille externus, & aduentitius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod nostris quoq; corporibus contingit, cùm motu, atq; exercitatione recalescunt. Ipse .v. aër, qui natura est maximè frigidus, minimè est expers caloris. Ille verò & multo quidem calore admistus

est:

Vita durat, quamdiu calor in viuentibus.

Cibus quātumuis grauis spatio vigītiquatuor horarum concoquitur.

Propter inclusum calorē viuitur.

Anima mūdi Platonis.

Terræ inest calor.

Aqua calida ex puteis hyeme exhauritur.

Stirpes vi caloris tēperati terræ pullulant.

Aquæ concretio.

Maria calorē continent.

Cicero obiectioni cuidam occurrit.

Aër etsi maximè frigidus Ciceroni, calorem continet.

eſt: ipſe.n.oritur ex reſpiratione aquarum; earum .n. quaſi vapor quidam aër habendus eſt. Is autem exiſtit motu eius caloris, qui aquis continetur. Quam ſimilitudinem cernere poſſumus in ijs aquis, quæ efferueſcunt ſubditis ignibus. Iam verò reliqua quarta pars mundi ea, & ipſa tota natura feruida eſt (Ignem intelligit Cicero), & cæteris naturis omnibus ſalutarem impertit, & vitalem calorem. Ex quo concluditur, cùm omnes Mundi partes ſuſtineantur calore, mundum etiam ipſum ſimili, pariq; natura in tanta diuturnitate ſeruari: eoq; magis, quòd intelligi debet, calidum illud atq; igneum, ita in omni fuſum eſſe natura, vt in eo inſit procreandi vis, & cauſa gignendi, à quo & animantia omnia, & ea quorum ſtirpes terra continentur, & naſci ſit neceſſe, & augeſcere. Et quibuſdam interpoſitis, ait: Atque mundi feruor ille purior, perlucidior, mobiliorq; multò, ob eaſque cauſas aptior ad ſenſus commouendos, quàm hic noſter calor, quo hæc, quæ nota nobis ſunt, retinentur, & vigent. Abſurdum eſt igitur dicere, cùm homines, beſtiæque hoc calore teneantur, & propterea moueantur, & ſentiant, mundum eſſe ſine ſenſu, qui integro, & puro, & libero, eodemq; acerrimo, & mobiliſſimo ardore teneatur: præſertim cùm is ardor, qui eſt mundi, non agitatus ab alio, neq; externo pulſu, ſed per ſe ipſe, ac ſua ſponte moueatur. Nam quid poteſt eſſe mundo valentius, quod pellat, atq; moueat calorem eum, quo ille teneatur? Audiamus.n. Platonem, quaſi quendam Deum Philoſophorum, cui duos placet eſſe motus, vnum ſuum, alterum externum: eſſe autem diuinius, quòd ipſum ex ſe ſua ſponte moueatur, quod pulſu agitetur alieno. Hunc autem motum in ſolis animis eſſe ponit, ab hiſq; principium motus eſſe ductum putat. Quapropter, quoniam ex mundi arbore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulſu, ſed ſua ſponte mouetur; animus ſit neceſſe eſt. Ex quo efficitur animantem eſſe mundum.

Aër ex reſpiratione aquarũ oritur. Eſtque quaſi earum vapor.

Ignis elementum.

Caloris magna vis.

Mundus, ex Cicerone ſenſu pollet.

Plato Deus Philoſophorum.

Ex hactenùs præmiſſis compertum eſt, Platonem, Ciceronem, & ex antiquis Scriptoribus quamplurimos, Hippocratem ſequutos eſſe, quoad ea, quæ de Calore mundi circumferuntur. Nam ſicut Hippocrates, Calorem, Animam appellauit; ita pariter, & Plato, vtrumq; horum ſequuti ſunt innumeri. Licèt nos Calorem, Animam eſſe negemus, Calorem tamen præcipuum Animæ inſtru-

ſtru-

ſtrumentum eſſe nequaquàm diffitemur. Galenus quidem Commentario ſuperius, ex 6. Epidem. traducto, cum Hippocrate Naturam morborum Medicam appellauit: & nomine Naturæ, Naturales potiſſimùm facultates, Nutritiuam, Attractiuam, retentiuam, concoctricem, & expultricem intelligit; Vitalem verò facultatem non exiguam adhuc vim ſedandis morbis habere fatetur; docetq; vlteriùs, facultatem animalem eſſe perutilem, cùm ibidem aſſeruerit, reſpirationem ad caloris natiui contemperationem eſſe prorsùs neceſſariam, veluti vniuerſi habitus Corporis tranſpirationem. Hanc eandem doctrinam plenè confirmat Galenus lib. 9. Methodi medendi cap. 10. vbi hæc habet: Gubernant animal (vt in Libris de Hippocratis, & Platonis dogmatis eſt mõſtratum) tres, diuerſi inter ſe generis facultates, toti corpori ex ſuo veluti fonte quæq; diſtributæ: eas Plato Animas vocat, propriam cuiuſq; ſubſtantiam inueniens. Eſt enim earum quædam ad nutriendum animal neceſſaria, ac cum ſtirpibus communis, quæ Iecur veluti pro fonte habet: canales verò ad hoc in totum corpus ſparſos, ipſas venas: hanc ſeu appetitricem, ſeu naturalem (φύσικην, eſt in impreſſis, ideſt, naturalem: in antiquis φύτικην, ideſt, Vegetabilem) ſeu altricem voces, nihil intereſt: veluti nec, ſi Animam, aut facultatem. Altera eſt, quæ non modò, vt Stirpibus, aut vita præditis, ſed etiam vt animalibus, anima eſt inſita: hæc ſedem in corde habet, ipſo quoq; inſiti caloris quodam ceu fonte: ab hoc fonte canales arteriæ ſunt: vocaturq; hæc multis ſanè nominibus; nam, & facultas ſiue Virtus animoſa, & anima vitalis, & anima animoſa dicitur. Tertia Anima Ratiocinatrix, in Cerebro domicilium habet: ea voluntarijs actionibus, vnà cum ſenſibus præſidet; vtitur & hæc particulis quibuſdam, ceu canalibus, nempe ipſis neruis, ſenſum motumq; per hos in totum animal tranſmittens. Ergo has facultates ſeruare, nihil planè eſt aliud, quàm vitam ſeruare. Siquidem monſtratum eſt, qualibet earum amiſſa, neceſſe eſſe, reliquas quoq; vnà perire. Ac propterea in Opere de Sanitate tuenda, huc omne cõſilium direximus. In hoc verò, quod eſt de methodo medendi, primum propoſitum, & ei quod in Opere de Sanitate tuenda proponitur, ad portionem reſpondẽs, morbi eſt ſublatio: quando cuiuſmodi in illo ſanitatis eſt tuitio, eiuſmodi in hoc eſt morbi ſublatio. Quorum vtriq; vnum eſt commune,

Naturæ acceptio.

Triplex facultas corpus regens.

Naturalis facultas in hepate reſidet.

Anima vitalis ſedẽ in corde habet.

Anima Ratiocinatrix in cerebro.

Salubris, & Curatricis Scopus primarius eſt morbi ablatio.

ne, ipsa scilicet vitæ custodia; quæ nimirum in illo de Sanitate tuenda Opere, Sanitatis custodiam sequebatur: quod.n. secundæ valetudinis tuendæ gratiâ geritur, idem statim, & vitam tuetur, &c. Cæterùm non proinde vim maximam seruandi, & sanandi corpora, calori denegauit Galenus, cùm ei omnem fermè agendi, & perficiendi vim tribuat, vt ex hactenùs dictis, alijsq; innumeris locis colligere licet. Facultates autem pleræq; Animæ, seu potius animæ ipsæ, non nisi caloris ministerio generant, nutriunt, augent, conseruant, & suo funguntur in corpore quouis munere. Ex huc ergo relatis, veritas hæc firma constansq; maneat, Naturam morborum esse Medicam; Naturam conseruare corpora: Medicinam pariter Naturæ opitulantem, vtrumq; complere munus; & Naturæ nomine, facultates calore natiuo instructas, vel ipsum solum calorem, tanquam Animæ pariter instrumentum, apud Hippocratem, & Galenum, intelligi. Galenus enim expressè, Calorem natiuum, facultatem appellat, lib. 1. Aphorism. comment. 15. Nam si consideraueris, inquit, vt corpora nostra paucum habentia sanguinem autumni tempore, atq; extenuata, suscipiens hyems bonis implet humoribus, & crassiora efficit, percipies, puto, nos gubernantis robur facultatis, quæ est calor innatus. Libro 3. de Caus. Puls. cap. 9. Calorem natiuum ex sententia Hippocratis cibos concoquere docet. Libro 1. de Præsagit. ex Pulsib. cap. 4. facultatis essentiam in temperamento, quod calorem natiuum esse in nostra docuimus Physiologia, ponit. Facultatis essentia, inquit, singularum partium, in singularum illarum posita, commodo temperamento est. Libro 4. Aphorism. comment. 37. Calorem natiuum secundùm Hippocratem, Naturam appellat, quæ solida regit corpora. Facultates quidem, & calor natiuus, vt videtis, pro anima ab Hippocrate & Galeno sumuntur. Vnde eis tantam agendi vim tribuunt, quantam nos animæ. Sed de his satis.

Salubri, & Curatrici commune est vitam custodire.

Calor innatus facultas dicitur.

CAPVT VII.
De alijs Signi Diuisionibus.

AMplissimam illam Signi diuisionem, (à re significata desumptam,) in Salubre, Insalubre, & Neutrum, diffusè prosequuti

sequuti sumus: nunc alias quasdam eiusdem Signi diuisiones, Rei Medicæ Studiosis protinùs necessarias, proponam. Galenus libro de Arte Medica, seu Parua dicta, cap. 7. quodlibet trium generum Signorum, paulò ante expositorum, subdiuidere visus est. Erit igitur secunda Signi partitio, à tempore petita, in Præterita, Græcis ἀναμνηστικὰ: Præsentia, Græcis διαγνωστικὰ & Futura, Græcis, Προγνωστικὰ: itaut Signum præteritum Salubre dici queat, si tale fuerit: præsens pariter Signum, potest esse Salubre: futurum similiter. Eodem modo Signum insalubre, vel est præsens, vel præteritum, vel futurum. Eadem proportione seruata, Signum neutrum, est præteritum, vel præsens, vel futurum. Cæterùm, claritatis gratiâ, Signa præterita, ἀναμνηστικὰ, idest, commemoratiua dicuntur; quia sunt veluti rememoratio, aut reuocatio præteritorum in mentem. Præteritus enim ægri status (præsertim quoties tardè Medicus est accersitus) in memoriam reuocari debet, vt status præsens dignoscatur, & futurus euentus Salubris, Insalubrisue, prænosci possit. Quamuis sanè à præteritis, vtpotè absentibus, vix curatiua indicatio desumatur, eorundem tamen præteritorum cognitio ad præsentia enodanda, & futura prænoscenda, summoperè necessaria est. Cognitio enim præteritorum, est inuentio Causarum, quæ morbos pariunt, vt loquitur Galen. lib. 4. de Præsagit. ex pulsib. cap. 11. Tanti deniq; ponderis est præteritorum cognitio, vt eius vim non exiguam exposuerit luculenter author Libri Definition. Medicar. siue Galenus is fuerit, siue alter non contemnendus Doctor. Præterita autem, inquit, sunt Præteritorum Signa, vt cum remissio à declinatione deferbuisse morbum significat (de febrili enim accessione, siue exacerbatione, siue paroxismo loquitur.) Præterita præsentium, vt esse ab Aspide demorsum, inter exitialia censeri. Sunt, qui hoc modo dicant: Præterita præsentium, vt tenue intestinum vulneratum esse, perniciosis adnumerari. Præterita futurorum, vt confracto contritoq; osse totum contrahendum: ei namque oportet tophum obduci, antequàm ad pristinum statum redit. Nonnulli verò sic: Præterita futurorum, vt de capite dempto osse citatricem sequuturam. Hæc inibi habentur. Quotidiana experientia nos monet, præteritorum cognitionem Medico Praxim exercenti plurimùm conferre; vt ex iam productis sententijs, ex libro Definition. Medicarum de-

Secunda Signi Medici diuisio.

Signa anamnistica quæ.

Cognitio præteritorum est inuentio causarum.

prom-

promptis liquet. Porrò præteritorum cognitio, non modò ad aliorum præteritorum notitiã nos manuducit, sed insuper eâ præsentibus prouidemus, & futuros, hâc adepta, prædicimus euentus. Rem Author exemplis propalauit: Medicus ad ægrum accitus, ab eodem ægro, vel astantibus, intellexit, ipsum paroxismo febrili fuisse correptum; mox à paroxismo ad remissionem, siue infebricitationem peruenisse. Ex remissione siue infebricitatione illa, præcedentis febris naturã Medicus statim deprehendens, ægrum solabitur, huic nimirum indicans, febrem præfatam intermittentem, non verò continuam esse. Inde illicò ad Prognosim descendens, talem febrem periculo vacare pronunciabit; & quidem cum Hippocrate, lib.4.aphor.43. Febres quæcunque non intermittentes, tertio die fortiores fiunt, magis periculosæ: quocunq; autem modo intermiserint, periculum abesse significatur. Sic prolato Prognostico Curationem commodissimè aggredi poterit Medicus, etiam mediocriter peritus.

Præteritorum rememoratio plurimum prodest.

Febres intermittentes periculo vacant.

Præterita rursùs præsentiũ Signa esse possunt, vt morsus Aspidis, aut viperæ, aut canis rabidi; vel ictus scorpionis, vel assumptio huius, vel illius veneni, est signum maligni affectûs ægrum infestantis. Dum.n.vehementissima adfuerint in corpore symptomata, ad medicationem plurimùm confert, veluti ad futuri euentus prænotionem, scire, si æger venenum præassumpserit, aut à venenoso animali, morsum ictumue passus fuerit. Scimus quidem, à præteritis causis, iam absentibus, curatiuas indicationes non esse desumendas, vt ex Galeni methodo medendi colligere licet. Libro 8. Methodi med.cap. 1. ait: Itaq; si iam præsens (siue genita) febris est, sed causa, quæ eam excitauit, iam desijt, hùc tantùm sanandæ eius consilium dirigetur, vt refrigeretur. Libro 10.Meth.med.cap.1.inquit: Ergo in Diarijs febribus simplex quidã est in corpore præter naturã affectus, vtpotè causis, quæ primũ eas excitarunt, iã ademptis. In quibus verò causa, quę eas accendit, adhuc manet, in ijs, nec affectus simplex, nec sanatio est. Causis.n. præsentibus medendũ suadet Galenus eodem lib. 10. Meth. med. Capiteq; eodem, paulò post transcriptũ eius textũ hac serie: In reliquis, quę accessionis suę causam intùs habent, prima indicatio ab ipsa sumetur causa. Et libro de Optima Secta ad Thras. cap. 25. Indicationem curatiuam à solis præsentibus causis, nõ autem à morbo,

A causis absentibus curatiua indicatio non desumitur: eius tamen cognitio prodest.

Ab internis causis prima indicatio curatiua desumenda. bo, desumendam præcipit, hac serie: Quin & ex adhibitis auxilijs non morbos, sed causas medelam indicare agnoscendi facultas dabitur; auxilia namq; non affectis, sed facientibus aduersantur, vt euacuatio multitudini contraria est, morbo verò nulli, & phlegmonæ, aut febri: multitudini igitur euacuatione subtractâ simul, & genitus per eam morbus tollitur, &c. Ad rem modò redeuntes, dicendum, morsum Aspidis esse instar Signi infestantis Veneni, & quamuis Aspis non ampliùs mordeat, aut quidpiam indicet, nobis tamen viam ad medendum aperit. Nam postquàm nobis constat, venenum corpus infestans, ex morsu Aspidis communicatum fuisse, peculiari Antidoto experientia comprobatâ illud venenum sedare contendimus; Aceti potum ægris propinando, veluti alia quæuis, sanguinem concretum dissoluentia, simul & venenum oppugnantia. Venenum enim hoc, quemadmodum, & Basilisci, aut sanguis bubulus, celerrimè in arterijs sanguinem cogit, vt loquitur Dioscorides lib. 6. cap. 54. de Aspide. Rectè ergò copiosum Aceti potum ad sanguinis concreti dissolutionem præscribit Aëtius lib. 13. cap. 20. Vomitorium idem componit ex allijs tritis cum Zytho, aut ex Opoponace cū Vino diluto, & assumpto, quod tanquam optimum Vomitorium probat. Rursùs Theriacam, & alias Antidotos concedit. Sed Mithridatica Antidotus pro Venenis commendatur à Galeno, tum primo, tum secundo libro de Antidotis. In hoc secundo cap. 1. de ea sic loquitur: Hæc enim aduersùs quàm multa venena plus etiam quàm Theriaca valet, quamuis ictus Viperæ sanare minùs possit. Res sanè est magni ponderis, & prorsùs ad curationem necessariæ, præteritorum cognitionem habere, vt pro natura morbi, præsertim occulti, conueniens præscribatur Antidotus. Nam Antidoti sunt variæ pro morborum occultorum varietate: vt habet Gal. cap. 1. inquiens: Medicamenta, quæ non extrinsecùs imposita, sed intùs assumpta, malas corporis affectiones sanant, Antidotos Medici vocant: quarum tres sunt omnes differentiæ. Nam aduersùs exitiales potiones quædam faciunt: quædam ad feras valent, quæ venenum ictu, morsuue relinquunt: quædam excitis malâ victûs ratione morbis auxiliantur. Nonnullæ verò tria hæc simul pollicentur; cuiusmodi est, quam Theriacam vocant, quæ ab Andromacho Medico composita, Mithridaticam penè antiquauit; ita & ab Authore suo dictam.

Præteritus morsus aspidis est signum veneni infestantis sequēti tempore.

Antidotus contra varia venena.

Vomitorium.

Mithridatium Theriacæ vires superat.

Antidoti variæ.

Antidotus quid.

Antidoti tres species.

Theriaca, omnis antidoti vim continet.

ctam.

ctam. Paulò post hæc, Galenus Mithridaticam Antidotum, nisi in morsu Viperæ, Theriacæ præponit. Sed de his satis.

Præterita demum futurum aliquem euentum significant, vt dũ Medicus audiuit, os Capitis, siue Cranium fractum fuisse, statim dicet, tophum futurum; quia cùm ossa regenerari nequeant, durum aliquod corpus, veluti osseum, ossis loco Natura generat: & tale corpus, tophus communiter nuncupatur.

Ex omnibus iam dictis liquet, præteritorum cognitionem commemorationẽq; plurimum afferre lucis Medico futura prædicenti, ægrumq; curanti. Præterquam autem quod præteritorum notitiæ non rarò incognitum effectum detegunt, curationem ipsam variant, vt in veneno affectis videre licet; imò in ijs qui manifestissimis morbis infestantur, eadem curationis variatio fit. Qui porrò Ephemera febre laborant, tametsi eos febricitare vnusquisq; percipiat, pro varietate causarum Procatharcticarum, à quibus eadẽ febris est accensa, curantur. Febricitet v.g. aliquis propter casum in aquam frigidam, aut propter natationem in aquis aluminosis; febricitet idem alio tempore propter longam morã in ardore Solis, aut propter iram: sanè, quamuis quælibet febris sui ablationem per contraria indicet, aliter illa quæ ab aquis aluminosis, aliter illa quæ ex ira procedit, curabitur. Febris namq; ab ira orta, quiete & refrigerantibus assumptis sedatur: sed ea quæ ex casu in aquam frigidam nascitur, non refrigerantibus tantùm, sed ijs quæ cutis meatus iam à frigore occlusos reserant, sudoremq; prouocãt, curatur. Et siquæ remedia vnctuosa cuti aperiendæ admouẽtur, magis calida, quàm frigida, esse debent: cuti verò illius, qui propter natationem in aqua aluminosa febre fuit correptus, linimenta, aut olea admouenda humida valdè, sed nõ excedẽtia vllo modo in calore.

Ratione varietatis causæ procatharcticæ variatur febris Ephemeræ curatio.

Hofmanno, plerorumq; Medicorum Censori, non placent Signa Anamnistica, siue Commemoratiua, hactenùs à nobis exposita. Libro hic 4. Institutionum Medicarum, Titulo, Aberrationes, post primum Caput, Paragrapho 12. Sennertum cum Capiuaccio pessundans, inquit: Nec omninò placet ex eodem stabulo petita distinctio Signorum in διαγνωστικά, Προγνωστικά, καὶ ἀναμνηστικά. Quorsum enim vltima hæc separantur à Diagnosticis? In Aberrationibus postpositis Capiti 2. lib. 4. Institution. Paragrapho 6. idem Hofmannus in Fuchsium clamans, inquit: Primus

Hofmãnus anamnistica repudiat.

Fuchſij lapſus eſt, f. 445. quod Signa Neutra admittit. Alter eſt, quod τοῖς ἀναμνηστικοῖς locum tribuit, cum ſi omninò recipienda ſunt, pertineant ad naturalia. In Aberrationibus tamen Capitis 1. citati Liddelium reprehendit, quòd triplicia Signa propoſuerit, Anamniſticorum tamen ampliùs non meminerit.

Erroris conuincitur Hofmannus. Verùm Hofmannus aberrationes alijs adſcribens, longè aberrat & ipſe. Primò quòd Fuchſium, Galeno, & toti Scholæ Medicæ adhærentem, Anamniſtica admittendo, reprehendat. Secundò, quòd Anamniſtica à Diagnoſticis non diſtingui aſſerat, cùm præterita à præſentibus non parum diſtent. Tertiò, quòd affirmet, Anamniſtica, ſi admittenda ſunt, ad Naturalia pertinere, cùm tamen antea ea à Diagnoſticis non diſtingui docuerit. Diagnoſtica, ſi non magis, ſaltem æquè, inſalubria, ac Salubria Signa comprehendunt. Quartò, quoniam Liddelium negligentiæ arguit, dum Anamniſticorum non ampliùs meminerit, quæ tamen Hofmannus plenè repudiat. Liddelius verò omiſſionis rationem reddit, quòd Anamniſticorum in Medicina vſus, non ſit maximus, vti Prognoſticorum, & Diagnoſticorum. Videtur ergo Hofmannus garritu plurimùm recreari, dum pleroſq; Medicos aberrare putauerit.

Perdulcis perſtringitur. Bartholomæus Perdulcis lib. 3. ſui Operis Medici, videtur reſtringere Signa Anamniſtica ad præterita Inſalubria tantùm; cùm tamen Galenus libro de Arte Medica cap. 7. Præterita, Salutaria etiam dici poſſe, aſſeueret. Vnde Libro Definition. Medic. Signum Anamniſticon hac ſerie deſcribitur. *Quid ſignũ anamniſticum.* Suggerens memoriæ Signum eſt, vt aiunt Empirici, res, quæ apparet, atq; ex antegreſſa obſeruatione innoteſcit vtilis rei, quæ cognoſcitur, ad memoriam reuocandæ.

Signa diagnoſtica. Anamniſticis, ſiue commemoratiuis, ſiue præteritis, iam expoſitis, ad præſentia Signa, Græcis διαγνωστικὰ, & fortaſſis δηλωτικὰ, ideſt, Demonſtratiua præſentis ſtatus corporis humani ſani vel ægri, accedendum. Et quoniam iuxta Galeni doctrinam, Salubria, Inſalubria, & Neutra, præſentia dici poſſunt, & Salubria non ſolùm dicantur Signa ſalutaria in morbis apparentia, verum-*Signorum latitudo.* etiam Signa Sanitatis præſentis, Præſens Signum ritè in Salubre, & Inſalubre diſtinguetur. His.a. cognitis, Neutrum Signum non difficulter percipietur. Signa Salubria Naturalia Medica ſunt illa,

quæ

quæ naturalem Corporis ſtatum produnt. Naturalis huius ſtatus integritas in tribus conſiſtit, temperamento partium ſimilarium, partium diſſimilarium integritate (quæ in bona conformatione, debita quantitate, numero, & ſitu, ac nexu, ſita eſt) & partium ſimilarium, ac diſſimilarium, debita vnione. Ex ijs, quæ in noſtra Pathologia de morbis Partium diſſimilarium, eorundemq; morborum cauſis docuimus, facilè erit, conſtitutionem naturalem, & præter naturam, partium diſſimilarium dignoſcere. Vnio autem partium diſſimilarium interſe, & vnio pariter ſimilarium, aperienti oculos cognitu non erit difficilis. Supererunt ergo exponenda Signa temperamentorum, tam totius, quàm partium; quoniam hæc nonniſi doctis innoteſcunt. Nos de Temperamentorum Signis, deque Partium, & totius Corporis temperamentis in noſtra Phyſiologia, fusè loquuti ſumus; quædam tamen non ita exactè à nobis inueſtigata, cum Galeno libro de Arte Medicinali, paulò poſt exponemus. Signa hæc naturalem corporis conſtitutionem prodentia, Naturalia communiter dicuntur. Hofmannus authoritate Galeni comment. 1. Prognoſtic. in expoſitione textûs 27. ductus, putat, Signa hæc naturalia συμβεβηκότα, rectè dici, quoniam Signa, quæ non accidunt, quæq; præter naturam, ſiue Inſalubria ſunt, à Medicis recentioribus, vt loquitur Galenus, ἀποσυμβεβηκότα, ideſt, non accidentia, nominantur. Verùm rectiùs & ſignificantiùs ab omnibus naturalia, quàm accidentia, dicuntur omnia Signa naturalem conſtitutionem indicantia: nam res etiam præter naturam accidentia ſunt, & præſertim morbus, ac Inſalubria Signa.

Naturalis ſtatus integritas.

Hofmãnus perſtringitur.

Quoad Signa, quæ ægritudines detegunt, Diagnoſtica communiter nuncupantur, licèt, ſi vim nominis ſpectemus, Signa Salubria, Diagnoſtica pariter dici mereantur. Γνῶσις, autem, idem eſt ac cognitio: γνώστης, cognitor: διαγνῶσις, dignotio, diiudicatio: διαγνώστης, diiudicator, ſeu ille, qui dignoſcit: διαγνώσκω, dignoſco, diiudico. Hinc efficitur, Signa Diagnoſtica, ſiue dignoſtica, comprehendere Signa quæuis, ſiue Salubria, ſiue Inſalubria, ſiue Neutra, dummodò rem latentem, ſiue incognitam, nobis patefaciãt. Cæterùm Signa Diagnoſtica, res præter naturam, & præſertim morbum, detegentia, Pathognomonica dicuntur; quia præſentem corporis ſtatum nobis declarant. Pathognomonicum Signum

Signorum diagnoſticorum latitudo.

Pathognomonicum signū quid. gnum, ex libro Definition. Medicarum, id est, ex quo affectus dignoscitur. Et ibidem hæc habentur: Præsentium præsentia Signa sunt Pathognomonica omnia, idest, affectuum indicatiua: hæc enim cùm fiunt, atq; adsunt, adsunt perinde, & affectus: cùm cessant, morbi quoq; soluuntur. Præsentia præteritorum sunt Signa, vt facti priùs vlceris, cicatrix. Præsentia futurorum, vt cadauerosa facies, mortis. Παθογνομόνικον, vox est composita ex πάθος, idest passio, & γνωμόνικον, idest indicans, aut statuens. Nam γνώμων, ονος, idem est ac cognitor, seu cognitrix, aut index. Vnde Pathognomonicum Signum idem erit, ac Signum indicans passionem, siue affectionem, affectumue præter naturam; quem affectum, triplicem cum Galeno, & vniuersa Schola Medica, in nostra Pathologia statuimus: morbum nempe, morbi causam, & symptoma. Non ob hanc doctrinam dico, symptomata Signis ad sui dignotionem egere; quia instar Signorum vt plurimùm se habent; sed vt omnia à quibus corpus patitur, cuiuis innotescant. Certum tamen est, quædam symptomata, præsertim ea quæ vim causæ obtinent, Signis ad sui dignotionem non raró egere. Coctio autem, quæ est facultatis concoctricis actio, non raró læditur, læsio tamen, nonnisi mediantibus Signis cruditatis, in excretis apparentibus, vel alia via, dignoscitur.

Plura symptomata signis egent, vt dignoscantur.

Vocem, Pathognomonicon, exactè exponere volui, vt meus Lector sibi à quibusdam caueat Interpretibus: Nam nonnulli Diagnosticon, δηλωτικόν, & Pathognomonicon, confundunt, & hæc tria idem significare contendunt. Aberrant tamen; quoniam Diagnosticon Signa salubria, æquè ac Insalubria, & neutra, dummodò præsentem corporis constitutionē, dispositionemue prodat, cōplectitur, vti paulò ante comprehensum est: δηλωτικόν verò idem est, ac demonstratiuum, declaratiuum, manifestatiuum, indicatiuum. δῆλος autem idem est, ac manifestus, perspicuus: δηλόω, manifesto, declaro. Itaq; quoduis Signum, siue Medicum, siue alterum, Diloticon dici potest: & in re Medica, Signa Salubria, insalubria, & neutra comprehendit. Adeòq; dilotica, & diagnostica, in rigore sumpta, fortassis coincident. Nam Diagnostica latè sumpta, non solùm Medicis, sed alijs quibusuis Signis, quibus rem aliquam dignoscimus, congruunt.

Occurritur quorūdam errori.

Dilotica & diagnostica coincidunt.

Diagnosticorum diuisio.

Licèt Signa Diagnostica insalubria, Pathognomonica multis Me-

dicis absolutè nominentur, ab alijs tamen in Pathognomonica, & συνεδρεύοντα, Synedreuonta (alij pronunciant, Synedresonda) dirimuntur. Pathognomonici Signi communem naturam exposui: Synedreuonta Signa ab omnibus passim Assidentia appellantur, quasi diceres, adsedentia, idest sedentia ad Signa ordinaria cuiusuis affectûs morbosi, vel præter naturam, actionem lædentis. Conuenientius tamen, meo iudicio, Signa συνεδρεύοντα dicta, cõsidentia, quasi cõsedentia, dicentur. Nam σύν (Atticè ξύν) Latinè dicitur, cum, vnà cum, simul cum: Εδριάω autem, Sedeo, Sedem habeo. Et συνεδρεύω, consideo. Συνεδρία, consessus. Vnde hæc Signa cum Signis affectuum sidentia, meritò considentia, vel consedentia, dicentur. Horum considentium Signorum quædam morbum statim à principio concomitantur, quædam posteriùs superueniunt: hæc ἐπιγενόμενα, & ἐπιφαινόμενα, nuncupantur. Επιγενόμενα, supernata, aut superuenientia, aut adnata, aut aduenientia dicuntur. Επιγίγνομαι, idem est ac supernascor, seu postnascor. Vnde οἱ ἐπιγινόμενοι dicuntur Posteri apud Isocratem. Idem verbum apud Theophrastum idem est, ac adnascor. Apud Thucid. succedo, subsequor, sequor, superuenio. Item exorior, existo, aduenio, accedo. Epiphænomena verò sunt ea, quæ superapparent, aut superuidentur: quasi de nouo apparentia. Φαίνω enim idem est, ac in lucem edo: item ostendo. Itaq; Signa epigenomena, & Signa epiphænomena, dici merentur illa omnia, quæ Signis Pathognomonicis accedunt, aut morbo in suo esse constituto præter consuetudinem superueniunt. Pathognomonicum verò Signum est id, quo morbus, aliæque res præter naturam, primariò dignoscuntur.

Synedresonda.

Considentiũ signorũ diuisio.

Epigenomena signa.

Epiphænomena.

Pathognomonicum assidentiũ.

Rem exemplis clariorem faciamus: Pleuritis est morbus, isq; inflammatio membranæ succingentis costas. Cuius quinq; sunt signa Pathognomonica, quibus dignoscitur: cuiusmodi sunt, febris acuta, respirandi difficultas, tussis, dolor punctorius lateris inflammatione affecti, & pulsus durus ac serratilis, siue ad modum serræ, pulpas digitorum Medici arteriam tangentis feriens. Hæc autem Signa sola & simul sumpta, & instar vnius signi, sed complexi, Pleuritidis naturam necessariò comitantur. Quandoq; a. statim a principio pleuritidis æquè ac Pathognomonica Signa, dolor in eadem Pleuritide ad clauim siue clauiculam peruenit,

Pleuritis quid.

Eius Signa Pathognomonica.

Signum considẽs in pleuritide.

aliàs ad hypochondrium descendit: & huiusmodi Signum assidens, siue considens, dicitur, sicuti tolerantia decubitus in latus dolens: Nam non semper, aut necessariò, hæc Signa Pleuritidi sunt annexa. Galenus lib. 1. Aphorism. comment. 12. rem hanc planè sic exponit: Vt autem Sermo, quem nuper diuidendo proposui, perfectus habeatur; quomodo à dictis differant, & quæ passionis significatiua, & quæ assidentia dicuntur Signa, hinc volo transigere, vnam in medium adducés pro exemplo passionem, hanc ipsam videlicet, quam Hippocrates nominauit. In morbo igitur laterali, acuta quidem febris vnà cum spirandi difficultate, & tussi, & dolore lateris pungente, Signa passionis (idest Pleuritidis) significatiuà nominãtur. Quòd autẽ dolor aut ad hypochondrium, aut ad clauem perueniat, assidentia dicuntur: sicuti quod faciliùs ad latus patiens, quàm in alterum, decumbat æger, ad idem genus assidentium attinet. Scripsit autem & Praxagoras, Nicandri filius, duo volumina de Asidentibus Signis: de ijs autem, quæ superueniunt, alium, ac si de mox apparentibus scriberetur. Hæc igitur mox apparentia, inquit Hippocrates, & bonam morbi iudicationem; & malam: morbumq; vel longum, vel breuem futurum ostendere.

Assidẽtia, & Significatiua, siue Pathognomonica distinguit Galen.

Assidẽtia & mox apparentia, siue Epiphenomena distinxerũt Antiqui.

Galenus quatuor tantùm Pleuritidis Signa in contextu proposuit, quintum omittens, pulsum videlicet durum, cuius sæpiùs alibi meminit: & patenter quidem lib. 5. de locis affect. cap. 3. Sanè, inquit, quæ in succingente costas membrana, ac musculis illi continuis (Continuum hic pro contiguo accipit Galenus, veluti Aristoteles lib. 1. meteoror. dum ait, necessum esse corpora inferiora superioribus esse continua. Ex quibus inferri potest Galenũ voluisse vnionẽ continui dissimilaribus partibus conuenire; Adeoque continuitatem, pro contiguitate aliquando accipi) fiunt inflammationes, morbum, quem lateralem vocant, efficere solent. Huius accidentia inseparabilia sunt, febris acuta, dolor perinde, acsi locus vel intendatur vel pungatur: spiratio frequens, & exigua: pulsus paruus, arteriam & duram, & quodammodo tensam indicans: tussis maxima ex parte cum sputis coloratis, nonnunquã verò sine his; has incoctas pleuritides nominant, quæ vel celeriter hominem rapiunt, vel longo temporis spatio finiuntur. Ac dolor plerũmq; ad iugulum, vel ad præcordia peruenire videtur. Hîc

Pulsus durus, est pleuritidis signum, superius omissum à Gal.

Incoctæ pleuritis.

etiam,

etiam, vt videtis, meminit Galenus Signi assidentis, & plerumq; in Pleuritide apparentis.

Cæterùm hæc assidentia, inter Signa pathognomonica locum habere, negant plerique Medici. Galenus verumtamen libro 3. Epidem. Comment. textûs 34. nonnullorum controuersias hác de re proponit. Hippocratis contextus sic se habet: Febrium ardentium, quæ vigebant, hæc erat natura. Initio Comatosi erant, Fastidiosi, inhorrescebantque; Febris non acuta, neque magnoperè erant sitibundi. Hic textus in tantam admirationem plures Medicos excitauit, vt Pathognomonica signa non esse Pathognomonica, censerent. Ratio ipsorum ex contextu desumitur. Hippocrates autem ait, in illa constitutione Austrina hos qui ardente febre corripiebantur, statim à principio fuisse comatosos. Fastidiosi pariter erant: horridi, febre non acuta laborabant: non valde siticulosi, non deliri. Ratio, inquam, admirationis Medicorum ex contextu Hippocratis desumpta, est. Nam febris ardentis peculiaria, & Pathognomonica Signa, sunt assidua sitis, & deurens calor. Hippocrates tamen retulit, quòd febricitantes illi non erant magnoperè sitibundi. Quod deniq; calor febrilis non deurebat, patet ex eodem Hippocrate, qui monuit in contextu, febrem illam ardentem non fuisse acutam, sed somnolentam, & delirio carentem: cùm tamen febris ardens, acuta necessariò esse debeat, & cum vigilijs potiùs, quàm somno, & cũ delirio frequentiùs, quàm cum mentis cõstãtia. Multi ergo Medici, ob hæc, alia Signa Pathognomonica febris ardentis expiscabãtur, recurrentes ad fastidiũ semper annexũ ardẽti febri, & ad exceremẽta biliosa, & colliquationes.

Signa Pathognomonica febris ardentis.

Fastidium febri ardẽti annexũ.

Sed Galenus hos refutans, ait, fastidiũ etsi persæpè ardentibus febribus sit annexum, non esse tamen perpetuum, & inseparabile Signum. Pariter loquendo de biliosis excrementis, monet hæc non esse Pathognomonicum Signum febris ardentis. Neq; enim, inquit, mera in solis ardentibus febribus biliosa alui reddunt: neq; his solis syntexis, .i. colliquatio, accidit: Verùm sunt hæc quidem symptomata maligna, & exurentium febrium: qui tamen ista excernunt, multi modicè sitiunt, & calores febris ferunt. Verùm in præsenti statu (inquit idem Galenus) ne tales quidem erant deiectiones: Nam aluus (vt loquitur Hippocrates sequenti tex. 40.) his plerisq; turbata erat, atq; deiectiones crudas excernebant, & multas,

Cuidã difficultati occurrit Galenus.

Excremẽta biliosa & colliquatio in ardentibus sunt signa maligna.

& tenues. Videtur ergo Hippocrates febrem ardentem assiduitate cognoscere sitis, calorisq; exurentis: sicut Phrenitim perpetuò delirio. Sic enim quamuis non perinde sitiant ægri, neque valdè exurantur, per totum autem morbum dicta duo sint symptomata, febris ardens esse dicetur morbus: existetq; alia febris hac calidior, vt & corpus fundat, reddatq; deiectiones biliosas, & colliquatiuas. Sed non appellabitur febris ardens, nisi adiuncta perpetuò habeat per totum morbum paulò ante commemorata duo, irrequietam sitim, quantumlibet biberint; ac iniucundum, & ardentem, fastidiosumque calorem. Proinde adest ferè illis intensissima sitis, & febris feruidissima. At rarò, vti nunc, cùm febris non esset planè acuta, etiam non perinde ægri erant sitibundi: quæ ob id ipsum signauit, sicut etiam hoc, nullo pacto fuisse deliros eos; quoniam hoc etiam ardentibus febribus accidit.

Duo Signa ardētis febris.

Ardens febris remisse; altera ardens intense.

Fastidiosus calor est qui inquietum reddit ægrum.

His Galenus concludit, speciem affectûs manere non posse Signis Pathognomonicis remotis: paulò enim ante ait: Quorum (.i. Signorum) separari illa (idest Pathognomonica) non possunt, & affectûs (vt ita dicam) constituunt essentiam: Assidentia verò ex ijs sunt, quæ sæpè illis accidunt. In febre ergo illa ardente ab Hippocrate descripta Signa aderant Pathognomonica, Sitis, & calor molestus; licèt non adeò tunc vrgebant hæc Signa, sicuti in ardentioribus febribus; quamquàm febris illa ardens esset, non fuit tamen valdè acuta. Sunt qui particulam, non, à dicto textu separabant, & legebant (Febris acuta); quia impossibile iudicârant, febrem acutam ab ardente separari; cùm ardens acuta sit. Quamquàm probabilem reputet Galenus vtramq; lectionem, illam tamen, quæ cum negatione habetur, magis probare videtur. Et summa quidem cum ratione; quoniam si febris illa fuisset valdè acuta, pariter & valdè ardens extitisset; adeoque sitis inexplebilis semper vexasset, vnà cum ardore intensissimo. Si cui tamen placet Lectio sine negatione, siue particula, non, per me quidem licet: & sensum inde bonum exprimi puto. Nam dicatur febris illa ardens acuta, fortassis rectè. Et licèt febris ardentis Signa pathognomonica, sint sitis intensissima, & iniucundus, ardens, fastidiosusq; calor, hæc tamen propter somnolentiam, & humorum fusionem non ita vrsisse videbantur; & præsertim in febris principio, de quo, non de alijs temporibus, loquutus est in citato textu Hip-

Pathognomonica & assidentia distinguūtur.

Galenus Hippocratē exponit.

Hippocrates. Vnde postquàm in contextu Galenus æstuare, & perpetuò sitire, ijs, qui ardenti febre infestantur, peculiaria esse docuit, inquit: Nullumque propè dixeris eximium esse aliud febrium ardentium insigne, verùm abundè hisce duobus affirmaueris compleri, sitim assiduam, atq; exurentem calorem ægris sentientibus. Verum hic status cùm caput multa humiditate impleret, comatosum, aut omnibus, aut plerisque, vtcunq; laborarent, symptoma attulit sub morbi inuasionem, vbi praui humores nondum eò deuenerant acredinis, vt vigilias vehementes, deliria, phrenitimq; concitare possent. Ac coma perrarò febribus ardentibus est adiunctum, fastidium persæpè: non est perpetuum tamen, vt prædicta duo, assidua sitis, & deurens calor. Horrent verò, qui febre ardente tenentur, rarò.

Duo sola sunt febris ardentis signa.

Coma ardẽtibus rarò superuenit.

His visus est Galenus causam somnolentiæ siue soporis, siue Comatis, febrem illam ardentem ab initio concomitantis, exponere: veluti causam absentiæ maximæ sitis, & horroris. Febricitantes ergo comatosi erant duplici de causa: & quia humores in cerebro fundebãtur ob Austrinam temporis constitutionem, quæ capitis grauitatem, adeoq; somnolentiam peperit: & quia tempus ex sua natura humidum erat; vt ex Hippocratis præcedenti textu 33. constat: Quin, inquit, febres etiam ardentes, & Phrenitis, ante ver cœperunt post illa frigora, quæ præcesserant: ac plurimi tum diu ægrotabant: acuta autem his, & lethalia contigêre. His. a. naturam temporis, quo febres illæ exortæ sunt, nobis significauit Hippocrates: quod tempus finis fuit hyemis, & veluti veris præludium. Humores. a. putridi, quos pridem, vt æstate, vel autumno præcedenti, aëris temperamentum pepererat, à frigore in extrema præsertim hyeme, in altum, siue in intimiora corporis impulsi sunt, qui concitaturi erant morbos Sacro Igni assimiles, vt in comment. loquitur Galenus: Ab Austrina rursùs constitutione humores præfati fusi sunt, & commoti. Pluuiæ deniq; humores superfluos, & fluxiones auxêre. Fluxio humorum à Capite ad habitum corporis, inordinatum quendam horrorem parere potuit; sicuti & humor ab intimis partibus corporis ad superficiẽ expulsus. Non mirum ergo, si non valdè sitiebant ægri; tametsi non delirarent. Non dubitauit Hippocrates, sitim non vrgere in delirantibus, qui mente capti potûs obliuiscuntur. Fastidiosas fuisse di-

Febricitantes cur comatosi.

Tempus quo grassari cœperũt febres illæ ardentes.

Vigente frigore ad intimiora corporis humores impelluntur.

Humores à capite fluẽtes, non secus ac illi qui à cẽtro corporis ad superficiẽ deturbãtur, horrorem procreant.

dictas febres docuit Hippocrat. propter malignam quandam in humoribus excitatam putredinem.

Fastidium & coma, signa assidentia. Concludendum ergo, pathognomonica Signa dictę febris fuisse, sitim, & æstum: Fastidium verò, Signum assidens. Coma verò, etsi assidens dici mereatur, cùm statim à principio morbi ægros corriperet; quia tamen raro ardentibus superuenit, Epiphænomenon rectiùs dicetur. *Comatis causa.* Erat autem pessimum Signum, nimiam humiditatem indicans, vel certè naturæ corruptionem.

Licet Epigenomena, & Epiphænomena Signa, assidentia, vt diximus, appellari possent, videntur tamen apud antiquos aliquam habuisse inter se distinctionem, vt satis liquet ex comment. Galeni iam translato, tex. 34. lib. 3. Epidem. & comment. 12. lib. 1. *Assidentia signa quæ.* Aphorism. in quorum illo assidentia Signa definit esse illa, quæ sæpè morbis accidunt; biliosas verò deiectiones, & colliquationes febribus ardentibus superuenientes, maligna febrium adurentium symptomata appellat; & cum raro contingant, ea ab assidentibus distinguere videtur. Quemadmodum in hoc, ideſt comment. illo aphor. 12. libri 1. dum à Praxagora duos libros de assidentibus scriptos refert, veluti vnum de superuenientibus, siue mox apparentibus, tanquàm distinctis ab assidentibus. *Pathognomonica quæ.* Vnde Pathognomonica dicuntur ea, quæ morbi essentiam potissimùm produnt, adeoque τεκμήρια dici merentur: *Assidentia quæ.* Assidentia quæ sæpè morbum comitantur, aut superueniunt, sed non necessariò, quia à morbi essentia non emanant: *Quid assidentia indicant. Nota.* Vnde non ad morbi naturam venandam ijs egemus, sed vt aliquam morbi conditionem, vt magnitudinem, aut motũ, aut curandi modum sciamus. Dolor v. g. statim ad iugulum vergens Pleuritidis magnitudinem, & malum morem significat, & curationem per venæ Sectionem indicat: Dolor verò Pleuriticus ad hypochondria extensus, purgationem, teste Hippocrate, mox expostulat. *Fastidium quid indicat.* Fastidium pariter, siue inquietudo, & anxietas in ardenti febre, malum morbi morem subindicat, & refrigerantia, ac putredinẽ coërcentia requirit. *Epiphænomena.* Epiphænomena vocãt illa Signa superuenientia, quæ morbi motum, celerem nimirum, aut tardum, significant: veluti, & illa quæ morbi morem, aut futurum euentũ ostendunt: *Benignitas morbi, in quo sita.* Morbi mos est, vt sit benignus, aut malignus: benignitas consistit in facili tolerantia, quoties apparent Signa coctionis, & in symptomatum omnium remissione. Hæc eadem salutem futuram

ram portendunt: E contra malignitatem morbi significant, difficilis tolerantia, sæua symptomata, eaq; superuenientia; vt si Phrenitis, alui profluuium, & vigilia, Pleuritico contingerent. Placet quibusdam maligna hæc, & pleraq; alia consimilis naturæ, Epigenomena nuncupare. Verum, vt sæpiùs innui, Epigenomena, & Epiphænomena, eandem sortiuntur Significationem. Et pleraq; Signa à Pathognomonicis distincta, rectè Synedreuonta, siue assidentia, siue considentia, nominari possunt.

Tertium modò Signorum genus, quod Προγνωστικον appellatur, exponere par est. Πρόγνωσις autem idem est ac Prænotio, siue Præcognitio, siue Præsensio, rerum futurarum, ex præsentibus tamen Signis eruta. Vnde Signa prognostica censentur cuncta illa, quæ futurum euentum nobis præmonstrant. Et huiusmodi sunt Synedreuonta, siue assidentia Signa, in lata accepta Significatione, quatenus nimirum omnia Signa, præter Pathognomonica, complectuntur, vt assidentia strictè sumpta, Epigenomena, & Epiphænomena. Hæc doctrina non est à Galeno remota, qui assidentia Signa ad prædicendum idonea fore docuit lib. 1. de Crisib. cap. 7. inquiens: Quæ verò acutis assident ægritudinibus in Prognosticis (scripsit Hippocrates): quoniam hic liber (vt iam sæpiùs ostendimus) de solis est morbis acutis. Licèt superuenientia Signa, ad prædicendum, primum obtineant locum, Pathognomonica tamen non omninò inutilia prædictioni videntur, docente Galeno Comment. 2. in librum Hippocratis, de Humorib. tex. 1. vbi ait: Non omnes tamen, qui explanationes conscribunt, nôrunt Signa alia esse morbi propria, quæ quia affectum indicant, ideò παθογνωμονικά nominantur, & ad præsagiendum accommodata: alia verò inseparabilia. Rectè sanè Pathognomonica, siue propria morborum Signa ad præsagiendum aliquid conferre docuit Galenus; quia, tametsi Prognosis, vt plurimùm ab assidentibus, siue considentibus, & separabilibus Signis desumenda sit, pathognomonica tamen morbi essentiam detegentia, vim habent non exiguam futurum morbi euentum præmonstrandi. Nam morbi cuiusuis natura præcognita, Medicus lethalem, vel salubrem, vel ambiguum, talem pronunciabit morbum. Exemplis rem sic accipite. Apoplexia duo habet Pathognomonica Signa, priuationem videlicet motûs, simulque priuationem sensus: quocirca per hæc sym-

Prognosis quid.

Signa prognostica.

Superuenietia Signa ad prædicendum maximè conferunt.

Pathognomonica ad prædicendum non inutilia.

Quidam morbi ex sua natura lethales, quidã ex se minimè lethales.

symptomata definiri solet, vt dicatur priuatio sensûs & motûs in vniuerso corpore. Huius itaque, æq; ac consimilium affectuum, idæa iam comprehensa, fas erit vitæ discrimen pronunciare. Ex aduerso, quoties proprijs Signis febris purè tertiana, aut purè Ephemera percipitur, salutarem euentum pronunciabit intrepidè Medicus, dummodò non commiserit idem Medicus in medendo errorem, aut æger, aut Astantes: Quibus adde requisitorum defectum. Nam Medici error, veluti ægri, aut Assidentium, aut omnium simul, vel rei necessariæ defectus, morbum ex sua natura benignum, in grauem malignumue, commutabit, aut commutationis prauæ causa, procul dubiò, censeri debet.

Quòd præterea præsentia Signa, etiam Pathognomonica, vim habeant præmonstrandi futurum euentum, patet ex Galeno lib. 1. de Præsagitione ex Pulsib. cap. 1. dum inquit: Non esse futurorum tantùm præscientiam, sed præsentium etiam, atq; præteritorum, satis id olim demonstrauit Hippocrates. Hîc Galenus luculenter docet, Hippocratem voluisse, non solùm futura, sed præsentia, & præterita prædici posse; adeoq; rerum præteritarum, atq; præsentium diuinationem quandam esse: & quidem mediantibus præsentibus Signis; siue hæc Synedreuonta fuerint, siue Pathognomonica. Hippocratis doctrina à Galeno citata habetur Libro Prognosticorum statim post prima verba: Præsentiens enim, inquit, & prædicens coram ægris præsentia, præterita, & futura, quæque infirmi omittunt, enarrans, creditur agnoscere magis ægrorum res. Ex his Hippocratis verbis liquet, Prognosim, siue prædictionem versari circa præsentia, præterita, & futura. Quæ omnia fieri nequeunt nisi mediantibus Signis quibusuis. Vnde efficitur Pathognomonica nòn ad præsentium affectuum cognitionem tantummodò conferre, sed insuper ad futuri euentûs morbi præcognitionem.

Datur prædictio præsentiũ, & præteritorum.

Prognosis latitudo: estque veluti diuinatio.

Signa Prognostica in triplici sunt differentia, teste Galeno lib. 1. de Crisib. cap. 14. Libro 1. Aphor. comment. 12. & comment. 2. in librum de humorib. tex. 1. Loco citato de Crisibus ea sic exponit: Triplex quidem Signorum omnium natura qualis sit, mihi antea dictum est: sed nihil deterius est nunc repetere, quod nonnulla quidem cruditatis & coctionis, quædam mortis & Salutis sunt signa: hæc quidem duo sunt genera: Tertium autem, & aliud ge-

Signa prognostica triplicia.

genus est, quod Crisibus adiacet. Coctionis igitur, & cruditatis Signa, alui excrementa, & sputamina, & vrinas statuere oportet: Mortem autem, atq; salutem portendentia sunt, quæ vnà cũ istis excernuntur, & quæ per totum apparent corpus. De quibus latiùs in Libro Prognosticorum Hippocrates scribit. Sanè ad Crises aliquid quidem valent, & nonnulla ex his. Commentario cit. in librum de Humorib. eandem doctrinam hac serie scripsit: Verùm illud indagemus, Salusne, an Mors ægri expectanda sit: tum omnia, & signa, & symptomata, quæ in corpore apparent, necesse est diligenter perpendere. Sunt etiam concoctionis, & cruditatis Signa; sicut quædam salutis, aut mortis: quædam iudicationis. Ac concoctionis quidem, cruditatisq; Signa sunt, alui excrementa, sputa, & vrinæ. Salutis ac mortis sunt, quæ cum illis excernuntur, & in toto apparent corpore. Iudicationum verò non est vnum proprium, præcipuumq; genus Signorum: sed alio in tempore, & in alio morbo, erunt Critica Signa; in alio verò affectu, aut alio morbi tempore, erunt, vel symptomata, vel praua Signa, ac nullo modo critica. Quocirca Hippocrates in secundo de vulgaribus morbis libro rectè censuit, decretoria non iudicantia, partim mortalia esse, partim difficulter iudicare. Ac Signa quidem concoctionis bona semper sunt, cruditatis non bona, &c.

Coctionis & cruditatis Signa.

Signa salutis & mortis.

Signa critica.

Decretoria non decernentia partim mortalia, partim difficulter iudicant.

Hi Galeni contextus egent expositione. Vult enim, vt diximus, Signa Prognostica in morbis esse triplicia: quædam coctionis & cruditatis; quædam salutis aut mortis: quædam verò critica siue iudicatoria, siue decretoria dicta. Signa coctionis & cruditatis tria esse statuit, excrementa quę ex aluo per podicem protruduntur; Vrinas, & sputa. De his hoc modo loquitur lib. 1. de Crisibus cap. 7. Hæc igitur tria Signorum genera propriam cuiusq; membri coctionem significant: inferioris quidem ventris excrementa, quæ secundùm naturam se habuerint: venosi verò generis, vrinæ: instrumentorum autem duntaxat, quibus spiramus, sputamina. Sicuti .v. hæc, locorum ipsorum ex quibus excernuntur, indicia præbent, eodem, vt arbitror, modo, & vrinæ renum, & meatuum per quos vrina defluit, & vesicæ, & penis. Quibusdam interpositis eandem doctrinam iterum Galenus repetit: Hæc igitur, inquit, tria Signorum genera, vt dixi, singula quæque coctionis præbent indicium: vrinæ quidem, eius, quæ fit in venis:

Signa coctionis semper bona, cruditatis mala.

Signa coctionis & cruditatis triplicia.

Quodlibet excrementum statum coctionis quæ fit in loco è quo deponitur significat.

deiectiones autem, eius, quæ in ventre: sputamina verò, eius, quæ in spirandi instrumentis. Si hæc omnia, deiectiones videlicet siue fæces, vrinæ, & sputamina, cocta apparuerint, & alia adfuerint Signa bona, benè de ægri salute sperandum: si verò cruda fuerint, non adeò sperandum. Signa coctionis & cruditatis tractatu de vrinis, & de fæcibus, ac sputis, à nobis integrè expendentur. Modò dicere sat est, Signa coctionis semper esse bona; vt quæ morbi solutionem haud ita multò post futuram ostendant, vt loquitur in commentario aphor. 12. lib. 1. Galenus: Signa verò cruditatis, malum, aut dubium euentum prænotare. Galenus lib. 1. aphoris. 12. iam citato, de Signis cruditatis sic loquitur: At verò Signa cruditatis diutinum quidem ex necessitate morbum significant: sed quantum in ipsis est, ne moriturum, neq; euasurum è morbo hominem ostendunt: Tibi verò priùs ægroti vires expendenti etiam ex his licet præcognoscere.

Nota.

Signa coctionis sẽper bona.

Nihil certi ex solis signis cruditatis prædicitur.

Secundum genus Signorum Prognosticorum, salutis & mortis Signa comprehendit. Signa salutaria, eaq; semper optima in morbis sunt, robur omnium virium, coctio excrementorum, & mente constare, ac benè se habere ad oblata: siue benè appetere alimenta & potulenta, quæ debitis temporibus, & mensurâ, offeruntur: his addere licet viuidum floridumue corporis colorem, cæteraq; cuncta, quæ in statu sano apparuêre. Signa insalubria, aut mortem præmonstrantia, ex varijs desumuntur capitibus: vt à virium prostratione, immodica corporis extenuatione, viuidi coloris extinctione, & ab ijs quæ extra corpus excernuntur: quæ omnia Galenus paucis complexus est Comment. 2. cit. in librum de Humoribus, dum inquit: Ac concoctionis quidem, cruditatisq; Signa sunt alui excrementa, sputa, & vrinæ: Salutis, ac mortis sunt, quæ cum illis excernuntur, & in toto apparent corpore. Rectè sanè & ab his quæ in toto corpore apparent, & quæ cum excrementis excernuntur, Signa salutis & Mortis, deprehendi dixit: nam si actiones facultatum omnium, & habitus corporis commodè se habeãt, sique excrementa cocta fuerint, salutis certa sunt præludia: ex aduerso, si, præter virium infirmitatem, aliquid cum excrementis excernitur omninò præter naturam, mali erit ominis. Exemplo rem declarat Galenus lib. 1. cit. aphor. 12. sputum in Pleuritide proponens. De morbo ergo laterali, siue Pleuritide, dis-

Signa salutis.

Signa mortis.

E quibus Signa mortis eruuntur.

differens sequentia profert: Tum crudissimus morbus (idest Pleuritis) est, in quo nihil omninò expuitur: secundum ordinem obtinet ille, in quo sanies tenues: tertium, in quo crassiores: & quartum in quo perfectam habent coctionẽ. Verùm si hæ circa tertium vel quartum diem apparuerint, non contingit morbum transcendere septimum diem. In alijs verò singulis necesse est, vt pro coctionis modo mensura temporis consequatur. Sicuti igitur sputum perfectæ coctionis Signum est, quando album fuerit, & lene, & æquale consistentia, neq; nimis humidum, neque nimis crassum: eodem modo integram cruditatem ostendit, quod nullo modo expuitur. Quod si expuatur quidem, sed tamen adhuc tenue sit, debilis coctionis est Signum. Quod si impermixtum fuerit, vel flauum, vel rufum, haudquaquàm. Quod si liuidum fuerit, aut ærugini simile, aut nigrum, perniciosissimum existit.

Crudissima pleuritis. *Minus crudæ pleuritides.* *Cocta pleuritis.* *Prognosis ex Signis coctionis & cruditatis desumpta.* *Sputum coctum.* *Sputa praua.*

Dilucidè naturam cruditatis exposuit Galenus in hoc contextu. Pariter malorum Signorum, imò & lethalium exempla quædam proposuit, naturam tradens eorum, quæ cum excrementis excernuntur. Quemadmodum ergo meraca excrementa Hippocrates ipse in Prognosticis, Aphorismis, alijsq; in locis, perniciosa appellat, ita Galenus translato iam contextu liuidum colorem in sputo damnat; nigrum similiter, & flauum, rufumque, quibus addimus viridem. Nec solùm in sputis, sed in excrementis per intestina euacuatis, ijsque quæ per vias vrinæ excernuntur, cuncta hæc damnanda veniunt; quoniam præfati colores longè à naturalibus excrementorum coloribus recedunt: imò substantia ipsa coloribus dictis tincta, à causis præter naturam potentissimis nascitur; adeoque res erit, vt plurimùm, toto genere præter naturam, perniciosissimumque vbiuis indicium. Dum enim Galenus Signa salutis aut mortis ab ijs, quæ cum excrementis excernuntur, desumenda docet; non intelligit aliud cum excrementis coctis excerni, vt inde salus prædicetur, præter Signa ipsa Coctionis. Verùm Signa lethalia, quæ ab excretis desumuntur, sunt res quædam, vt plurimum toto genere præter naturam. Dixi, vt plurimùm, quoniam res quædam naturales, mortem infallibiliter prænunciantes aliquoties excernuntur, vt sanguis purus propter vlcus pulmonum eiectus: portio eorundem pulmonum etiã per os expulsa: cartilago pariter aliqua è trachæa

 ar-

arteria, aut bronchijs eius deturbata.

Signa critica. Tertium genus Signorum futura prænotantium, dicitur Criticum, siue Decretorium, siue iudicatorium. Signa Critica, si cum Signis coctionis appareant, salutarem euentum significant, teste Gal. tum alibi, tum lib. 3. de Cris. cap. 3. dicente: Primum quidē, & maximū inter omnia, est considerare coctiones ex vrinis, & alui excrementis, & sputaminibus: Siquidē ego millies cùm, dum crises fierent, interessem, neminem vnquàm vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset. *Crisis superueniens Signis coctionis sēper bona.* Non tamen æqua omnium Signorum dignitas existimanda est; sed in morbis quidem thoracis, atq; pulmonis, sputamina præcipuè sunt animaduertenda: non tamen vrinarum contemplatio est negligenda, sed & alui excrementa sunt inspicienda. *Quæ excrementa in morbis partium perpēdēda.* Si verò tantùm febricitent sine alicuius visceris passione, aut cum inflammatione hepatis, vel renum, vel vesicæ, vel splenis, maximè vrinis animum oportet adhibere: sicut, si circa ventriculum passio sit, primum excrementis alui: deinde neq; vrinæ sunt negligendæ. *Vbi febris adest, semper vrina inspiciēda.* Semper enim, cùm febris affuerit, vel ex sola humorum putredine accensa, vel ex mēbro inflammationem patiente, præcipuè vrinas inspiciendas censeo, atq; deinde coctiones agnoscēdas, sicuti & priùs definiuimus. *Signa bona crisis.* Primū quidem, & maximum instātis bonæ crisis indicium sunt coctiones. Secundū autē, quod ab aliqua die indicatoria antea indicetur, cui annexa est diei iudicantis potētia, &c. *Malæ crisis futuræ indicia.* Si verò cū Signis cruditatis Signa critica cōtingant, iudicationē siue crisim non bonā, quæ aut in perniciem agat, aut in longū tempus morbum producat, præsagiunt; referente Gal. lib. 1. Aphor. 12. de Signorum Criticorum natura, & differentijs fusè satis sequenti libro de Crisibus agemus: De Signis Coctionis, & Cruditatis, libro de Vrinis, & libro de fæcibus, sputis, & Sudoribus: De Signis Salutis & mortis, tum in his ipsis libris, tum libro de Pulsibus, & fortassis peculiariter in huius Operis fine: & quoniam maximi sunt momenti, sequenti libro de Crisibus, aliquid de ijsdem dicemus.

Proprium & inseparabile Signum. Præter relatas Signi diuisiones, subdiuisionesq; alia extat diuisio Signi in proprium, ac inseparabile. Proprium Signum, Pathognomonicum dicitur Galeno, Comment. 2. in Librum de Humorib. contextu primo. *Signum collectiuū.* Pathognomonicum, propriumue Signum, pro collectione plurium Signorum, quàm pro singulari, frequentiùs

tiùs sumendum puto: quoniam singularia propria Signa rara sunt; raròq; ideo vni soli, semper, & omni conueniunt. Apoplexiæ enim Signum complexum est priuatio sensûs, simulq; priuatio motûs in vniuerso corpore. Vnde non integrè Apoplexiam indicat priuatio solius motûs, aut priuatio solius sensûs, sed vtriusq; simul priuatio. Similiter Cholera morbus non solo alui fluore, nec vomitu solo, sed vomitu bilioso, simul & diarrhæa, vel alui fluxu, dignoscitur.

Galenus lib. 5. de Loc. affect. cap. 3. ea, quæ Pathognomonica vocamus, inseparabilia appellat, inquiens: Sanè, quæ in succingente costas membrana, ac musculis illi continuis, fiunt inflammationes, morbum quem lateralem vocant, efficere solent. Huius accidentia inseparabilia sunt, febris acuta, dolor perinde, acsi locus vel intendatur, vel pungatur: spiratio frequēs, & exigua: pulsus paruus, arteriam, & duram, & quodammodo tensam indicās: tussis maxima ex parte cum sputis coloratis, nōnunquàm verò sine his; has incoctas (siue sputo carētes) Pleuritides nomināt, quæ vel celeriter hominē rapiunt, vel longo tēporis spacio finiuntur. Ac dolor plerumq; ad iugulum, vel ad præcordia peruenire videtur. Si hæc Gal. doctrina cum illa, quā posuit Comm. 2. in lib. de humoribus, conferatur, contradictio emerget satis manifesta. Nā loco cit. de Humorib. inseparabile Signum à proprio, quod Pathognomonicum appellat, distinguit. Pathognomonica verò Pleuritidis Signa inseparabilia appellat. Vnde propria Signa, erunt separabilia, & non erunt; quod manifestam inuoluit contradictionem. *Dubium.*

Controuersia hæc hoc pacto concilianda videtur. Galenus cōplexum Signum Pathognomonicum, & proprium optimè nominauit. Nam reuera omnium Signorum alicuius ægritudinis veluti congeries, eidem soli conueniunt ægritudini, & non alteri: eandemq;, & non alteram significant. At verò si Signa quæuis seorsim sumantur, inseparabilia potiùs, quàm propria dicenda sunt: inseparabilia, inquam, quia semper tali ægritudini annexa, non tamen propria, sed communia; quoniam alias comitantur ægritudines. Exempli gratia, respirandi difficultas est Signum inseparabile Pleuritidis, eiq; semper competit, non tamen soli; cùm in Peripneumonia siue inflammatione pulmonum, Asthmate, & consimilibus, semper appareat. Febris pariter acuta, etsi à Pleuritide *Solutio.* *Inseparabile signū à proprio quarto modo distinguitur.* *Signa cōmunia, & inseparabilia simul.*

nun-

nunquam separetur, donec sedata fuerit, in Peripneumonia reperitur: Tussis similiter; Dolor fortassis punctorius, & pulsus durus ac serratilis, propria Pleuritidis Signa à quibusdam dicerentur; Sed neq; hæc quidem, si cum rigore loquendum: nam inflammato peritonæo, & inflammatis cerebri membranis dolor punctorius optimè accedere potest. Et pulsus durus in conuulsione, & hectica febre percipi adhuc potest. Qui tamen volet, dolorem punctorium, & pulsum serratilem, densamq; respirationem soli Pleuritidi congruere, non longè fortassis à veritate recedet.

Signũ cõmune & proprium. Separabile & inseparabile. Hinc elicitur duplex Signi diuisio: Vna in commune, & proprium: altera in separabile, & inseparabile. Separabile Signum est illud quodcunque, quod à morbo separari potest, seu id, sine quo morbus existere valet. Et talis naturæ sunt omnia superuenientia Signa. Inseparabile Signum est illud, quod morbum semper comitatur; vt tussis in Pleuritide, febris pariter acuta: quæ, vbicunq; Pleuritis inuenitur, semper adsunt. Signum proprium, quod soli, semper, & omni competit; & indicium, ac Signum pathognomonicum, demonstratiuumq; dici potest, vt complexum Pleuritidis Signum, quinq; peculiaria comprehendens: Commune est, quod in diuersis morbis reperitur: vt tussis in Pleuritide, & Peripneumonia, & Empyemate. Commune hoc cum inseparabili confunditur, nisi velis, inseparabile latiùs patere: quòd propria Signa quarto modo inseparabilia verè dicantur. Quod enim rei intimius est, maximè inseparabile est. Et hæc de præcipuis, communioribusq; Signorum Medicorum diuisionibus sufficiant.

Obiectio. Argutulus aliquis, contentionibus quàm veritati magis addictus, mox obstrepet, à me signi Medici definitionem omissam esse; cum tamen signorum medicorum naturam prolixiùs fortassis quàm cæteri scriptores prosequar.

Solutio. Sed intestinam vesaniam cohibeat, & me arguendo, ne latè eam diffundat. Nam in vasto Galeni opere, aut Hippocrate breuiloquo, non extat Signi Medici in vniuersum formalis aliqua definitio; benè tamen signi in vniuersum: vti ex libro definitionum medicarum, ex libro de historia Philosophica, & modernis Philosophis, nos, quasdam omnibus signis conuenientes eruendo, ostendimus. Non est enim difficile communes illas signi definitiones (quas Medicus præsupponere debet, & ad lucrũ signo-

rum

rum diuisionem statim descendere) ad Medicum Signum contrahere, ne quis nimis anxiè de me conqueratur. Signum ergo Medicum est, id omne, quod aliquod nobis ignotum, circa corpus humanum sanum, & sanabile, patefacit. Addidi sanum, & sanabile, quoniam quædam à Philosophis proponuntur accidentia, quæ nostræ intellectiuæ potentiæ materiam, formamq; patefaciunt, vt infinitorum Philosophorum fert opinio. Ergo patefactio alicuius rei in corpore humano, non à solis fit signis Medicis. Quare signa quæ aliquid ignotum in corpore humano, aut extra corpus humanum, sanitatis, aut morbi gratia nobis detegunt, verè signa medica dicentur: siue hæc causæ fuerint, siue effectus, siue aliud quiduis.

Hinc efficitur seuerum Galeni censorem, delirantem nimirum Argenterium parum congruè signum definiuisse Commentario secundo in Artem Medicam, vbi ait: Sed Signum dicimus esse in arte nostra id, quod potest aliquid significare eorum, quæ fiunt in nostro corpore. Hæc inquam definitio non est bona; quoniam dantur signa quædam Medica rerum extra corpus humanum positarum, causarum videlicet Procatharcticarum, quarum quædam salubres signorum Salubrium interuentu, aliæ insalubres insalubrium pariter signorum interiectu, dignoscuntur: quædam neutræ, quæ suis etiam signis elucescunt. Ex ipsa Argenterij doctrina nostræ sententiæ veritas confirmatur. Porro, inquit, per signa cognoscere oportet quæcunque eueniunt nostro corpori: quorum quædam sunt secundum naturam, alia præter naturam, alia media: Et in singulis aliud est vt causa constitutionis, aliud vt constitutio, aliud vt effectus constitutionis. Hic fatetur Argenterius nos in causarum constitutionis naturalis, præter naturam, & neutrius cognitionem, mediantibus signis peruenire. Sed inter causas procatharcticę enumerantur. Ergo signis dignoscendæ. Omnes quidem sanitatis, & morbi causæ non sunt internæ, sed præter has innumeræ sunt externæ. Vnde sequitur tam internas, quam externas sanitatis, & morbi causas certis detegi signis, veluti ipsas sanitatis species optimam, bonam vt multum, malam, & neutram inter bonam malamque: imò, & ipsa accidentia quæ sanitatem consequuntur non rarò signis, vt detegantur, egent. Causa item morbi, & causæ genus, modusq; quo morbum inducit, signis patefiunt:

Argenterius perstringitur.

tefiunt:

tefiunt: Morbus similiter, morbiq; genus, modusq; quo generatur, locus siue pars cui peculiariter inest: generationis tempus, ætates, siue tempora eiusdem, principium, augmentum, status, & declinatio: Symptomata demum, Symptomatumq; differentiæ, generationis modus, & consimilia, non nisi Signorum ope cognoscuntur.

Obiectio 2. Obijciunt aliqui secundò, diuisionem signi in præsens, præteritum, & futurum non esse bonam; quia omnia signa sunt præsentia: Adeoque cum signum, & significatũ sint correlata, & correlata debeant esse simul natura, & tempore, nihil quod est præsens potest esse signum rei præteritæ, aut futuræ, quæ præsentes non sunt.

Solutio. Respondeo Signa præsentia quæ futura prænunciant, esse futura & non præsentia secundum rem connotatam futuro tempore. Licet .n. Signum sit præsens sensui, non est tamen sensus qui discurrit, sed intellectus, qui connexionem Signi præsentis cum futuro euentu dignoscit. Idem de Signis rememoratiuis dicendũ; quæ quidem, etsi sensui appareant non apparentibus significatis, intellectus tamen, eorundem Signorum ad sua significata præterita, relationem & connotationem, cognoscit. Et iuxta hanc collationem intellectûs operâ factam, Signum & res significata sunt simul: præterita scilicet ambo, ratione respectus & connotationis: præsentia, si vultis, ratione repræsentationis: nam virtute præsentis Signi, res absens aliquo modo fit præsens.

Est hîc obseruãdum, quod superius docui, vnum genus Signorum diuerso respectu, variorum generum rationem obtinere. Nam Signum pathognomonicum verè diagnosticum est: prognosticum etiam, vt diximus, dici potest; & si minus præcipuè. Aduertite vlterius cuiusdam errorem, qui encorema vel sedimentum quarto die apparens, diagnosticum Signum coctionis inchoatæ appellat; insalubre verò respectu præsentis morbi quem significat: Signum criticum ratione crisis quam septimo die futuram prænunciat; Signum prognosticum & salubre ratione sanitatis quam promittit. Error inquam est asserere quod vrina cocta morbum significet, & insalubre ideò dicatur: Cum vrina ita cocta salubre signum potiùs quam insalubre dicenda sit, iuxta rei veritatem & Galeni mentem, qui Signum salubre appellat, non so-

ſolum quod in ſanis tale viſitur, ſed quoduis aliud quod ægris ſimile proſpicitur Signis ſanorum. Si enim quidquid in ægris eſt inſalubre protinùs eſſet, nulla foret recuperandæ ſanitatis ſpes, quoniam ſanitatem omninò extinctam omnia Signa, dũ inſalubria ſunt, demõſtrant. Signum itaq; coctionis verè prognoſticum eſt, & nullatenus diagnoſticum, niſi quatenus virium robur ſignificat.

CAPVT VIII.
De Signorum Fundamentis.

Generale ſignorum fundamentum.

GEnerale fundamentum, vnde Signa quæuis deſumuntur, eſt ſimilitudo, & diſſimilitudo, ſeu collatio diſſimilitudinis cum ſimilitudine. Etſi Capite 1. huius libri rem hanc expoſueram, iterum eandem limatiùs explanare non pigebit. Diuinus Hippocrates hanc doctrinam in Prognoſticis, in Epidemijs, & libro de Officina Medici nos docuit. Libro.a. de Officina Medici hac ſerie loquitur: An ſimilia, an diſſimilia, principio à maximis, à facillimis, à quibuſcunq; quomodocunque cognitis, quæ, & videre, contingere, & audire licet. Quæ item oculis, tactu, auribus, odoratu, guſtatu, mente ſentiuntur. Quæ item omnibus, quibus cognoſcimus, intelligi poſſunt.

Pars indicia comprehendẽs, quæ Semeiotica dicitur, neceſſaria.

Galenus primam periodum huius contextûs Hippocratis exponens, docet eam Medicinæ Partem, quæ ad indicia pertinet, ideſt, quæ de Signis Medicis agit, quæq; recentioribus (vt loquitur Galenus) σημειωτικὴ dicitur, eſſe prorsùs neceſſariam ijs, quibus rectè mederi propoſitum eſt, antequàm Curatricem Medicinæ Partem aggrediantur, vt quum ſimile quid Naturali ſtatui in Ægris nacti fuerint, morborum diſcrimina ad vnguem in ægrotantibus teneant, percipiantque. Quemadmodũ igitur in Parte Medicinæ, quæ medetur, maximè generale propoſitum admittitur, ita & in illa Medicinæ Parte, quæ ad indicia ſpectat. Vnde ſicut in Curatrice Parte curationis cuiuſque commune conſilium eſt, contrarijs per contraria ſubuenire, ita in Semeiotica commune conſilium eſt, poſſe cognoſcere, quatenus ea quæ in affecto, ſiue morboſo corpore conſpiciuntur, benè admodum valentis corporis diſpoſitionibus, & Signis ſunt ſimilia. Quam regulam præceptumue

Contraria contrarijs ſedantur.

Commune præceptum in Semeiotica.

Commune præceptum Semeioticæ ab Hippocrate insinuatum.

Hippocrates ipse in Prognosticis indicauit, cùm inquit: Maximè ad rem pertinet intueri an sibi quis ipse ex aliqua parte similis sit. Eandem doctrinam, libro quoq; de Articulis idem Hippocrates proposuit, quum vitiatam siue malè affectam corporis partem, ad eam, quæ integra, siue sana est, conferri iussit: vbi similiter voluit, non simpliciter comparari partem parti, sed affecti hominis dextram partem cum sinistra conferri, nihil alienis articulis, hoc est, aliorum hominum, inspectis. Quo modo nunc procedendum monet, cùm ait, an similia, an dissimilia, principio à maximis, à facillimis: ac si hoc modo dixisset: laborantium siue ægrorum corpora ab initio (idest, quamprimùm Medicus ad ægrum accedit) protinùs inspici debent, quatenus similia sint sanis, quatenus dissimilia. Quoties autem ita procedet Medicus, nimirum expendendo, quantū similia, & dissimilia sunt corpora ægra sanis, morborum notas siue signa intelliget. Maxima ergo, & cognitu facillima in quibusdam proposuit Hippocrates lib. Prognosticor. vbi inquit: Nasus acutus, oculi caui, tempora astricta siue collapsa, aures frigidæ, contractæq;, & fibræ earum versæ;& item cutis circa frontem, dura, intenta, arida,& color totius vultûs viridis aut niger. Hæc autem facillima cognitu esse, omnes sanè, vel Artis etiam expertes, intelligunt, (vt Galenus in comment. loquitur) quum nullam corporis partem priùs facie protinus videat, qui ad cubantem ægrum accedit. Ex his ergo Signis, sensu visûs statim conceptis, maximam ægri à seipso, & reliquis hominibus dissimilitudinem dignoscet Medicus; qui exinde illicò futurum morbi euentum exitiosum prædicet; secùs autem, si idem æger vultum habuerit statui naturali consimilem, vel saltem ab hoc non valdè recedentem. Antequam lethalem illam faciem in Prognosticis descripsit Hippocrates, & prauæ & naturalis euentum hac serie prædixit: Considerare autem conuenit hunc in modum per morbos acutos: principio (.i. quamprimùm Medicus ad ægrum accedit) vultum ægroti, sitne similis benè valentium, potissimùm sui, ita.n. optimus erit: Si verò quàm maximè contrarius simili sit, horrendissimus est.

Pars sana cum ægra conferēda.

Facies Hippocratica, id est, ab Hippocrate descripta.

Horrēdissimus vultus ex Hippocrate.

Facies Hippocratica apparenter, non est lethalis.

Primo tamen Capite huius libri exceptionem ab Hippocrate factam, proposuimus. Aliquoties enim, inquit Hippocrates, facies præscripta, præsertim nasus acutus, vel, vt loquitur Galenus, na-

nares acutę, tempora collapſa, oculique concaui fiunt propterea, quod æger fluxum ventris importunum, aut vigilias continuas, aut omnimodam inediam, ſaltem viginti quatuor horarum, tulerit. In hoc namq; caſu, multo minori periculo obnoxius eſt æger, quam quoties vi morbi acuti facies luctuoſa ab Hippocrate deſcripta conſpicitur.

Galenus in Comment. citati tex. lib. de Officina Medici, ſibi obijcit, poſſe aliquem inueniri, qui naturaliter nares habeat acutas, tempora collapſa, & oculos concauos: Adeoq; Medicum ad talem morbo affectum accedentem poſſe decipi. Cui obiectioni ipſe Galenus ſatisfacit, his verbis: Sed ſi laborantis corpus pleriſq; hominibus ſimile comperiemus, nullo pernicioſo morbo, aut affectu, detineri hominem facilè intelligemus. Vbi quod ab Hippocrate ſcribitur, notabimus, ſi reliquæ totius corporis notæ ſalutem denuncient, confiſi eam eſſe naturalem hominis faciem, vt rem magis perſpectam habeamus, de ijs qui antea ipſum nouerunt, percunctabimur: qui vbi idem aſſerent, noſtram prænotionem confirmabunt. Non proinde tamen ſciemus, ac ſi ipſi hominem nouiſſemus, atq; adeò, ſi vſi familiariter eſſemus. Eò enim, quod benè valentem ſæpenumerò viderimus, in Signis, quæ in ipſo apparent, nunc vbi aduerſa valetudo eſt, diſcriminis modum certiùs deprehendimus. Vt enim audiuerimus, coniecerimuſque hominem acutis naribus eſſe, concauis oculis, familiaris duntaxat modum intelligit, quæ res Medico in primis neceſſaria eſt. His docet Galenus reliquum ægri corpus inſpiciendum, & quamuis æger oculos habeat concauos, tempora item collapſa, nareſq; acutas, dummodò reliquum corpus naturali ſtatui, aut peculiari ipſius ægri, aut communi reliquorum hominum ſimile fuerit, nihil mali metuendum. Imò ſi reliquum corpus naturaliter vnà cum facie macilenta macilentum fuit, nihil etiam timendum. Ægrotum in ſtatu ſano prænouiſſe plurimùm prodeſſet Medico; ſed quoniam non poteſt fieri, vt omnes familiariter dignoſcamus, ægrum ipſum, ægrique familiares, de præteritis ægri rebus, vt de naturali conſtitutione, propenſione, conſuetudine, & conſimilibus, ſedulò examinabimus.

Obiectioni Galenus occurrit.

Multum prodeſt homines antequam ægrotāt, familiariter agnoſcere.

Ab ignoto ægro, & familiaribus plura ſciſcitabimur.

Licèt exitioſa cenſenda ſit facies illa ab Hippocrate deſcripta, non propterea omnis florida facies in Ægris bona eſt, ſed ſæpiſſi-

Nō omnis florida facies in ægris bona.

mè mala, vt ex eodem Hippocrate lib. 2. Apho. 28. colligitur: Febricitantium, inquit, non omninò leuiter, permanere corpus, aut nihil minui, aut etiam plus, quàm ratio postulat, colliquescere, malum. Illud siquidem morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat. Galenus in Comment. huius Aphor. animaduertit rectè Hippocratem dixisse, Febricitantium non omninò leuiter, permanere corpus, & nihil minui. Nam si simpliciter pronunciasset, Febricitantium permanere corpus, & nihil minui, malum, sermo careret veritate; quia contingit in tempestate frigida cuiquam ex plenitudine ægrotanti, non collabi corpus, neq; extenuari, cùm febres paruæ fuerint. Dum ergo Hippocrates inquit, Febricitantium non omninò leuiter, dilucidè significauit Corpus extenuari debere à Febribus non omninò leuibus, sed fortioribus: & si contingat à magnis febribus corpus non extenuari, id accidit ratione spissitudinis corporis, & crassitudinis humorum superfluorum corpus occupantium, & febrem fouentium. Leui verò febre aliquis correptus non debet extenuari, præsertim si fuerit Eusarcus, siue benè carnosus, aut plethoricus. Plures extenuationis corporis causas Galenus enumerauit in prædicti Aphorismi Cōmentario, hac serie: Maiores febres magis, & citiùs corpora extenuant ægrotantium, sicuti & diuturnitas morbi, & ex ætatibus pucrilis, atq; decrepita: sed alia ambæ ratione. In pueris enim propter caliditatem atq; humiditatem multùm defluunt, atq; extenuantur corpora: in decrepita verò ætate hoc idem patiuntur propter potentiæ imbecillitatem. Ex Regionibus autem, & anni temporibus, ac constitutionibus, calidæ quidem ac siccæ magis euacuant: humidæ verò, ac frigidæ magis astringunt, ac difflare corpora, atq; extenuari non sinunt. De sensibilibus autem euacuationibus quid dicere oportet? neminem enim ignorare arbitror, vt meritò ex profluuio sanguinis multo, atq; sudoribus plurimis, & vrina superfluente, vel vomitu, vel alui excretione, citò corpus extenuetur. Accedit autem dictis causis, & inedia: vigiliæque, & curæ sufficienter extenuant, vt & plures motiones: sed hæ rarò febricitantibus adsunt: nam magna ex parte iacent quiescentes. Verùm aliquando contingit moueri aliquos, qui itinere cæperint febricitare, vel vrgente necessitate, vel studio domum reuisendi. Sed & ex delirio quidam ægroti iugiter exurgentes, vel iacentes

Febricitātes aliquādo non extenuantur ob corporis spissitudinē, & humorū crassitiem.

Variæ causæ extenuationis corporis.

centes quidem, ſed continuò partem aliquam corporis commouentes, aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuantur. Hæc quidem omnia ægrotos reddunt macilentos, ſicuti & contraria his corpus in maiori mole conſeruant. Signum autem nullum ex his eſt virium imbecillium, ſed ſingula ſunt tantummodò cauſæ. Nam, ſicuti ex eis corpus cum ratione extenuatur, ſic & vires deſtruuntur. Abſq; his autem corpus præter rationem (ideſt, ſine interuentu vllius cauſarum enumeratarum extenuationis) extenuari, Signum eſſe viriū imbecillitatis, inquit Hippocrates: quam & in valdè ſenibus pro cauſa aſſignantes, celerrimè ipſorum corpus extenuari dicebamus. Neque mirum videri debet in ijs qui ita ſe habent, imbecillitatem quidem cauſam eſſe extenuationis, extenuationem verò eſſe Signum imbecillitatis: hoc enim contingit omnibus, quæ faciunt, & fiunt. Hæc quidem eſt ſententia Hippocratis, ſemper exiſtimantis, eam, quæ eſt citra rationem, extenuationem, Signum eſſe imbecillitatis. Nos verò eius ſermoni adijciamus, & aliam diſpoſitionem, quæ cauſa eſt in febribus extenuationis. Eſt .a. hæc humorum quidem tenuitas, corporis verò raritas. Cùm.n. hæc ambo conuenerint, celerrimè corpora extenuantur per eam, quæ difflatio inſenſibilis nominatur. Sicuti in diſpoſitione contraria, craſſitudine humorum, & corporis ſpiſſitudine, neq; fit humorum euacuatio, & permanere corpus (in ſtatu quo antea fuit,) & nihil tunc minui de ipſius mole contingit. Dixit modò Galenus in contextu, ob corporis ſpiſſitudinem, & humorum craſſitiem non extenuari corpus à febre valida. Sed paulò poſt inquit, ob cutis ſpiſſitudinem, & humorum craſſitiem non extenuari. Et congruè quidem vtroq; modo loquutus eſt: quoniam & corporis ſpiſſitudo, ac durities, cauſa eſſe poteſt, ne ſubſtantia corporis triplex, copioſè ſaltem, per cutem euacuetur; ſicuti nec per cutem ipſam, quoties incraſſatur, aut induratur, aut conſtringitur: nam tunc pori occluduntur adeò, vt nonniſi permodicum vaporis etiam fuliginoſi & inutilis, exiguaque triplicis ſubſtantiæ portio per eam excernatur, licèt reliquus corporis habitus, poroſus, laxuſq; ſit, ac permeabilis. Tandem in calce Commentarij citati Aphoriſmi Galenus docet, corpus nonnunquam colliqueſcere ob humorum tenuitatem, & cutis raritatem: contingit verò corpus interdum colliqueſcere, ob ſolam virium imbecillitatem. Occaſione

Sola imbecillitas poteſt eſſe cauſa extenuationis, nulla ex dictis cōcurrente.

Extenuatio præter rationem, ſeu citra aliam cauſam, ſignū eſt imbecillitatis virium.

Humorum tenuitas & corporis raritas extenuationis cauſæ eſſe poſſunt.

Varia Galeni dictio.

Corpus aliquādo colliqueſcit ob cutis raritatem.

& humorũ tenuitatẽ, aliquando ob virium imbecillitatem.

ne faciei Hippocraticę, siue ab Hippocrate descriptæ, cuncta hæc, Medico protinus necessaria, ex Hippocrate, & Galeno in medium producere placuit.

Nunc ad maxima, & facillima iterum redeamus. Postquàm faciei similitudinem cum seipsa sana, & cum aliorum faciebus, simul ac dissimilitudinem maximam, & cognitu facillimã exposuit Galenus, alia quædam in comment. citati Textus, lib. de Officina Medici, proponit, & ex libro Hippocratis de Articulis, prolapsum humerum pro maximo in medium affert. Dum enim aliquid turgidum, rotundum, ac durum, in ala alicuius se ostendit, Signum est, humeri caput è suo loco in alam excidere. Est etenim talis dislocatio cognitu facillima, vt contingenti suis digitis tumorem, manifestum fiet. Sunt verumtamen, vt habet Galenus, nonnulla in Prognosticis ab Hippocrate posita, quæ non adeò maxima sunt, ac cognitu facillima, sicuti exempla iam allata. Nam, vt loquitur Galenus, quod æger supinus cubet brachijs, cruribusq; similiter iacentibus, vt resolutis siue Paralyticis, non modò ob grauem affectum euenire potest, sed ob mollitiem quoq; hominis, delitiasq; vltra modum. Quare nisi mores ægri cognitos habeamus, facilè decipiemur. At fieri minimè potest, vt, quos curamus, omnium nobis mores innotescant. Quamobrem percunctari hos oportet, præterquàm in paucis, quæ per se in ægro manifestè apparent. Comperimus quidem aliquando non magni momẽti rem denunciari, vt in ijs, quæ ad cubandum pertinent: interdum verò maximi momenti; vt in Viro ornato vbi trucem vultum habeat, vel flatum per ventrem reddat cum crepitu, dolorem, aut mentis alienationem significat, si in eo sit, quem id facere audiente aliquo puderet: sed si nullam præsentium rationem haberet, nihil is prorsùs ostenderet. Quocirca hìc etiam nouisse Hominis mores conuenit, non secùs atque consuetudinem in ventrem cubantium, eorumq; naturam, qui per somnũ dentibus strident; vel quorum palpebræ non committuntur: Namque hæc, vbi cubantis consuetudinem, vel naturam Medicus nouerit, aut ab altero quæsierit, qui eos cognoscat, indicium faciunt, idq; modò bonum, modò malũm. In vrina verò nigra, nigro item sputo, tum in atra bile, morbi initio apparentibus, maxima vis inest, & expedita cognitio: sicut è contrario in acutis morbis summam securitatem pollicetur facilè spi-

Humeri dislocati Signum.

Decubitus mollis ambiguum Signum.

Impossibile est mores peculiares omnium quos curamus agnoscere.

Vultus trux.

In multis examinãdi sunt familiares ægri.

Nigra vrina, & nigrũ sputũ, pessima Signa.

Signa optima.

ſpirare, ſubſidere in vrina album, læue,& æquale. Hæc de ijs,quæ ad cognitionem pertinent, poſuiſſe voluimus, vt ſint exempla eorum, quæ maximam vim habent,& cognitu facillima ſunt,tum quorumcunque, quomodocunque nobis innoteſcant, ſeu experimento, ſeu ratione:quanquàm non tantam vim habent,neq; æquè facilè percipiuntur, niſi ægri vſus, natura, mores,vel ſciantur,vel quærantur.

Multa quærenda ex ægris & familiaribus.

Hæc ex Galeno, qui inter alia expoſuit illa Hippocratis verba (ex quibuſcunq; quomodocunque cognitis.) Eadem etiam verba in contextu adhuc bis commemorat. Medicus enim, inquit, qui ſpectat experimenta communia, perinde ac propria intuetur, & in memoria habet: cùm hæc quæcunq; ſint, & quocunque modo cognoſcantur, vnà cũ proprijs venientia obſeruauerit. Et paulò poſt ait: Atque ita quæcunque & quomodocunque cognita, nec, quæ magnam vim habent ſolùm, ſed cætera etiam intelliget: quoniam hac vna via cuncta inueniuntur, cum altera in obſcuro ſint, quæ non ſunt facillima, ſed indicatione comprehenduntur. Vult enim Galenus mediante experientia & ratione, quæcunque corpori inſunt, dignoſci; ſed quædam meliùs atque faciliùs ſenſuum miniſterio, nonnulla rationis ope, ſed multò difficiliùs. Hanc doctrinam contextu citato expreſſit Hippocrates, dum inquit: Quæ & videre, contingere, atq; audire licet: Vult.n. Hippocrates, vt Galenus teſtatur, eam Medicinæ Partem, quæ morborum notas examinat, per ea exerceri, quæ in malè affecto corpore ad exemplum ſanorum ſimilia ſunt, aut diſſimilia: docet præterea idem Hippocrates, quædam eſſe maxima, & facillima, quædam cum his ipſis neceſſariò percipi. Quænam verò ſint ſimilia, diſſimilia, quæ maxima, & cognitu facilia,nunc oſtendit,quum ea eſſe dicat,quæ ſub ſenſum cadunt: Ea nimirũ,quæ videre licet:ea quæ tangi licet: atq; ea quæ audire licet. Videre quidẽ licet cuncta illa, quæ conſpectui aut viſioni ſubijciũtur. Et de reliquis ſenſibus ſimiliter loquendũ. Ex Philoſophia autem didicimus, coloratum, atque luminoſum, eſſe Potentiæ Viſiuæ obiectum. Nouimus inſuper, à Senſibus noſtris quotidiè percipi ſenſibilia illa, communia taliter ideò dicta, quòd à pluribus ſenſibus vnumquodque horum percipiatur. Eiuſcemodi ſenſibilia ſunt, Magnitudo, Figura, Numerus, Motus, & Quies; quorum omnium in re Medica maxima vis. Nam Medicus me-

Exponitur Hippocrates.

Experientia & ratio.

Semeiotica per ſimilia & diſſimilia exercetur.

Quæ ſimilia, & diſſimilia, quæ maxima, & cognitu facilia.

Senſibilia communia sũt quinq;.

mediante visu percipit id, quod magnitudine excedit, aut minuitur: similiter & quod præter naturam diuisum est, aut copulatum præter naturam, quodque debitam non obseruat figuram. Ergo quæ inter Prognosticorũ initia de Facie ab Hippocrate proponuntur (Nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, aures inuersæ) Visu sentiuntur: Tactu verò aures frigidæ: Tactu simul & Visu, cutis faciei dura, arida, atque extenta. Cætera quæ eodem libro 1. saltem Prognosticorum sequuntur, Auditui subiecta sunt, nempè sternutamentũ, tussis, crepitus, strepitusque Hominis præter naturam loquentis, vel quod mens non constet, vel quòd vox sit stridula, rauca, aut huiusmodi quopiã vitio affecta. In morbis autem quæ manum postulant, oculis exposita sunt, quæ nigrescunt, rubent, tum quæ quauis ratione suum colorẽ variant, aut retinent. Adde exempli causâ in humero, quòd sinus in parte eius articulo superiecta, & extremitas lati scapularum ossis elata visu percipitur, caput in ala tactu contingitur, auribus accipitur strepitus in corpore ægrotantis, quemadmodum vbi, thorace perforato, è plaga fertur spiritus cum sono. Et hactenùs exposita sunto verba illa Hippocratis, Quæ & videre, contingere, atquè audire licet.

Alia subiecit verba Hippocrates, superioribus conformia, quæ subsequuntur: Quæ ita, inquit, oculis, tactu, auribus, odoratu, gustatu, mente sentiuntur. Non vno, sed diuerso modo, hæc Hippocratis verba exposuêre Interpretes, vt in Commentario testatur Galenus. Obscuritatem enim peperit diuersus loquendi modus Hippocratis, qui paulò ante trium solùm sensuum, Visûs, Tactûs, & Auditus meminit: postea verò quinq; sensus, & mentem enumerauit. Dicunt ergo aliqui, Hippocratem præcepisse, vt eorum, quæ sub sensus cadũt, similitudine, ac dissimilitudine, morborum notas intelligeremus. Propriè autem sub sensus cadere volunt ea, quæ, vt comprehendantur à nobis, non aliam potentiam ad sui cognitionem requirunt, sed vna sensuum comprehensio sensatione, sufficit: Sub sensus cadere similiter, sed non propriè, dicunt ea, quæ pluribus sensibus simul, & tum memoria, tum ratione quam vocant cõponentem (vt loquitur Galen.) & colligentem, accipiuntur. Colorem verò ex eorum numero esse existimant, quæ propriè sub sensus cadunt, itidem siccum, vaporem, vocem, præterea duritiem, mollitudinẽ, calorem, frigus, & vno nomine qualitatem omnem

Variè Hippocratem exponũt interpretes.

Quæ propriè sub sensum cadunt.

Quæ impropriè.

omnem, quæ tactu comprehenditur. Ita enim Galenus exponit partem sententiæ quorundam Interpretum Hippocratis. Exponit rursùs aliam eorundem sententiæ partem. Dicebant enim, vt ex iam dictis constat, quędam solo sensuum adminiculo à nobis concipi: Sed quamplura non sensu solo, sed adhibita mente percipi: Et inde plures opiniones nasci. Multi sanè decipiuntur, dum solo colore, aut sola figura, aut vtrisq; simul, rem aliquam, quam intuentur, dignosci putant; etsi color, & figura à naturali figura, & colore non sint absimiles. Mala enim, Mala Punica, pyra, vuam, nucem iuglandem, & plura alia ex ijs, quæ edendo sunt, vbi ex cera componuntur, priusquam vel ad nares admoueantur, vel gustentur, tanganturq;, à veris abhorrentia non videri putant. Quare pluribus sensibus, & mente demùm res plurimas explorare est necessum. Volunt ergo hi Interpretes Hippocratem exempli gratia eorum, quæ sensibus obijciuntur, meminisse; rursùs omnes sensus, & mentem commemorâsse ad totius naturæ cognitionem; ita vt vniuersa oratio sit huiusmodi. Aggredi Medicus debet ad vitiorum, siue malorum corporis notas, orsus à similium ac dissimilium inspectione, interdum solam qualitatem, interdum tota conferens corpora. Quæ quidem expositio ratione non caret, vt loquitur Galenus. Ex superiùs dictis satis liquet, quid est vnam qualitatem, quid integra corpora conferre. Nigredo enim, aut liuiditas, aut viriditas in vrina, vel sputo, maximam habet dissimilitudinem cum naturali colore vtriusque excrementi, vrinæ videlicet, & sputi. Quare ex hoc solo colore, qui visu percipitur, Medicus mali malignitatem detegit. Totũ præterea corpus tabe confectum, valde sibi, dum in naturali statu erat constitutum, dissimile est.

Non solo sensu, sed mentis etiam interuentu quãplura dignoscũtur.

Similitudo sensum non rarò fallit.

Vrina nigra, liuida, aut viridis mala.

Est & altera expositio hunc in modum: Hippocratem, quum inquit, quæ & videre, contingere, atque audire licet, de Medico loquutum esse: quod verò addit, quæ item oculis, tactu, auribus, odoratu, gustatu, mente sentiuntur, ad ægrotantem ipsum referri, ita vt Medicus non modò indicia colligat ex ijs, quæ ipsemet, sed ijs, quæ æger videt, tangit, olfacit, gustat; tum ex eius mente, quatenùs labat, aut consistit. Quod .a. Medico ad cognitionem expediat, nouisse mente ne homo labatur, an sui compos sit, in aperto est.

Aegri relatio ex sensu & ratione desumitur.

Alia interpretatio

Placet alijs Interpretibus Hippocratis, quod ſcribitur ita (quæ item oculis, tactu, auribus, odoratu, guſtatu) ad ægrotantem, quod verò deinde adiungitur (mente) ad Medicum pertinere. Siquidem ex ijs, quæ cubans, videt, audit, contingit, guſtat, Medici mens aliquid ratiocinatur. Conijcit enim de laborantis guſtatu aliquid ad ipſum pertinens, non ſecùs de morbo. Nam ſi guſtatui omnia amara videantur, quemadmodum ijs quos morbus Regius, ſeu Icteritia malè habet, redundat in lingua bilis: Si Salſa, pituita Salſá: Si acida, acida ſimiliter pituita plurima in ea eſt: ſicque hominem dicunt qualitatem ſui ſudoris interdum in os deſtillantis percipere.

Prauus guſtus multiplex.

Et hæ ſunt potiores expoſitiones Textûs translati ex Hippocrate; quæ omnes à ratione non abhorrent; vt Galen. teſtatur. Sanè omnes Medico proderunt; cùm quæuis expoſitio Medici diligentem inueſtigationem circa Signa commendare videatur.

Vtilitatem doctrinæ Hippocraticæ, modò expoſitæ, promulgat Galenus Commentario Primæ Particulæ eiuſdem contextûs, ſub hac verborum ſerie: Meritò igitur Hippocrates ante alia Artis opera, ideſt, ante prænotionem, & Curationem, eam partem quæ ab morbornm indicia pertinet (Iuniores σημειώσιν nuncupant) intelligi ex ſimilium, ac diſſimilium notatione voluit: meritò etiam ex valentiſſimis, & cognitu facillimis: item tertiò ex quibuſcunq; cum quomodocumq; cognitis, dignitate verò, & cognoſcendi facilitate inferioribus. Hactenus itaq; præfatus à quibus vitia indicentur, nempe ab ijs, quæ rectè habentibus ſimilia ſunt, aut diſſimilia; deinceps cuiuſmodi illa ſint, ea nunc perſequitur, his verbis (Quæ, & videre, contingere, atq; audire licet). Cùm tanti fecerint Hippocrates, & Galenus, notas aut Signa à Similitudine, aut diſſimilitudine eruta, miror cur tantam, ac tam prægnantem doctrinam auſi fuerint paruifacere, inter alios Sennertus, & Plempius: Quorum ille lib. 1. Inſtitution. Medicinæ, Sect. 1. cap. 3. ait: His Signorum fontibus addunt nonnulli ſimilia, & diſſimilia. Per ſimile verò, & diſſimile intelligitur vel corpus, quod alteri corpori, aut ſibi ipſi confertur, vel pars, quæ alteri parti, aut cum ſeipſa comparatur. Nonnullis tamen videtur, quòd ſimilitudo, & diſſimilitudo non peculiaris Signorum fons ſit, ſed ratio potiùs alia Signa aptè inter ſe conferendi.

Semeiotica ex ſimilitudinibus, & diſſimilitudinibus intelligitur.

Sanè

Sanè secundùm Hippocratis, & Galeni mentem, Similitudinem, & dissimilitudinem Sennertus exponit: Perperam tamen fundamenta Signorum esse negat: cùm Signa quæ inter se comparantur, ex Similitudine, & dissimitudine eruantur. *Sennerto fit satis.*

Plempius eiusdem est cum Sennerto opinionis, rem tamen aliter exponit; vt ex eius his verbis cuiq; patebit: Alij, inquit, prædictis fontibus addi volunt similitudinem, & dissimilitudinem: nam ab hisce etiam Signa petuntur: v.g. Similitudo loci affecti in corpore mortuo obseruati Signum dat loci affecti in viuo laborante. Sed nec propterea à statuta sententia decedendum est. Quia similitudo illa non tam est Signum, quàm ratio Signa alia rectè inter se comparandi.

Sed hæc doctrina non videtur consona Hippocrati, & Galeno; qui nullo modo comparationem fecère inter corpus hominis viuentis, & cadauer, aut inter partem viuentem, & partem cadaueris; sed solummodò ea quæ in corpore morboso similia visuntur statui sano, tum eiusdem ægri, tum aliorum benè se habentium, solicitè obseruãda præcipiunt; sicuti & ea quæ statui naturali eiusdem ægri, & aliorum dissimilia in ægro conspiciuntur. Hippocrates autem libro 1. Epidemion, Sectione 3. hanc nostram expositionem confirmat, aiens: Morbos dignoscimus docti ex communi omnium natura, & cuiusq; propria. Vult enim Hippocrates, communem omnium hominum naturam, & propriam vniuscuiusq; nostrûm à Medico obseruandam esse, quoties ad ægrum accedit: vt in hoc animaduertat ea, quæ adhuc naturæ propriæ, etiamq; communi, similia sunt, vel adhuc immutata: pariter etiam ea cuncta quæ à statu naturali recesserunt, quæque ideò dissimilia meritò nuncupantur. *Plempio fit satis.* *Aurea sẽtentia.*

Cæterùm, cùm præter similitudinem, & dissimilitudinem, alia statuantur Signorum fundamenta, ea modò cum Galeno integrè subijcienda sunt. Dico, integrè, quia non solùm dissimilitudinis, sed insuper similitudinis fundamenta enodanda sunt: Nam vt status præter naturam dissimilitudinem pariens, agnosci protinùs debet, ita & status naturalis, similitudinis fundamentum. Rectum enim, ex Philosopho, est sui, & obliqui index: quare simile, quod rectum est, vtpote naturale, in hominibus percipi à nobis debet; quo cognito, non est arduum in dissimilis, quod obliquum est, cogni- *Rectum sui & obliqui index.*

gnitionem peruenire. Id enim, quod naturæ limites transgreditur, naturali constitutioni est prorsus dissimile, sed quidquid adhuc in ægro corpore, naturali assimilatur constitutioni, naturale quid est. Tota .n. sanitas in ægris non omninò interijt; Vnde Gal. lib. ad Thrasybulum cap. 25. docet eum qui superuacuum aliquid corpori detrahit, aut aliquid quod deficit, eidem corpori adijcit, vnum quid commune præstare; corpori nimirum naturalem comparare modum; qui naturalis modus nihil aliud est quàm sanitas. Quare ad mortem vsq; quædam in ægro extant indicia, sanis, si non integrè, aliquo tamen pacto, similia. Si enim omnis corporis natura quoties morbo infestatur, in statum præter naturam esset omninò conuersa, corpus non ampliùs morbosum, sed cadauer nuncupandum foret. Verùm quoniam in statu morboso actiones læduntur, nec liberè suo funguntur officio facultates, saltem aliquæ, aut aliqua, corpus, non sanum, sed morbosum dicitur, etsi sanitatis radix aliqua ad mortem vsque perseueret. Corpus sanè nullum, quantumuis morbosis affectibus infestetur, solis reficitur excrementis, aut corruptis omnimodè humoribus: nam dulci, si non perfecto, saltem aliqualiter tali, corpora nutriuntur. Nec dulce, quo nutrimur, à calore febrili, ex sua natura acri, mordacique, in hepate procreatur, sed à naturali facultate sãguifica hepati insita; quæ, si non exquisitè, saltem qua potest energia, ad totius nutritionem conficit. Ita vt nec calor, nec frigus, nec alia exuperans qualitas, morbusue, hepar omninò à suo peruertat munere, donec eius natiuus calor fuerit vi morbi extinctus, aut aliter ipsius naturalis œconomia fuerit euersa. Dum morbo tamen aliquis laborat, morbosus, & non sanus appellatur; quia non simpliciter, sed secundum quid sanus est, si integræ sanitati, statum, in quo morbosus versatur, comparemus: tum quia à rerum defectu frequentissimè denominationes desumuntur: ob id à Logicis dicitur conclusio semper sequi malignantem naturam, idest, si vna præmissarum fuerit negatiua, aut particularis, Conclusio talis esse solet. Si digitus pariter alicui, morbo laboret, totus homo morbo laborare dicitur. Quoniam autem salus non sano tantùm inest Corpori, sed adhuc ægro, tametsi obscuriùs, rectè monuit Galenus duas Medicinæ Practicæ Partes, Salubrem, & Curatricem, ad vnicum respicere finem, sanitatem videlicet; quæ à salubri, leui-

Quamdiu viuitur, sanitatis aliquid superest.

Hygieine, & Curatrix eundẽ respiciunt finem.

bus erroribus; à Curatrice, grauioribus abiectis, seruatur, & restauratur.

Ad rem rediens, Galenus Signorum fontes Libro de Arte Medicinali cap. 8. & cap. 75. præclarè proponit. Capite namq; 8. Signa optimæ Constitutionis Corporis primo loco proponens, docet eorundem Signorum dignotiones sumendas esse ab ijs, quæ secundùm essentiæ rationem ipsis corporibus insunt, & ab ijs, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, symptomatibusq;, id est casibus, quos etiam sanè accidentia propriè vocamus. Hanc Galeni doctrinam in mea Physiologia lib. 4. cap. 5. breuiter, & qua potui claritate, interpretatus sum. Quæ etenim secundùm essentiæ, siue substantiæ rationem partibus similaribus insunt, est potissimùm primarum qualitatum contemperantia, siue ipsum temperamentum. Partibus instrumentalibus inest essentialiter mediocritas, in quantitate, numero, conformatione, & situ, ac nexu. Ambabus v. partibus secundùm essentiæ rationem vnitas inest. Quæ necessariò consequuntur hæc quæ secundùm essentiæ rationem insunt, sunt actiones, operationesue: & casus, quos symptomata, siue accidentia in contextu appellat Galenus. Si igitur minutiùs rem examinemus, tres Signorum fontes à Galeno proponi inueniemus. Ea videlicet, quæ essentialiter insunt: Operationes necessariò consequentes ea, quæ secundùm essentiæ rationem insunt: & tertio loco Casus, siue Symptomata, siue accidentia. Quartum fontem admittit Brachelius commentar. in Caput 8. Artis Medicinalis, etsi ibidem hunc fontem à se propositum non exposuerit. Tres verùm fontes in contextu à Galeno produci, Plerique Artis Medicinalis Interpretes communiter testantur: vt Hieremias Thriuerus Brachelius, Louaniensis Professor, cuius Commentarij Typis cõmissi sunt Lugduni, Anno 1547. Ioannes Agricola Ammonius Basilææ à Typis persolutus 1541. Thomas Rodericus à Veiga Lusitanus: Martinus Akakia Gallus: Oddus de Oddis, & Sanctorius, Patauini Professores: Et omnibus his antiquior Thurisanus Monachus Cartusiensis. Argenterius in Artem Medicam Commentaria edidit; sed quoniam Galenum, cùm ibi, tum in reliquis suis Operibus non tam sequitur, quàm impudenter lacerat, eius, tanquàm amentis, meminisse piget.

Tres Signorũ fontes.

Hic aduerte symptomata dici accidẽtia, cùm Hofmanno accidẽtia vocentur ea sola quæ naturalem dispositionem sequũtur.

Vera sanè, & certissima est Galeni proposita doctrina de Si-

gnorum

gnorum fundamentis, eâ tamen non obstante, quibusdam visum est, alium Signorum fontem desiderari, quem causæ constituunt. Vnde Ludouicus Mercatus Tomo 1. Lib. 3. Part. 2. Classe 1. quæst. 182. art. 1. rectissimè, inquit, Signorum differentias venandas esse ex differentijs rerum, quæ Signis monstrari possunt; quoniam Signum est id, quod rem aliquam Significat. Quare cùm res demonstrandæ, sint in triplici differentia, quædam enim sunt Causæ, quædam natura rei, quædam sunt effectus vtriusq;, idest, causæ, & rei, necessariò triplex constituetur Signorum fons, Causa, rei natura, & effectus. Sed non est negandum omnia Signa, vt idem Mercatus ibidem fatetur, desumenda esse ab ijs, quæ secundùm essentiæ rationem insunt, vel à necessariò consequentibus hæc eadem, quæ sunt secundùm essentiam, siue substantiam rei. Nam Causæ, ad ea, quæ secundùm essentiæ rationem insunt, aliquo modo reuocari possunt, cùm ipsæ res quædam morbosæ sint, & efficientiam habeant, quâ effectus quosdam producunt. Quamquàm autem causarum expresse non meminerit Galenus cap. illo 8. Libri Artis Medicæ, non proinde reijciendæ sunt: quoniam reuerà à Causis Signa quædam, quæ ipsas produnt, emanant, vt passim ipse Galenus in suis Operibus, humores omnes exponens, docet. Statuamus ergo, Signa omnia deriuari à rei natura, à causa, & effectis: quæ effecta sunt illa omnia, quæ rei naturam, & causas consequuntur: seu sunt illa, quæ à naturâ rei dependent.

Triplex signorum fons à Mercato propositus.

Citauimus superiùs aliud Galeni Caput 75. libri Artis Medicæ, in quo docet modum dignoscendi præsentem iam morbum: Et Interpretes Capitis octaui citati, suis in Commentarijs monēt eodem modo procedendum in inuestigando fontes Signorum Status præter naturam, quo Galenus vsus est ad eruendam naturalem Corporis constitutionem. Cæterùm nos cum Galeno naturalis constitutionis Signa, primò examinabimus, deinde Constitutionis præter naturam. Authore etenim Aëtio, quicquid est præter naturam, ex naturalibus inuenitur. Nisi porrò res naturalis præcognita nobis fuerit, res pręter naturam, quę per digressionem à naturali fit, protinùs obscura remanebit. Sit igitur.

Quicquid est præter naturam ex naturalibus inuenitur.



CA-

CAPVT IX.
De Signis Naturalis Constitutionis Corporum.

HIc omnia Signa cuiusuis Constitutionis naturalis proponere non cogito. Quoniam, vt superiùs comprehensum est, pleraq; Signa Temperamentorum, Humorumq; prædominantium, Libro de Temperamentis, & Libro de Humoribus, proposui. Vt tamen clariùs adhuc naturalis cõstitutio Corporis Humani cuiuis innotescat, nonnulla cum Galeno in Arte Medicinali enumerabimus Signa quarundam naturalium constitutionum; vt integra Diagnosis Statûs naturalis Corporis, omnibus pateat. Varijs ideò Sectionibus rem distribuemus.

De multis signis in Physiologia actum est.

SECTIO I.
De Signis bonæ Constitutionis Corporis Humani.

BOnæ, imò & optimæ Constitutionis Signa, ab ijs, quæ secundùm essentiæ rationem insunt, & ab ijs, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, & symptomatibus desumenda esse monuit Galenus Capite illo 8. cit. Attis Medicinalis. Ab essentia quidem ipsa eorum, quæ optimam habent constitutionem, commensuratione consimilium quidem in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate: Instrumentalium verò, in quantitate, ac numero eorum, ex quibus componuntur, ac præterea formatione, & situ partium singularum, ac totius instrumenti. Vult his verbis, & subsequentibus adhuc, Galenus, Signa optimæ constitutionis desumenda esse primariò ab ijs, quæ essentialiter insunt corpori sano: quæ autem essentialiter corpori sano insunt, est Temperamentum debitum, partes similares perficiens, proba conformatio, quantitas, numerus, situs, & nexus, partes dissimilares redintegrantes, & vnio vtrasque partes naturaliter complens. Corpus etenim sanum, quatenus tale, ex vnitis, temperatis, & proba compositione dissimilarium essentialiter componitur. Substantialiter igitur, & secundùm essentiæ rationem, simila-

Tria corporibus essentialiter insunt, à quibus optimæ costitutionis corporis signa desumũtur.

milaribus partibus hæret temperamentum: dissimilaribus verò proba compositio: Nam partis similaris actus, & constituens forma, est Temperamētum. Vnde Galenus Lib. 1. de Vsu part. Corporis Humani cap. 9. palam docuit, esse Carnis esse eiusdem Carnis Temperamentum; veluti esse ossis, esse eiusdem ossis Temperamentum. Debita pariter compositio partis dissimilaris, est eius forma, & vltimus actus; qui eam talem constituit, atq; definit. Signum ergo Substantialiter inhærens partibus similaribus erit temperamentum earundem partium, & optima compositio erit forma & Signum substantialiter conueniens partibus similaribus. Vnio autem est quid commune vtrisq;; idest, tam similaribus, quàm dissimilaribus. Quare, cum neutri parti propria sit, de ijs, quæ eisdem partibus peculiaria sunt, exactiùs tractat Galenus. Et optimæ, siue saluberrimæ constitutionis duo proponit primaria, & tanquàm essentialia Signa, Temperamentum æquale, seu probam iustamq; commensurationem, siue proportionem primarum qualitatum, & partium organicarum exquisitam compositionem in quantite, numero, formatione, ac situ partium componentium easdem partes organicas, siue instrumentarias. Quæ duo, vbi inuenientur, integram, absolutamque nobis prodent sanitatem.

Temperamentū est forma similaris partis: compositio dissimilaris.

Duo primaria signa optimę constitutionis.

Postquàm duo illa Signa substantialia, siue essentialia optimæ constitutionis exposuit Galenus, secundo loco alia proponit Signa eiusdem optimæ constitutionis, desumpta ab accidentibus, quæ necessariò consequuntur ea, quæ secundùm essentiam insunt; idest, quæ necessariò Temperamentum optimum partium similarium, & optimam proportionem partium componentium partem organicam, in formatione, quantitate, numero, & situ. Et hæc Signa iuxta varietatem sensuum, à quibus percipiuntur, distinctè proponit. Signum ergo optimæ constitutionis partis similaris, quod tactui subest, est mediocritas in mollitie, & duritie. In carne enim potissimùm hoc Signum notari debet; quoniam ossa, & cæteræ partes, suam habent naturalem duritiem, aut mollitiem, eamq; manifestam. In optima itaq; constitutione, siue temperatura partis carnosæ, tactu percipitur mediocritas in duritie, & mollitie. Caro enim dura excedentem denotat siccitatem, caro verò mollis exuperantem humiditatem. In nostra enim Physiologia, iuxta Galeni mentem, lib. 5. de Simpl. medic. facultatib. cap. 5.

Signa partis similaris quæ desumuntur ab ijs, quæ sequuntur, ea quæ secundū essentiæ rationem insunt.

&

& Aristotele lib. 2. de Generatione, diximus veram duritiem à siccitate, reliquas compositi primas qualitates superante, nasci: mollitiem verò ab humiditate excedente. Quoties igitur caro alicuius, mediocris inter duritiem, & mollitiem persentitur, signum est optimæ proportionis humiditatis, & siccitatis inter se; imò & caloris ac frigoris, quoniam calor humiditatem resoluens, siccitatem, & consequenter duritiem procreat: frigus verò congelando & coercendo, duritiem etiam efficit, vnà cum humore mollitiem.

Vera duritiei siccitatis soboles.

Dum præterea aspectu percipitur in Corpore color optimus, & in læuitate, siue glabritie, & hispiditate, siue hirsutie mediocritas, inde inferimus Temperamenti, siue optimæ cõstitutionis partium similarium plenam integritatem. Color enim optimus censetur ille, qui ex rubro, & albo est commixtus; & huiusmodi color à perfectione actionum naturalium, & temperato calore dependet. Nam Signum est, Substantiam Spermaticam, naturaliter albam frigidamq;, & sanguineam substantiam, naturaliter rubram & calidam, ab exordio generationis in habitu corporis exactè fuisse confusas; & ætatis decursu ab innato temperamento optimè rectas, & hoc directore, accedente alimento, benignè fotas. Quoties ergo talis in Corpore elucet color, Signum erit probi Temperamenti. Mediocritas similiter in glabritie, Temperamenti perfectionem arguit: præsertim verò in frigiditate, & calore, imò & siccitate, & humiditate. Nam vbi mediocriter pilosus est homo, Signum est, frigiditatem, à qua glabrities oritur, in corpore non exorbitare, sicuti nec calorem, à quo hirsuties vt plurimùm dependet. Si ergo tactu visuq; pilositas moderata in corpore percipiatur, optimi Temperamenti argumentum erit.

Color optimus in corpore humano.

Glabrities à frigore, hirsuties à calore præcipuè fit.

De tertio Signorum partis similaris genere, quod ab actionibus desumitur, vlteriùs loquitur Galenus, & dicit, ex actionum integra perfectione temperaturam, siue constitutionem partium similarium venandam esse. Vbi enim corpus temperatissimum fuerit, actiones prodibũt perfectissimæ. Vnde Galenus ait: In actionibus, integritas, quam & virtutem appellamus. Alibi per virtutem, actionum robur intelligit. Sed siue bonitas, siue integritas, siue robur, siue perfectio dicatur, perinde est: cùm quæuis istarum denominationum sit conueniens. Actiones, de quibus loquitur Galenus, sunt naturales, Appetitus, Attractio, Retentio, Coctio,

Signa partis similaris, quæ ab actionibus desumũtur.

Naturales actiones.

Excretio, Nutritio, Auctio, Generatio; Vitalis pariter Naturalis est. Appetitum nominaui naturalem facultatem; quia reuerà illa quæ in partibus Corporis fit, talis est, licèt ille, qui in ore ventriculi fit, animalis, quòd animal ad cibi acquisitionem excitet, nominetur. Galenus lib. 10. Meth. med. cap. 10. tantam tribuit vim similaribus partibus, vt ab ijs omnes animantis actiones obiri affirmet. Præfatas etenim actiones, similares partes Temperamenti ope, vice instrumenti edunt. Motus verò, & Sensus, etsi organo quodam, & maiori apparatu, vt fiant, egeant, in quolibet tamen instrumento (vt alibi testatur Galenus) pars aliqua similaris inuenitur, quæ præcipua actionis causa censetur. Ex his confirmatur dicta Galeni doctrina, quâ partes similares authores facit actionum omnium. Quoties ergo actiones perfectæ fuerint, Signum est optimi partium similarium temperamenti.

Actiones à similaribus eduntur partibus.

Dubium quoddā soluitur.

Postquàm breuiter Signa à Casibus, siue Symptomatibus, & ab actionibus facultatum naturalium desumpta proposuit Galenus, Signa pariter alia necessariò consequentia ea, quæ substantialiter insunt partibus dissimilaribus, exponit: Et duo esse huiusmodi Signa indicat, suntq; commensuratio, & pulchritudo. Rursùs ait, perfectionem operationum partium dissimilarium, optimam arguere Corporis constitutionem. Atque hactenùs Signa indicatiua optimæ constitutionis corporis proposuit.

Cōmensuratio, & pulchritudo.

Actiones perfectæ, partis dissimilaris optimam constitutionem arguunt.

Obiectiones in hanc Sectionem.

Obiectio.

GAleno obijciunt aliqui, quòd Signa optimæ constitutionis Corporis nimis defectuosè, & parcè hîc proposuerit.

Solutio.

Cui obiectioni facilè occurritur, Galenum definitiuo more, & per consequens breuiter, Capite 8. citato Lib. de Arte Medica, quædam proposuisse Signa ex magis præcipuis; ad quæ, nullo negotio, reuocari possunt Signa optimæ constitutionis, alibi à Galeno insinuata. Libro 2. de Temper. cap. 1. exactissimè temperati Hominis Signa enumerauit, & nos post illum in nostræ Physiologiæ libro 4. cap. 5. Libro 1. de Sanit. tuen. cap. 6. eiusdem optimæ constitutionis Signa plenè etiam exhibuit. Ante id verò (inquit) quænam sit optima Corporis constitutio, exponemus. Est igitur ea secundùm substantiam ipsam rei enarrantibus, & quæ

optimo temperamento sit, & quæ figuram partium egregiè ad functiones comparatam habet: ad hæc quæ omnem tũ numerum, tum magnitudinem, tum omnium earum inter se contextum ad actiones idoneum exhibet: Si verò indicia, notasq; respicias, cuius corpus carnis exquisitam mediocritatem præfert, tale est, quod inter gracile, & obesum, medium esse docuimus. Nec refert, si pro obeso corpulentoue (πολύσαρκον, idest, multa carne prædito, habetur in textu Græco), crassum dixeris. Idem reliquorum quoque excessuum in medio planè est situm, ita, vt nec hirsutum id meritò dixeris, nec glabrum: sed nec molle, nec durũ: nec nigrum, nec candidũ: adde etiam nec venis amplis, nec obscuris: nec iracundũ, nec ignauũ: nec somnolentum, nec peruigilem: nec hebetem, nec callidum: nec in Venerẽ pronũ, nec à Venere alienum. Quod si omnibus quoq; Corporis partibus planè medium omnis excessus teneat, pulcherrimum id visu nimirum fuerit, vtpote Symmetron. Erit non minùs ad labores omnes planè idoneum, nec reliquis Eucrasiæ, idest, boni temperamenti, cuiusq; membri notis, quas in Secundo de Temperamentis retulimus, destitutum. Nam multos videas, v.g. quibus caput attemperatum commodè sit; thorax, venterue, & quæ gignendo tributæ sunt partes, parum prospera temperie sint: Quorundam verò in artubus intemperies est. Non desunt, & quorum vnũ aliquod viscerũ, aut alia quæpiam particula vna, pluresue, interim verò plura aliqua viscera, parùm salubri sint temperamento. Ego verò in vnica instrumentalium partium intemperiem (multi Codices Græci habent δύοκράσεις, idest, duo temperamenta); idq; in non paucis notaui ita, vt, v.g. reliqua omnis ventriculi concauitas vno temperamento commodo, incommodoue esset, alio ipsum duntaxat ventriculi os. Hactenùs Galenus, qui, vti Capite 8. Artis Medicinalis, Signa ab ijs, quæ essentialiter insunt, & ab ijs, quæ necessariò sequuntur, operationibus, & accidentibus fusè satis deduxit, testaturque se libro 2. de Temperamentis, Signa omnia boni habitûs, siue habitudinis, siue optimæ constitutionis, plenè exposuisse.

Signa optimæ cõstitutionis.

Pulcherrimũ est corpus quod verè Symmetron est.

Inæqualis temperies.

Allati modò ex Galeno contextûs immemor erat Oddus de Oddis, dum Auicennam fen. 2. Primi, doctrina 3. cap. 4. Signis à Galeno assignatis quædã addidisse refert. Auicenna, inquit, quinctiam eadem Signa ponit, quæ à Galeno mutuatus est; vnumque ad-

Oddi obliuio.

addere videtur, nempè quod hæc corpora venas habent mediocres, inter apparentes, & profundas, & eorum somnia valdè delectant, speciemque bonam afferunt, nec non boni odoris esse videntur. Cæterùm licèt non explicitè hæc omnia verba ex Auicenna deducta apud Galenum extent, extat saltem doctrina illa de Venarum mediocritate, quam in optimè constitutis siue dispositis Corporibus, reperiri dilucidè docuit Galenus in contextu iam citato, & huc traducto. Quando autem venæ sunt mediocriter latæ, non intùs in carne sunt valdè reconditæ, exilium venarum more, nec exteriùs valdè prominent, vt in multis biliosis simul & sanguineis apparere consueuerunt.

Secunda obiectio. Obijcit secundò Thurisanus Monachus, super caput octauum Artis Medicinalis, contra allatam superiùs ex eodem capite doctrinam. Signum debet esse diuersum à Significato: Sed quæ substantialiter insunt, cuiusmodi sunt Temperamentum, & Partium compositio, non sunt diuersa à Significato, à sanitate videlicet: Ergo non possunt esse Signa. Maior clara videtur, alioquin aliquid esset sui ipsius Signum. Minor æquè vera videtur: nam Corporis temperamentum, & compositio siue cõformatio, sunt signata siue significata, & simul Signa.

Solutio. Huic obiectioni satisfacit idem Thurisanus, inquiens, ea quæ essentialiter insunt, quale est Temperamentum, & compositio Corporis, bifariam accipi: Primò in ordine ad partes: Secundò in ordine ad sensus nostros. Temperamentum ergo quatenus dicit respectum ad partes similares, quarum forma dicitur, est Signatum: prout.a.idem Temperamentum ad sensum tactûs, tanquam ad potentiam, à qua comprehenditur, respectum habet, Signum est sanitatis, siue Temperamenti partium similarium. Similiter compositio duplicem respectum habet, vnũ ad partes ipsas compositas, quarum forma est, alterum ad visum, & tactum, à quibus percipitur. Concludendum ergo idem, non secundùm idẽ, siue non secũdùm eũdẽ respectũ, esse sui ipsius declaratiuũ, siue signũ, siue mauis, representatiuum, conformiter ijs quæ de significare & representare, in principio huius dixi. Tẽperantia enim consimilium (inquit optimè Thurisanus) est Signum secundùm quod afficiens tactum Medici: imò magis est Signum impressio, quæ tactui ab ea derelinquitur.

Obij-

Obijciunt aliqui tertiò, cum eodem Thurisano, Galenum fuisse sui oblitum, quando inter accidentia quæ necessariò consequuntur ea quæ essentialiter insunt, commensurationem partium organicarum collocauit, cùm eandem commensurationem antea statuerit esse id quod essentialiter, siue substantialiter partibus similaribus inest, adhæretue. Galenum malè verbum, sequuntur, posuisse in textu, mordicùs tenet Hieremias Thriuerus Brachelius: quoniam, inquit, commoderatio siue commensuratio optimam instrumentorum Salubritatem præcedit, non autē succedit. Quod autem nulla commēsuratio sequatur quæ sit alia à prima quæ substantialiter inest, patet ex eo, quòd figura, quantitas, numerus, & situs, sunt ignaua accidentia, quæ secundum effectum edere non possunt: Res autem aliter se habet in primis qualitatibus, quas secundæ consequuntur, figuram verò, quantitatem, numerum, & situm, nulla ob ignauiam sequitur qualitas, aut effectus. *Tertia obiectio.* *Hieremias.*

Nos tamen cum Thurisano, & Ioanne Agricola Ammonio, respondemus, rectè à Galeno commensurationem, tanquam quid consequens ea quæ secundum essentiæ rationem partibus dissimilaribus insunt, commemorari. Duplex autem est commensuratio: Vna quæ substantialiter siue essentialiter partibus inest dissimilaribus: Et est illa congrua proportio, quæ in parte dissimilari requiritur secundùm conformationem, quantitatem, numerum, & situm. Quoties enim Pars dissimilaris in his quatuor rectè constituta est, benè commensurata dicitur. Est & altera commensuratio accidentaria, quæ modò dictam commensurationem necessariò sequitur; & est debita partium omnium dissimilarium ad se inuicem proportio, multùm sanè distans à prima compositione, & commensuratione partium dissimilarium, quarum quælibet, quatenùs dissimilaris est, conformationem, quantitatem, numerum, & situm, tanquam formam, quâ constituitur, respicit: Secunda autem commensuratio partium omnium dissimilarium debitam ad inuicem proportionē, primam consequentē significat. *Solutio.*

Galenus, præter cōmmensurationem necessariò consequentem primam commensurationem substantialiter inhærentē, aliud enumerauit accidens necessariò consequens, quod pulchritudinem appellauit. Pleriq; pulchritudinem, & secundam modò expositam commensurationem ita confundunt, vt eas nullatenùs distingui *Pulchritudo.*

gui

gui autument. Aristoteli adhærentes videntur pulchritudinem à secunda hac commensuratione distinxisse: quoniam Aristoteles in Ethicis docet, paruos posse esse commensuratos, siue concinnos, & elegantes, pulchros verò nequaquàm. Nam vt pulchrum dicatur Corpus, magnum mediocriter esse debet, & cùm non nisi ratione organorum, siue partium dissimilarium magnum dici queat, hæ omnes magnæ mediocriter, & inter se proportionatæ esse debent.

Parui ex Aristotele non sunt pulchri.

Galenus verumtamen Lib. de Optima nostri Corporis Constitut. cap. 4. & magna, & parua Corpora, dummodò bonam habeant partium omnium commensurationem, pulchra esse patenter affirmat. Loquendo etenim ibidem de temperato, & optimè constituto corpore, ait: Quod verò eiusmodi Corpus, nec magnũ, nec paruum, nec mediocre, necessariò statuendum sit, dictum à nobis est in Libris de Temperaturis. Sed in proposito etiam opere dicetur, gigni quidem magnum Corpus ob exuperantem materiam; ob exiguam verò paruum: sicuti multo ex ære grandis Statua, ex pauco parua conficitur: nihilo tamen obstat, quin duo hæc corpora particulas obtinere possint moderatè constitutas. Nam corpus, quod nec densum euidenter sit, aut rarum, neq; durum, aut molle, neq; item pilosum, aut glabrum, quantæcunq; magnitudinis extiterit, temperatissimum est: quod si instrumentariæ eius partes commensum quendam inter se sortiantur, erit profectò visu sanè pulcherrimum, cùm absolutissimæ constitutionis existat. Corpus autem, vel maius, quàm deceat, minusue, fit duplici quidem ex causa: maius ob humiditatis, vel materiæ redundantiam, minus ob ipsius materiæ defectum, vel immodicam siccitatem: incrementum enim eò vsq; se extendit, donec ossa firmum robur adepta sint: obdurescunt, firmaq; redduntur in parua magnitudine, vel ob materiæ penuriam, vel ob ipsam siccitatem. Ob idq; neq; simpliciter magnitudo humiditatis indicium est, neq; paruitas siccitatis, sed singula quidẽ corpora duplici ex occasione maturiùs, aut seriùs ab incremento desistunt. Quòd, si in magno corpore mollitiem, duritiem in paruo protenùs deprehendes, erit proculdubio illud humidum, hoc siccum.

Pulchritudo paruis aq; ac magnis corporibus inest.

Magna corpora ex copiosa materia, parua ex pauca nascitur.

Pulchritudo in partiũ dissimilarium proportione ad inuicẽ potissimũ consistit.

Maiora corpora ab humiditate, vel materiæ redũdantia, minora à siccitate, vel pauca materia fiunt.

His Galenus Controuersiam diremit, statuens, & paruum, & magnum Corpus pulchrum esse. Pulchros sanè nos quotidiè appellamus,

lamus, benè formatos, & temperatos Pueros: quàmuis existimem pulchritudinem in partium dissimilarium proportione præcipuè consistere.

Quando autem Brachelius ait, primam commensurationem ob ignauiam non posse secundam producere, esto: Proinde tamen negari non debet debita illa proportio partium dissimilarium inter se, quæ à natura ipsa in prima hominis formatione intenta est: quam proportionem, si relationem, ad quam non datur per se motus, appellare quis velit, per me licet. Relatio enim sine noua efficientia, effectum aliquem per se productum sequitur: vt videre licet in Patre hominem, intercedente generatione, producente: inter quem rursùs, & genitum, relatio resultat Paternitatis, & Filiationis. Si ergo à natura intenta est partis cuiusuis organicæ debita commensuratio, cur non hanc consequi potest partiũ omnium dissimilarium inter se debita commensuratio? *Hieremiæ Brachelio fit satis.*

Obijciet aliquis quartò, malè pulchritudinem cum commensuratione confundi: quia Galenus disiunctim de ambabus loquutus est capite cit. 8. Art. Medicæ. Addamus & his Antiquorum opinionem, qui visi sunt in grato colore, præsertim faciei, pulchritudinem constituisse. *Quarta obiectio.*

Vnde Virgilius Egloga 2. ait:

O formose puer nimiùm ne crede colori:
Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Et Ouidius lib. 3. de Tristibus:

Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaq; in antiqua fronte senilis erit.
Inijcietq; manus formæ damnosa senectus
Quæ strepitum passu non faciente venit.

Idem Ouidius libro 15. Metamorph. etiam ait:

Flet quoque, vt in speculo rugas aspexit aniles
Tindaris, & secum, cur sit bis rapta, requirit.

Item Horatius lib. Epod.

Fugit Iuuentus, & verecundus color
Reliquit ossa pellem amicta lurida.
Tuis capillus albus est odoribus.

Respondeo, Coloris bonitatem in pulchritudine præsupponi: Nam in optima Corporis nostri constitutione Temperamentum *Solutio.*

præ-

Pulchritudo in partium dissimilarium proportione & actionũ integritate consistit.

præsupponitur optimum, quod coloris bonitas necessariò sequitur. Vera tamen pulchritudo in proba, & proportionata partium corporis commensuratione, magis quàm in venusto colore consistit: quoniam partibus benè proportionatis actionum integritas conuenit: quæ quidem integritas bonitasue actionum partibus benè commensuratis addita pulchritudinem omninò complet: & per hoc additamentum perfectionis actionum, & bonitatis forte temperamenti, videtur pulchritudo à commensuratione distingui. Pulchritudo autem illa, quæ in coloris bonitate consistere dicebatur, quæq; in multis muliercculis perspicitur, actionum bonitate est destituta: quapropter vix pulchritudo dicenda. His adde consimiles mulieres esse glabras, nimiumq; molles, quæ duo optimi temperamenti defectum arguunt. Pueri verò benè compacti, optimèq; temperati, etsi molles & glabri, donec adulti facti fuerint, extent, pulchriores tamen multò mulieribus dicuntur; quoniam temporis decursu actionum perfectionem, & temperamenti mediocritatem acquirere possunt.

Fucata pulchritudo.

Galenus lib. 1. de vsu part. Corporis humani cap. 9. de Pulchritudine sic loquitur: Vera enim pulchritudo aliud nihil est, quàm constitutio optima: quam actionibus iudicabis, Hippocrati credens, non albedine, vel mollitie, vel id genus alijs, per quæ non natiua, non vera, sed fucata, & adulterina pulchritudo ostentatur. Quò fit, vt alia quidem corpora mango (mango est homo, qui lacera, & trita vestimenta, aliasue merces veteres, resarcit, vt altiori pretio iterum omnia diuendat) alia vero Hippocrates laudaturus sit. Tu verò apud Xenophontem iocari Socratem fortassis putas, ambigentem de pulchritudine cum illis, qui ætate sua formosissimi videbantur: is autem, si simpliciter loqueretur, neque refert ad actionem, & hac ratione in vniuersum de Pulchritudine expenderet, forsan vtiq; solùm iocaretur: sed quoniam toto illo sermone pulchritudinem constructionis particularum refert ad actionis bonitatem & virtutem, nequaquàm ipsum tantummodò iocari, sed etiam seriò loqui æstimandum est. Hæc namq; Socratis Musa fuit, & industria, vt seria iocis semper immisceret. Et paulò post sequentia addit Galenus: Vt autem sermo noster methodo procedat, quæ corporibus insunt, omnia distinguamus. Insunt autem primum, & maximè temperamenta, quippe quæ propriam

Pulchritudo ex Socrate.

par-

particularum ſubſtantiam complent: Corpus enim tale natura eſt, propterea quod caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate ſic commixtum eſt: nam carni eſſe carnem, & neruo neruum, & aliorum vnicuiq; id eſſe, quod eſt, ob qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturam, contigit. Hæc igitur eis ſecundùm ſubſtantiæ rationem inſunt: conſequuntur autem neceſſariò odores, ſapores, colores, durities, mollities. Alia verò neceſſariò accidunt, poſitio, magnitudo, connexio, conformatio. Quoties igitur omnium, quæ organis inſunt, vtilitatem diligenter es examinaturus, in primis diſquire per quod actionem nactum fuerit: magna enim ex parte per propriam ſubſtantiam inuenies: aliquando autem etiam ob aliquod ex conſequentibus, quemadmodum in oculis propter colorem. Deinde, & aliorum eius particularum vtilitatem ſingulatim diſquiras, an ſcilicet ea propter actionem ſit vtilis, an propter eorum aliquid, quæ temperamenta conſequuntur, vt os propter duritiem. Poſt hæc autẽ vnumquodq; illorum, quæ & totis ipſis organis, & eorum particulis accidunt, conſideres: quæ (vt paulò ante dictum eſt) ſunt poſitio, magnitudo, connexio, conformatio. Quiſquis verò ſe rectè vtilitatem partium conſiderâſſe putat priùs, quàm hæc omnia, rectène habeant, an ipſorum aliquid prauè, expenderit, hallucinatur.

Temperamenta partium ſubſtãtiam complent.

Nota.

Actio à quo fit.

Dilucidè Galenus in hoc contextu Hippocratem, & Socratem ſequutus, pulchritudinem in recta partium conſtitutione, & actionum earundem partium bonitate, non autem cum mangonibus, & plebeis, in florido ſolùm colore, & mollitie Corporis collocauit. Optimam ſanè conſtitutionem bonitate actionum deprehendimus, teſte Galeno lib. de opt. noſtri Corp. conſtitut. cap. 2. vbi hæc habet: Quò fit, vt minime decipiamur, ſi optimam Corporis conſtitutionem eam eſſe ſtatuamus, quę vel ſaluberrima ſit, vel probatiſſimæ habitudinis, eamq; rectarum functionum firmitatę atq; conſtantia iudicemus. Quid autem ſit optima Corporis conſtitutio, à nobis ſuperiùs declaratum eſt, & paucis in calce dicti libri de opt. noſtri Corp. conſtitut. definitur à Galeno: Quæ inquit, ſi ita ſe habent, optima Corporis conſtitutio in his duobus, bona ſcilicet ſimilarium partium temperie, ac Officialium Symmetria collocanda eſt. Cæterùm ſi exactam pulchritudinem conſideremus, coloris, & Temperamenti bonitatem non excludit, ſed

In quo conſiſtit pulchritudo.

Optima corporis cõſtitutio.

Iucundus color à pulchritudine non excludendus.

intimè potiùs comprehendit; vt videre licet apud Galenum Libro ad Thrasybulum cap. 14. vbi hæc habet: Quemadmodum enim pulchritudinem iucundus color, congrua caro, membrorum cõmoderatio, & alia quædam integrant, quidni & Corporis bonum, ex sanitate, robore, & pulchritudine confletur? Item quid prohibet ipsius corporis bonum esse sanitatem, sed veluti frustum quoddam, eius pulchritudinem, & actionem? Quid obstat præterea primum corporis bonum actionem esse, eius verò causam, sanitatem? Neq; enim per alia exquisitè sanescet corpus, per alia robustum, aut pulchrum euadet: statim verò id etiam exactè salubre est. Ex his liquet, completam pulchritudinem sequelam esse optimæ constitutionis Corporis: Optima verò constitutio partium similarium atq; dissimilarium perfectam dispositionem comprehendit. Optima verò Corporis constitutio integram sanitatem constituit. Vnde habitus Corporis simpliciter bonus, siue bona habitudo, sanitas à Priscis Philosophis, & Medicis nuncupatur, teste Galeno libro de bona habitudine; vbi etiam ait: Habitus etiam simpliciter bonus in optima Corporis constitutione deprehenditur, non autem simpliciter in singulis Corporum naturis. Quid autem sit habitus, à Galeno statim in exordio eiusdem libri definitur. Habitus, inquit, nomine in re omni vti solemus, quæ constans est, ægreq; amouetur: neq; idcircò quicquam magis, vel vituperamus, vel laudamus. Cùm verò bonum, aut malum habitum dicimus, qualis tunc ipse sit habitus, describimus.

Pulchritudo est sanitatis frustum.

Actio integra primum bonũ respectu nostri, Sanitas verò causa.

Habitus simpliciter bonus.

Habitus quid.

Obiectio 5.

Obijciunt pleriq; quintò, Perfectionem actionum non rectè optimæ constitutioni corporis adscribi. Nam plures intemperati quasdam edunt actiones multò perfectiores quibusdam temperatorum, & benè constitutorum actionibus. Galenus autem Lib. 1. de Aliment. facult. cap. 1. inquirens causam, cur aliqui meliùs & minori negotio bubulam carnem assumptam, quàm pisces saxatiles cõficiant, concoquantue, id prouenire dicit à calore excedente Ventriculi; qui calor siue intemperies calida, vel ipsi ventriculo congenita est, vel à bile ad ipsum ex Hepate, permeante, siue regurgitante, prouenit. Postquam enim cruditatis Signa citato capite proposuit Galenus, sequentia scripsit. Horum (idest, eorum, qui bubulam carnẽ concoquunt, saxatiles pisces non concoquunt, sed corrumpunt) igitur Corporis habitum diligenter contemplatus,

tus,

tus; deprehendi bilis flauæ copiam in ventriculo, vel ob prauam quandam temperiem, vel propter peculiarem constructionem esse aceruatam: peculiarem autem dico constructionem, quoniam hominibus quibusdã bilis ex iecore in intestina defluẽs, in ventriculum regurgitat: prauam vero temperiem, cùm calor naturâ ipsis inest acris, ac mordax, & (vt sic dicam) febriculosus. Proinde par est, vt isti cibaria corruptu difficilia meliùs, quàm facilia, coquant: quando, quæ facilè concoquuntur, facilè item alterantur, ac corrumpuntur: contra, quæ concoctu sunt difficilia, non facilè quoq; tum alterantur, tum corrumpuntur. Hæc certè, si in multum calorem inciderint, coquuntur magis, quàm si moderato occurrerit: atq; hac profectò ratione accidit, vt nonnulli bubulam faciliùs, quàm pisces Saxatiles, conficiant. Ex his Galeni verbis constat, coctionem fæliciùs à natura intemperata, quàm temperata celebrari in ventriculo: imò & hepate calido.

Quidã meliùs bubulã carnem quã passeres, aut saxatiles pisces, concoquunt.

Deniq; biliosi, & consequenter calidi & sicci, ordinariè sunt alijs ingeniosiores, magisq; animosi, & fortes. Vnde Galenus Commentario in Librum de Natura Humana, seu potiùs de natura Hominis, textu 39. in hæc prorumpit verba: Et proinde temperatissimus sanguis pituitæ, & bilis tam flauæ, quàm atræ, non erit expers. Sed & altera existit ratio naturalis, quæ non parùm probabilitatis assecuta est, quâ monstratur quatuor humores non parùm facere ad gignendos probos mores. Hìc verò priùs demonstrasse necesse est, quòd animi mores corporis sequantur temperaturam, de quo alibi à nobis scriptum est. Hoc itaq; sic constituto, animi quidem acumen, & dexteritas à bilioso humore prodibit: ab atra verò bile constantia, & stabilitas: à sanguine simplicitas, ac stoliditas: vt pituita ad formandos mores inutilis sit, sed necessarium ex prima ciborum transmutatione ortum habet.

Sãguis etiam temperatus alios continet humores.

Temperamentũ corporis sequuntur animi mores.

Libro etiam 3. de Symptomatum causis, cap. 3. neruorum, tendonum, musculorum, & ligamentorum siccitatem ad motus voluntarios debitè obeundos, maximè necessariam indicat. Imò ad expellendum, instrumentum validum & siccum, quàm aliud vllum, magis idoneum esse contendit. Post principium Capitis, instrumentum durum, quod difficulter flectitur, & innititur, maximè idoneum esse testatur, vt quis trahere valẽter possit quicquid voluerit, & violenter trudere siue pellere, fortiterq; tenere, etiam

quicquid placet. Sed constat has qualitates siccitatem & duritiem intemperatis corporibus, vt biliosis & melancholicis, congruere. Ergo motus voluntarios perfectiores edunt, quàm temperati. Dicto Capite in suæ doctrinæ confirmationem sequentibus vtitur exemplis. Sicut, v. g. Phrenitis quidem calidus & siccus est morbus, ideoq; in actionibus voluntarijs maximum habet robur: Lethargus autem imbecillus, vt qui particulas humiditate copiosa frigidaq; imbuat. Tale quippiam est, & Hydropum genus, maximèque ex ijs Leucophlegmatia, & Anasarca.

Phreniticus fortis, Lethargicus imbellis.

Demùm quoad sensus exteriores certum est, eos in aliquibus intemperatis, & animalibus quibusdam, quàm in temperatis, magis elucere; vt libro 1. de Sanitate tuenda testatur Galenus. Vnde visûs perspicuitate à Lince, & Aquilâ longè superamur. Auditu verò à Melampode facilè vincimur: Pedum pernicitate ab Iphiclo, alijsque permultis: manuum dexteritate à Milone: odoratu à canibus, teste Philosopho lib. 5. de generat. animalium. Sed nec canes procul olfaciunt, si cum vulturibus comparentur: ait enim Auerroës lib. 2. de Anima, vultures olfecisse occisa cadauera in bello Troiano vltra quingenta milliaria.

Solutio.

Huic obiectioni ego in mea Physiologia cum vniuersa Schola satisfeci. Temperatus enim homo, & optima Corporis constitutione præditus, licèt in quibusdam actionibus ab intẽperatis aliquibus, & certis animalibus, inferior sit, si omnes tamen actiones simul sumantur, multò perfectiores in eo, quàm in intemperatis, & malè constitutis corporibus elucent. Licèt enim concesserit Galenus, à Picrocholis bubulas carnes, quàm saxatiles pisces, faciliùs concoqui, non tamen dixit, actiones huius perfectiores esse actionibus hominis benè constituti: imò verò cõcoctio multò meliùs celebratur ab homine temperato, quàm à Picrocholo. Nam qui temperatus est, & bubulam carnem, & pisces saxatiles, & turdos, passeres, aliaque edulia difficilis, aut facilis coctionis, indiscriminatim alterat, concoquitque: Hi autem, quibus bilis in ventriculo accumulatur, teneriora alimenta non probè concoquunt, sed ea corrumpunt, aduruntue ratione ignei caloris, quo bilis prædita est, & intemperie intensè calida. Vnde solidiora alimenta, quemadmodum his qui hectica febre laborant, biliosis istis congruunt: quia reuerà Picrocholi morbosi sunt, & quoad conforma-

tionem ductûs aut vasis deferentis bilem ex hepate, quod vas non amplius vnum est, sed præter portionem eius, quæ bilem in intestinum rectum defert, supernatus est alter ramus in ventriculum desinens, eoque bilem perferens. Præter malam formationem pori istius cholidoci, ventriculus adhuc veluti igneo calore inflammatur. Concludendum ergo, hos, qui ita laborant, coctiones infœliciùs celebrare, quàm temperatos. Nam temperati correctione aut emendatione nullà, vt suis fungantur operationibus, sed sola custodia egent: Intemperati verò omnes è contra. Vnde Galenus lib. 1. de Sanit. tuen. cap. 6. ait: Quippe intemperies, quæ intra sanitatis sunt terminos, corrigere oportebit ita, vt quæ iusto ficciores naturæ sunt, humidiores reddas: quæ humidiores sunt, ficciores: pari modo, quæ frigidiores sunt, vt harum excessum castiges: quæ calidiores, earum superantiam ad moderatius reuoces. Sanè cum hæ Intemperies intra sanitatis limites constitutæ emendatione egeant, vt docet Galenus, multò magis emendandi sunt illi, in quibus copia bilis in ventriculo accumulatur: Nam hi verè morbosi sunt, aut saltem valetudinarij.

Intẽperies intra sanitatis limites.

Quæ dixit Galenus cap. 3. libri 3. de Symptomat. causis, de siccitate & duritie, vera quidem sunt: nam duriora quæuis violentiùs, quàm reliqua, pellunt, trahunt, & renituntur. Galenus ideò vngues ad apprehensionem necessarios esse docet lib. 1. de vsu part. cap. 10. Capite sanè citato lib. 3. de symptomat. caus. quamplurima, eaq; egregia, de comparatione omnium functionum, ratione varietatis ætatum, proponit: quæ omnia & Conseruanti, & Curanti Medico sunt protinùs necessaria.

Vide cap. 3. lib. 3. de symptom. causis.

Quod attinet ad locum Galeni Comment. in librum de natura Hominis, eum in nostra Physiologia benignè interpretatus sum. Dixiq; sanguineos non esse propriè stolidos, sed simplices, liberos, apertos, & astu carentes. Textus sanè græcus, stolidum, fateor, habet: Τὸ δ' ἀπλοῦν καὶ ἠλιθιώτερον, διὰ τὸ αἷμα. Quasi diceres, simplex & stolidus per sanguinem, vel à sanguine. Ηλιθος idē est, ac stolidus, stultus, insipiens: ἠλιθιώτης, stoliditas, stultitia, dementia. Fortassis ideò sanguinei ita vocati sunt, quòd sint garruli, liberi, ingenui, vt dixi.

Sanctorio non placet solutio obiectionis vltimæ, etsi communiter omnibus arrideat. Dicit itaque, nomine operationis perfe-

ctæ,

ctæ, eam intelligi, quæ constitutioni salubri conuenit; quæq; potest resistere causis extrinsecis, & quæ nunquàm ferè in ægritudinem labitur. De qua optima & saluberrima constitutione Galenus cap. 85. Artis Medicæ, ait, non egere Præside pro eius conseruatione: imò de hoc corpore loquens, inquit, tantum appetere, quantum potest coquere: ideò libro de Bono Corporis habitu, dicit, hæc Corpora non ægrotare, quia neq; colligunt humorum multitudinem, neq; malignitate coinquinantur. Hæc sanè, quæ de optimo habitu dixit Galenus, vera sunt, sed Sanctorius ludere videtur: cùm cæteri Medici, æquè benè, ac ille, de Corpore optimè constituto loquantur: quod corpus ex integritate actionum à reliquis discrepat. Ex functionibus enim secundùm naturam obeundis, sanitatis habitus discernitur, teste Galeno lib. 1. de sanit. tuen. cap. 4. Sanctorius verò de naturalium actionum perfectione solummodò loquitur; in quo sanè peccat: Nam licet corpus temperatum naturales actiones perfectissimè ederet, non inde sequitur ipsum habere omnes actiones tàm vitales, quàm animales perfectiores quibusuis actionibus corporum intemperatorum. Pueri autem naturalem habent facultatem in optimo statu, animales tamen imbelles, teste Gal. lib. 3. de symptom. causis cap. 3.

Sāctorius perstringitur.

Obiectio sexta.

Obijcitur sextò contra id, quod dixit Galenus, sensu tactûs hominis temperamentum peroptimum percipi. Hoc enim falsum videtur: Nam Medicus tangens, temperatus pariter est, vel intemperatus: Si temperatus, nequaquam temperatum dignoscet: quoniam ex Aristotele lib. 2. de Anima tex. 118. Tactus exuperantias solummodò sentit, æquè verò calida; vel æquè frigida, vel æquè humida, vel æquè sicca, neutiquàm. Si autem Medicus fuerit intemperatus, temperatum intemperatum iudicabit, propter magnam distantiàm temperati ab intemperato: ex suppositione enim Medicus est intemperatus, & ille, quem tangit, temperatus. Medicus igitur calidam habens manum, dum temperatum tangit, eum frigidum iudicabit: Si manum habeat frigidam Medicus, corpus temperatum, quod tangit, calidum existimabit. Adeoq; concludendum, Medicum intemperatum iudicaturum hominem temperatum intemperatum: Et sic sensu tactûs non percipiet temperatum.

Du-

Dubium hoc soluitur, præsupposita Auerrois doctrina: putat enim priuationem essentialiter sensu comprehendi. Medicus ergo temperatus priuatiuè temperatum dignoscet: idest, non persentiendo ipsum, quem tangit, calidum, aut frigidũ, aut siccum, aut humidum, concludet necessariò, Corpus quod tangit, esse temperatum. Si verò Medicus fuerit intemperatus, temperatum pariter persentiet, dummodò Galeni consilium obseruet, lib. 1. de Temperament. cap. vlt. vbi Medico persuadet, vt glaciei, & aquæ calidissimæ pares portiones commisceat. Inde enim nascitur temperantia quædam, & medium quid inter calidum, & frigidum. Sæpiùs hoc & consimile tepidum corpus, in quo nullus datur caloris, aut frigiditatis excessus, tangendo, deprehendet postea, & corpora temperata, & corpora similiter intemperata. Aristoteli vt satisfaciamus, concedendum sanè, simile non agere in simile, adeòq; nec temperatum à simili temperato sentiri positiuè; sed ex absentia excessus reliquarum qualitatum, Medicum dignoscere tangibile illud esse temperatum: quietem enim per motûs absentiam similiter dignoscimus.

Solutio.

Exemplũ temperati.

Aristoteli fit satis.

SECTIO II.

De Signis Corporis Sani non optimè constituti.

APud Galenum lib. Artis Medicinalis cap. 8. duo inuenio genera corporis sani deficientis ab optima constitutione Primum dicitur Corpus Sanum vt multum; ita enim Interpretes communiter loquuntur, tametsi in Galeni contextu Græco, aut Latino, non extent hæc verba (vt multum). Sanitas tamen, quæ optimæ constitutioni vicina est, & quæ ab eadem optima constitutione nõ multum recedit, meritò Sanitas vt multum, siue Sanitas satis constans, & vtplurimùm bona, quia parum ab optima deficit, dicitur. Altera Sanitatis species, Insalubris simpliciter, appellatur. Et est illa Sanitas valetudinaria, quæ ab optimo statu Corporis, seu ab optima integraq; Sanitate multùm declinat, & morbo vicina est. Dicitur hic Status Corporis Insalubris simpliciter, vt distinguatur à Statu corporis Insalubris vt nũc. Nam corpus Insalubre vt nunc, est Corpus actu morbosum. Dicitur deniq; Corpus insalubre simpliciter, sanum esse, quia actiones

Quatuor genera corporũ sanorũ inferius proponit Galenus: Saluberrima, Salubria, vt multum, in salubria simpliciter & neutra siue media inter salubria vt multũ, & insalubria simpliciter.

Insalubre simpliciter & vt nunc dirimũtur.

nes non sunt impensè læsæ, vt homo Saluber simpliciter, more ægrorum, cogatur lecto semper hærere, & formali Curationi sese submittere.

Signa, quibus Corpus Salubre vt multum, à Corpore Saluberrimo, & perfectè sano, distinguitur, in contextu hac serie innuit Galenus cit. cap. 8. Artis Medicæ: Eorum autem (idest Corporum), quæ ab ipsa (.i. optima Constitutione) deficiunt, & adhuc tamen Salubria existunt, nonnulla quidem in consimilium temperatura vitium aliquod paruum habent, in instrumentorum commoderatione, & hoc quoq; perexiguum: accedit autem hoc vel in omnibus, aut in aliquibus, aut in vtrisque. Postquam Galenus Signa optimę constitutionis Corporis humani tradidit, aliarum constitutionum Corporis Sani Signa nobis proponit: Et primo loco Corporis sani, vt multum. Corpus ergo Salubre, vt multum, est illud, in quo exiguus reperitur excessus in temperamento, aut compositione, aut in his vtrisq; simul. Cæterùm cùm agnosceret Galenus, Sanitatem non in solis, temperie, & proba Corporis compositione consistere, sed in his simul, & partium, tam similarium, quàm dissimilarium, vnitate, eodem in Capite consequutiuè ait: Vitiorum verò genera eadem sunt his, quæ virtutem perficiunt: Quasi diceret, tot esse genera morborum, quot Sanitatis. Sed Sanitatis triplex est genus, vnum temperiei, quod partibus similaribus congruit: alterum in bona compositione situm, quod partibus dissimilaribus: & tertium vtrisq; partibus commune, quod vnitas dicitur. Vnde constat, tria esse morborum genera, his iam dictis generibus aduersa, Intemperies similarium, dissimilarium mala compositio, & soluta vnitas, vtrisq; communis. Adeoq; temperatum erit vel bonum, siue Sanum, vel vitiatum: Compositio pariter bona, vel vitiata: Solutio etiam continui integra, vel corrupta. Itaq; eadem genere erunt subiecta, circa quæ versatur status sanus, & status æger: pars videlicet similaris est temperiei, & Intemperiei subiectum: Dissimilaris bonæ, & prauæ compositionis: vtræque partes subiectum vnitatis integræ, aut læsæ.

Distinctio corporis saluberrimi à salubri vt multũ.

Quale corpus salubre vt multũ.

Tot sunt morborum genera, aut si mauis, subiecta, quot sanitatis.

His expositis, proponit Galenus ea, quæ Virtutem, siue Sanitatem integram complent: & inter ea vnitatem recenset, hoc pacto; Temperatura quidem in consimilibus; numerus autem, &

for-

formatio, & magnitudo, & situs, in Instrumentarijs partibus: vtrisq; verò communis vnitas, quam & ipsorum continuitatem appellamus. Quoties enim in his tribus, aut in ijs, quæ naturaliter ea consequuntur, accidentibus, vel omnibus, vel quibusdam fit parua aliqua declinatio ab optima Corporis constitutione, Corpus laborare dicetur sanitate, vt multum. Salubre enim, vt multum, est Corpus, quod satis benè constitutum est, etsi quodammodo biliosum, aut sanguineum, aut quid simile dicatur. Pariter, si eius Pars aliqua non probè composita fuerit, dummodò talis mala compositio exigua fuerit, sanum, vt multum, dicetur. Si similiter exigua fuerit facta continui solutio, sanum, vt multùm, dici poterit, dummodò actiones sensibiliter illæsæ permanserint. Non enim qui leuem aciculæ puncturam, aut qui exiguam continui solutionem ex parua pustula passus est, morbosus dicetur, dummodò nullæ tunc actiones sensibiliter læsæ fuerint.

Tria sanitatē complent, temperamentū similariū, bona compositio dissimilarium partium, & vtrarumq; partiū vnitas.

Nunc ad Corpus sanum, quod insalubre simpliciter nuncupatur, quodq; ad ægrum proximè accedit, accedamus. Corpus hoc à Corpore ægro his Signis Capite 8. Artis Medicæ distinguit Galenus. Terminus autem, qui vtrumq; (idest Corpus insalubre simpliciter, & Corpus insalubre actu, quod ægrum dicitur) distinguit, est operationum læsio sensibilis. Distinguit, inquam, Galenus Corpus insalubre simpliciter à Corpore insalubri, vt nunc, hoc potissimùm Signo, quòd Corpus insalubre vt nunc, seu actu ægrum, aliquam, vel aliquas operationes habeat sensibiliter læsas: Corpus porrò insalubre simpliciter, etsi euidenter malè sanum sit, ægrum tamen nequaquàm censetur, donec aliqua eius actio sensibiliter, idest grauiter, lædatur. Quamuis sanè à Corpore perfectè sano non parùm remotum sit, & sensibiliter videatur habere actiones læsas, si cum eodem saluberrimo comparetur; sibi tamen collatum, aut comparatum, nullo modo dicetur habere actiones læsas; quoniam eas solitò semper edit more.

Signū distinguens corpus insalubre simpliciter, siue valetudinarium à corpore insalubri vt nunc, siue actu ægrotante.

Thurisanus existimat, per sensibilem actionum læsionem, non solum Corpus insalubre simpliciter, sed omne Corpus sanum, ab insalubri vt nunc, siue actù ægro, distingui. Sed cùm Galenus immediatè ante de insalubri simpliciter, & de insalubri vt nunc loquutus fuerit, verisimile est, ipsum in textu allato distinxisse potissi-

Thurisani interpretatio.

Monachus Thurisanus.

tissimum insalubre simpliciter ab insalubri vt nunc, cùm inter hæc duo maxima videatur esse affinitas, & omnibus notum sit, Corpus saluberrimum, & Corpus salubre, vt multum, ab insalubri, vt nunc, siue morboso, longè distare.

Iterum iuxta ordinem contextûs Galeni, repetenda est conuenientia, & disconuenientia Corporis semper sani, idest saluberrimi, & Corporis salubris vt multum; de quibus hoc ordine loquitur Galenus: Quæ verò ab optima Corporum constitutione breue aliquid deficiunt, reuera quidem & ipsa in aliquo sunt offensa, non tamen id sensu comprehenditur. Distinguuntur verò ex eo, quòd magis, aut minus in operationibus existit, ac quia in causis, quæ ægritudinem pariunt, non æquè resistunt. Superiùs Galenus docuit, paruam esse discrepantiam inter Corpus Saluberrimum, & Corpus salubre vt multum: nunc eandem doctrinam repetit, & ait, lapsum Corporis salubris vt multum, à Corpore perfectè sano, esse adeò exiguum, vt sensibus comprehendi nequeat: nam Corpora salubria vt multum, tactui, & visui apparent optimè constituta, & veluti media inter omnes excessus, cùm videantur veluti plenè dotata Signis Corporis saluberrimi: quæ Signa abundè superiùs cum Galeno exposuimus. Cùm ergo Corpus salubre vt multum, à Corpore perfectè salubri, propter exiguum lapsum illius ab hoc, distinguere sensus nequeat, eorum discrepantiam mente venari oportet. Duo itaq; sunt signa, quibus ab inuicem ea differre deprehendimus: Primum discrimen ex actionibus colligitur. Corpus .n. salubre vt semper, siue saluberrimum, omnes actiones collectiuè sumptas habet perfectiores actionibus Corporis Salubris vt multum. Secundum Signum discrepantiæ eorundem corporum ab inuicem, desumitur à resistentia, quæ fit causis aduersis. Quoties ergo duo homines iudicio sensûs æquè benè constituti occurrent, & plerisque temporum iniurijs obijcientur, si inde vnus patitur, alter nihil, ille qui temporis iniurias sine damno vllo tolerare potuit, saluber vt semper, siue saluberrimus censendus erit: qui verò causis occurrentibus resistere nequibat, & earum impressionem ita admisit, vt inde leue aliquod malum sustulerit, ab optima constitutione declinauit; ac proinde non saluberrimus, sed saluber vt multum, nominabitur. Galenus lib. de Optima Corporis constitutione, eiusdem Corporis optimè

Corpora perfectè sana à salubribus vt multũ, distinguũtur, quod perfectiores edant operationes, & quod causis morbosis meliùs resistant.

constituti propositas dotes, quibus reliqua superat corpora, sequenti serie perbellè exposuit.

Quòd verò, inquit, eiusmodi corpus (optimè scilicet constitutum) optimè ad vnamquamq; se habeat actionem, difficiliusq; quàm cætera omnia Corpora, morbis corripiatur, id facilè à quouis deprehendi potest: Pars enim, quæ suas optimè functiones exercet, bonæ quidem similarium temperiei, moderatę verò instrumentorum constitutionis, soboles existit. Eius generis est Corpus, quod antea diximus: cuius actiones planè constat, præstantiores fore, quàm quæ in cæteris Corporibus deprehenduntur. Quòd verò difficillimè incidere in morbos possit, ex his præcipuè intelliges. Læsiones nostri Corporis, aliæ quidem à causis exterioribus, aliæ verò ab alimenti excrementis oriuntur: ab exterioribus quidem causis, veluti si calefactus est quispiam, vel frigefactus, vel humectatus, siccatusue præter modum: inter quæ curæ etiam, ac mæstitiæ, laboresq; & vigiliæ, atq; alia eiusdem generis connumerantur. Ab alimenti verò excrementis duplices quidem genere sunt; quoniam & ipsa excrementa duplicia sunt: quorum alia quantitate lædunt, alia qualitate: specie verò sunt multiplices. Quod igitur moderatè constitutum corpus, ab exterioribus causis haud facilè corripiatur, ipsius eucrasia, hoc est, bona temperies, planè ostendit: cùm eò, quòd ab ipsis extremis vndequaq; plurimùm distat, in temperaturæ ametriam, idest, à iusto modo declinationem, vix, ægrèq; dilabatur. Præterea ob actionum præstantiam, cùm minimè à lassitudine lædatur, erit morbis ipsis difficillimè obnoxium. Est autem corpus huiusmodi inter alia omnia succi probatissimi: proptereaque facilius, quàm cætera Corpora, tristitiam, iram, vigilias, curas, imbrem, squalorem, pestilentiam, atq; (vt paucis rem complectar) vniuersas morborum causas sustinebit: sed quæ vitiosi sunt succi, prædictis à nobis causis facillimè succumbent; tanquam per se ipsa proximè ad morbos accedant. Hac quidem ratione, quæ extrinsecùs nobis occurrunt causæ, corpusq; infestant, eam, quam diximus, Corporis constitutionem, difficillimè corripient: quod verò ab alimenti excrementis, haud facilè sit morbis obnoxia, ex ipsius natura præcipuè discas, in qua neq; copiosi, vitiosiue vlli succi facilè redundant: neque, si exuperans quicquam congestum sit, idcirco læsio aliqua ipsis animanti-

Duplex causa morborum actiones lædentium, vna externa, altera interna, quæ mediante morbo quē producunt actiones lædunt.

Corporis excrementa dupliciter peccāt, aut quantitate excedēte, aut qualitate.

bus inferitur: naturalium enim inter se actionum symmetria, singularumq; ipsarum virtus excrementa quidem gigni non sinit; siquæ verò gignantur, paruo negotio expellit. Sin autem aliquandiu intus vnquam remanserint, minimum ab eis percipit detrimentum. Imbecilles enim ac intemperatæ naturæ à causis morborum facilè capiuntur: temperatæ verò, ac validæ, cuiusmodi esse optimam constituimus, plurimùm resistunt.

Naturæ imbelles ac intẽperatæ facilè patiuntur à causis externis simul & internis.

Præclarè hîc Galenus Signa corporis Saluberrimi, quibus non solùm à Corpore Salubri vt multum, sed à corpore insalubri simpliciter, cæterisq; Corporibus à statu perfectè sano quomodolibet deficientibus, distinguitur, proposuit. Non est tamen sine examine prætereunda hæc Galeni doctrina, quâ statuit Corpus Saluberrimum, maximè omnium, tam externis, quàm internis iniurijs resistere. Quæ doctrina, generaliter, & vt plurimum loquendo, vera est, propter perfectionem omnium actionum corporis saluberrimi, quibus mediantibus, contra causas, tam externas, quàm internas, acriter pugnat. Corpora tamen quædam Salubria vt multum, iisdem causis aliquando fortiùs resistunt propter quasdam dispositiones, quibus dotata sunt, teste eodem Galeno, citato libro de optima Corporis constitutione, vbi inquit: Verbi gratiâ, quæ moderato duriora sunt, ab omnibus quidem exterioribus causis, molliora verò ab interioribus: pari modo, & quæ densiora ab extrinsecis, quæ rariora ab intrinsecis, difficiliùs lædentur. Quæ enim ab Hippoc. in lib. de Alimento scripta sunt, raritatem scilicet Corporis, quibus plura perspirationis causâ per cutem feruntur, salubriorem, quibus pauciora, morbosiorem, dicta ab eo sunt de alimenti ipsius excrementis, quæ ad sanitatem, aut morbum pertinent. Et quibusdam interpositis, rem hâc serie prosequitur Galenus: Etenim si ad excrementa respicias, rariora corpora salubriora sunt, densiora verò morbosiora: rursùsq; rariora à cunctis externis causis faciliùs affici, dẽsiora difficiliùs possunt. Quamobrem præter alia bona, moderatum corpus, neque rarum, aut densum dici debet: sed sicuti inter alios, sic quoq; inter hos excessus, medium constituendum est. Excedentium verò vtrumque aliqua in re plus posse videtur: Densius namq; à causis externis, rarius verò ab internis, minùs lædetur: quod autem ab vtraq; causa tutum omninò, illæsumq; sit, deprehendi non potest. Quod verò me-

Intemperata corpora fortius quandoque quibusdã iniurijs resistunt quam temperata. Hippocratis verba.

medium inter exuperantias omnes possidet, mediocriter resistit: idemque inter vniuersa corpora saluberrimum censemus. Similiter & humectantes causæ omnes, quod Siccius est moderato corpore: siccantes verò, quod humidius, ægrè admodum corripient. Quapropter (sicuti à nobis paulò superiùs explicatum est) quod medium dicitur, haud sanè videtur plus omninò, quàm cætera Corpora, morborum offensis aduersari: sed singulis quidem Corporibus aliqua in re inferius est, ante omnia tamen potissimùm deligendum.

Corpus tēperatum aliqua in re intemperatis inferius est.

Hoc in contextu dilucidè Galenus obiectionem, superiùs à nobis propositam, diluit. Obiectum enim est, quædam Corpora ab optima constitutione recedentia, quasdam edere actiones multò perfectiores quibusdam actionibus eiusdem Corporis optimè cōstituti. Quam doctrinam hîc planè confirmat Galenus; & quidem exemplis non obscuris. Corpora quidem mollia & rara, sine dubio vllo, humidiora sunt Corpore temperato, & optimè constituto: minùs tamen talia corpora à causis internis læduntur, quàm Corpora optimè constituta: Causæ enim internæ ordinariæ, sunt excrementa alimentorum assumptorum, quorum quædā per vias vrinæ, quædam per secessum, quotidie excerni solent. Excrementa autem tertiæ coctionis, & quicquid à visceribus ad habitum corporis relegatur, per poros cutis euacuari debent; quibus euacuatis, vniuersus Corporis habitus purus seruatur, & sanus. Præterquàm autem quòd dicta excrementa facilè habitum corporis rarum, & porosum permeant, & per cutem euacuantur, aër externus in arteriolas quasuis ad cutem desinentes liberè ingreditur, & ex ijsdem arteriolis fuligo quęuis excernitur, fitq; vno verbo, commoda, & libera corporis transpiratio, quā calor natiuus à fumosis vaporibus liberatur, simulq; ventilatur, & contemperatur: corpusq; proinde purum omninò seruatur. Vt autem hæc omnia fæliciter celebrentur, corpus debet esse raræ texturæ, siue constitutionis: & huiusmodi communiter sunt corpora laxa & mollia, in quibus meatus quiuis, etiam exiliores, facilè reserantur, vt per eos omne superfluum, expultrice facultate, & calore natiuo benè suis muneribus functis, extra corpus protrudatur. Non verò sufficit, Corpus esse laxum, & porosum, ni suam præstet operam Calor natiuus, & expultrix Facultas; quibus languentibus, ex corpore

Corpora quædam à temperato remota melius hoc quasdam edūt actiones.

Causa interna ægritudinū sūt excrementa.

Rara corpora facilè permeat aer externus.

Pori cutis facile aperiuntur in corporibus laxis.

pore etiam permeabili excrementa non deturbantur: vt videre licet in Hydropicis, & præsertim Leucophlegmaticis, iuxta & in Senibus, qui corpora habent laxa,& mollia (si Senum cutem paulò rugosam, & aridam, quasdamq; partes Spermaticas, excipias): quia veruntamen Calor natiuus, & Facultates non solùm Naturales, sed Vitales, & Animales, in his languent, permodica per cutem fit ijs euacuatio. Proindeque ab internis causis, siue excrementis intùs genitis, quòd non debitè per cutem euacuentur, facilè læduntur. Ratio ergo, propter quam Corpora rariora ab internis causis non facilè læduntur, est, quia excrementa intus genita per corpus laxum, rarumq; & vndiq; apertum, continuò euacuantur, nec magnam in Corpore moram contrahunt. Propter mollitiem quidem, & laxitatem intestinorum, alui excrementa fæliciter exonerant: ob laxitatem pariter partium, per quas Sanguinis serum superfluum, siue vrina transfertur, non solùm vrinas ipsas, sed crudum etiam succum, qui coctionem in hepate non admisit, excludunt: per habitum demùm Corporis reliqua excrementa, quæ eò amandari consueuerunt, euacuantur.

Hydropici & Senes, etsi raræ sint textura, ob caloris natiui defectum, non probè per cutem expurgantur. Vnde ab internis causis facile læduntur.

Cur rariora Corpora non facilè ab internis causis læduntur.

Cæterùm, Corpora rara, siue porosa à causis externis facilè læduntur: quoniam aer nos ambiens, & quasuis impressiones frigoris, caloris, humiditatis, siccitatis, putredinis, cæterorumq; excessuum nullo negotio admittens, porosa raraue corpora, sua noxa prægnans, illicò inuadit, permeatque, & suo confestim vitio, interna etiam, & penetralia Corporis, alterat, labefactatque.

Cur Corpora rara ab externis causis facilè læduntur.

Ordine aduerso, corpora densa & dura ab internis causis facilè, ab externis difficulter læduntur. Durum enim, densumq; Corpus non est permeabile. Quare internis excrementis liberum exitum non concedit: nec aeri externo facilem ingressum.

Corpora densa cur ab internis causis facilè, difficulter ab externis patiuntur.

Ratio, simul & Galeni authoritas testantur, Corpus temperatum esse medium inter rarum & densum: idest, non est rarum, nec densum, sed mediocriter se habet inter densitatem & raritatem. Quare Corpora rariora, internis iniurijs sunt minùs obnoxia, quã temperata: & densiora durioraque causis externis, quàm eadem temperata, minùs obnoxia sunt. Pariter Corpora sicca humiditati, & humida Corpora siccitati, valentiùs resistunt, quàm temperata, vt manifestè in contextu testatur Galenus, & ratio ipsa omninò persuadet. Nam contrarium, quàm medium, contrario magis

gis resistit. Si hanc Galeni doctrinam legisset Sanctorius, non negâsset, quasdam actiones à Corporibus intemperatis perfectiùs, quàm à temperatis, emanare. Si sanè Galeni textum vltimo loco antea hùc translatū perlegit Sanctorius, mala fide procedit quæst. 28. in Art. Medic. vbi nullam facit prædicti textûs mentionem; eumque prorsùs prætерijt, vt Thurisano reniteretur. Thurisanus autem Galeni sententiam de Corpore temperato interpretatus est; Corpus nimirum temperatum, vtplurimum, & non semper, magis resistere causis externis, quàm intemperatum. Et licèt Galeni, & Aristotelis authoritates Thurisano fauere videret Sanctorius, has suæ opinioni longè postposuit. Galenus, vt fatetur Sanctorius, lib. 8. Methodi med. cap. 8. testatur, Corpora temperata esse ad febrem magis parata, quàm corpora frigida humida, frigida & sicca. Item lib. 1. Epidem. Comment. 2. tex. 7. docet idem Galenus, Corpora frigida magis resistere constitutioni calidæ aëris, quàm corpora temperata. Accedit Aristotelis authoritas Sectione 5. Problematum, Problemate 22. in quo quærit, cur temperata Corpora in morbum sæpiùs incidant, & faciliùs sanentur. Respondet; quia quod est æquabile, id compatibilius esse: immodicum verò contra. Aristotelis verba subijciamus: Quare, inquit, Corpora, quæ modicè constant, temperataq; sunt, in morbum sæpiùs incidunt, & faciliùs curantur? An vtrumq; eadem de causa euenit. Est enim æquabile, quod modicum est, quod autē æquabile, id compatibilius est. Quamobrem, si qua eius pars laborauit, protinùs totum collaborat. Immodicum autem contra, vtpotè quòd seiunctius sit, partium suarum vitia minùs haurit, minusq; consentiens est. Ergo sæpiùs id in morbum hac de causa incidit: faciliùs autem curatur; quoniam malum partium commune omnium est. Eò namq; debilius redditur, quò se in plura digesserit: itaque curabilius est. Immodicum verò illud, vt quod rem communem cum partibus nō habeat, minùs quidem ægrotat, sed difficiliùs curatur; quoniam malum vehementiùs vrget.

Sanctorij negligētia reprehenditur.

Corpora temperata febri magis obnoxia.

Frigida corpora quàm temperata, calori magis resistunt.

Corpora temperata morbis magis obnoxia quàm reliqua ex Aristotele.

Mirabilis est Sanctorius, dum Aristotelis authoritati respondere conatur. Nos autem, inquit, respondemus, temperatissima Corpora magis alterari, quàm intemperata: negamus tamen, quòd non magis resistant: Exempli causâ, Corpora pituitosa, quæ sunt frigida, minùs patiuntur in ardore æstiuo, quàm Corpora tem-

Intemperata corpora, etsi difficiliùs, quam temperata lædantur, læsa tamen difficiliùs quàm hæc curantur.

tẽperatã, quæ sunt viciniora puncto illi medio: non valet tamen, minùs ergo resistunt? Quis non videt, Sanctorium tergiuersari, & protinùs ludere. Concedit ille Corpus frigidum difficiliùs incalescere à calore æstiuo, aut à calore ignis, aliòue calore, quàm Corpus temperatum: negat tamen, corpus frigidum magis resistere calori, quam corpus temperatum. Sanè maximam inuoluit contradictionem huius Viri discursus. Nam dicere, quod illud, quod magis renititur, minùs resistat, est ab omni ratione alienum. Ergo cùm fateatur Sanctorius, Corpus frigidum difficiliùs calefieri, quàm temperatum; hoc tamen, quàm frigidum, calori magis resistere, sententiam amplectitur omni rationi aduersam. Si, quæso, frigidum corpus non magis calori resisteret, quàm Corpus temperatum, cur non æquè citò ab ardore Solis, aut ignis, calefieret, ac corpus temperatum: & ob hanc resistentiam, quæ vi frigoris in Senibus fit, Senes, quàm Iuniores, rariùs febribus ardentibus corripiuntur; teste Hippocrate lib. 1. Aphorismor. 14. vbi ait: Quæ crescunt, plurimũ habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioquin Corpus absumitur. Senibus verò parùm calidi inest: paucis propterea fomitibus egent, quia à multis id extinguitur. Hanc etiam ob causam febres Senibus non perinde acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus. Hæc, & alia, quæ in medium produci possent, Sanctorium erroris conuincunt manifesti.

Sanctorius erroris arguitur.

Senes, quia frigidi febribus parum obnoxij, ex Hippocrate.

Si tamen alicui placet, corpora temperata & optimæ constitutionis, obliquè & indirectè internis & externis iniurijs potenter obluctari, per me licet: Nam, sine dubio, corpora optimæ constitutionis minus excrementi, quàm rariora & densiora, cæteraque corpora colligunt. Et si quæ in ijsdem superflua colliguntur, potentiùs, & maiori robore, atq; conatu ea deturbant. Et hæc omnia tanta cum fælicitate moliuntur, quoniam naturalium facultatum integritate potissimum gaudent: Quarum præstanti virtute prædita, æquiualenter non rarò faciunt, quidquid potentissima extrema, id est, quia munda sunt, & siquid superfluitatis in ijsdem congeritur, facultatis expultricis validæ impetu mox eijcitur, internis & externis morborum causis potenter resistunt: calori videlicet, frigori, & consimilibus.

Si-

Signa Corporis Insalubris.

MOdò cum Galeno proponamus ex cit.cap.8.Libri Artis Medicæ, Signa, quibus Corpus insalubre simpliciter, à Corpore saluberrimo, & Corpore salubri, vt multum, distinguitur. Quæ autem (inquit Galenus) simpliciter insalubria sunt Corpora, distinguuntur ob id, quòd, facilè à causis, quæ morbos committendi vim habent, superantur; & quoniam in virtute operationum plurimum deficiunt. In medio autem amborum collocantur ea, quæ neutra simpliciter appellantur, & ea, quæ cum latitudine quadam. Quò fit, vt tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem salubrium Corporum: Secunda neutrorum: tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur, quæ iam ægrotant Corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur.

Hoc in contextu docet in primis Galenus, primum Signum Corporis insalubris, simpliciter, esse quod à causis, quæ vim habent generandi morbos, facilè vincatur, & in morbos incidat. Secundum Signum est, quod vigore careant, & imbelles edant actiones. Corpora autem, quæ ab ortu, aut multis annis, ita insalubria sunt, nonnisi imbelli conatu omnia efficiunt. Docet deinde Galenus, inter Corpus salubre, simpliciter, & insalubre, simpliciter, collocari ea corpora, quæ neutra, simpliciter, appellantur. Demumq; Corpus actu ægrum ab omnibus præfatis sanitatis speciebus distingui docet, eò quòd in Corpore actu ægro actiones sensibiliter lædantur. Doctè sanè particulam, sensibiliter, addidit Galenus: quia vult, & optimè, sensum esse iudicem læsionis Corporum. Itaque dum sensus persentit actiones lædi, & Corpus ægrotare, tunc verè hoc dicitur ægrotare. Naturam autẽ rerum inspicere non debemus (inquit Galen.) quoties ægrum Corpus à sano discernere volumus; alioquin in dogma ἀειπαθείας, idest, sempiternæ passibilitatis, incideremus. Res hæc claritate eget. Si Corporis cuiusuis naturam consideremus, certum est semper alterari; adeò vt non vltra momentum temporis in æquilibrio, aut exactissima symmetria quatuor primarum qualitatum durare

Primum signũ corporis insalubris simpliciter.

Secundum signum.

Neutra simpliciter

Indicium certũ corporis actu ægri.

queat. Reperitur ergo ſemper in quouis Corpore (etiam optimè ſano Medicè: nam optimè ſanum latitudinem habet, nec in puncto conſiſtit) lapſus aliquis à perfectiſſima ſanitate; qui tamen lapſus cùm non ſenſibiliter lædat actiones, morbi nomen minimè meretur; alioquin daretur in quocunq; Corpore ἀειπάθεια, ideſt, ſempiterna paſſio, aut patibilitas. Licèt autem Phyſicè vnumquodque Corpus perpetuò alteretur, non tamen ſenſibiliter actiones lædentur, niſi morbo aliquo ſuperueniente. Vnde actiones, quantumuis imbelles, Corporis inſalubris ſimpliciter, nunquàm dicentur læſæ, niſi morbi interuentu tales reddantur. Satius ergo eſt neutrum ſtatũ admittere contra quoſdam Antiquos, quàm cum ijs concedere, quòd ſemper ægrotemus: cùm ægrotationis iudex debeat eſſe ſenſus ægri, Medici, & aliorum, qui actionum læſiones perſentit.

Sempiterna aut cõtinua paſſio Phyſicè; ſed non Medicè, in quouis eſt corpore.

Ex dicta ſani Corporis partitione nonnulli inferunt plures ſani Corporis ſpecies; quoniam quas Galenus enumerauit, latitudinem habent. Primum ergo locum obtinet Corpus ſalubre, vt ſemper, ſiue ſaluberrimum: Secundum locum, Corpus ſalubre, vt multum. Tertium, Neutrum, vt multum ad ſalubre vergens: Quartum locum, neutrum Corpus ſimpliciter: Quintũ, neutrum, vt multum, vergens ad inſalubre: Sextum, inſalubre, vt multum: Septimum, inſalubre ſimpliciter, quod ægro corpori proximum eſt. Cum neutro Corpore ſimpliciter, vel cum Corpore inſalubri, ſimpliciter confunditur Corpus ſalubre, vt nunc; adeòque ſub ſanitatis latitudine continetur, & non fuit omiſſum. Similiter aiunt nonnulli, Corpus conualeſcens, & Corpus in morbum procliue, aut decidens, ſub ſanitatis latitudine contineri, & ambo reuocari ad neutrum Corpus, vt nunc, ſecundi, vel tertij ſignificati, quæ de extremis participant. Sed de ſanitatis latitudine nos fuſiùs in noſtra Hygieine.

Variæ ſpecies corporũ ſanorũ.

Quæ hactenus de Signis ſalubribus Corporis ſani diximus, modò ſufficerent: quoniam de Signis ſpecierum ſanorum corporum, non autem indiuiduorum, agere ſtatuimus. Verùm, cùm Galeno Lib. de Arte Medica, vlteriùs Signa inſalubris Corporis, ſimpliciter, magis peculiariter recẽſebimus: inueſtigabimus nimirum cum Galeno Signa inſalubria, ſimpliciter, præcipuarum partium; vt inde totius Corporis inſalubris, imò aliarum duarum

ſpecierum Corporis ſani, ſalubris videlicet, vt multùm, & neutrius, ſigna quæuis exactè clarèque innoteſcant. Diſtinctis ergo Capitibus varia partium Signa à Cerebro orſi, inchoantes, proponemus. Cur Corporis inſalubris Signa peculiariùs, quàm aliorum, proſequitur Galenus, Ratio eſt, quia Corpora optimè conſtituta, & Corpora ſalubria, vt multum, Signis ſuperiùs propoſitis, & ex ijs, quæ ſecundùm eſſentiæ rationem inſunt, & ex actionibus conſequentibus ea, quæ ſecundùm rationem inſunt, deſumptis, ſufficienter innoteſcunt. Et duo iam dicta Corpora, ſaluberrimum ſcilicet, & ſalubre, vt multum, tametſi in ijs, quæ ſecundùm eſſentiæ rationem inſunt, conuenire videantur, ab inuicem tamen diſcrepant in actionibus, & accidentibus, quæ ea, quæ ſecundùm eſſentiæ rationem inſunt, conſequuntur, vti ſuperiùs cum Galeno comprehenſum eſt. Corpora deniq; ægra nullo negotio dignoſcuntur, quia longè à naturali ſtatu recedunt, vt ex quamplurimis Signis inſalubribus, vt nunc, liquidum euadit. Difficilius igitur, quàm cætera Corpora, Corpus inſalubre, ſimpliciter, dignoſcitur; quia licèt à ſaluberrimo longè diſtet, & ad ægrum actu proximè accedat, ſub ſanitatis tamen latitudine continetur, & neutri ſtatui, qui in medio ſaluberrimi, & actu ægri corporis locum obtinet, eſt valdè affine.

Corpus ſaluberrimũ, & corpus ſalubre vt multum conueniũt, & diſcrepant inter ſe.

Corpora ægra facilè dignoſcuntur.

Corpus inſalubre ſimpliciter difficulter dignoſcitur.

CAPVT X.
De Varijs Signis Variæ Conſtitutionis Cerebri.

SECTIO I.
De Partium Diuiſione.

ANtequàm Signa Corporis Inſalubris, ſimpliciter, indagat Galenus, Partium Corporis quatuor genera, à forma, aut virtutibus, non à materia deſumpta, palàm exhibet. Primum genus, primaue differentia Partium, eas comprehendit, quæ Principia nuncupantur; quia quædam Virtus ab his in Vniuerſum Corpus effunditur: eiuſmodi ſunt, Cerebrum, Cor, Hepar, & Teſtes, ſiue Teſticuli. Secunda Partium differentia eſt earum, quæ à dictis principijs ortum ducunt, ijſdemq; etiam

Quatuor partium genera.

principijs subministrant, aut famulantur: vt nerui, & spinalis medulla Cerebro: Arteriæ Cordi: Hepati venæ: Seminaria Vasa Testiculis: Per has autem Partes illa Principia, siue Prin cipes partes, suas per vniuersum Corpus diffundunt virtutes, & materiam. Tertia Partium differentia comprehendit quasdam, quæ aliarum Partium gubernationi non præsunt, nec aliundè gubernantur; cùm & ipsæ insitas habeant potentias, à quibus reguntur. Huiusmodi sunt Cartilago, os, Copula seu Ligamentum, membrana, adenes seu glandulæ, adeps, caro simplex. Quartum genus partium est illarum, quæ à se ipsis, & non ab alijs reguntur: licètq; non sint aliarum partium principia, venis tamen, neruis, & arterijs egent. Huiusmodi sunt Vterus, Ventriculus, Renes, Lien, Pulmo, &c. Capillorum autem, atq; vnguium, inquit Galenus, neq; regimen vllum est, sed generatio tantummodò.

Prudenter Galenus vniuersalem illam Corporis diuisionem, ab actionibus aut Virtute, vt iam antea dixi, desumptam, tradidit, priusquàm ad Signa Corporis insalubris, simpliciter, accessit. Quoniam ab vnius partis, & præsertim principis, vitio, vniuersi Corporis æconomia, & præcipuè Temperamentum, euertitur, & in vitiosum transmutatur: adeoq; ad alterationem Partis principis Corpus potenter alteratur, & insalubre, simpliciter redditur. Nec sanè mirũ est, si alterata parte principe vniuersum corpus, ad quod aliquid quælibet pars princeps transmittit, alteretur; cùm ob partis non principis vitium, & læsionem totum corpus non rarò corripiatur. Liene quippe malè affecto, hepar læditur, & Hydrops non rarò generatur. Ventriculo simul læso, reliquum Corpus læditur. Vterus similiter læsus, Corpus vniuersum malè afficit. De partium tamen principum vitio peculiariter libro de Arte Medica agit Galenus: quia tam potens, & vniuersalis est principum partium in vniuersum corpus vis & fluxus, vt ad earum mutationem mutetur corpus; adeo vt vnaquæq; principum suam cæteris partibus dispositionem, siue bonam, siue malam communicet.



SECTIO II.
De Signis Status Cerebri.

PRæposita partium diuisione, de Cerebri insalubris Signis primo loco agit Galenus; & quidē meritò; cùm hoc sit Pars omnium partium præstantissima. Capite enim 10. Libri de Arte Medica, inquit Galenus: Indicia autem temperaturæ singularum (partium nobilium scilicet) sumpto à Cerebro initio, deinceps dicemus. Sunt verò quinq; insita genera, quæ ipsius (Cerebri scilicet) naturam ostendunt. Primum quidem totius capitis dispositio. Secundum verò sensibilium operationum virtus, & vitium. Et tertium actiuarum (operationum). Quartum earum actionum, quæ tenent principatum. Et quintum, naturalium. Aliud verò genus, præter hæc omnia, ea quæ extrinsecùs aduenit alteratio. Et quidem totius Capitis dispositio ex magnitudine, & figura, sumitur, atq; capillis. *Quinque fontes è quibus signa eruũtur cerebri naturã indicãtia.*

Primum modum dignoscendi Cerebri naturam exponit Galenus vltimis verbis in Capite scriptis. Cognoscitur enim eius natura ex dispositione totius Capitis, ex magnitudine videlicet aucta, vel diminuta, aut mediocri; ex figura, atq; Capillis: de quibus nos inferiùs cum Galeno. *Primus modus quo cerebri natura dignoscitur.*

Secundum genus indiciorum status Cerebri desumitur à virtute, & vitio operationum sensibilium, siue, vno verbo, ab actionibus sensuum: ab auditu scilicet, visu, odoratu, gustu, & tactu: quarum actionum principium est Cerebrum, licèt non in hoc, sed extra ipsum, in proprijs edantur instrumentis. Vnde acutus gustatus, acutusq; olfactus, Cerebri temperiem calidam denotant. Si a. obtusè quis gustet, odoretue, eius Cerebrũ frigidum, aut frigidum & humidum necessariò erit. Sensus pariter cõmunis, cuius munus est, omnia, quæ ab externis sensibus dignoscuntur, dignoscere, & ipsos sensus ab inuicem distinguere, Cerebri dispositionem nobis indicabit, prout variè res comprehēdit. Non solum sensuum propria obiecta sensus communis percipit, sed obiecta prẹterea cõmunia eorundē sensuum. Cõmunia verò sunt hæc, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo: talia namque nullius sunt sensûs propria, sed pluribus communia sunt: Etenim tactu motus quidam *Secundus modus.* *Sensus cõmunis munus.* *Sensibilia communia sunt quinque.*

ſenſibilis eſt, atq; viſu: vt loquitur Ariſtoteles lib. 2. de Anima cap. 6. tex.46. Ad quietem reducunt nonnulli ſomnum, ad motum verò vigiliam: Vnde & à ſenſibus externis, & communi percipiuntur; ex iiſdemq; Cerebri temperaturam venari licet. Nam Somnolentia prolixa Cerebri humiditatem, vigilia calorem, ſiccitatemue, vel has ambas qualitates cæteris præpollentes, ſignificant. Sanctorius ſolito more in citationibus errat, vt qui quinque illa ſenſibilia communia dicta, ſenſus communis obiectum ſtatuit; & quidem authoritate Ariſtotelis loco citato de Anima. Sed hæc Sanctorij citatio eſt eiuſdem figmentum, idque merum: Nam loco citato, de Senſu communi, ne verbum quidem habet Ariſtoteles, qui Senſibilia communia ideò dici aſſeuerat, quia ab omnibus ſenſibus percipiuntur: non autem ab vno, vt ſenſibilia propria. Ariſtotelis contextum paulò antea ſcripſimus, qui incipit: Communia verò ſunt hæc, motus, quies, &c.

Somnus & vigilia ad quietem, & motum reuocantur.

Sanctorij error.

Tertium genus Signorum, Cerebri ſtatum detegens, ab operationibus motiuis deſumitur. Cùm enim facultas motrix à Cerebro in inſtrumenta propria, muſculos videlicet, diffundatur, non mirum, ſi diuerſitas motûs, temperamenti Cerebri diuerſitatem prodat. Vnde motus prompti, expediti, & celeres, ad motumq; alacritas, Cerebri calidum temperamentum ſignificant: vt tardus motus, & ad motum ſegnities, frigidum temperamentum.

Tertius modus dignoſcendi cerebri ſtatum.

Quartum genus Signorum, quo Cerebri naturam comprehendimus, ab actionibus deſumitur principum facultatum. Principes cerebri facultates, iuxta ſaniorem opinionem, ſunt Imaginatrix, Intellectrix, & Memoratrix. Promptitudo harum facultatum ad ſuas functiones obeundas, cerebri calorem; ſegnities frigiditatem, produnt. Vnde imaginatio facilis, calorem Cerebri, & quandam humiditatem excedentes, indicat: ſimiliter facilis comprehenſio rerum ab intellectu, & ratiocinatio prompta, acutaque, eiuſdem Cerebri caliditatem indicant. Memoria verò exquiſita, Cerebri caliditatem, ſimul & ſiccitatem, arguit. Ex aduerſo, tarda, & difficilis comprehenſio rerum, tam ab imaginatione, quàm ab intellectu, & fragilis labiliſque memoria, Cerebri frigiditatem protinùs arguunt.

Quartus fons e quo ſigna ſtatus cerebri eruuntur.

Quintum genus Signorum, quo Cerebri vitiatum temperamentum agnoſcimus ab actionibus naturalibus, quibus Cerebrum,

brum, quatenùs nutritur, dotatum est, desumitur. Si ergo attractrix Cerebri facultas immodicè attrahit, certum est indicium excedentis caloris eiusdem Cerebri. Cuiuis enim in Medicina, & Philosophia naturali, vel leuiter versato cognitum est, calorem habere vim attrahendi, adeoq; intensum calorem præpotentem vim: Retentrix facultas è contra, si nimium retinet, Cerebri frigiditatem: Imbellis similiter concoctrix facultas, frigiditatem Cerebri vtplurimùm arguit: Dixi, vt plurimùm; quoniam ab humiditate, imò & caliditate immodica, eadem coctionis imbecillitas procedere potest. Nam sicuti coctionem optimam optimum Cerebri temperamentum efficit, ita & quæuis intemperies eiusdem Cerebri, modò imbellem, modò prauam coctionem. Si expultrix facultas immodicè aliquoties excernit, Signum est ipsam irritari ab humoribus fusis, vel putrefactis, vi caloris excedentis Cerebri: qui calor ab interna vel externa causa necessariò generatur. Frigus verumtamen externum, Cerebrum aliquoties spongiæ instar comprimens, expulsionem humorum euidenter causat: etsi tunc in Cerebro superflui non extent humores. Vnde aliquis inde inferet, talem expulsionem non à calida, sed à frigida intemperie prouenire. Ad quod dico, verissimum esse, à frigore humores superfluos in Cerebro accumulari, & vi frigoris, vt dictum est, eosdem expelli; expultricemque, tunc tamen, non à sola quantitate superflua humoris (posito, quòd talis adsit superfluitas,) sed insuper à fuliginosis fumis in capite retentis, & solito more per capitis suturas, ob frigus omnia cogens, non euacuatis, irritari. *Dubium soluitur.*

Sextum genus indiciorum naturæ Cerebri, à causis externis desumitur: ab alteratione videlicet causata potissimùm ab aëre, cibo & potu, motu, & similibus. Si enim Cerebrum à rebus calidis facilè incalescit, calidi temperamenti esse censetur à multis: Si similiter à frigidis, frigidi temperamenti: si ab humidis, humidi: si à siccis, sicci. Existimo ego, cautè in his Signis indagandis procedendum. Nam qui Crinis penuriâ laborat, quique est raræ texturæ, etsi Cerebrum non habeat impensè calidũ, confestim tamen à causis calidis incalescit. Idem de frigore, & humiditate dicendum. Aëris porrò externi iniurijs obnoxia sunt corpora rariora, vti superius exposuimus. *Sextus modus dignoscendi cerebri statũ inæqualem.*

SE-

SECTIO III.
De Paruo, & Magno Capite, eiusq; figura.

GAlenus Cap. 11. Artis Medicæ, prauas, bonasque Capitis dispositiones, magnitudinem scilicet, & figuram, quarum superiori Cap. 10. mentionem fecit, proponit. Paruum igitur Caput, inquit, vitiosæ constitutionis Cerebri proprium est indicium. Diminutam Capitis magnitudinem, & hîc, & lib. 6. Epidem. comment. 3. omninò vituperat Galenus: quia, vt Interpretes loquuntur, quoties Caput ita paruum est, vt non correspondeat aliarum partium corporis magnitudini, siue moli, Cerebrum non est benè dispositum, vt in eo solitæ exerceantur functiones. Nam reliquis Corporis partibus sufficienter magnis existentibus, necessariò copiosus sanguis, & spiritus ad Caput naturaliter transmittuntur. Caput autem paruum permodicum comprehendit cerebrum; exiguum cerebrum exigua habet vasa, venas scilicet, & arterias, angustosq; adhuc ventriculos. Quare vasa Cerebri sanguine & spiritu nimiùm replentur: Ventriculi similiter spiritu animali, & humoribus implentur. Quare tam in vasis, quàm ventriculis Cerebri, spiritus, & humores, loci capacis defectu, conculcantur. Inde varij fumi excitantur, à quibus Cerebri temperies labem aliquam necessariò contrahit: à quibusque simul tumultuariæ redduntur Principes actiones, in Cerebro fieri solitæ, Imaginatio, Ratiocinatio, & Memoria. Nec solùm principes actiones in Cerebri corpore editæ caliginosis istis vaporibus inquinantur, sed sensus similiter, & motus cum quadam deprauatione fiunt, cùm propter spiritus transmissi ad instrumenta sensûs, & motûs, impuritatem, tum propter eorundem spirituum penuriam: Turbidi enim sunt spiritus ob fumositatem fermè assiduam: pauci sunt, quia nerui, & spinalis medulla, eorum delatores è cerebro exiles sunt, ob Cerebri, è quo, tanquam à principio deriuantur, exiguitatem. Non mirum ergo, si Epilepsiæ, Apoplexiæ, & Caloris repentinæ suffocationi, huiusmodi Capitis constitutio obnoxia fuerit.

Caput paruum omninò prauum.

Qui Galeno, dicenti Corpus temperatum posse esse non solùm mediocris magnitudinis, sed insuper paruum, & magnum, adhærent,

rent, dicunt, Caput paruum Corpori paruo superpositum, non esse indicium prauæ constitutionis Cerebri, quia Caput paruum reliquis Corporis partibus in magnitudine proportionatum, non nisi modicum, & proportionatum Sanguinem, & Spiritum recipit. Quapropter licèt exilia vasa, exiguosq; ventriculos Cerebrum habeat, ob materiæ mediocritatem, libera fit omnium concoctio, & dispensatio. Vnde actiones integræ in Cerebro edi possunt, Capite existente paruo, concinno, & cæteris partibus proportionato.

Caput paruum, concinnum, & reliquo corpori proportionatū, quibusdā probatur.

Reprobauit equidem Galenus Capitis paruitatem, non proinde tamen Capitis magnitudinem necessariò bonam esse docet: Magnum verò, inquit, non necessariò indicat bonam Cerebri cõposituram. Concludit enim Galenus, Caput magnum aliquando bonum esse indicium, aliquando verò malum. Modum præterea discernendi bonum à malo scripsit. Magnum ergo Caput est indicium optimæ constitutionis, quoties tale magnum Caput à virtutis formatricis robore ex copiosa, & liberali materia effigiatur, formaturue. Signa, quæ nobis demonstrant tale magnum caput à vigente formatrice, & copiosa materia fieri, sunt figura Capitis concinna, & concinnitas simul ac proportio eorum, quæ à Capite dependent. Bona autem Capitis figura, robur indicat facultatis formatricis: Magnitudo verò Capitis materiæ copiam denotat. Magna quidem materiæ copia à facultate generatrice, quæ alteratrice, & formatrice constat, probè recta, optimum est vbiq; Signum. Secundum Signum, quo affirmamus, Capitis magnitudinem esse bonam, desumitur ab ijs, quæ ab eodem oriuntur Capite. Si igitur Ceruix valida est, & neruosum genus est boni habitûs, Capitis magnitudo tunc laudanda est. Ceruix valida censetur, quoties vertebris benè coordinatis, & secundùm magnitudinem capiti, ac vniuersæ spinæ dorsi correspondentibus, constat. Neruosum genus est boni habitûs, quando nerui sunt sufficienter crassi, & validum sustinent motum, sensuq; pollent debito. Neruorum autem magnitudo ex Nuchæ, siue Spinalis medullæ magnitudine dignoscitur: huius verò magnitudo ex vertebrarum Ceruicis, & dorsi magnitudine. Ceruix enim, quæ est Colli pars Posterior, septem constat spondilibus, siue vertebris, quæ si corpulentæ fuerint, & debitæ magnitudinis Capiti correspondentis, indicium erit spinalis medullæ satis magnæ: Nam gratiâ spinalis me-

Non omne caput magnum est bonæ dispositionis cerebri indicium.

Capitis magni boni indicia.

Ceruix valida quæ.

Robusti nerui.

medullæ, tam septem Ceruicis vertebræ, quàm reliquæ dorsi, factæ sunt. Si ergo vertebræ magnæ apparuerint, magnam habere debent cauitatem, magnumque foramen: adeoq; spinalis medulla per vertebras protensa, magna erit; magniq; erunt hinc exorti nerui, & in reliquum Corpus expansi. Quandò autem dixit Galenus, Ceruicem à Capite oriri; non intellexit vertebras Ceruicis, aut alia ossa à Capite dependere; sed spinalem medullam, in Ceruicis vertebris conclusam; immediatè à Cerebro propendere: à spinali verò medulla neruos omnes, præter septem paria, quæ ab interiori parte Cerebri promanare dicuntur; tametsi quorundam opinio sit hæc, adhuc septem paria à postica parte cerebri produci.

Quomodo intelligendus Galenus.

Magnum caput quādo malu n Signum.

Caput magnum oppositas conditiones præcedentibus habens, malam Cerebri constitutionem indicat. Tale enim Caput inconcinnum est,& vt plurimùm exili longoq; collo superpositum; estque reliquo Corpori malè proportionatum. Huiusmodi verò Caput solius materiæ copiam, non virtutis formatricis robur, sed potiùs errorem, causam agnoscit.

Obiectio.

Aristoteles dictis contrarius videtur Sectione 30. Problematum Problem. 3. vbi ait, Hominem habentem Caput paruum, esse omnium prudentissimum. Falsum ergo est, hos, qui magnum habent Caput, etiam concinnum, habere Cerebrum benè constitutum, integrasq; actiones edere.

Montani responsum.

Montanus Aristotelem in hoc errâsse contendit; quod responsum Sanctorio non placet, etsi nulla authoritate, aut ratione ipsum Montanum conuicerit.

Aliorum responsum.

Alij respondent, Aristotelem intelligere paruum Caput respectu Brutorum,& non respectu Hominum. Sanctorius censet hanc responsionem non explicare Aristotelis mentem, quia, inquit, Aristoteles laudat Caput paruum, facta comparatione inter humana Capita, & non inter Homines, & Boues, vel Elephantes. Sed Sanctorius, quàm illi, seueriori censura dignus est; vt qui inter citandum figmentis vtitur solemnibus. Aristotelis verba litem diriment. Sectione citata 30. Problem. 3. hac serie loquitur: Cur omnium Animantium Homo prudentissimus est? Vtrum quia Capite minimo est, scilicet ad sui Corporis proportionem. An quia variè minimo est: ob id enim ipsum, Capitis quoq; minutio

accidit, & inter Homines ipsos, qui minori sunt Capite, prudentiores nascuntur; quàm qui sunt grandiori.

Quis non videt, primum Aristotelis responsum ad quæstionem propositam, esse id, quod à quibusdam respondetur: Nimirum Hominem esse omnium Animantium prudentissimum; quia minimo Capite est, ad sui scilicet Corporis proportionem. Quis ergo non videt, Aristotelem fecisse comparationem inter Hominem, & Beluas, in prima responsione? In secunda responsione fateor, cõparationem fieri inter Hominem habentem Caput paruum, & cæteros Homines. Et reuerà si hæc fuisset Aristotelis sententia, non mediocriter à veritate deflecteret; & sibi ipsi aduersaretur. Experientiâ sanè constat, hos, qui paruo sunt præditi Capite, cæteris Hominibus Caput magnum & concinnum habentibus, esse longè imprudentiores. Præterea ipse Aristoteles in sua Physiognomia, de magno & paruo Capite hac serie loquitur: Quicunque autem habent magnum Caput, sensati: referuntur ad Canes. Qui verò paruum, insensati, referuntur ad Asinos. Qui habent Capita pineata (idest, instar Nucis pineæ) inuerecundi: referuntur ad habentes vngues curuos. Eodem enim Capite 6. Physiognomiæ, longè ante traducta iam verba, in huius doctrinę confirmationem hæc habet: Quicunq; autem maius habent, quod ab vmbilico est vsq; ad extremum pectoris eo, quod est ab extremitate pectoris (extremum pectoris est cartilago ensiformis) vsque ad collum, voraces, & insensibiles. Voraces quidem, quoniã ventrem magnum habent, quo appetunt cibum. Insensibiles autem, quia angustum locum habent sensus, atq; in arctum redactum, ab eo, qui recipit cibum; ita vt sensus grauentur propter repletiones ciborum, aut indigentiam. Notum est Philosophis, Medicisque veris, quemadmodum Aristoteli placuit Cor constituere præcipuam Animæ sedem, ibidemq; facultatum, tam principum, quàm animalium radicem contineri. Modò igitur in contextu docet Aristoteles iuxta sua principia, & doctrinam, actiones principes, & animales non probè fieri in Corde, quoties pectus, in quo Cor continetur, angustum, arctumue est. Nos ergo, qui principum, & animalium actionum radicem in Cerebro ponimus, iuxta Aristotelis doctrinam rectè ratiocinabimur, affirmando hos, qui paruo sunt præditi Capite, esse insensatos; & quidem propter loci angustiã, quam

Sãctorius perstringitur.

Cor facultatũ principũ sedes ex Arist.

absolutè, ad Animæ præstantiores actiones explicandas, incongruam censet Aristoteles. Vnde hos, qui fronte parua sunt præditi, indisciplinabiles vocat idem Aristoteles in sua Physiognomia, eosq; ad Sues referri ait: Et ideò quidem, quia qui frontem habent parùm liberalem, id ob Capitis exiguitatem vtplurimùm euenit.

Quòd autem Capitis angustia Homines arguat insensatos, aut permodico iudicio præditos, potest vlterius ex eodem Aristotele colligi, qui, vt iam comprehensum est, ideo thorace angusto præditos parum sensatos iudicat, quia angustum locum habent sensus. Quod argumentum nostræ doctrinæ adaptari potest. Nam Caput paruum est angustum: Et in Capite, iuxta Galenum, est fons sensûs & motûs; & ex ipsomet Aristotele libro 4. de Partib. Animal. cap. 10. quidam sensus in Capite sunt. Caput, inquit, Cerebri gratiâ potissimum est: hanc enim partem genus omne sanguineum habeat necesse est. Et quidem loco obiecto cordi, ob eas, quas exposuimus, causas. Sed Natura sensuum etiam nonnullos in eo collocauit, quoniam Sanguis eius membri temperatus modicè fit, & idoneus tum ad Cerebrum tepefaciendum, tum ad sensuum tranquillitatem, atq; integritatem. Auerroës in Commentario inquit: Benè tamen est necessarium ipsos sensus fuisse positos circa Cerebrum, ob necessariam proportionem existentem inter organa eorum, & Os Cerebri; & quia necessarium est Cerebrum contemperare propter caliditatem, qua sensus sunt actu, præsertim tres illorum.

Caput Cerebri gratia factu, ex Aristotele: ex Galeno oculorum gratia.

Sensus quidam in capite locati.

Solutio.

Modò Aristotelis Authoritati satisfaciendum. Dixit enim, vt vidimus, Sectione 30. Problematum, quæst. 3. inter Homines hos esse prudentiores, qui minori Capite sunt præditi. Sed respectu Pumilionum hoc verum est: alioqui falsum, & contra Aristotelis doctrinam paulò ante allatam ad nostræ sententiæ confirmationem: Vt hæc nostra Responsio ex eodem Aristotele lib. 4. de Part. Animal. cap. 10. eruta, clarior euadat, nonnulla summatim ex hoc eodem Cap. 10. desumenda sunt. Habent autem Caput, inquit, animalia omnia sanguine prædita. Exanguium nonnullis indiscretum hoc est, vt Cancris. Collum omnibus viuiparis est, alijs deest. Quæ enim pulmonem habent, collum etiam obtinent, quæ autem spiritum extrinsecùs non accipiunt, carent hac parte.

Con-

Consequutiuè verba superiùs à nobis traducta, de Capite, & Corde scripsit. Quibus duabus partibus Natura tertiam subiecit, quæ aditum cibo præberet. In inferiori autem regione hanc partem, siue ventriculum commodè collocari ait: quippe cum neque supra cor, & vitale principium venter constitui posset: neque, si magis inferius, quàm nunc est venter, poneretur, fieri posset, vt æquè aditus cibo pateret: Corporis enim prolixior longitudo faceret, vt longè à principio mouendi (quod Cor esse statuit Aristoteles) & concoquendi distaret. Rursùs repetit Caput Cerebri gratiâ conditum. Collum autem arteriæ (idest asperæ, per quam fit respiratio) gratiâ, inquit, habetur: quippe quod eandem arteriam, atq; etiam gulam protegat, amplexuq; suo tueatur: Hoc (Collum scilicet) cæteris animalibus flexibile, & Vertebris compactum est: at Lupo, & Leoni osse perpetuo riget. Commodiùs enim ad robur, quàm ad cæteros vsus collum ijs esse Natura voluit. A Collo, & Capite crura priora, pectusq; habentur: sed Homo vice pedum priorum brachia, & quas manus dicimus, habet. Solus enim Animalium omnium erectus est homo; quoniam eius Natura, atq; substantia, Diuina est. Officium autem Diuini est, intelligere, atq; sapere. Quod non facile esset, si vasta corporis moles assideret: Pondus enim tardiorem reddit, & mentem, & sensum communem. Quamobrem concretione, & pondere grauiore opprimente, corpora vergere in terram necesse est. Itaq; Natura tutè consulens, pro brachijs & manibus, crura priora quadrupedibus subdidit: nam posteriora bina omnibus gressilibus esse, necesse est. Quorum igitur Anima pondus sustinere non posset, hæc quadrupeda facta sunt. Animalia namque omnia, excepto Homine, formam gerunt Pomilionis. Est enim Pomilio, cuius pars superior magna est, inferior, quæ sustinet pondus, motumq; exercet, parua, minimèq; respondens superiori. Superiorem eam intelligi volo, quæ à Capite vsque ad excrementi ostium pertendit, qua pectus etiam continetur. Hominibus igitur hæc pars modicè ad inferiorem condita est, multòq; minor adultis iam, perfectisque euadit. Infantibus enim è diuerso est: superior magna, inferior minor est. Quamobrem serpunt infantes, nec ambulare possunt: iam principio, ne serpere quidem possunt, sed immobiles iacent. Omnes enim infantes Pomiliones sunt: tum profectu ætatis, homini-

Collũ cuius gratiâ factum.

Lupus & Leo collũ habẽt vnico osse constans.

Solus homo inter animalia rectus.

Diuini officium.

Pomilio quis.

minibus pars inferior augetur. Quadrupedibus contra, inferior primùm maxima est, tum processu temporis superior crescit, quæ scilicet ea est, quæ ab ano ad Caput porrecta est. Vnde fit, vt pulli equini, pauld suis parentibus sint summissiores, atque adulti crure posteriore caput attingere nequeunt, quod nouelli facilè attingunt. Solipeda & bisulca ita se habent. Digitata autem, cornuque vacua, forma quidem & ipsa Pomilionis sunt, sed minùs. Quamobrem pars eorum inferior ad superiorem defectus ratione incrementum capessit. Auium etiam, & Piscium genus, omneque sanguine præditum forma Pomilionis est, vt dixi. Quam ob rem bruta Hominibus sunt dementiora: etenim inter Homines pueri viris, & inter viros Pomiliones mente deficiunt, quanquàm alijs viribus fortè valeant. Cuius rei causa, quam diximus, est, quod principium Animi admodùm difficile motu, corpulentumque in ijs est. Addo etiam, quod cum minus remaneat caloris, qui efferat, plus autem terrenæ portionis supersit, efficitur vt Corpus animalis tum minus, tum etiam multipes formetur, demumq; expes, prostratumq; in terra præ inopia caloris proueniat, sensimq; procedendo ita degeneret, vt principium vitale, caputq; infra habeat: ad postremum immobile fit, & sensu vacuum, plantaq; est, vice mutata, vt superiora infra, inferiora supra habeat. Radix enim plantarum vim obtinet oris, & Capitis: Semen contra, supra, extremisq; ramis consistit.

Cur animalia, dementiora hominibus.

Radix plantarũ est oris instar, semen verò in superiori parte plantæ, cõtra ordinẽ in animalibus à natura præscriptum.

Præclarè hoc in contextu Aristoteles Hominum partes, tam superiores, quàm inferiores, cum brutis, imò plantis, & Pomilionibus, ac pueris cõfert. Animalia ergo, licèt in principio ætatis partes posteriores, siuè inferiores, ijs quæ superiores sunt, grandiores habeant, ætatis tamen decursu partes anteriores, Caput videlicet, & thorax potissimùm, magnitudine inferiores excedunt. Ex aduerso, Homines, in prima ætate, superiores partes inferioribus multò maiores habent; facti verò adulti, partes inferiores Corporis superioribus maiores fiunt. Animantes ergo, siue animalia, cùm superiores partes inferioribus maiores habeant, prudentia carent; & inter Homines Pueri, & Pomiliones; Pomilionibus enim animalia & pueri assimilantur. Imò plantæ ipsæ quodammodò Pomilionibus sunt similes, inuerso tamen ordine. Plantæ enim Caput, & ora terræ inserta sunt, & affixa. Respectu itaque Pomilionum,

Curiosa, & vtilis doctrina.

num, Puerorum, & Animalium, Homo adultus paruum habet Caput, etsi in se, & ratione corporis cui superest, hoc sufficienter magnum sit, atque ingenio pollens; ideòq; illis multò prudentior est homo: Et hanc fuisse Aristotelis mentem Sect. 30. Problematum, quæst. 3. existimo.

Vera capitis figura.

Postquàm magnitudinem, & paruitatem Capitis examinauit Galenus, & de figura aliquid solummodò innuit, Capitis figuram cap. citato 11. de Arte Medica pleniùs examinat, & inquit: Propria autem Capitis figura est, veluti si excogitares Sphæram exquisitè rotundam ex cera constructam, paulatim vtrinq; depressam. In hac enim necesse est, vt posteriores, prioresue partes plus gibbæ fiant, quàm sphæræ conueniat. Quæ verò vtrinque consistunt, magis rectæ.

Deficiente occipitis gibbositate, si omnes vertebræ ceruicis & spinæ dorsi magnæ fuerint, materiæ defectui, nō formatricis virtutis vitio diminutio tribuenda.

Quod si ea, quæ secundùm occiput eminentia aliquatenùs minuatur, simul intueri oportet neruos, atq; ceruicem, vnà cum ossibus alijs: Nam si secundùm naturam constiterint, materiæ defectu, non virtutis imbecillitate contingit: Illis verò non rectè se habentibus, principium (id est cerebrum) est debile, sed magna ex parte defectus, qui occipiti eueniunt, consequitur eorum, quæ ante diximus imbecillitas, rarissimèq; aliter euenire consueuit.

Si posticæ partis capitis prominentia fuerit adaucta, & reperta concinna, optimum erit cerebri signū.

Caput autem, quod secundùm occiput in acutiem tendit, animaduertere oportet: ijsdem adhibitis distinguēdi rationibus, quibus antea in capite grandiori facto vtebamur; vt plurimùm verò, & hîc optimum est Signum, figura concinna eius partis, quæ Cerebro adhæret, quam nonnulli Medici posterius Cerebrū appellare consueuerunt; quemadmodum & posterius existit ea futura, quæ Græcæ litteræ Λ formam habet præfinitam: Est verò huiuscemodi pars spinalis medullæ principium, & eius ratione neruorum omnium in toto animali, qui actionibus inseruiunt: Ipsa autem Pars posterior per seipsam paucos admodum sensitiuos obtinet neruos, plurimos verò actiuos, (id est, qui motum deferunt) sicuti, & anterior sensitiuos. Quare, vbi benè fuerit affecta vtraq; pars (anterior scilicet, & posterior capitis pars) robustas habebūt eas, quæ ab ipsis deriuationes sunt.

Cerebeliū est spinalis medullæ principiū, & mediāte spinali medulla, principiū neruorum omniū, si septem anteriores, coniugationes excipere placet.

Eædem quoque distinctiones adhibendæ sunt ad partes Capitis anteriores ad frontem attinentes, quæ etiam ad posteriores, earundemq; & paruitatem, & magnitudinem inspicere oportet, atq; iti-

Sensus, cerebri (quod principium hic dicitur) dispositionem indicant; veluti cerebrũ bonã, malamue sensuũ dispositionem.

itidem figuram, & sensus ibi collocatos, visum, gustum, atque odoratum. Hæc enim se inuicem indicant, atq; attestantur, & quæ à principijs oriuntur, principij virtutem, vel vitium, & principium eorum quæ ab ipso nascuntur.

Proba capitis figura.

Figura capitis acuminata, est deprauata.

φοξὸν quid.

Proba capitis constitutio.

Tres veræ capitis suturæ, coronalis, sagittalis, & lambdoides.

Satis clarus est Galeni contextus hoc capite; ideoq; Commentario vix eget. Capitis enim concinnam figuram hic ille proposuit, veluti alijs in locis: Libro enim de Ossibus cap. 1. ait: Naturalis enim Capitis figura ad oblongæ sphæræ potissimùm similitudinem structa est. Alia verò eius figura, quod φοξὸν vocant, deprauata est, & acuminato vertice. Caput quod secundum naturam habetur, priorem, ac posteriorem partem prominentiorem habet. Quid per φοξὸν caput intelligat Galenus, id ipse exponit Cõment. 1. in lib. 6. de morb. Vulgarib. vbi inquit: Inuenies enim & hanc partem (idest palatum) illis cauam, quorum acutum valdè Caput, ac deforme est: hos autem præcipuè vocant Homines φοξούς, hoc est acuti Capitis. Libro rursùs 9. de Vsu part. cap. 17. naturalem Capitis constitutionem insinuat. Cùm enim Caput (inquit) velut Sphæra quædam sit prælonga, iure vna (idest Sutura) quidem rectè per medium ipsius (Capitis scilicet) à posterioribus ad anteriora est extensa, duæ autem Suturæ hanc excipiunt, fitq; trium Suturarum figura H Græcæ literæ similis. Et sub finem eiusdem Capitis inquit: Cùm enim retro ἐγκρανίς, idest Cerebellum, ante verò ad oculos, ac nares, apophyses positæ sint, iure optimo Caput, quod secundùm naturam se habet, prælongæ sphæræ fuit assimile. Comment. 1. in lib. 6. Epidem. tex. 37. ait: Optima enim Capitis figura oblongo orbi vtrinq; compresso similis est: deficit autem acuto Capiti, aut occipitij, aut frontis eminentia: aut vltra, quàm deceat, productam habet.

Acutum caput quale.

Superiùs dictum est, propositam modò debitam Capitis figuram indicium esse optimæ constitutionis Cerebri. Cæterùm, quoties à præfata figura Caput deficit, Cerebri actiones imperfectè eduntur. Figuræ Capitis vitium in prominentiarum occipitis, & sincipitis defectu consistere docuit Galenus. Prominentiæ autem siue eminentiæ Capitis, sunt tumores illi, siue gibbositates, quas habet Caput in anteriori & posteriori sui parte. Caput enim versùs frontem mediocriter rotundum esse debet: similiter & occiput in orbem à parte posteriori colligitur, atque terminatur. Latus

Eminẽtiæ capitis quæ.

autem

autem vtrumque, dextrum, & sinistrum, mediocriter compressum est. Ambæ verò eminentiæ, anterior, & posterior deficere possunt, seu Caput dictis ambabus carere potest; & tum figuram habebit rotundam, siue sphæricam, & naturali constitutioni, quæ ambabus eminentijs fruitur, prorsùs contrariam. Præter iam dictam rotundam figuram, aliæ supersunt duæ vitiatæ figuræ; quarum vna est, quando in fronte nulla extat eminentia; altera, quando occipitium solum eminentia caret. Capita verò quæ aliquo trium modorum dictorum vitio laborant, fastigiata & acuminata à Galeno nuncupantur lib. 9. de vsu part. Corporis humani, cap. 17. vbi quartam speciem acuminati Capitis cogitari posse ait, sed fieri minimè posse. Talis figura est, dum cogitamus prominentiam aliquam Capitis lateribus, vnam vni, alteram alteri superuenire, quarum interuentu Caput in lateribus, quàm in occipitio, & fronte, prominentius foret. Talem verò figuram impossibilem esse docet Galenus: Nam talis figura monstrum esset, & naturali figuræ protinus aduersaretur.

Rotūdum caput vitiosum. Figura capitis vitiosa est quoties anterior, aut posterior prominētia deficit. Fastigiata capita. Prominentiæ ad latera capitis mōstrosæ sunt.

Vt vniuersa hæc doctrina, & alia quæuis ad Caput pertinens, completa reddatur, Caput præfatum 17. libri 9. de vsu part. hùc traducere placet.

De Vsu, & diuersitate suturarum Capitis.

PAri modo autem (inquit Galenus) & ad suturas denuò reuersi, quantùm adhuc superiori sermoni deest, cùm adiecerimus, huic quoq; libro iustum modum statuemus. Quod igitur ad fuliginosorum excrementorum transpiratum; & vt per eas crassa menynx (dura mater communiter dicitur) ossi Capitis alligaretur, quò vasa alia quidem intrò, alia autem extra exciderent: insuper quòd ad pericranij (est membrana tegens caluariam) generationem suturæ vtiliter constructæ fuerint, dictum ante fuit. Nunc autem, quod adhuc superest de ipsarum vtilitate, postquàm adiunxerimus, deinceps de earundem positione, ac numero tractabimus. Fuit certè vel ob eam causam vtile cranion ex multis ossibus componi, vt, si quando percussum, ruptum fuerit (multoties enim eiusmodi solent accidere) ne per totum (cranij corpus) rupturæ eius progrediantur, sed inhibeantur illîc ac cessent, vbi &

Suturarū capitis vtilitates. Cur ex multis ossibus cranium est compositum.

faucium os cessat. Tot itaque suturarum sunt vtilitates.

Quod verò consentaneum fuit, vnam quidem (suturam) per medium Capitis rectam, (hæc Sutura quæ per supremam Capitis partem à parte posteriori ad anteriorem ducitur, Sagittalis appellatur) duas autem esse transuersas (posterior Lambdoides, anterior Coronalis nominatur), si, quæ ante dicta fuerunt memoria tenemus, nihil multis verbis nobis opus erit. Cùm enim Caput velut sphæra quædam sit prælonga, iure vna quidẽ recta per medium ipsius à posterioribus in anteriora est extensa, duæ autem transuersæ hanc excipiunt, fitq; trium Suturarum figura, H, Græcæ Literæ similis. Nam æquum fuit Suturarum numerum esse inæqualem in longitudine, ac latitudine: alioqui falsò Hippocrates Naturã assereret iustam, si ipsa inæqualibus æqualia tribueret. At non est ita: quemadmodum enim est iustissima, (Hippocrat. lib. de fracturis, Sectione, siue Parte 1. tex. 2. Naturam appellat iustam. Nam, vt in Commentario loquitur Galenus, vbi, quod conuenit vnicuiq;, seruatur, res iustè habet, atq; administratur: Quid autem Corpori conueniat præter id quod secundùm naturam est, haud facilè intelligitur. Ergo cùm singulis partibus conuenientia inest figuræ, coloris, & magnitudinis, optimè habent. Idem Hippocrates tex. 4. sequenti, iustam appellat Naturam, quia cogit ægrum porrigere brachium debito more figuratum. Sectione similiter 3. de fracturis, Naturam iustam vocat. Galenus in Commentario ait: Constat autem, vt sæpenumerò indicauimus, iustum ab ipso intelligi, quod æquale est) ita, quæ Suturam secundùm Capitis longitudinem (Capitis longitudo est linea illa recta, quæ in summitate Capitis deducta est à parte anteriori ad posteriorem, aut vice versa) rectà extenditur, vnam effecit, partibus, quæ vtrinq; ipsius sunt, dextris scilicet, ac sinistris, ita demùm latitudinem commoderatam habituris. Transuersas autem duas numero effecit, alteram quidem posteriorem, vt antea quoq; diximus, quam Lambdoeidem appellamus: alteram autem anteriorem ϛεφανιαίαν, ideſt, Coronalem: vt os Capitis, quod inter duas has Suturas est medium, ossibus vtriusq; partis mediæ suturæ sit æquabile. Maximum autem in Naturæ operibus æquitatis specimen sunt Capitum fastigiatorum, seu acuminatorum (Græcè φοξῶν) suturæ. Tres enim sunt omninò ipsorum figuræ; pri-

Caput Sphæræ oblongæ simile, varias habet suturas.

Natura iusta ex Hippocrate.

Quomodo natura iusta dicitur.

Duæ transuersæ suturæ, vna Lambdoeides, altera coronalis, quæ Græcis Stephanoides nũcupatur.

prima ei planè eſt contraria, quæ naturaliter ſeſe habet, de qua haud ita pridem ſumus loquuti, quando ſcilicet Caput ambas amiſerit eminentias, occipitis, ſcilicet alteram, reliquam autem frontis; æquale autem ſit vndequaque, & quaſi perfecta ſphæra: duæ verò aliæ ſunt figuræ, quarum altera quidem in fronte, altera rurſùs in occipitio nullam habet eminentiam. Cæterùm Capitis ſphærici ſuturæ, X, Græcæ litteræ ſunt ſimiles, duabus tantùm ſuturis ſeſe in duo interſecantibus, altera quidem ab aure vna ad alteram tranſuerſa, altera verò recta per medium verticem ad frontem mediam extenſa. Quemadmodum enim cùm pars Capitis altera exuperat, altera longior exiſtens, æquum fuit eam partem, quæ longior eſſet, plures habere ſuturas: ſic, quando pars vtraque eſt æquabilis, numerum etiam ſuturarum ipſis æquabilem Natura diſtribuit. In Capite verò, quod in occipitio non habet tumorem, ſiue prominentiam, ſuturæ quidem manent, recta, & coronalis, perit autem Lambdoeides; hæc enim deperditæ eminentiæ erat propinqua. Vnde ex duabus his ſuturis (ſuperſtitibus) figura fit, T, Græcæ litteræ aſſimilis. Quemadmodùm ſanè, & cum Capitis eminentia in fronte perierit, ſimul quidem cum ipſa perit, & Coronalis; relinquitur verò ſola recta cum Lambdoeide. Rurſùs etiam figura hæc compoſitionis ſimilis, I, Græcæ litteræ efficitur (tranſuerſalis autem pars huius litteræ inferiùs à me ponitur, quia Lambdoeidem ſuturam, quæ versùs occiput ſitum habet, repræſentat, veluti pars tranſuerſalis litteræ eiuſdem præcedentis ſupra poſitæ, ſuturam Coronalem, pars verò recta eiuſdem litteræ in aduerſo ſitu poſitæ, ſeu perpendiculariter in aliam lineam tanquam baſim cadens, ſagittalem ſuturam repræſentat.) Quarta autem ſpecies acuminati Capitis, cogitari quidem poteſt, ſed fieri non poteſt: vt ſi Caput ad vtramq; aurem efficeretur prominentius, quàm in fronte, & occipitio: Quæ ſpecies ſi modò conſtare poſſet, haudquaquàm ſphærica ei quæ eſt ſecundùm naturam, diceretur contraria, ſed ſolùm diceretur, quòd longitudo tota in latitudinem eſſet tranſmutata. Nunc autem tanta à naturali digreſſio fieri non poteſt: non autem acuminata ampliùs huiuſmodi ſpecies, ſed iam monſtrum eſſet, nec poſſet viuere: Cuius cauſa eſt perſpicua, his ſaltem, qui dicta ante non omninò negligenter audiuerunt. Cùm enim retrò ὁ ἐγκεφάλος, ideſt, Cerebellum,

Tres figuræ capitũ faſtigiatorum, ſiue acuminatorum, ſiue acutorum. Caput rotundum. Capita rotũda duas tãtũ habẽt ſuturas in forma crucis ſeſe interſecãtes, vnam trãſuerſim caput diuidẽtem, alterã per verticis lõgitudinem ab occipite ad ſinciput productã. Deficiente prominentia occipitis, perit ſutura Lãbdoeides, deficiente prominentia ſincipitis, perit coronalis.

lum; ante verò ad oculos, ac nares, apophyses positæ sint, iure optimo Caput, quod secundùm naturã se habet, prælongæ sphæræ fuit assimile: Eminentiaq; tam posterior, quàm anterior, aut vtræq; simul, possunt interdum amitti: non tamen eò amissio hæc potest progredi, vt aliquid etiam de ipso Cerebro simul deperdatur: Et sanè fieri non potest, vt quæ ad aurem est dimensio, eam quæ est secundùm longitudinem, superet, nisi hoc accidat: At hoc quidem fieri nequit: proinde, & Capitis figura eiusmodi constare non potest. Ob eamq; causam Hippocrates quatuor omninò figuras, & cuiusque Suturas, quo modo paulò ante habere diximus, astruxit, nusquàm in suis Commentarijs quintæ Capitis figuræ mentionem faciens. Sed hæ quidem solæ Capitis sunt Suturæ, numero, ac situ iustè à Natura cuique figuræ distributæ.

Quinta figura capitis nunquã meminit Hippocrates.

Hactenùs Galenus dicto Capite, qui sequenti cap. 18. & cap. 1. Lib. de Ossib. plures in Capite Suturas enumerat, vt maxillæ superioris Suturas duas, Ossium petrosorum pariter duas: has tamen vix suturas appellat; quoniam Cranium non penetrant, sicuti tres illæ solemnes, Coronalis, Sagittalis, & Lambdoides, quarum cõpositio assimilatur duabus serris in aduersum aptatis, quarum dentes vtrinq; in vtriusq; sectiones congrediuntur. Suturas illas tres clariùs accuratiùsq; Libro de Ossibus cap. 1. quàm citatis capitibus Libri 9. de Vsu Part. exponit Galenus. Quod os Capitis, inquit, Caluaria appelletur, quodque in ea Suturæ quædã sint, ante diximus. Sed quot, qualesque, & quæ cuiq; sit forma, cùm non antea exposuerimus, nunc explicabimus. Primumq; pro Capitis figura, Suturarum numerum posituramq; variari. Naturalis enim Capitis figura ad oblongæ sphæræ potissimùm similitudinem structa est. Alia verò eius, quod φοξόν vocant, deprauata est, & acuminato vertice. Quod enim (Caput) secundùm naturam habetur, priorem, ac posteriorem partem prominentiorem habet: in eoque tres suturæ sunt; ac duæ, quidem transuersæ, quarum altera in occipitio est: in sincipite altera: tertia à medio posterioris, per Capitis longitudinem, ad mediam vsq; anteriorem (idest, ad medium Coronalis) extenditur. Anteriorem Suturam, Cronalem vocant, quandoquidẽ Coronæ in ea potissimùm Capitis parte collocantur. Posteriorem Lambdoeidem nominant, propterea quòd tota ipsius figura, Λ, litteræ assimilatur. Harum trium Su-

Varia capitis suturæ.

Naturalis figura capitis, & suturæ eius ordinariæ.

Sutura coronalis cur ita dicta.

Sutura Lambdoides cur ita dicta.

tu-

turarum figura, H, litteræ præcipuè similis est. (Obserua tamen, tres illas suturas à Galeno positas nō exactè referre similitudinem dictæ litteræ, H; cùm Sutura Lambdoeides non æqualiter, & recta Cranium transuersim diuidat, sed inæqualiter, & instar litteræ Græce Λ, quæ latinè, L, dicitur. Dicta enim littera Græca, litteræ, A maiusculo Latino, si huic transuersam detrahas lineam, assimilatur. Sutura ergo Lambdoides duobus non absimilis est fulchris, quæ secundùm suas bases ab inuicem recedunt, in suis autem superioribus extremitatibus coëunt: Si verò ab his fulcris, vbi vniuntur, lineam protrahas rectam, in aliam perpendiculariter desinentem, tres illas Cranij suturas optimè repræsentabis.)

Naturalis Caluariæ structura suturas, vti diximus, habet: In ea verò, quæ fastigiato est vertice, suturæ ad hunc modum constitutæ sunt. Vbi posterior eminentia perit, sutura quoq; Lambdoeides aboletur; vbi anterior non adsit, Coronalis etiam sutura deperditur, fitque vtraque remanentium suturarum figura, T, literæ similis: ambabus autem eminentijs deperditis, geminæ quæ seruantur suturæ, ad rectos se inuicem angulos intersecantes, X, litteræ similitudinem referunt. Namq; altera quidem transuersa per medium potissimùm Caput extenditur: altera à parte posteriore per longitudinem in priorem (per verticem scilicet) vti in cæteris Caluarijs omnibus, tendit: namque hæc (idest sagittalis) semper seruatur: reliquæ cum totius Capitis figura variantes intercidunt. Hæc Galenus, qui subsequenti textu de duabus suturis ossium petrosorum, duabusq; superioris maxillæ, agit.

Occipitis prominētia deperdita, perit sutura Lābdoeides: anteriori capitis prominētia amissa, coronalis sutura amittitur. Sagittalis sutura in nulla figura capitis amittitur. Quādo prominētia diminuta occipitis prouenit ab inopia materiæ in prima hominis cōformatione, ceruix, & subsequētia valida fiunt. Si ob facultatis formatricis defectū id contingat, ceruix exilis est, veluti subsequētes vertebræ, & ossa.

Hâc doctrinâ priùs intellectâ, non erit difficile contextum Capitis vndecimi Artis Medicæ, quem exponendum suscepimus, explicare. Monet enim inibi Galenus, quoties eminentia occipitis minuitur, inspiciendos esse neruos, atq; Ceruicem, vnà cum ossibus alijs, quæ ceruicem consequuntur, vt vertebras inferiores, brachia, costasque, &c. Si verò Ceruix, & reliqua, debitum naturalemq; statum obseruant, idest si optimam compagem, & molem ac duritiem sufficientem Ceruicis potissimùm vertebræ obtinent, & motrices actiones, quæ à neruis, tanquàm à præcipuis partibus, validæ fuerint, Signum est occipitis diminutam eminentiam, ob materiæ defectum, non verò ob virtutis formatricis imbecillitatem, in prima Hominis conformatione, contigisse. Quòd si Cer-

uix

uix minuta, malèue compacta fuerit, & motus voluntarij imbelles, Signum est eminentiam occipitij diminutam ab imbecillitate facultatis formatricis in principio processisse. Monet rursùs Galenus in occipitij diminutione, quasi semper Ceruicem, & actiones motrices, siue motus voluntarios, esse imbelles.

Prominentia occipitis adaucta, si concinna fuerit, bona.

Postquàm Galenus defectum eminentiæ in occipitio improbauit, pariter & eminentiæ eiusdem occipitij excessum in magnitudine vituperat. Cæterùm, quoties occiput ita acuminatum fuerit, animaduertere oportet, vtrum figura illa occipitis fuerit concinna, licèt moles sit aucta; ac insuper obseruare oportet, vtrum vertebræ, tam Ceruicis, quàm totius spinæ, naturalem, debitamque constitutionem habeant, sique actiones motrices sint validæ. Nam sic se omnibus habentibus, occipitij acumen non est improbandum. Si verò ex aduerso occipitij adaucta prominentia fuerit deformis, vel indecora, & actiones animales inualidæ, argumento erunt, prominentiam illam esse vitiosam.

Aucta prominẽtia occipitis, si fuerit deformis, malũ signum.

Cerebellũ mediate est neruorum principiũ.

Nerui immediatè à spinali medulla pendent.

Septẽ paria neruorum.

In Capitis cit. 11. progressu docet Gal. posticam Cerebri partem, quam Cerebellum appellant, esse spinalis medullæ principium, & ratione huius spinalis medullæ idem Cerebellum esse neruorum motoriorum principium; idest, Cerebellum mediante spinali medulla, est neruorum, qui à tergo quoquouersùm sparguntur principium: Nam, vt experientiâ constat, omnes nerui à spinali medulla, tanquàm eius surculi, emergunt. Septem tamen neruorum paria excipe, quæ à Cerebri corpore, vt communior fert opinio, vel à postica parte, vt quibusdam placuit, oriuntur. A posteriori Cerebri parte, idest, à spinali medulla, quæ est Cerebri producta portio, multi nerui motorij, siue ad motum edẽdum apti, nascuntur, pauci.v.sensitiui, siue pauci nerui ad sensationem faciendam idonei. Ex aduerso ex anteriori parte Cerebri, nerui nascuntur ad sentiendum plurimi, ad motum edendum pauci. Verùm vbi vtraq; Cerebri pars, posterior, & anterior, benè fuerint dispositæ, robustæ validæue consequenter erunt deriuationes: idest, ea quæ à Cerebro procedunt: qualis est spinalis medulla, vertebræ Ceruicis, & totius spinæ dorsi.

Quando Galenus inquit, neruos motiuos multos, à posteriori parte Cerebri, sensitiuos verò paucos; & ab anteriori è contra sensitiuos plurimos, & paucos motiuos dependere, non proinde moti-

motiuis vim ſenſitiuam ademit:ſed voluit neruos à poſteriori parte ortos magis ad motum, quàm ad ſenſum, eſſe deſtinatos: licèt reuerà à ſpinali medulla nerui deriuentur ſenſum tribuentes vniuerſo corpori,ſi excipias partes, quibus ſexta neruorum coniugatio ſenſum tribuit, vt eſt ventriculi orificium, aliæq; circumquaq; partes. Dixit præterea, & optimè, Galenus, ab anteriori parte Cerebri plures naſci ſenſitiuos, quàm motiuos; vt cuiuis ſeptem paria cognoſcenti, perſpicuum fiet.

Poſtquàm Gal. accuratè examinauit vitium, & virtutem poſterioris partis Capitis, pari modo de anteriori eiuſdẽ Capitis parte philoſophandum præcipit: itaq; an deficiat, an augeatur anterior Capitis prominentia, an deniq; congrua, aut indecens ſit eiuſdem partis figura, anq; ſenſus in anteriori parte Capitis ſedem habentes, viſus, odoratus,& guſtus,benè malèue ſe habent, diligenter obſeruandum. Nam inde bonam, malamue anterioris Cerebri diſpoſitionem non difficulter agnoſcemus. Diminuta quidem ſincipitis prominentia, & anteriorum trium ſenſuum defectus, præſertim à prima Hominis generatione, anterioris partis malam indicant diſpoſitionem, & virtutis formatricis imbecillitatem, ſimul cum materiæ defectu. Vice verſa, ſi prominentia anterior Capitis aucta fuerit, & figura decens, & præfati tres ſenſus probè diſpoſiti, Cerebri anterioris probam diſpoſitionem, & Virtutis formatricis robur, ac materiæ copiam, indicant. Imò ſi ſenſus prædicti benè diſpoſiti apparuerint, & prominentia anterior diminuta, Signum eſt materiæ diminutæ in prima conformatione, formatricis tamen virtutis robur indicant.

Eodẽ modo de anteriori capitis parte Philoſophandum, quo de poſteriori.

Nota diligenter.

SECTIO IV.
De Operationibus obtinentibus Principatum.

Galenus capite 12. Artis Medicæ, hac de re hac ſerie diſſerit: Earum autem operationum, quæ principatum obtinent, virtus, ac vitium, ſunt ipſius principij (Cerebrum hîc reſpectu principum operationum, vix principium dici debet, cum in ipſomet hæ actiones celebrẽtur: niſi Galenus voluerit principium, & cauſam confundere) ſeorſum tantummodò indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes, quæ à ſolo prin-

principio (id est à cerebro, tanquã à causa immediata) proueniunt. Ingenium quidem igitur, subtilem Cerebri substantiam indicat; tarditas verò intellectûs, crassam.

Discendi verò facilitas, formarum facilè susceptiuam: memoria autem stabilem ac firmam: sicuti & discendi difficultas, formarum non facilè susceptiuam, & obliuio fluidam. Mobilitas quoque in opinionibus, calidam: stabilitas autem frigidam.

Adhuc autem duo indiciorũ genera mihi videor prætermisisse, de quibus sum ab initio me dicturum pollicitus, quorum alterum ad operationes attinet naturales, alterum verò ad ea quæ extrinsecùs occursant. Erit autem in (meliùs de vtrisque, quàm in vtrisque dicitur) vtrisq; sermo communis.

Quinq; fontes è quibus signa status, siue dispositioni: cerebri desumuntur.

Galenus capite 10. Artis Medicæ, quinq; proposuit fontes, è quibus desumuntur Signa nobis indicantia Cerebri temperiem, aut intemperiem: Primus fons Signorum, est totius Capitis dispositio, molem, & figuram eius comprehendens. Secundus fons, est sensibilium operationum virtus, & vitium. Tertius, est actiuarum, siue motricum operationum virtus similiter, & vitium. Quartus fons, est virtus, & vitium actionum principum, de quo modo hoc capite 12. agit Galenus, qui, actiones principatũ in Cerebro obtinentes, numero octo proponit. Prima, est Ingenium: Secunda, est tarditas intellectus: Tertia, est discendi facilitas: Quarta, est memoria: Quinta, est discendi difficultas: Sexta, est obliuio: Septima, est mobilitas in opinionibus: Octaua, est stabilitas firmitasue in opinionibus. Verùm, hæ omnes operationes ad tres principes à Galeno, & Philosophis communiter admissas, Imaginationem, Discursum, & Memoriam, reuocantur. Has operationes Principes à solo principio (ceu causa) idest, à Cerebro, alio nullo interueniente instrumento, exerceri docuit Galenus; vt sic eas distinguat ab actionibus sensitiuis, & motiuis, quæ non immediatè Cerebrum indicant, aut à Cerebro dependent: Sed motus voluntarius immediatè à musculo fit, musculumq; indicat; etsi musculus à Cerebro facultatem motricem, vel per irradiationem, vel mediante spiritu animali, recipiat: Visio similiter ab oculo immediatè dependet, oculique virtutem, & vitium indicat: Auditus pariter ab aure, aurisq; virtutem, & vitium prodit. Idem de reliquis sensibus dicendum: qui omnes, veluti motus, sua habent peculia-

Octo actiones principes.

Sensus, & motus non cerebri solius, sed propriorũ instrumentorum dispositionem significant.

ria

ria organa. Principes. v. à solo Cerebro emanãt; & huius virtutem, siue robur; simul & vitium demonstrant. Atque adeò immediatè Cerebri dispositionem, siue bonã, siue malam significant. Quòd autem sint solius Cerebri indicia dictæ operationes, docuit Galenus particulâ illâ, seorsùm, seu potiùs, solius, vt benè vertit antiquus Interpres: nam Græcè habetur, τῆς ἀρχῆς μονῆς, .i. ipsius principij solius: Actiones verò motiuæ, & sensationes, licèt Cerebri virtutem & vitium indicent, indicant præterea propria organa, in quibus fiunt.

Primam actionem in Cerebro editam, ingenium appellat. Mirè se torquent Interpretes, dum hanc particulam exponunt. Argenterius in Commentario citati contextûs, Acakiam, & Montanum errâsse contendit; quia, inquit, dicunt Ingeniũ nihil aliud esse, quàm virtutem, quæ recipit species rerum. Hoc enim munus est Imaginatricis, non Ingenij, quod medium, idest causas rerum inueniendi habet potestatem. Ante hæc verba Argenterius vocem, Ingenium, hoc pacto interpretatus est: Igitur, Ingenium, intelligimus perfectionem discursiuæ virtutis. Sic enim ingeniosos vulgò vocamus, qui citò, & benè intelligunt, discurrunt, & ratiocinantur. Sanctorius absq; vlteriori examine Argenterium sequutus, binos iam citatos Authores reijcit. Brachelius Ingenium hoc modo exponit: Subtili ac fælici ingenio præditum, dicimus, qui promptè multa discit, atq; alta subtiliter peruadit, solerter apprehendit. Ioannes Agricola Ammonius Hugonis Senensis interpretationem in medium adfert: Admonet, inquit, Hugo Intellectum hoc loci non vsurpari pro vero intellectu, sed pro ea virtute discernente, quam æstimatiuam Auicenna, Nostri verò cogitatiuam vocant, iuxta id, quod Aristoteles 3. de Anima: Hic autem, inquit, Intellectus est corruptibilis, & sine hoc nihil intelligitur: vocat enim ibidem hanc virtutem, Intellectum. Ingenium ergo subtile erit, quod ex Signis, & occasionibus exiguis, citò aliquid dignoscit, distinguit, & discutit, elicit, & discurrit. Quod exploratum habemus, cùm istiusmodi Homines cum dicto adsequuntur, siquid simulatè dixeris, neq; decipiuntur: alij verò crassioris Mineruæ, qui sunt naris obesæ, hac fœlicitate carent. Thomas Rodericus A Veiga in suis pariter Commentarijs in Artem Medicinalem, postquàm operationes principes in Imaginatricem, Ratioci-

Maxima est controuersia de ingenij significatione hoc in loco.

Acakias & Mõtanus reprehẽduntur.

Ingenium quid Argenterio.

Ingenium quid Brachelio, quẽ sequutus est Argenterius.

Quid ingenium iuxta Agricolã, & Hugonem Senensem.

Thomas Rodericus à Veiga videtur Prudẽtiam cũ ingenio cõfundere.

natricem, & Recordatricem, diuisit, sequentia scripsit. Inter eas ergo orditur à Prudentia, vel Ingenio, functione Mentis, vel Intellectûs, vel Cogitationis, (non enim separat hæc nomina Galenus) tanquàm à præstantiore inter principes operationes. Thurisanus Monachus variè & prolixè rem hanc exponit.

Vt res hæc exactè percipiatur, significatio vocis Græcæ, quâ *Anchiniæ significationes.* Galenus in suo contextu vtitur, plenè inuestiganda. Ἀγχίνοια, latinè pronunciatur Anchinia, quæ vox communiter latinè redditur solertia, Ingenij acumen, siue acrimonia, qua cuiusq; rei causa non longo tempore reddi potest; vt ex Aristotele colligunt. Vnde ἀγχίνοος dicitur ille, qui in propinquo mentem habet, ingeniosus, perspicax, solers; Iuxta hanc vocis Græcæ significationem, Laurentianus Galeni è Græco in latinum traductor, lo- *Leonicenus obscurus.* co ingenium, habet, siquis igitur solers est: Et antiquus Interpres habet, Facilis igitur intellectus. Vnde solus Leonicenus inter solemniores Galeni Interpretes, Anchiniam, Ingeniũ esse affirmat. Laurentianus verùm tamen, & antiquus Interpres, rem penitiùs & *Anchinia quid ex Aristotele.* clarius attigere: Nam Anchinia facilem intellectum, siue solertiam, iuxta Aristotelis mentem, significat. Hic enim libro 1. Analytic. Posterior. cap. 28. & vltimo, quod est περὶ ἀγχινοίας, idest, de solertia, eandem ἀγχινοίαν, siue solertiam hac serie definit: So- *Solertia quid.* lertia verò est perspicacitas quædam, & per quam cuiusq; rei medium, & causa nobis statim occurrit. Veluti siquis videns semper lucidam partem Lunæ ad Solem esse conuersam, continuò excogitaret cur ita sit: nempe quod Luna Solis lumine illustratur. Aut siquis cum Diuite aliquo colloquentem videat alium, confestim iudicet, peti mutuam pecuniam. Aut ob id contractam esse inter aliquos nouam amicitiam, quoniam communem inimicum habere cæperunt. Nam qui medias causas perspicit, statim extrema cognoscit. Hîc Aristoteles Anchiniam, idest Solertiam, Intellectûs Sobolem esse docet: cùm solius Intellectûs munus sit rerum naturas penetrare, earumq; causas ratiocinando inuestigare; & vno verbo discurrere. Quam doctrinam idem Arist. confirmat Lib. 6. *Consilium rectũ virtutis soboles.* Ethicor. cap. vltimo, vbi hæc habet: Consilium igitur rectum virtus efficit. Ea autem dispicere quæ illius causa agi consueuerunt, hoc non virtutis, sed cuiusdam alterius facultatis munus est. De quibus accuratiùs, & planiùs est dicendum. Est igitur vis, seu po-

testas

testas quædam, quam solertiam vocant. Hæc autem eiusmodi est, vt ea quæ ad scopum propositum pertinent, agere, & consequi possit: ac si scopus quidem honestus sit, laudabilis: sin malus ac turpis, versutia est nominada. Proinde, & prudentes, & versutos dicimus δεινούς, hoc est Solertes. Prudentia porrò non est hæc potestas, sed tamen non sine hac potestate. Solers igitur ex Arist. dicitur ille, qui potens est in indagatione medij, & causæ. Vnde Plato in Teæteto solertes hos appellat, qui velociter omnia distinguũt. Et Themistius in Aristotelis citatum textum primi Posteriorum, Solertem eum vocat, qui citò & faciliter resoluit conclusionem in sua principia.

Solertiæ natura exponitur. *Versutia quid.* *Prudentia non est solertia, etsi hac illa egeat.* *Solers siue ingeniosus quis.*

Quod autem circa discursum Solertia versetur, Manilius Libro 1. Astronom. sequenti serie testatur:

Solertia circa discursũ versatur.

Omnia conando docilis Solertia vincit;
Nec priùs imposuit rebus finemque, manumque,
Quàm Cælum ascendit Ratio, cæpitq; profundis
Naturam rerum Causis, viditq; quod vsquam est.

Franciscus Tort in suo Enchiridio quædam ad rem habet exempla. Agesilaus in Compotatione Conuiuij Princeps, cuius partes erant præscribere, quantũ quisq; biberet: rogatus à Pincerna quantum Vini cuique apponeret: Si multum, inquit, vini paratum est, dato cuiq; quantum poscit: Sin parum, cunctis ex æquo diuidito. Hâc Solertiâ mirè prospexit, ne vel paratum Vinum desit, quibus placeret largior potatio: vel ad bibendum cogerentur, quibus placeret Sobrietas. Leo etiam Bizantius Sophista, cùm prodisset ad populum tumultuantem, de Concordia dicturus, risum populo exhibuit, quòd multum obæsus esset: At ille, quid rideretis, Viri Athenienses, si Vxorem videretis me multò obæsiorem? Nos tamen concordes vnus capit lectulus; discordes ne tota quidem domus. Hoc dicto Solerter Populum placauit.

Agesilai Solertia. *Lepidũ ingeny, siue Solertiæ exemplũ de Leone Sophista.*

Diximus Solertiam, siue Ingenium ad Discursum attinere; Existimo tamen Solertiam Imaginatione iuuari: cùm iuxta ea, quæ citò, vel tardè ab imaginatione concipiuntur, Intellectus promptè, vel tardè res ei ab Imaginatione propositas examinet.

Prompta imaginatio ingenium auget, acuitque.

Non est deniq; prætereundum, parum rectè A Veiga loquutum, dum inquit, Ingenium benè verti in prudentiam, & Sagacitatem; cùm ex Aristotele Prudentia non sit Solertia; licèt sine hac es-

Thomas Rodericus a Veiga reprehẽditur.

se nequeat. Prudentia enim est habitus cum vera ratione coniunctus, ad agendum idoneus, in bonisq; humanis occupatus, vt loquitur Arist. 6. Ethicor. cap. 5. in cuius capitis præcedenti parte Prudentiam etiam definiuit, & nonnulla eam contingentia proposuit. Videtur, inquit, Prudentis esse, benè consulere posse circa ea, quæ sibi sunt bona, ac prosunt, siue vtilia sunt. Non sigillatim v.g. quænam ad bonam valetudinem, aut ad vires, sed vniuersè quęnam ad benè viuendum conducāt, benè consultare posse. Cuius rei argumentum est, quod Prudentes in re aliqua dicimus eos, qui benè ratiocinando, quo modo ad honestum finem perueniant, assequuntur, in ijs, quæ arte non continentur. Quocirca qui ad consultandum ingenio valet, is & Prudens omninò, & vniuersè fuerit. Consultat autem ijs de rebus nemo, quæ aliter sese habere, quæue ab ipso agi non possunt. Quare si scientia omnis cum demonstratione coniuncta est: & si quorum Principia aliter sese habere possunt, eorum non est demonstratio (omnia enim sese aliter quoque habere possunt:) Si denique de ijs quæ necessariò sunt, consultari non potest: neq; scientia, neque Ars, erit Prudentia. Scientia, quia quod sub actionem venit, sese aliter habere potest. Ars, quia aliud actionis, aliud effectionis est genus (præcedenti enim Capite 4. Artem sic definit: Ars igitur (vt dictum est) habitus est quidam cum vera ratione coniunctus, ad efficiendum idoneus. Inertia contrà, habitus cum ratione falsa coniunctus ad efficiendum idoneus, in eo, quod aliter euenire potest, occupatus.) Restat igitur, vt ea, idest Prudentia, sit habitus cum ratione vera coniunctus, ad agendum idoneus, in ijs occupatus, quæ Homini bona & mala sunt. Effectionis enim alius, quàm effectio, finis est: actionis verò non semper alius ab actione finis est. Est enim ipsa res benè gesta, seu perfecta actio, actionis finis. Ac propter hanc causam Periclem, cæterosq; taleis viros, prudenteis esse arbitramur, quòd ea, quæ sibi, Hominumq; generi bona sunt, dispicere, ac prouidere possunt: quales esse putamus eos, qui rei familiaris tuendæ, reique publicæ administrandæ periti sunt. Hinc colligere possumus, Aristotelem distinxisse Ingenium, siue solertiam à Prudentia: Nam hæc circa Fortunæ bona versatur: Vnde Cicero libro 1. de offic. Prudentia est rerum expetendarū scientia. Solertia verò, siue Ingenium, circa eadem, & vlteriùs circa quem-

Prudens quis.

Qui ingenio valet ad consultandum is prudēs est.

De rebus necessarijs non datur consilium, sicuti nec de ijs quæ non possunt a consultāte fieri.

Prudentia nō est Ars, nec Scientia, & quare.

Quid Ars.

Quid Inertia.

Quid Prudentia.

Effectionis finis est opus, siue effectus Actionis finis nō est semper opus, sed ipsa actio benè gesta.

Pericles magno capite, sed cōcinno præditus, Prudens erat.

Prudentia Ciceroni quid.

quemuis Intellectûs habitum versatur. Præterea, Prudentia est Habitus Practicus: Solertia verò non solùm Praxi indagandæ, sed insuper speculationi prodest. Qui autem scientiam, sapientiamq; cum facilitate acquirunt, Ingeniosi, & solertes dicuntur: Prudentes verò quatenùs scientifici, nullo modo dicuntur. Quapropter Aristoteles citato lib. 6. Ethicor. siue Moralium, cap. 7. quosdam Philosophos sapientes appellat, quos tamen imprudentes fuisse asseuerat. Quocirca, inquit Philosophus, Anaxagoram, Taletem, cæterosque taleis Viros, sapientes quidem esse dicunt, Prudentes verò nequaquàm; cùm videant eos, quæ sibi vtilia sint ignorare: atque eos fatentur recondita, atq; eximia quædam, & admirabilia, & difficilia, & diuina tenere, sed inutilia: quia humana bona non quærunt. Ecce Viri scientifici, & sapientes, imprudentes tamen dicti, quòd in rerum contemplatione probè versati essent, & bona fortunæ respuerent. In aucupandis etenim rerum naturis laborantes, consilia, quibus vtilia acquirimus, spreuerunt. Prudentia autem tota est in Consilijs. Vnde Seneca de quatuor Virtutibus ait: Prudentis proprium est examinare consilia, & non citò fallaci credulitate ad falsa prolabi: de dubijs non definias, sed suspensam tene sententiam: Hæc ille. Bestijs ipsis quandam inesse prudentiam, & hanc à sapientiâ distingui testatur Philosophus cit. cap. 7. lib. 6. Ethicor. vbi inquit: Itaq; & Bestias quasdam (Formicæ etenim penum prudenter colligunt: proindeque has quodammodo prudentes appellare potuit Aristoteles) prudenteis esse dicunt; nempe eas, quæ rerum ad vitam necessariarum prouidendarum facultatem habere videntur. Politicam autem non esse eandem, atq; sapientiam minimè obscurum est. Nam si sapientiam dicent esse eam, quæ in suis cuique emolumentis comparandis sit occupata, multæ reperiuntur sapientiæ.

Ingeniosi qui.

Veri Philosophi Græci Sapientes, sed prudentes nequaquã, & quare.

Philosophi veri humanis bonis non inhiabant.

Prudentis munus ex Seneca.

Bestiæ plures ex Philosopho, prudentes.

Politici nõ sunt Sapientes.

Præterquàm quòd Ingenium, solertiaue, longè distat à Prudẽtia, ex Aristotelis doctrina colligitur, Iurisprudentiam longè à sapientia, & scientia recedere: adeoq; eandem Iurisprudentiã longè inferiorem esse Medicinâ, quæ vera est scientia.

Iurisprudẽtia Medicinâ longè inferior.

Modò examinandum, quid sibi vult Galenus, dum in contextu ait, solertiam aut ingenium esse indicium subtilis substantiæ Cerebri. Plurimùm sanè inter se recedunt Authores in expositione substantiæ subtilis Cerebri; & adeò quidem distracti, vt Acakias,

& Mon-

& Montanus existimauerint, nomine subtilis substantiæ Cerebri intelligi non solidum Cerebri corpus, sed ipsos spiritus, eosq; tenues; cùm tamen de Cerebro solo, eiusq; dispositione, non de spiritibus Galenus lib. de Arte Medicinali fusissimè egerit.

Sclani sententia. Sclanus nomine subtilis substantiæ Cerebri, intelligit substantiam sinceram, & ex puriori materia confectam, & non ex crassa, & turbulenta. Sed hanc opinionem, tanquam alijs deteriorem, reijcit Sanctorius, quia committit petitionem principij: Adhuc enim petimus, vt quis nos doceat, quænam sit hæc materia sincera & pura: Estne sincera & pura, pura, quia sit lucida & clara, vt dixit Haly, vel pura sincera, quia sit tẽperata: multa enim possunt esse temperata, quæ sunt opaca, crassa, & turbulenta, sicuti est vola manûs, quæ dicitur temperatissima, tamen non est subtilis substantiæ. Ita Sanctorius Sclanum reijcit.

Sclanus à Sanctorio perstringitur.

Opinio Haly à quibusdam improbatur. Haly Galenum exponens, per substantiam subtilem Cerebri intelligit substantiam peruiam & claram, per quam spiritus animales liberè permeare possent. Hanc pariter interpretationem aliqui tãquam absonam, reijciunt; quia easdem difficultates patitur, quas Sclani opinio.

Sanctorius demùm suam aperiens mentem, rem tam arduam, & intellectu difficilem hoc modo exponit. Ego autem diu cogitaui, quid dici possit in hac quæstione admodùm difficili: incidi tandem in hanc cogitationem, quòd per subtilem substantiam intelligat Galenus corporis Cerebri diaphaneitatem, & non luciditatem: Diaphanum enim est, quod paucioribus superficiebus constat, aptum ad transitum radiorum spirituum, qui naturâ suâ lucidi sunt, & per tale corpus radij spirituum possunt diffundi & transferri à centro Cerebri ad quinque sensiteria, & ab his ad Cerebrum: ex quo fluxu & refluxu radiorũ oritur cognitio. Quare nisi Cerebrum paucissimis superficiebus constaret, non esset diaphanæ naturæ: neq; reciperet lucidos radios spirituum, & nulla rerum fieret cognitio. Ratio verò, cur paucioribus superficiebus Cerebrum constet, est; quia vbi in corpore sunt multæ superficies, ibi lumen, vel radij lucidi in qualibet superficie refranguntur, & refracti amittunt vim penetrandi, & lucem effundendi: neq; satis est, vt corpus, per quod penetrat lumen, sit peruium, vt spongia, quæ ex se est opacissima ob infinitas eius superficies, sed requirantur

Sanctorij opinio.

Diaphanũ quid.

tur

tur oportet paucissimæ superficies: Exempli gratia, Crystallum, & Adamas, sunt densissima: attamen sunt transparentia: imò si Crystallum, vel Adamantem in tenuissimum puluerem redegeris, tũc puluis erit rarior, amittet tamen propter multitudinem superficierum granorum Crystalli, vel Adamantis, transparentiam: causa est; quia radij ex sua naturâ in qualibet superficie refranguntur: & cùm superficies ferè sint infinitæ, ideò infinities ferè refranguntur; vnde opacitas sequitur. Similiter aquam splendidissimam si agitaueris, spumescet, & ob spumam variæ fiunt superficies, in quibus refranguntur radij: vnde ob refractionem amittitur penetrandi virtus. Subsequenter docet Sanctorius, specula reddi perspicua, dum perfricantur, donec ad vnicam tersam superficiem reddita sint. Itidem lapides tersi, & læuigati fiunt diaphani ob continuam confricationem.

Hæc Sanctorij doctrina est magis curiosa, quàm Medica. Nam quòd Cerebrum, corpus ex suâ naturâ spermaticum, frigidum humidumq;, & crassæ consistentiæ diaphanum dicatur, à ratione alienum est. Præterea aqua, de qua loquitur, non ideo tantum diaphaneitate caret, quòd in eius superiori superficie spuma formetur, sed quia nimium agitata, habet partes omnes instabiles, siue in motu, ita vt talis confusio partium violento motu causata, visûs acumen offuscet. Sed hæc, vt innui, ad perspectiuam, siue Opticam potiùs, quam ad Medicinam attinent. *Sanctorius perstringitur.*

Medicè ergo, & Physicè Galeni propositam doctrinam exponamus. Qui Ingenio, solertiaue pollent, Cerebrum habent subtile, siue tenue, quia idem Cerebrum à natiuitate habent igneâ, aereâque substantiâ refertum: idest, in prima sui conformatione Cerebrum est factum particeps ignis, & aëris, adeò vt non vltimum locum, virtute scilicet, inter quatuor elementa cerebrum componentia, ignis, & aër obtinuêre. Hæc autem duo Elementa, aqueæ, terrenæque substantie in bona quantitate commixta, Cerebrum pariunt tenue, simul atq; permeabile; ita, vt nullo negotio Spiritus quoquouersùm per idem Cerebri Corpus penetrent, & excrementa quæuis ex eodem Cerebro per conuenientes vias deturbentur. Tenuia enim, & rariora corpora, vt superiùs cum Hippocrate docuimus, ita sunt pura, ob rationes ibidem allatas, vt internis iniurijs nullatenùs sint obnoxia. Quoties ergo Cerebrum tenuis raræ- *Genuinus sensus verborum Galeni.*

que

que fuerit texturæ, se facilè ab omnibus expediet superfluitatibus, & omni impuritate vacans, suas liberè, integrèq; edet actiones; principes in se, cùm harum sit instrumentum; animales; motum videlicet, & sensum, in proprijs instrumentis.

Quomodo Cerebrum tenue, & rarum dicitur.

Cæterùm hîc minimè prætereundum puto, me non intelligere Cerebrum esse poris plenum, instar Spongiæ, dum ipsum tenue rarumq; esse asserui. Nam si hoc asseuerâsse, Cerebrum non esset densum, nec, nisi alieno corpore, spongiæ ritu, plenum: cùm tamen Cerebrum cuiuis satis densum, & benè in suis omnibus partibus, ventriculis exceptis, vnitum coactumq; videatur. Multò minùs volui, Cerebrum esse subtile, tenueue, eo modo, quo subtile crasso opponitur. Quod enim crasso opponitur tenue, exile adeò est, vt profunditate careat: Cerebrum verò, vt cuiuis constat, nullatenus hoc pacto tenue dici potest, præsertim in Homine, qui Cerebrum possidet adeò magnum, vt triplo maius bouino sit, docente inter alios Thoma Roderico à Veiga, & suffragante experientia, cui innixus Sanctorius, Hominis Cerebrum à se ponderatum, sex Boum Cerebris in pondere æquiualere comperit. Prouida sanè Natura Homini magnum concessit Cerebrum, vt in eo fæliciter innumeræ principum facultatum actiones exerceantur. Cerebrum ergo tenue subtileue dicitur, quando in eo multum est aëris, & ignis. Hanc fortassis ob causam Biliosi ingeniosi dicuntur: Etsi Melancholicos ingeniosos esse compertum habeamus. Melancholici autem singulari ingenio sunt præditi, docente Aristotele Sectione 30. Problemat. quæst. 1. Melancholici tamen Cerebrum habent crassæ consistentiæ, imò frigidum siccumque. Nec Biliosi soli, aut Melancholici, ingeniosi videntur, sed præter hos, nonnulli Pituitosi.

Hominis Cerebrum bouino triplo maius.

Hominis cerebrũ sexies bouino põderosius.

Biliosi ingeniosi.

Melãcholici ingeniosi ex Aristotele.

Cùm Homines variam habentes Cerebri consistentiam ingeniosi videantur, non placet Argenterio Galeni doctrina modò exposita de Cerebri tenuitate. Miraturq; insuper, quòd Galenus ex ingenij perspicacitate, & tarditate Cerebri constitutionem tenuem aut crassam colligat, quòdq; crassitiem, & tenuitatem, tarditatis, aut perspicuitatis causas statuat. Nam libro 8. de Vsu Part. scribit, intellectum sequi bonam Cerebri temperiem. Neq; enim, inquit Galenus, Bonitas & perfectio intellectûs multitudini spiritus animalis potiùs videtur attribuenda, quàm qualitati. Ex quo loco colli-

Argenterius Galeno semper contrarius.

Bonitatem intellectus cerebri tẽperamento tribuit Galenus.

colligit Argenterius ex temperie primarum qualitatum ipsius Cerebri, & Spirituum, intellectum variari. Item Comment. 1. in lib. 6. Epidem. scribit idem Galenus, eos esse mente læsos, qui aut nimis magno capite, aut paruo sunt. Hîc magnitudinem, & paruitatem Cerebri, & mediocritatem, causas esse ait bonæ, & malæ intellectionis. Item 24. tex. 4. Comment. 6. Epidem. scribit tardiores ad intelligendum, & agendum Homines reddi, quibus os ventriculi est frigidum: cõpatitur. n. illi Anima parti. Hinc colligit Argẽterius, ingenij bonitatẽ, & tarditatẽ à varia Cerebri structura dependere, licèt fateatur ad actiones principes eliciendas, Cerebri temperiem, & Caloris natiui bonitatem aliquid conferre. Verùm, inquit ille, quod maximum est in hac re, sumitur ex structura ipsius Cerebri, quatenùs ipsum organica pars est: Et id est, quod Aristoteles lib. 1. de Histor. Animal. & in libro de Physiognomia euidenter expressit, cùm ex frontis, temporum, nasi, superciliorum, oculorum, palpebrarum, & aliarum partium, quæ in Capite sunt, varia cõstitutione, animi mores dijudicandos esse docet.

Excedens magnitudo capitis incõcinna, & paruitas eiusdẽ malam causat intellectionem.

Oris ventriculi frigidita: tardũ reddit intellectũ.

Non imperitè hæc omnia Argenterius produxit: indoctè tamen Galeno aduersatur, quòd tenuitatis, & crassitiei Cerebri meminerit. Fateor ego, Melancholicos, Sanguineos, & Pituitosos nonnullos ingenij bonitate ornari, aliter tamen ac Biliosos: Nam hi prompta Solertia res quasuis penetrant: Melancholici verò, & cæteri pleriq; longa, assiduaq; speculatione rei cuiusuis naturam rimantur. Quod attinet ad variam Cerebri structuram, fateor & hanc actionibus fauere, vel obesse. Sed id non impedit, quominùs temperamentum, & modi substantiæ, vt tenuitas, crassities, & consimilia, edendis actionibus prosint: imò verò Galenus libro 8. de Vsu Partium cap. 13. postquàm docuit Spiritum animalem non in solis Cerebri ventriculis contineri, verumetiam magnam eius copiam in Cerebri corpore, sed potissimùm in posteriori Cerebri parte, à qua in spinalem medullã, rursùsque in neruos amandatur, Erasistratum arguit, quòd actiones nobiliores ab Homine, quàm à Brutis, edi dicat, ideò quia Cerebellum, imò totum Cerebrum habet perplexum homo. Si enim, inquit, ob talem Cerebri compositionem Homines ratiocinarentur, pariter & Asini: quoniam hi Cerebrum habent perplexum; cùm tamen sine vllo plexu aut varietate idipsum habere deberent talia stupida, & rudia animalia,

Argenterius perstringitur.

Quomodo multi ingeniosi dicũtur.

Spiritus animalis non in solis cerebri vẽtriculis, sed in eius corpore residet.

Erasistratus Arist. ex filia nepos, à Gal. carpitur.

malia, si plexibus Cerebri vis ratiocinandi tribui deberet. Concludit ergo Galenus, actiones Cerebri nõ à compositione, sed eius temperamento dependere. Melius autem fortè fuisset, inquit ille, existimare Intellectum sequi non compositionis varietatem, sed corporis, quod cogitat, atq; intelligit, quodcunq; id sit, bonã temperiẽ: neq; enim bonitas ac perfectio Intellectus multitudini Spiritûs animalis potiùs videtur attribuenda, quàm qualitati. Galenus sibi cõstans, in Opere suo de Locis affectis Cerebri temperiẽ, mentẽ appellat, volens absolutè à Cerebri temperie actiones primariò, & per se depẽdere. Huic sententiæ fauet Hipp. Lib. 1. de Diæta, vbi hæc habet: Cùm in corpore pars ignis siccissima, & aquę humidissima, æqualiter temperantur, prudentissimum quid nascitur. His manifestè Hipp. Tẽperamentũ constituit principũ actionũ authorem.

Cerebri temperiem sequitur intellectus operatio.

Temperamẽtũ principũ actionũ authorem statuit Hippocr.

Non leue argumentum ad huius doctrinæ confirmationem desumi potest ex communi Galeni, & vniuersæ Scholæ Medicæ doctrina. Omnes enim vnanimi consensu memoriæ defectum, fatuitatem, phrenitidem, Lethargum, & consimiles affectus à Cerebri intemperie prouenire asserunt. Ergo Memoria, Prudentia, Intelligentia, & consimiles actiones à temperie, intemperei contraria, principaliter dependent.

Multi morbi intemperiei cerebri. Ergo sanitas in eius temperie collocãda.

Sileant ergo Arabes contendentes, Cerebri principes actiones non à temperie, sed à Ventriculis eius emanare. Maior enim eorum pars Ventriculis Cerebri, & consequenter eius conformationi compositioniue, miras tribuit Virtutes: nam in anterioribus cerebri ventriculis Sensum communem, & imaginatricem facultatem contineri aiunt, & apertis ijsdem Ventriculis imaginationẽ fieri, ijsdemq, occlusis imaginationis cessationem succedere: Dum autem Homo discurrere cupit, ventriculi medij, & posterioris orificia reserari, quoties è contra à discursu cessare vult, tunc eadem orificia claudi. Hæc figmenta vnico verbo refutare non est difficile. Ventriculi autem Cerebri ad Hominis nutum non reserantur, nec clauduntur. Nam motus omnis nostræ voluntati obediens, musculorum ope fit: Ventriculi autem Cerebri nullos habent sibi annexos musculos. Ergo nostro arbitratu non aperiuntur, nec clauduntur. Insuper inter tertium, & quartum, siue posteriorem Cerebri ventriculum, nondum ab Anatomicis repertum est orificium, quod claudi, & reserari posset, quoties non memorandum,

Arabes cũ sequacibus perstringũtur.

aut

aut memorandum esset, vt fingunt Arabes quidam.

Cæterùm, figura Capitis, & consequenter Cerebri, concinna, dicitur esse boni iudicij indicium; sicuti figura acuminata, siue fastigiata, siuè turbinata, siue pineata, qualē habuit impudentissimus & procacissimus Thersites, Stultitiæ: nō quòd hæ figuræ bonas malasuè operationes efficiant, sed quia sunt indicia tēperati, aut intēperati Cerebri. Nā optima Cerebri, & Capitis structura ab optimo prouenerunt tēperamento in ipsa Hominis prima conformatione. Generatrix porrò Facultas, vt Hominem procreet, materiam alteratam requirit. Si verò materia fuerit temperata, effigiationem siue efformationem congruam facilè recipit. Facultas enim generatrix valida est, si temperata, & copiosa est materia: Formatrix similiter valida est. Ex aduerso materia intēperata vix benè effingitur. Vnde structuræ Capitis, & Cerebri, eiusdem Cerebri temperiem, vel intemperiē arguunt: Et ideò optimam Cerebri structurā, siue conformationē esse Hominis prudentis indicium rectè docuit Galenus lib. 7. de Placitis Hippocrat. & Platonis, ac alibi passim; non, vt dixi, quod optima Structura Capitis, aut Cerebri actiones edat principes, sed quia est optimi temperamenti Cerebri indicium. Est enim conditio, sine qua non ederet temperatum Cerebrum probas congruasque actiones.

Figura capitis concinna & inconcinna.

Thersites apud Homerū stultus.

Copiosè licèt de Cerebri tenuitate loquutus fuerim, difficultas non spernenda occurrit, quam à nemine ante se propositam iactat Hieremias Triuerus Brachelius. Difficultas hæc est: Tenuitas nulli qualitati videtur familiaris: & fortè videtur maximè propria, vt ille inquit, ipsi caliditati: exēplo sunt ignis & aër, qui sunt prætenuis substantiæ. Sed huic doctrinæ aduersatur Gal. qui lib. de Arte Medica, Cap. de Hepate, tenuitatem sanguinis in Hepatis humiditatem refert: adeòq; non soli igni, & aëri, sed etiam alijs rebus conuenit. Ex eadem hac Galeni doctrina maior adhuc nascitur difficultas circa ea quæ à nobis dicta sunt de Cerebri tenuitate. Nam Ingenium, vt ait, Cerebri tenuitatem indicat; eodem tamen libro de Arte Medica, cap. de Hepate, sanguinis tenuitatem Hepatis humidi indicium esse docuit Galenus. Vnde sic argumentari licet: Sanguis tenuis hepatis humiditatem significat. Ergo pariter tenuitas Cerebri, cuius indiciū est Ingenium, eiusdem Cerebri humiditatem arguit: quod tamen dici nequit; quoniam humi-

Dubium à Brachelio priùs oppositum, & solutum.

ditas Cerebri stoliditatem denotat: Vulgò enim dicitur, & ab omnibus receptum est, quòd ferè vnusquisq; tantum habet stultitiæ, quantum humiditatis, vt cum Brachelio loquar.

Brachelius ingenuè fatetur, se nō posse huic obiectioni satisfacere: Respondere tamen conatur tenuitatem in maiorē, minoremque distinguens; crassius tenue, tenue vocat: exactè tenue, subtile appellat. Sanguinem ergo tenuem dilutiorem, & magis humidum appellauit Galenus: & huiusmodi sanguis dilutus, siue sero prægnans, hepatis humiditatem indubiè significat. Est alia substantia tenuis, quæ subtilis dicitur, quæ constat ex tenuioribus partibus, atque hæc est, quæ subtile edit ingenium. Quantum autem inter se distent prima illa tenuitas, & secunda, quæ subtilis dicitur, constat ex aqua, aëre, & igne. Nam aqua est dilutior, tamen aër, & ignis multò tenuior, aut subtilior. Ergo corpora, in quibus humidum aqueum prædominatur, non sunt simpliciter & absolutè tenuiora, aut subtiliora: Sed verè subtilia & tenuia dicentur illa corpora, quæ aërea sunt, & ignea; & talia sunt calidiora, & ficciora humidis corporibus. Hinc concludi potest, subtile siccumque Cerebrum præclarius habere Ingenium, quàm crassum & humidum. Cauendum tamen ne statim dicamus subtile Cerebrum, bonum parere Ingenium, nisi talis substantia tenuis, illustris sit. Habet enim Corpus nostrum se ad Animam, cuius est instrumentum, tanquam speculum ad visum, & obiectam imaginem reddit exquisitiùs: sic & corpus nostrum, aut spiritus qui illinc proficiscitur, quo est tenuior atq; illustrior, eò diligentiùs & exquisitiùs Animæ obijcit, atq; exhibet species.

Veigæ solutio. Thomas Rodericus A Veiga dictam obiectionem ex Brachelio transcripsit, etsi neq; huius, neque alterius ferè vnquàm, Fernelij more, meminerit, aliter oppositis respondet. Sed, inquit, varia causa est tenuitatis substantiæ in liquido, & in solido corpore: nam in liquido, vt sanguine, tenuitatis causa est mixtio aquæ plurima: ea ideò attestatur humiditati hepatis; quia in humido hepate ob inopiam resolutionis manet serum. In solido autem corpore, quale est Cerebrum, tenuitas substantiæ magis sequitur portionem multam ignis & aëris cum defectu terræ incrassantis: ideo tenuitas substantiæ Cerebri non indicat humiditatem Cerebri, sicut tenuitas sanguinis humiditatem Capitis (voluit fortè dicere, hepatis, & non Capitis.)

Quod obiecit Brachelius de tenuitate; eam nimirum nulli qualitati esse propriam, benè pronunciauit; quia nec calori, nec frigori, nec siccitati, nec humiditati soli competit; cum videamus eandem non soli conuenire igni, nec aëri soli, nec aquæ soli, sed his omnibus, imò & terreis exhalationibus, quæ siccæ sunt.

Tenuitas tribus elementis familiaris.

Quod attinet ad propositam ex Galeno obiectionem, hanc nullam prorsùs existimo: Nam nulla est paritas in re proposita. Benè quidem inferimus, hepatis humiditatem ex sanguine nimis liquido atq; diluto & tenui, sed Cerebri tenuitatem ad eiusdem Cerebri humiditatem, tanquam ad tenuitatis causam referre nefas est. Nam nos sanguinem tenuem hepatis humidi indicium, manifestè videmus dum extrahitur; sed Cerebri tenuitatem nullo modo videmus, cùm semper nobis id occultum sit. Ergo in obiectione proposita nulla est paritas: & siqua inueniri posset, locum illa haberet in excrementis copiosis & liquidis, quæ à Cerebro alicuius excernerentur. Nam hæc Cerebri humiditatem, sicuti sanguis extractus hepatis humiditatem manifestè ostenderent.

Disparitas in obiectione inuenta.

Isti scriptores dixisse videntur, maiorem esse Cerebri tenuitatem, quàm sanguinis; quia ignis, & aer, aquâ, qua sanguis humidus diluitur, sunt tenuiores: adeoque tenue Cerebrum causa erit subtilis ingenij. In quo sanè non leuiter aberrant. Nam si Cerebrum esset tenuius sanguine diluto, tantum abest vt ab eo subtile manaret ingenium, sed ne vllo pacto ratiocinaretur Homo tam tenui Cerebro præditus. Cerebrum ergo omne ex sua natura crassum est: Sed quod tenuioris substantiæ, & quod aeris copiosi, & ignis particeps est, tenue dicitur, non simpliciter & absolutè, cùm semper omne Cerebrum crassum esse debeat, sed respectu multum crassi Cerebri. Quoties autem igneum elementum in Cerebri compositione copiosum est, idem purius redditur, & multò illustrius: quoniam calor ille in Cerebro examinat, illustrat, & si quod latet excrementum, id attenuat, absumit, & ad euacuationem disponit. Tenuitas ergo hæc, quia temperamentum sequitur igneum, aëreumq; potissimùm, ad actiones aliquo modo concurrit, sicuti pupillæ tenuitas ad visionem.

Brachelius & Veiga perstringũtur.

Intellectis cunctis hactenùs de tenuitate Cerebri propositis, nō erit intellectu difficile quod in contextu docuit Galenus, tarditatem intellectûs aut intelligentię indicare crassam Cerebri substantiam.

tiam. Craßities autem hæc non aliunde prouenit, quàm ab Humoribus aqueis, aut terreis, qui quoties in Cerebri partibus concrescunt, ipsum densius, & minùs permeabile penetrabileq; reddunt: nec enim Spiritus ipsi animales, quibus Cerebri corpus refertum est, quique sunt Animæ præcipuum instrumentum, vti passim habet Galenus, debita fruuntur puritate, & splendore; nec liberè quoquouersùm moueri possunt; nec pariter, nisi vix, & obliquè, species siue simulacra rerum cerebrū penetrare possunt. Nuncijs verò rerum, siue harum Idolis, simulacrisue, promptus introitus non concessus, tardam, si non malam, rerum intelligentiam causat. Introitus autem, & penetratio specierum, vt dixi, à Pituitosis, & Melancholicis succis, ijsque copiosis, non probè à Calore natiuo attenuatis, & rursùs excretis, prohibetur. Calor verò imbellis, aut præter naturam, superflua in Cerebro cogit, & non examinat, aut euacuat. Ad hanc doctrinam de ingenij acumine, & tarditate attinet quod scripsit Arist. lib. 2. de Part. Animal. cap. 2. vbi, postquàm de similarium partium differentijs egit, humorem esse partium earundem alimentum asseruit. Sanguinis deniq; varias proponit differentias: Alius enim Sanguis tenuior, alius craßior est: & alius syncerior, alius turbulentior; item alius frigidior, alius calidior, tam in eodē Animali, quàm in diuersis. Quantum enim Sanguinis parte Corporis superiori continetur, his differentijs discrepat cum inferiori. Omninò Animalibus alijs sanguinem dedit Natura, alijs vice sanguinis partem eiusmodi aliam. Est certè roboris efficacior sanguis, qui craßior & calidior est: vim autem sentiendi, intelligendiq; obtinet pleniorem, qui tenuior, atq; frigidior est. Hoc idem discrimen in ijs quoq; habetur, quæ sanguini proportioni respondent. Quamobrem Apes, atq; eiusmodi alia animalia ingenioßiora multis carentibus sanguine sunt: nec nō inter ea, quæ sanguinem habent, ingenioßiora suis contrarijs sunt, quæ sanguinem habent frigidiorem, & tenuiorem. Sed optimè constant, quæ calidum, tenuem, & syncerum habent: quippe quæ vnà & viribus corporis, & animæ ingenio plurimum valeant. Quapropter pars etiam superior corporis ea ipsa differentia dissidet cū inferiori, & fæmina cum mare, & dextra pars cum sinistra eiusdem corporis.

Crassa cerebri substantia ingenij tarditatē parit.

Variæ sanguinis differentiæ.

Sanguis crassus robur addit, tenuis sanguis ingenio confert.

Calidus, tenuis, & syncerus sanguis, corporis, & animi robur indicat.

Expressè his ingeniosos hos appellat Aristoteles, qui tenui sanguine

guine sunt prædití. Nam Cerebrum vnà cum reliquo corpore, sanguine nutritur, sanguinisq; naturam necessariò sapit. Sanguis verò, inquit Auerroës, Comment. cap.4. ideo est nutrimentum ipsis membris, quia est materia ipsorum, ex qua sunt generata à principio procreationis fætûs. Nam quælibet membra eius sanguinolenta visuntur in initio sui ortûs: sed vltimum nutrimentum animalis exanguis, est ipsa humiditas competens ipsi sanguini, eique proportionata. Cerebrum enim, vt in nostra docuimus Physiologia, & vt Auerroes cum Aristotele testatur, est pars Corporis frigida, & humida, sanguis verò arterialis, & spiritus per arterias ad ipsum veluti ad reliquas Corporis partes tranat; per venas similiter sanguis & spiritus ad ipsum transferuntur. Auerroës ex sententia Galeni, non solum sanguinem, sed simul spiritum per venas ferri docuit libro cit. 2. de Partib. Animal. Comment. cap.4. Cerebrum itaq; ex sua natura frigidum, sanguine tenui nutritum, tenuius & aptius redditur ad ratiocinandum; nam tunc contemperatur, & ratione boni temperamenti bonas edit actiones. Vnde Auerroes in comment. cit. cap.4. ait: Animal enim habens sanguinem sinceriorem, pauciorisq; caloris, animosius, & prudentius annotatur. Rectè quidem Auerroës dixit (pauciorisque Caloris) vt mitiget verba illa ab Aristotele prolata. Est certè, inquit, roboris efficacior sanguis, qui crassior & calidior est: vim autem sentiendi intelligendique obtinet pleniorem qui tenuior, atq; frigidior est. Hîc.n. tenuem & frigidum sanguinem acuti ingenij causam absolutè non constituit Aristoteles, sed solummodò respectu sanguinis crassi & calidi, qui carbonibus ignitis quodammodò assimilatur. Vnde qui tali sanguine sunt referti, nimio calore vruntur; & licèt ingenio polleant, ira tamen aliquoties vexantur. Comparatiuè ergo loquutus est Aristoteles, vt patet ex alijs eius transcriptis verbis, quibus absolutè pronunciauit, calidum, tenuemque, & syncerum, idest excrementis vacuum sanguinem, corporis robur, & Animæ ingenium indicare. Cap. verò 4. iuxta Auerrois ordinem, docet Philosophus, animal habens sanguinem frigidum, esse pusillanime.

Sãguis est nutrimentum, quia ex sanguine corpus confectum est.

Cerebrum frigidũ, & humidum naturaliter.

Sãguis sincerus, & temperatus animosos, & prudentes efficit.

Quomodo Aristoteles intelligendus.

Quæ modò diximus, sequenti serie exponit Aristoteles citato cap.4. Quas autem fibras vocant, non omnis continet sanguis: sed sunt qui non habeant, vt ceruarum sanguis, & damarum. Quam-

Ceruarũ, & damarũ sanguis cõcrescit, cõtra Arist. opinionem.

obrem

obrem id sanguinis genus nunquam spissatur. Sanguis enim, qui dilutior est, frigidior est: itaq; durescere non potest: qui.a. terrenus est, nimirum coit, cum humor euaporatur. Fibræ.a. illæ terræ sunt opificium. Quoniã etiã euenit, vt nonnulla ex ijs animalibus, quæ talẽ obtinent sanguinem, sapientiora sint: verùm non sanguinis frigiditate, sed potiùs tenuitate, atq; munditia, quorum neutrum in terreno est. Habent enim sensum mobiliorem, quorum humor tenuior, & sincerior est. Hinc etiam nonnulla ex ijs, quæ sanguine vacant, animalibus, prudentiora nonnullis sanguinem habentibus sunt, vt dictum iam est: v.g. apes, formicæ, & siquid aliud tale est. Timidiora, quibus sanguis dilutus nimium est: metus enim refrigerat. Itaq; ea, quibus eiusmodi temperamentum in corde habetur, metuendi affectioni sunt opportuniora: aqua enim frigore congelascit. Quamobrem cætera, quæ exanguia, timidiora sanguineis sunt animalibus, quod simpliciter dixerim, ac mota cessant præ nimio metu, & excrementa emittunt: nonnulla etiam suos colores immutant. Quorum autem sanguis fibris admodum multis, crassisq; refertus est, hæc terrena ampliùs constant natura, & animosa, iracunda, proindeq; furibunda sunt. Ira enim calorifica est. Solida autem, firmioraq; omnia concalefacta, vehementius quàm humida calefaciunt. Fibræ verò solidæ, terrenæque sunt: Itaque quasi fomenta in sanguine efficiuntur, feruoremq; per iram accendunt: ex quo fit, vt tauri, & apri animosi, iracundi, furibundique sint: sanguis enim eorum fibris refertior est. Et quidem taurorum sanguis omnium celerrimè coit, & durescit. At, si fibras detraxeris, sanguis non cogetur. Vt enim si ex luto terrenam portionem semoueris, aqua non concrescet; ita sanguis fibris detractis incongelabilis manet: fibrarum enim natura terrena est: quod, si non eximantur, cogitur vt terra humida frigore. Cum .n. calor exprimitur humor vnà trahitur, atq; euaporatur, vt dictum iam est: atque ita concrescit, non à calore siccescens, sed à frigore. At verò quamdiu in corpore continetur, humidus est propter calorem animalibus inditum. Profectò naturam sanguinis causam esse, cur permulta animalibus veniant, tum per mores, tum etiam per sensum, ratio est: materia enim totius corporis est. Quippe cum alimentum materia sit, sanguis autem vltimum alimentum habeatur: facit igitur vt plurimum differentiæ existat, si calidus aut frigidus

Sensus mobilis ijs, qui tenuem habent sanguinem.

Sanguis aquosus timidos efficit.

Exanguia sanguineis timidiora.

Sanguinis fibrosi effectus.

Fibræ solidæ, terreæ sunt.

Tauri & apri cur animosi.

Quare sanguis in corpore non concrescit.

Sanguinis naturam actiones sequuntur.

gidus sit, si tenuis aut crassus, si turbulentus, aut nitidus. Sanies pars diluta, siue aquosa sanguinis est, eò quòd aut nondum concocta, aut corrupta est. Itaq; id vel sanies necessariò est, vel sanguinis gratia est.

Præcedenti capite 3. Aristoteles alimentum omnibus ex humido, & sicco suppeditari docuit, atq; præterea caloris natiui virtute, (cuius principium tam animalibus quam stirpibus inest) alimenta concoqui atq; mutari. Prima enim alimẽtorum administratio perspicua est, cum per os, partesq; ore contentas perficiatur animalibus, quorum cibus sectionem desideret: sed hæc sectio nullius causa est concoctionis, sed facilitatem concoquendi potius præstat. Cibi enim illa minutatim diuisio facit, vt calor facilius conficiendo expediat: at superior (thoracem intelligit), & inferior venter iam cum calore naturali suo concoquẽdi officio funguntur. Sed vt os animalis cibi incõfecti meatus est, atq; etiã pars ei annexa, quam gulam appellant, cibum, quibus data est animalibus, vsq; ad ventriculum deducit: sic alia quoq; adesse principia oportet, quorum opera membra omnia corporis ex ventre, naturaq; intestinorum, quasi præsepi, pabulum capiant. Stirpes enim siue plantæ suis radicibus alimentum iam cõfectum ex terra hauriunt: quocirca ne excrementum quidem contrahi in stirpibus solet: terra enim caloreq; eius perinde, ac ventre, vtuntur. At animalium genus omne ferè, sed apertè quæ incedunt, quasi terram intra se continent sinum ventris, ex quo, vt illæ radicibus, ita hæc aliquo intercedente, cibum assumere debent, donec finem sequentis concoctionis faciant. Cibus enim ab oris officio ventri mandatur: hinc membrum aliud capiat necesse est: & quidem ita natura constituit. Venæ enim per totas lactes ad ventrem tendunt vsque, exorsæ inferius. Paulo post concludit Arist. sanguinem in venis, tanquam in vasis, esse vltimum animalis alimentum. Capite vero quarto à nobis huc translato satis exactè ea quæ capite 2. de Sanguine proposuit, examinauit, ostenditq; quemadmodũ animalia habẽtia copiosas fibras in suo sanguine, sunt iracunda, & tardè eorumdem ira reprimitur. Nam calor in fibris crassis & terrestribus semel accensus, difficulter extinguitur. Difficilius enim calor in ferro cadente contentus extinguitur, quàm ille, qui in stupa, aut palea, tenui corpore percipitur. Carbonum porrò ignis, quam

Masticatio non alimenti coctio, sed cõminutio & præparatio ad coctionem est.

Ventri inferiori vim coquendi tribuit.

Membra corporis ex ventriculo & intestinis, pabulũ capiunt. Stirpes.

Venarum principium est pars inferior ex Arist.

flamma diutiùs perseuerat, & potentius vrit: Sed hæc occasione sanguinis dicta sufficiant.

Signũ status cerebri ab Imaginati ne desumptum. Præter Ingenium, & tarditatem, alia proponit Signa Galenus, ex quibus status Cerebri colligitur. Quoties ergo aliquis facilè discit, Signum est Cerebri substantiam facilè imbui rerum idolis, siue speciebus. Hæc significauit Galenus his verbis: Discendi verò facilitas formarum (idest specierum) facilè susceptiuam. Huic adiectiuæ particulæ, susceptiuam, addere oportet, substantiam; Nam Galenus vult Cerebrum facilè discentis, esse substantiam facilè suscipientem rerum imagines. Hîc inter se Interpretes non mediocriter discrepant. Plusquam Commentator, siue Thurisanus, putat hos qui facilè aliquid addiscunt, habere substantiam Cerebri, præsertim anterioris, mollem & humidam; & ob hanc mollitiem & humiditatem faciles fieri rerum impressiones, quas citò Sensus communis, & imaginatio, vt ille cum multis loquitur, percipit. *Thurisani expositio.* Ipsius verba subijcio. Deinde cum dedit Galenus cognitionem complexionis Cerebri per operationes cogitatiuæ, vel distinctiuæ, quæ est operatio medij ventriculi; dat cognitionem eius complexionis, per operationem sensûs communis, quæ est operatio anterioris Ventriculi; & dicit (facilitas verò discendi) est signũ Substantiæ mollis, quare & humidæ: mollities enim est effectus humidi. Vult autem per facilitatem discendi, bonitatem sensûs communis: Phantasiæ vel informatiuæ operationis. Est enim facile discere, facilè imprimi ab obiectis, seu facilè informari: Hæc autem facilitas causatur à mollitie Cerebri: maximè tamen anterioris partis. Molle enim facilè impressibile.

Oddi opinio. Oddus de Oddis in eadem est cum Thurisano opinione, præterquàm quòd sensum communem ab imaginatione distinctam reiecerit.

Acakiæ opinio. Martinus Acakias nequaquam ab hac sententia recedit: Discendi enim, inquit, facilitas mollem: difficultas, duram Cerebri materiam arguit. In re enim molli, vt cera, v. g. sigillum promptiùs; in dura verò, vt lapide, aut ferro, ægriùs imprimitur.

Agricolæ. Ioannes Agricola Ammonius, parùm à dictis Authoribus recedit. Discendi, inquit, facilitas Cerebrum significat formarum facilè susceptiuum. Eiusmodi enim Cerebrum facilè excipit impressiones sensilium: quod cùm molle sit, proprium rectè dixeris

Cere-

Cerebrum, hoc molle humiditate aërea, non aquea. Quamuis humiditas aquea non ita impedit discendi facultatem, sicut promptitudinem Intellectus.

Ioannes Argenterius ab eadem sententia nullo modo recedit. *Argenterius.*

Brachelius peculiarem in hoc habet opinionem: Facilitatem nimirum concipiendi rerum imagines ab Imaginatrice facultate, ab optimo prouenire Cerebri temperamento. Cerebrum autem, instar speculi, illustre esse debet, pariter & spiritus. Quare cùm humidum Cerebrum illustre esse nequeat, nec poterit consequenter esse causa facilitatis discendi. Idem tamen Brachelius paulò post cogitur humiditatem admittere causam promptæ imaginationis, siue conceptionis rerum. *Brachelius.*

Sanctorius non aliam statuit causam, ob quam imaginatrix facultas facilè rerum imagines apprehendit, quàm Cerebri diaphaneitatem, quam etiam superiùs Ingenij causam esse protulit. Sic igitur omnem vim acutè intelligendi, quod Ratiocinatricis Facultatis munus est, & vim pariter facilè discendi, quod Imaginatricis siue apprehensiuæ facultatis officium est, Cerebri Diaphaneitati tribuit. Refert enim se diu cogitâsse, quam statueret subtilis ingenij causam, & se tandem in illam incidisse opinionem, vt omnia diaphaneitati concederet. *Sanctorij opinio.* *Ingenij acumen intellectus, discedi facilitas imaginationis soboles est.*

Sed profectò iactanter se huius opinionis authorem facit; cùm aliquo modo Brachelius rei huius meminerit, dum Cerebrum illustre speculo assimilat. Haly pariter, & Sclanus æquiualenter, eiusdem fuêre opinionis: & eam longè ante Sanctorium proposuit Argentorius, qui hac serie loquitur: Verùm, cùm videatur Cerebrum non aliter suscipere, quàm oculus colores, & specula rerum imagines, videretur causa sumenda esse ex illius substantia pura, & diaphana. Verùm ab hac opinione cogimur recedere, quòd Cerebri substantia sit opaca, densa, nihil habens perspicuum. Quare nec etiam ob raritatem recipere potest. Ecce sufficienter suppressa Sanctorij opinio; contra quam valet adhuc argumentum eiusdem Sanctorij contra Sclanum, quod superiùs à nobis scriptum est. *Sanctorij iactantia detecta.*

Dicendum igitur cum vniuersa fermè Schola Medica, Cerebri naturalem mollitiem à naturali humiditate pendentem esse facilis apprehensionis causam. Videmus enim Pueros ad discendum promptos, Senes verò ineptos; quod non aliunde prouenit, quàm *Pueri facilè, Senes difficulter discunt.*

 quòd

quòd Pueri molle habeant Cerebrum, ſenes verò durum. Addamus his molles carne eſſe alijs ingenioſiores ex Ariſtotele. Hîc obſeruare oportet, me non tribuere diſcendi facilitatem Cerebro nimis humido; quoniam iſtiuſmodi diſpoſitio ad diſcendum, & memorandum, eſt prorsùs inepta.

Diſcendi difficultas. Diſcendi facilitati, difficultas diſcendi opponitur; quæ à Cerebri duritie, aut ſaltem nimia craſſitie, aut impuritate prouenit.

Poſtquàm Galenus de functione facili, aut difficili Imaginatricis Facultatis egit, ad Memoratricis functiones progreditur. Qui memoriâ igitur pollent, Cerebrum ſtabile ac firmum habent. Per ſtabilem Cerebri ſubſtantiam, ſiccam intelligunt aliqui: meliùs tamen ſentiet qui Cerebri ſtabilitatem referet ad ſtabilem Hominis ætatem; in qua dum quis verſatur, Cerebrum eſt mediocris conſtitutionis: non enim tunc creſcit, ſicuti in primis ætatibus, nec decreſcit, ſicuti in ſenibus: nec eſt humidum, ſicuti in Pueris, nec ſiccum valdè, ſicuti in ſenibus. Compertum enim eſt, Pueros non eſſe rerum memores propter humiditatem Cerebri; nec ſenes propter nimiam ſiccitatem ſubſtantiæ Cerebri, & pituitoſa excrementa in hoc genita. In valdè quidem duro Cerebro Imaginum impreſſio non fit, aut ſi fit, leuiter id fieri contingit. Quare ex leui impreſſione memoria permodica, aut nulla. Stabile ergo Cerebrum eſt in iuuentute; in qua ideò Homines memoria pollent.

Bonæ memoriæ cauſa.

Memoriæ bonitati opponitur obliuio; quæ eſt debilitatio, aut deliteſcentia habitûs, vel Imaginis, vel intentionis reſeruatæ, aut repoſitæ. Obliuionis cauſa eſt fluiditas ſubſtantiæ Cerebri. Per fluidum Cerebrum intelligunt communiter Interpretes humidum. Galenus lib. 3. de loc. affect. morboſæ obliuionis cauſam ſtatuit Cerebri frigiditatem, quamuis morboſa adhuc à nimia humiditate prouenire queat.

Obliuionis cauſa.

Si nomine fluiditatis, Cerebri diminutionem intelligere placet, rectè ſenes obliuioſi dicuntur. Nam his Cerebrum conſumitur, teſte Hippocrate lib. 6. Epidem. ſect. 3. vbi ait: Cerebri conſumptio, ideò & caluities. Galenus in Commentario pro Cerebri conſumptione, Cerebri comminutionem intelligit: Hâc, inquit, comminutione à ſiccitate facta fiunt calui: Nam Cerebrum à ſuperiacentibus oſſibus ſinciptis, ſiue bregmatis, recedens, non amplius eadem humefacit: vnde pili deficiunt. Cerebrum quidem in

Cerebrum cõſumitur.

Caluitiei cauſa.

Iuue-

Iuuenibus, inquit Galenus, molle cùm sit, (respectu senis scilicet) atque humidum, caluariam tangere, omnemq; interiorem inanitatem complere, in senibus verò siccescens subsidensq; ab ea distare, sæpiùs in animalium dissectione conspexistis. In quibusdam nimia senectute laborantibus Cerebrum arescere docet Galenus ibidem. Non est ergo mirandum, si in senibus sensationes ineptè fiunt, sique memoriâ non polleant. Sensuum enim instrumenta attrito Cerebro neruorum principio, necessariò atteruntur atq; arescunt. Sed de his satis.

Postquàm de iudicio, apprehensione, & memoria disseruit Galenus, rursùs ait, hos, qui opinionem facilè mutant, habere Cerebrum calidum: Qui verò opinionem stabilem seruat, frigido est præditus Cerebro. Cerebro autem calidi, spiritus animales habent calidos, mobiles, & consequenter instabiles: inde opinionis mutatio: opinionem veruntamen instabilem parit adhuc humiditas: Vnde mulieres, & pueri in suis opinionibus, non nisi rarò, stabiles. Frigidum modicè Cerebrum spiritus habet quietos, rerumq; per consequens simulacra: inde opinionis firmitas. *Causa inconstantiæ in opinionibus.* *Stabilis opinio vnde.*

Capite 12. Artis Medicæ pollicitus est Galenus, se daturum alia duo Signorum genera, quibus Cerebri constitutio detegitur. Primum horum ab actionibus naturalibus, attractione, retentione, coctione, & expulsione, desumitur: Alterum verò genus desumitur ab ijs, quæ Capiti extrinsecùs adueniunt, quæque vel lædunt, vel iuuant. Sed de his duobus generibus communiter, idest promiscuè, inferiùs, dum de Cerebri Temperamentis, aget Galenus.

SECTIO V.
De Signis bonæ Temperaturæ Cerebri.

QVamquã de Insalubris Corporis simpliciter Signis pollicitus est Galenus in progressu se loquuturum, temperati tamen Cerebri Signa proponit cap. 13. Artis Medicæ, vt rursùs Cerebri intemperies inde meliùs elucescãt. Rectum enim teste Philosopho tex. 85. lib. 1. de Anima, est sui, & obliqui index. Caput ergo præfatum subijcio.

Siquidem Cerebrum sortiatur bonam quatuor primarum

qua-

Cerebrum ad iustitiã temperatũ, signa bona hactenus dicta, habebit.

qualitatum temperamentum, omnia, quæ diximus, habebit moderata: & excrementa, quæ vel per palatum, vel aures, vel nares, vel oculos expurgantur, hæc quoq; modicè se habebunt: atq; ab ijs, quæ extrinsecùs occursant, minimè lædetur, quæ scilicet, vel calefaciunt, vel frigefaciunt, vel humectant, vel exiccant. Talibus igitur capilli Capitis, cùm adhuc sunt Infantes, subrufi: cùm verò Pueri, subflaui: cùm iam adolcuerint, flaui fiunt, medijq; quodammodò sunt inter eos, qui exquisitè sunt crispi, & simplices: non tamen facilè caluitium patiuntur. Quæ verò dicuntur, ac posteriùs dicenda indicia sunt, accipere oportet, vt in bonam habentibus temperiem habitationibus. Quæ autem ad capillos attinent, non ad locorum tantùm, sed ad humorum quoque temperaturam, qui Cerebri temperaturæ proportione respondent, sunt referenda. Si verò calidius sit, quàm oporteat, in altera verò oppositione bonam habeat temperaturam, siquidem in caliditate multum excesserit, omnia quæ dicentur, validiora erũt indicia: sed, si paruus fuerit excessus, imbecilla. Communis autem hæc ratio statuatur in omnibus partibus, quarum in temperaturis vniuersis indicia sumus tradituri.

Signa hactenus exposita, quæ nimirum desumpta sunt à Capitis dispositione, comprehendente eius magnitudinem, figuram, & capillos, nec non actiones sensitiuas, motiuas, & principes, adaptat modò Galenus Cerebro temperato: idest, si debitè & congruenter se habuerint quatuor iam dicta Signorum genera, & ferè superiùs exposita, Cerebrum indicabunt temperatum: & vice versa, Cerebrum temperatum dicta omnia signa in moderata bonitate habebit. Bonam Cerebri temperaturam hîc intelligit Galenus, temperamentũ ad iustitiam, non ad pondus: Nam Cerebrum ex sua natura frigidum est, & humidum, referente Galeno lib. 1. de Temper. cap. vltimo, & alibi passim.

Cerebrum naturaliter frigidũ, & humidum.

Rursus in capite proponit Galenus signa temperamẽti Cerebri desumpta ab actionibus naturalibus, & ab ijs, quæ exteriùs occurrunt, deque capillis nonnihil dicit. In Cerebro enim temperato naturales facultates probè suo funguntur officio. Quia ergo concoctrix facultas valida est, excrementa in Cerebro non generantur copiosa: vnde modica per vias ordinarias excernuntur. Maximam Naturæ curam in expurgandis excrementis, tam Cerebri, quàm alia-

In temperato cerebro modica aceruãtur excrementa.

aliarũ partiũ, exposuit Gal. lib. 9. de vsu part.cap. 1. & cap. 3. crassorum humorum viam, quam peluim, aut infundibulũ appellant, expresse proposuit. Excrementa autem crassiora, & grauiora Cerebri, per nares, aures, & palatum excernuntur: (quia oculorum in textu Græco non fit mentio, putat Sanctorius nihil excrementorum Cerebri per eos euacuari. In quo fallitur, nam sequenti cap. 14. & in Græco codice meminit oculorum Galenus, & per eos excerni aliquid excrementi Cerebri asseuerat, & ex fletu satis cõstat.) Ossis porrò cunealis octodecim foramina: occipitij septem, palato, naribus, & auribus fermè correspondent; veluti quatuor foramina, vtrinq; in temporibus posita, & quatuor communia occipitio, cuneali, & temporibus, vt recte exposuit Sanctorius. Per dicta quidem omnia foramina Cerebrum expurgatur. Omnes tamen, vt dixi, ductus, ad os, nares, & aures fermè terminantur. Vnde per has partes nobis semper patentes, Cerebri excrementa vltimò euacuari optimè docuit Galenus.

Numerosa foramina, per quæ cerebrum se exonerat.

Naturæ curam in euacuandis excrementis accuratè proposuit Galenus lib. 9. cit. de Vsu partium cap. 1. hac serie: Vna autem naturæ ex maximis, ac præcipuis curis ea est, vt nutrimẽti excrementa ex omnibus corporis partibus purget: idque potissimum, si principes, quomodo cerebrum, hæ fuerint: Nam succi eius, qui partibus ipsis affluit, pars quidem vtilis est adeò, atque benigna, vt corpori nutriendo assimiletur, qui succus re vera est alimentum: reliqua verò pars ad membrum vsque cum benigno peruenit quidem & ipsa, at, cùm illud apponitur, segregatur: ad quam excernendam Natura meatus requirit opportunos: quos nisi nacta fuerit, aceruata ibi, primùm quidem instar oneris grauat, deinde verò prohibet, quominùs succi postea affluant, vias ipsorum præoccupando: quò fit, vt membrum ipsum nutriri non sinat. Sed hæc quidem sunt leuiora. Maiora verò his, & iam morborum instrumenta duo hæc sunt, in quæ incidere tandem corpora impura est necesse: alterum quidem est, quod, quemadmodum animalia esurientia, lutum aut aliud quiduis eiusdem generis, ita partes accommodato sibi alimento carentes ob ingenitam sibi appetentiam coguntur aliquid, vel ex ipsis prauis succis attrahere: alterum vero, quod collecta hæc excrementa tandem computrescunt, eoque modo acriora simul, ac calidiora tandem reddita indam nationes,

Magna incõmoda quæ nascũtur ex defectu euacuationis excrementorum partium omnium.

eryſipelata, herpetas, carbunculos, febres, innumerabilemque aliorum morborum turbam exuſcitant. Nequid igitur eiuſmodi accideret, & maximè in partibus principibus, Natura magnam curam adhibuit, vt ſuperflua excernerentur. Quæ cùm genere ſint duplicia (alia enim ſunt vaporoſa, ac fumoſa, alia autem velut aquoſa, ac limoſa: quorum illa quidem ſuo impetu naturali in ſublime feruntur, hæc autem deorsùm, idque etiam ex ſeſe ſuopte nutu ac pondere) duplices & ipſorum excretioni ſecuit meatus: Et eos quidem, qui leuia erant, vacuaturi excrementa, in altum duxit, qui verò grauia deorsùm repentia, meatus erant vacuaturi eos natura fecit decliues, neq; id ſolum, ſed amplos etiam admodum effecit, vt qui multorum certè, & eorundem craſſorum humorum velut riui quidam, & canales erant futuri: alios verò contra, velut foramina quædam tenuia perforauit proportione tenuitatis excrementorum. Cæterùm decliues Cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium conſpicuis orificijs, ac magnis ſenſibilia, ac craſſa eructant excrementa: vaporoſi verò ſuperflui, excretiones, tum quæ per corpus vniuerſum, tum quæ per caput fiunt, cernere planè ſemper non licet, vt quæ præ tenuitate ſenſum nonnunquam effugiant. Porrò in humidis quidem, & mollibus Corporis partibus nulla eſt præſcripta certa quędam eiuſmodi excretioni via, cùm humidum omne, ac molle corpus cedere quidem expeditè, ac viam dare ijs, quæ impetu concitatiore per ipſum feruntur, præteritis verò ijs rursùs coire, atq; in priſtinam cohærentiam repentè coaleſcere ſoleat: in duris verò corporibus, niſi via quædam prius ſit parata, tranſire per ea nihil poteſt. Et ibidem paulò poſt, ait: In cranio verò (ſic enim nominatur id os, quod totum ambit Cerebrum) conſpicuas, ac ſenſiles vias natura vaporoſis his, ac fuliginoſis excrementis ſecuit non modò propter cauſam prædictam, quæ ſanè particulis omnibus eſt communis, verùm etiam ob priuatam, quæ ſibi à ſitu ipſo accedit: nam partibus corporis omnibus Caput, velut tectum quoddam calidæ domui eſt ſuperpoſitum. Quò fit, vt, cùm omnia, quæ à partibus ſubiectis ſursùm efferuntur, fuliginoſa ac vaporoſa excrementa Caput excipiat, largiore egeat vacuatione. Viæ verò manifeſtæ, per quas fuliginoſa, & vaporoſa excreměta excerni vult Galenus, ſunt cranij variæ ſuturæ, & præterea pori cutis capitis.

Duplex genus excrementorũ partiũ.

Duplex via excretioni dicata.

Excretio craſſorum excrementorum per os, & nares.

Tenuis excreměti euacuatio.

Quan-

Quando rursùs à Causis externis, vt aëre, cibo, & potu, ac similibus, Cerebrum temperatum minimè lædi docuit Galenus, non ita intelligendus est, quasi vellet, tale Cerebrum esse impatibile; sed credidit ipsum non esse adeò obnoxium externis iniurijs, ac est quoduis aliud immodicè recedens ab optimo temperamento.

Temperati Cerebri capillos exposuit: in prima enim ætate siue infantia, capilli horum qui Cerebrum habent temperatum, sunt subrufi; quia ex humore pituitoso, quo Pueri scatent, & modica bile generantur, vt communiter aiunt Interpretes: Pueri verò, quia in eis pituita minuitur, & bilis augetur, subflauo capillitio sunt præditi: in florenti verò ætate, flauo; quoniam tunc pituita deficiente omnem ferè tincturam suscipiunt crines à flaua bile prædominante. Sed de pilorum coloribus sufficienter cum Galeno egimus lib. 4. nostræ Physiologiæ cap. 5. Galenus satis prolixè de pilorum generatione & differentijs peregit libro 2. de Temperam. cap. 5.

Tinctura capillorum vnde fit.

Hîc tamen non est omittendum, prout in contextu innuit Galenus, regiones conferre ad crinis colorem. Septentrionales enim videmus subrufo, rufo, subflauo, flauoq; crine ornari; hos autem qui sub retorrida Zona degunt, nigro crispoque. In Hispania, quam totam fermè perlustraui, nullos è virili sexu, præter paucissimos, rufos, flauosq; vidi, sed omnes nigro, aut saltem castaneo capillitio tectos. In temperatis verò Regionibus medio modo se habent crines in colore: idest præscripti colores in ijs sæpiùs contingunt: Etsi maximè humorum naturam crinium colores consequantur. Pituita autem, albicantem colorem pilis tribuit: Bilis, flauum: retorridus siue adustus humor, nigrum: Pituita dum Bilem superat, subrufum efficit: Bilis dum Pituitam, subflauum (subflauus color oui recentis luteo, siue vitello, assimilatur:) Rufus color albior & turbulentior, medius est inter flauum & album; vel inter pallidum & flauum, vt vult Plato. Iuxta Platonis doctrinam in Timæo colorum ordines sic se habent. ὠχρός .i. pallidus est color remissus: terra .n. sigillata pallida, Ochra dicitur. Deinde sequitur ὑπόπυρρος .i. subrufus: tertio loco πυρρός .i. rufus color, & est similis igneo colori fulgido. Quarto loco sequitur ὑπόξανθος .i. subflauus. Et Quintò ξανθός, id est, flauus. Colorem flauum faciunt

Varietas regionum pilorum colores & naturam mutat.

ciunt ſimilem vitellis ouorum non recentium, qui vitelli ad rubrum vergunt colorem. Vnde flauus color, rufo intenſior eſt, contra quàm voluit Auicenna.

In contextu protulit Galenus crinis figuram; aitque, eum, Cerebro exiſtente temperato, eſſe permodicè criſpum, ſeu mediæ eſſe naturæ inter pilos omninò criſpos, & omninò rectos ſiue in longitudinem ſimpliciter porrectos, Nam hi nimiam cutis, & humoris humiditatem, criſpi verò ſiccitatem excedentem cum calore vt plurimum denotant. Videmus enim corrigias, & pilos, loraque, igni appoſita corrugari; è contra in aquâ poſita rectà extendi. De criſpo pilo loquitur Galen. comm. 1. de Humoribus: Criſpi, inquit, capilli, aut propter temperaturæ ſiccitatem, aut propter meatum, in quo agunt radices, fieri ſolent. Libro 2. de Temperam. cap. 5. de ijſdem criſpis ſic loquitur: Criſpi pili fiunt, vel propter ſiccitatem temperamenti, vel propter meatum in quo radicantur: propter ſiccitatem ad eundem modum, quo corrigiæ quæ igne plùs iuſto ſiccantur. Calor.n.ſiccus pilos criſpos efficit; veluti aër calidiſſimus. Criſpi etiam fiunt capilli, quia cutis aliquando ita facta eſt dura, vt pilorum materia rectà extra cutem penetrare nequeat; quare ſub cute tantiſper latens exitum per aliam cutis partem quærit; Vnde cum radix flexuoſa, & tortuoſa interiùs facta ſit, ſimiliter & pilus extra. Et tunc, calor intẽſus, aut fuliginis vſtio, non eſt cenſenda criſpitudinis cauſa; ſed ſola cutis durities, aut imbellis expultrix quæ rectà materiam pilorum extrorſum trudere nequit, aut vtraq; cauſa ſimul. Ariſtoteles lib. 5. de generat. animalium cap. 3. capillorum rectorum ſiue ſimplicium, ſimul atque criſporum cauſas hac ſerie refert. Simplex autem criſpuſue oritur pilus exhalatione pilorum. Nam ſi fumoſa eſt præ ſua caliditate & ſiccitate, criſpum efficit pilum. Inflectitur.n.quoniam duplici delatione feratur. Terrenum enim deorſum, calidum ſurſum fertur: cumq; præ ſua imbecillitate inflecti facilè poſſit, intorquetur: quod pili criſpitudo eſt. Aut igitur ita cauſa reddenda eſt, aut quoniam parum humoris, multum autem portionis terrenæ ineſt, efficitur, vt pili reſiccati ab aëre ambiente contrahantur. Inflectitur enim quod rectum eſt, ſi euaporatur, & contrahitur, atq; conuellitur pilus, quemadmodum, cùm igne aduritur, vtpote cum criſpitudo conuulſio ſit ob humoris inopiam ab aëris continentis calore. In-

Criſpitudinis pilorum cauſæ variæ.

Criſporum & rectorũ pilorũ cauſæ, ex Ariſtotele.

dicium

dicium rei est, quod & duriores sunt pili crispi, recti, (siue simplices, & in longum, sine curuatura producti) durum.n. quod siccum est. Simplici autem pilo (.i. recto) quæ humore abundant. Fluit.n. humor in his, & non stillat. Quocirca Scythæ incolæ Ponti, & Thraces, pilo sunt promisso, & simplici. Nam & ipsi humidi sunt, & aër ambiens eos humidus est. Æthiopes contra qui loca incolunt calida, crispo sunt pilo. Siccum est.n. & cerebrum eorum, & cælum ambiens. Alia multa citato capite de varijs pilorum differentijs doctè suo more Aristoteles proponit, & Auerroes in commentario. Galenus pariter lib. 2. de temperament. c. 5. eandem materiam examinat.

Occasione cerebri temperati, crispitudinis & rectitudinis pilorum naturam scrutati sumus: vt cum Galeno ostenderemus modicam crispitudinem esse cerebri temperati indicium. Nam pili nimis crispi à siccitate & calore, aut à siccitate ipsa, vt plurimum nascuntur: rectitudo verò omnimoda pilorũ ab humiditate excedente. Temperatum ergo cerebrum mediæ figuræ pilos indicat.

De caluitie loquutus est Galenus citato capite Artis Medicæ: aitque, cerebro existente temperato, caput caluitiei non esse obnoxium: quia temperati sufficientem humorem, eumq; pinguem ad cutem capitis sincipiti superpositam transmittunt; adeoque capilli non deficiunt. Cutis.n. in temperato capite est optimè disposita, vt transitum concedat materiæ pilorum ab internis partibus & à cerebro ad eam eleuatæ: Materia deniq; pilis humida ac pinguis nullatenus deficit: facultas item expultrix, & quæuis naturalis in cerebro temperato elucent. Cum ergo caluities à defectu materiæ, aut duritie cutis sincipitis, aut ab vtrisq; simul procedat, in capite temperatum cerebrum occupante locum non obtinebit. *Caluitiei causæ.*

In capitis calce docet Galen. eò validiora esse Signa cerebri, & cuiusuis partis, quò maior & euidentior erit alicuius, aut quarundam primarum qualitatum excessus siue exuperantia supra alias primas. Idest à manifestiori excessu, aut intemperie manifestiora emergunt Signa, distinguentia naturam rei, de qua est sermo.



SECTIO VI.

De varijs cerebri intemperiebus.

DEinceps Galeni contextum de cerebri, aliarumq; principum partium intemperiebus transcribam: Nam probè intellectis ijs quæ à me hucusq; scripta sunt, nullo negotio Galeni sequens doctrina percipietur.

Signa Calidi cerebri.

DEinceps igitur signa caliditatis cerebri, præter ea, quæ nuper diximus, sunt, quòd ea, quæ circa caput, omnia rubicundiora, & calidiora, & quæ in oculis sunt venæ, magis sensui patent. Capilli quoq; in his geniti (qui sunt cerebro calidi, criniti in lucem eduntur) celeriter in capite proueniunt, & cum multum in caliditate à mediocri temperatura recesserint, nigri (quia materia pilorum vehementi calore est adusta), & robusti (quia copiosa est materia ex qua generantur pili; & quia meatus cutis à vehementi calore dilatantur, vt commodam crassitiem pili meatus perforantes suscipiant), & crispi (ob vehementem & exiccantem calorem) fiunt: cùm verò non multum (à mediocri temperamento, intemperies calida recedit,) subflaui quidem ab initio fiunt, deinde nigricant, ac progredientibus ætatibus caluitium patiuntur, atq; eò magis, quo plus modico sunt calidiores (calor enim immodicus, decursu ætatis factus acrior, cutem sincipitis, cui caro non subest, valdè exiccat, adeoq; pilorum generationem prohibet. Pili enim ex 14. methodi, nascuntur ex eo quod limosum est in succis qui per cutem transpirant. Cute ergo immodicè exiccata huic materię transitus denegatur.) Excrementa verò, quæ per palatum, & nares, & oculos, & aures, pauca & concocta ipsis existunt: cùm integram habuerint sanitatem. Cùm verò eis caput repletur: continuo enim, ac tum præsertim, cùm nullam victûs seruauerint rationem, tale quid eis accidit, plura quidem in ipsis excrementa, sed non incocta generantur, implenturque, atq; aggrauantur eorum capita à calefacientibus cibis, & potibus, odoribus, atq; hisce omnibus, quæ extrinsecùs occursant: in quorum

numero eſt, qui nobis circunfunditur aër. Sed præterea magis, ſi non ſolùm natura calida, ſed etiam humida corpora extiterint (calida enim capita vim magnam habent attrahendi ad ſe nouos humores: Vnde magis incaleſcunt). Breuibus autem ſomnis huiuſmodi temperaturæ contentæ ſunt, eiſdemq; non profundis (quia videlicet vapores frigidi, & craſſi non dantur in cerebro calido, qui poſſent meatus ad ſenſiteria vergentes occludere, vt inde ſomnus conciliaretur.)

Signa Frigidi Cerebri.

FRigidioris verò, quàm oporteat, Cerebri indicia ſunt, plura in proprijs meatibus excrementa, & capilli recti, & rufi, & ſtabiles, & qui longo poſt natiuitatem tempore naſcuntur, tenues, atque ab initio malè nutriti; & facilè à cauſis frigidis offenduntur, atque hoc ipſo offenſionis tempore diſtillationibus, & grauedinibus capiuntur: neq;, ſi tetigeris partes ad Caput attinentes, admodùm calidæ ſentiuntur: neq; ſi inſpexeris, rubicundæ apparent, & oculorum venæ omninò viſum effugiunt: & ſomnolentiores quodammodo ſunt (quia vapores ab alimentis ſurſum eleuati à frigiditate cerebri incraſſantur, & ſomnum efficiunt meatus obſtruendo.)

Signa Sicci Cerebri.

SIccioris autem Cerebri indicia ſunt meatus (Pro meatibus intelligit os, aures, & oculos, quia per hos ductus cerebrum ſe ab excrementis craſſioribus exonerat) ſuperfluitatibus carentes, & ſenſuum perſpicacitas: ſunt autem ad vigilias prompti, & capillos habent robuſtiſſimos, & qui celerrimè eis genitis innaſcuntur. Criſpi autem potiùs ſunt, quàm recti: citò autem calui fiunt.

Humidi Cerebri indicia.

HVmidioris verò Cerebri indicia, capilli plani, & nequaquàm calui fiunt: Senſus autem turbulenti, & excrementorum multitudo, ſomni multi atq; profundi. Et hæ quidem ſimplices ſunt Intemperaturæ.


Si-

Signa calidi ſicciq; Cerebri.

COmpoſitæ autem primùm calida & ſicca, ſecundum quam & ſuperfluitatibus carent, & ſenſibus vigent,& plurimum vigilant, & citò calui fiunt : & prima quidem capillorum generatio celerrima eſt , ac plurimo abundans alimento : capillos verò habent nigros,& criſpos,& tangentibus caput calidi ſentiuntur: & ſunt rubicundi vſque ad ætatem conſiſtentiæ.

Signa calidi, & humidi Cerebri.

SI verò humiditas adiungatur caliditati, parum vtriuſq; qualitatibus ſuperantibus mediocritatē, color bonus, & calor, & oculorū venæ magnæ: & plura excremēta, & mediocriter cocta:& capilli recti,ſubflaui,& nō facilè calui fiunt.Implentur v. atq; aggrauantur eorum capita à calidis:at, ſi etiam humectentur, tunc multo magis, quando & excrementorum habent multitudinem : Et ſi plurimum caliditas, atq; humiditas creuerit, his caput ægritudinibus obnoxium,atq; excrementis abundans,& quod facilè à calefacientibus, atq; humectantibus offendatur. Auſter verò ſemper eis aduerſatur, atq; optimè in Aquilone ſe habent : non tamen diu vigilare poſſunt: & cum ſe ad ſomnum conuerterint, ſimul graui ſomno (hoc eſt comate) tentantur, & vigilant, & ſomnia habent imaginationibus plena, viſus eis turbulenti, neq; ſatis ſenſibus vigent. Quod ſi multum in caliditate Cerebrum à mediocritate receſſerit, paulò autem humidius extiterit, calidæ temperaturæ indicia quidem ſuperabunt, cum quibus leuia quædam humiditatis ſigna coniungentur:veluti ſi longè quidem humidius, paulò verò calidius, vehementia quidem erunt, ac manifeſta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis verò hæc ratio in omnibus compoſitis intemperaturis exiſtit.



Signa

Signa Frigidi, & Sicci Cerebri.

FRigidæ verò & ſiccæ Cerebri intemperaturæ: quantum ex ſe eſt, frigidum, & minimè coloratum, caput reddunt: ſemper enim memoria repetenda, quæ à nobis ab initio eſt diſtinctio poſita, vt præterea aduertamus, quantum ex humorum temperatura alterentur, quæ circa ipſum conſiſtunt. Protinùs autem huiuſcemodi temperatura, venis carentes habent oculos, & à cauſis frigidis facilè læduntur. Quare & inæquali ſanitate fruuntur, quoniam nonnunquam leuiſſima habent capita, & meatus, qui ſuperfluitatibus careant: nonnunquam verò & grauedinibus, & deſtillationibus parua ex cauſa facilè capiuntur.

Senſus autem eorum in iuuentute quidem omnes vigent, atq; omni vitio carent, ſed progrediente ætate citò marceſcunt. Et, vt ſummatim dicatur, omnes celerrimam circa caput ſenectutem oſtendunt: quare & citò câni fiunt. Capilli verò ipſis quidem genitis vix exeunt, & malè nutriuntur, & rufi ſunt. In progreſſu autem ætatis ſuperante magis frigiditate caliditatem, quàm ſiccitate humiditatem, non calueſcunt. Contra verò ſi cõtigerit, ſiccitatem quidem plurimum dominari humiditati, frigiditatem verò caliditati, parum calui fiunt hi.

Naturaliter frigida, citò conſeneſcunt.

Signa Cerebri frigidi & humidi.

HVmidæ verò, & frigidæ Cerebri temperaturæ faciunt homines graui ſomno tentari, & ad ſomnum facilè conuerti, ſenſibus quoque minimè vigentes, atque excrementis redundantes, & qui Caput frigiditati, ac repletioni habent obnoxium, ac deſtillationibus & grauedinibus facilè tentantur: neque tamen hi calui fiunt. Hæc igitur indicia ſunt Cerebri temperaturæ, à quibus ſi progediaris, ad vnumquodq; ſenſorium dignotiones transferre licebit.

Frigus ſomnum efficit: humiditas ſomnũ nutrit.



De oculis.

De intemperiebus oculorum.

SEd sufficiet de Oculis duntaxat facere mentionem. Quicunque tangentibus quidem manifestè calidi existunt, & facili, ac crebro motu cientur, & venas latas habent: hi calidi omnes sunt: frigidi verò his contrarij. Et humidi quidẽ molles simul, & multa humiditate pleni: sicci .v. aridi simul, & duri. A similibus autem suæ temperaturæ causis facilè offenduntur: iuuantur autem à modico contrariorum vsu, sed hoc quidem commune in omni cuiuscunq; partis temperaturæ dignotione oportet meminisse.

De magnitudine oculorum.

MAgnitudo oculorum quidem, vbi concinnitas adsit, & operationum virtus, multitudinem benè temperatæ substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati: quæ si desint, multam quidem substantiam, non tamen benè temperatam ostendunt.

De paruitate oculorum.

PAruitas verò oculorum adiunctâ quidem cõcinnitate, paucam quidem, sed benè temperatam substantiam ostendit, ex qua sunt conformati. Si verò sociã habuerint inconcinnitatem quandam, atq; operationum vitium, tunc paucam simul, ac vitiosam materiam ostendunt.

De colore oculorum.

QVæ verò ad colores attinẽt, ita distinguere oportet. Glauci quidem oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgent, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam: contra verò nigri, & qui intermediam naturam seruant, causas quoq; intermedias habent.

De

De glaucedine, & nigredine oculorum.

GLaucus igitur oculus fit, vel propter magnitudinem, vel propter ſplendorem humoris, qui à Græcis cryſtalloides nominatur, vel propter ſitum prominentem, aut propter tenuis, & aquei humoris, qui in pupilla exiſtit, paucitatem, & puritatem: atq; omnibus quidem in vnum conuenientibus fit glauciſſimus oculus. Quòd ſi aliqua adſint, aliqua verò non, tunc maior, minorue glaucedo contrahitur. Niger verò oculus fit aut ob paruitatem cryſtalloidis, aut propter profundum ſitum, vel quoniam ſplendidus, ac fulgidus exquiſitè non eſt, vel quoniam tenuis humor (id eſt aqueus) vel ſuperabundat, vel purus non exiſtit: vel propter vnam aliquam ex his cauſis, aut propter omnes fieri conſueuit. In ipſis autem magis, & minus (vt ante diximus) reperitur. Tenuis igitur humor, quò magis ad aquæ naturam accedit, & ſuperabundat, humidiorem oculum oſtendit, quemadmodum, ſi craſſior, ac minor fiat, ſicciorem. Cryſtalloides autem, ſiquidem durior exiſtat, ſicciorem efficit oculum: ſi verò mollior humidiorem: ſic & ſi plus modico tenuem humorem exceſſerit, ſicciorem: ſi autem defecerit contrarium.

Glaucus color, quibuſdam cæſius, & cæruleus, ac marinus; alijs cæleſtis, lucidus, ſplendidus, & felinus appellatur. Glaucus oculus dicitur à noctuæ oculis quæ glaux vocatur, & oculos habet lucidos, & ſplendidos: qui ſplendor ab humoris criſtallini ſplendore fulgoreq; paucum purumque, aqueum humorem illuſtrante, potiſſimum prouenit Canini verò, ſiue nigri, ſiue obſcuri oculi fiunt, propter humoris aquei copiam vel impuritatem, & humoris glacialis ſiue criſtallini exiguitatem, aut permodicum ſplendorem. Glaucus tamen color, iuxta Platonem, quem in multis ſequitur Galenus, ex albo & cæruleo componitur.

Quidquid hucuſque de cerebro & capite ſcriptum eſt, ita Medico congruit, vt nihil magis. Nam præterquam quòd tota hæc doctrina cerebri diſpoſitionem accuratiſſimè expoſuerit, hominum mores & naturalem inclinationem nos docet. Neceſſitatem eiuſdem doctrinæ indicat Galenus Comment. 1. in lib. 6. Epidem. textu 37. Declaratum eſt enim, inquit, in libris de tuenda ſanitate,

non mediocrem vtilitatem ex huiusmodi cognitione percipere, & ad seruandam membri sanitatem, & ad futuram vitij emendationem, siquando didicisse prius acciderit. Dicto ergo loco à ceruice exorsus, ait ceruicem validam, robustam nominari, ob duritiem videlicet & magnitudinem vertebrarum, quibus constat: ita quoq; se habent ipsi circumpositi musculi, tendones, & copulæ siue ligamenta. At longæ ceruices, tantum abest vt vi aliqua polleant, vt etiam prorsus vitiosæ sint, perinde atq; angustum longumque pectus: quandoquidem id amplum esse, non latum duntaxat, aut longum, oportet. Amplum autem in lati profundiq; dimensione, pectus, collum, & aliud quodq; membrum consistit, cum proportione inter se cõgrua ea aucta fuerint: in ipsis verò prorsus, & longitudo, aut maior est, aut æqualis ijs, quæ moderatè se habent. Hominum quidem nobis obuiam venientium pectora non priùs apparent, quàm eorum corpora nudata fuerint: sed caput illico aspicimus, & quodnam in formatione, ac magnitudine vitium habeat, cognoscimus: in magnitudine, si minus sit, aut maius quàm conueniat: in formatione, si exquisitè rotundum sit, frontis occipitijq; prominentia carens penitus: aut acutum productiores, quàm deceat, eminentias habens, aut vtrasque, aut alteram tantùm: aut vna duntaxat eminentia præditum, altera verò priuatum. In maiore itaq; capite, & acuto, & excessus quantitas consideranda est, & ipsius ceruicis excellentia, vt ipsis meliusue, an deterius caput formatum sit, dignoscere valeamus. Sed in capite euidenter paruo paruitatem quidem nouisse opus est: & ea præterea quæ ad collum pertinent ex abundanti consideranda: quoniam perinde ac truncus, dorsi spina ex capite tanquam ex radice progerminat. Alibi.n.didicisti, medullæ dorsi à cerebro, & ortus initium, & facultatum copiam suggeri: hanc medullam vertebræ includunt tenuem quidem, pusillæ: crassiorem autem factã, ampliores. Quemadmodum igitur magnum pectus, ampla interius cauitate inane est, in qua duo magna viscera, pulmones scilicet, atq; cor, nulla ex parte compressa continentur: perinde & exiguum pectus proportione sibi respondentia hæc viscera continet, exigua videlicet, & in angustijs versantia: haud aliter caput & dorsi spina magnitudine respondentia, & cerebrum & medullam includunt. Cum.n.membra hæc grandiora sunt, & cerebrum & medullam ampliores, la-

tioresq; spiritus cauernas in ipsis efficiunt: at si pusilla fuerint, contrarium euenit. Vis præterea cogitandi ijs, qui aut nimis magna capita, aut nimis exigua euidenter possident, oblæsa est. Sed exigua capita semper praua sunt: magna verò, licet rarò, nonnunquam tamen & bona fuerint, & ob facultatis eorum formatricis robur, & ex materiæ, vnde creata sunt, vbertate: quali capite Pericles Atheniensis vir prudentissimus fuisse traditur: Vnde & Comici eius capitis magnitudinem dicterijs lacessunt. Præterea verò magis grande caput bonum sit, si & naturalem figuram retineat, & ceruicem validam, & oculos acutè cernentes habeat: tunc enim optimè huiusmodi, caput sese habere sciendum est. Hæc & alia citato contextu Galenus.

Hîc dixit absolutè Galenus, caput paruum esse semper malum. Nos tamen superiùs docuimus caput concinnum & pulchrum esse bonum. Cui obiectioni respondeo concedendo omne caput paruum esse malum; caput tamen paruum concinnum, esse minus malum paruis inconcinnis. Quando verò dixi caput paruum esse pulchrum si concinnum, tunc pulchrum pro concinno & benè proportionato accepi: non .v. pro pulchro quod actionum integritatem præter concinnitatem significat. Sed hactenus de capite & cerebro, modò ad Signa aliarum principum partium progrediamur.

CAPVT XI.
De varia Cordis constitutione.

DE Cordis autem temperaturis deinceps dicendum est; si priùs hæc in memoriam reuocauerimus, quod vnamquamq; partem seipsa, vel calidiorem, vel frigidiorem, vel sicciorem, vel humidiorem dicimus factam, non alicui rei alteri comparantes, sed ad seipsam. Sic enim, vtcunq; extiterit Cor naturâ frigidissimum, multò sanè calidiorem temperaturam possidebit calidissimo Cerebro.



Signa Cordis calidi.

Vbi cor calidũ est magna respiratio requiritur, vt aër refrigerans inspiretur, & fuligo copiosa expiretur.

Motus arteriarũ eadem arguit necessitatẽ.

Calor potẽs tho a ẽ, & reliqua dilatat: frigus vero constrictat.

CAlidioris igitur Cordis, vt ad modum, qui ei proprius est, atq; conueniens, (seu quatenus ad suam mediocritatem refertur) indicia quædam sunt inseparabilia, & propria, magnitudo respirationis, & pulsûs velocitas, & frequentia: & audacia, & ad actiones natura prompta. Quod si multum in caliditate excesserit, tunc iræ præcipitatio, & furibunda temeritas adsunt. Est autem his thorax hispidus, & præsertim pectus, & quæcunque hypochondrijs partes proximiores. Magna verò ex parte calidi calidis temperatura vniuersum corpus calidum reddit, nisi hepar vehementiùs obstiterit. Dicemus autem paulò inferiùs totius Corporis indicia. Est quidem & latitudo thoracis, caliditatis indicium, nisi & hîc quoq; cerebrum multum obstiterit, (cerebrum sua frigiditate potest temperare partes quas cor caletacit: hepar similiter) quoniam ei magna ex parte spinalis medulla in magnitudine respondet: tantæ verò erunt magnitudine vertebræ, quanta & spinalis medulla, quare & spina vniuersa. Configitur verò thorax ad eam spinæ partem, quæ Metaphrenum, idest dorsum dicitur, tanquam ad carinam nauis. Quare necessariò eius longitudo æquabitur dorso: latitudo verò erit pro vertebrarum ratione, quando ad proportionem earum crassitudinis fuerit confixus. Cùm verò Cordis caliditas superans perflauerit, ac dilatauerit, in primo sui ortu thoracem, erit eiusdem caliditati proportione respondens. Quare cùm Caput paruum, thorax autem latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit cordis caliditatis indicium: cùm verò magno existente capite paruus fuerit, proprijssimum hoc erit Cordis frigidioris signũ: si verò capiti fuerit proportione respondens, tunc alijs signis de Corde distingues, ex ipsius thoracis amplitudine nihil assumens.

Caput paruum, & magnus thorax, & viceuersa quid indicant.

Signa Cordis Frigidi.

Nec magnus est pulsus, nec respiratio vbi calor non vrget.

IN frigidiore verò Corde pulsus minores existunt, quàm modò naturę conueniat: non tamen necessariò tardiores, vel rariores. Respiratio autem, siquidem thorax tanto minor extiterit,

terit, quãto Cor frigidius, pulsibus erit proportionalis. Si verò maior fuerit, quàm pro frigiditatis quantitate, non minor est tantum, sed etiam tardior & rarior. Tales autem timidi naturâ sunt, & sine audacia (hæc à calore, timiditas à frigore) & segnes, & nudum pilis habent pectus. De eius verò paruitate distinguendum, vt diximus priùs. Eodem modo, & de totius corporis caliditate.

Natura timidi.

Signa Cordis Sicci.

COr autem siccius pulsus efficit duriores (quia arteriæ sunt siccæ) & iram non promptam quidem (in sicco subiecto impressio difficulter fit, sed semel facta diu durat), sed feram, & quæ non facilè sedari queat, magnaq; ex parte vniuersum Corpus siccius existit, nisi hepar obstiterit.

Signa Cordis Humidi.

COrdis verò humidioris signa, pulsus molles, & mores ad iram quidem procliues, sed talem, quæ facilè sedari possit (quia impressio in humido subiecto facilè fit, facilèq; deletur): & vniuersum corpus humidum existit, nisi hepar obstiterit. Secundùm verò coniugationem qualitatum primarum Cordis intemperaturæ ita se habent.

Signa Cordis Calidi, & Sicci.

CAlidi, & sicci Cordis pulsus duri sũt, & magni, & veloces, & frequentes: & respirationes magnæ, & veloces, & frequentes, & multò magis ad velocitatem, ac frequentiam vergunt, thorace cordi non aucto proportionaliter. Hi verò præ cunctis pectus habẽt maximè hirsutũ, & hypochondria. Ad actiones autem prompti sunt, & iracundi, & celeres, & impudentes, & mores tyrannicos habent: etenim sunt in iram præcipites, non facilè verò placabiles. De totius autem Corporis temperatura, & thoracis amplitudine, his, quæ ante diximus, proportionaliter est distinguendum.

Pilorum copia maior, à magna fuliginũ copia, quæ in calidis generatur prouenit.

Si-

Signa Cordis calidi, & humidi.

Ex Galeno lib. 2. metho. cap. 4 corpora calida & humida naturaliter, nec perflata, nec vẽtilata ĩ calido humidoque loco, putrefcunt. Ex Arist. lib. 5. de gener. anim. cap. 5. flatus putredinem prohibent: operimentum autem flatum arcet.

SI verò caliditas vnà cũ humiditate dominabitur, minùs quidẽ his, quos antea diximus, hi funt hirfuti, ad actiones verò nihilominùs prompti, non tamen ferus eft animus, fed ad iram procliuis tantummodò. Pulfus verò magni, ac molles, veloces, & frequentes exiftunt. Et refpiratio, cùm thorax Cordi fuerit proportionalis, eandem pulfibus formam feruabit: fi verò minor extiterit, tanto illis velocior erit, & frequentior, quanto & thorax minor extiterit. Si autem multa facta fuerit euerfio intemperatura, ac fi hoc præfertim in humiditate contigerit, præter ea, quæ diximus, contingent etiam ex putredine morbi, his, qui in ipfis fuerint, humoribus corruptis, ac putrefactis. Expirationes autem maiores funt ac velociores infpirationibus, & fubmiffio arteriæ in pulfibus velox.

Signa Cordis humidi, & frigidi.

HVmidioris verò, & frigidioris cordis pulfus quidem molles: Moribus autem nequaquàm audaces, fed timidi, & fegnes exiftunt. Tales etiam glabrum pectus habent, minimèq; irã retinent, ficuti & ad iram non admodum funt prompti. Quæ verò ad thoracem, & vniuerfum attinent corpus, diftinguere oportet, ficuti ea, quæ ante diximus.

Signa Cordis frigidi, & ficci.

FRrigidius verò, & ficcius, pulfus quidẽ duros reddit, & paruos: refpirationem autem, fiquidem thorax paruitatem Cordis frigiditati proportionalẽ habuerit, moderatam: fi verò maior extiterit, raram ac tardam. Hi verò præ omnibus minimè ad irafcendum prompti: cùm autem coacti fuerint irafci quibufdam, retinent iram. Habent autem maximè omnium nudum pilis pectus. De paruitate autem thoracis, ac præterea totius corporis frigiditate fimiliter diftinguendum. Vnum illud commune præter dicta omnia nobis memoriá repetentibus, quòd, quæcunq;

de

de moribus siuè nunc, siue quouis alio sermone explicata, sunt ad temperaturæ cognitionem, non de probis moribus, aut vitiis sis, qui ex Philosophia Hominibus adueniunt, sed de insitis vnicuique ac naturalibus à nobis sunt exposita.

CAPVT XII.

De varia Hepatis constitutione.

Signa calidi Hepatis.

HEpatis calidioris indicia, venarum latitudo, flaua bilis abundantior, in consistenti verò ætate, etiam atra: calidior ipsis sanguis, atq; eâdem ratione corpus vniuersum, nisi obstiterit Cor. His venter, & hypochondria hirsuta. *Cor frigidũ hepatis calorem mitigat in vniuerso corpore.*

Signa Hepatis frigidi.

FRigidioris verò, angustia venarum, pituita abundantior, sanguis frigidior, & totius Corporis habitus, nisi à Corde calefiat. Venter illis glaber est, atque hypochondria.

Signa Hepatis Sicci.

SIccioris autem, sanguis quidem crassior, & minimè abundans, venæ duriores, & totius Corporis habitus siccior.

Signa Humidi Hepatis.

HVmidioris autem, sanguis quidem abundantior, atq; humidior, venæ autem molliores: ita verò & vniuersum corpus, nisi partes ad cor attinentes obstiterint.

Signa Calidi & sicci Hepatis.

CAlidioris verò simul, ac siccioris hepatis indicia, hypochondrium hispidissimum, sanguis crassior simul, ac paucior, flaua bilis plurima est, consistente autem ætate, &

atra:

atra: venarum item latitudo & durities. Sic verò & vniuersum corpus se habet. Nam, quæ ex Corde caliditas originem habet, potest obtundere eam, quæ ab hepate nascitur, frigiditatem: sicuti & frigiditas caliditatem: siccitatem verò non potest humidius Cor ad contrarium habitum transferre. Media verò inter has, quæ dictæ sunt, ea, quæ ab hepate humiditas oritur. Magis enim à Cordis siccitate superatur, quàm siccitas ab humiditate, minùs autem à caliditate, adhuc verò multò minùs frigiditate. Hæc enim inter omnes qualitates, quæ ab hepate proueniunt, facillimè vincitur. Liquet autem, quòd, cùm in vnum conuenerint vtriusq; principij temperaturæ, totum exquisitè secundùm illas afficitur corpus, paulò verò inferiùs ipsorum dicentur indicia.

Signa Hepatis calidi & humidi.

HVmidius autem, ac simul calidius hepar, minus quidem, quàm calidius & siccius, hypochondria reddit hispida. Plurimum verò sanguinis, & venas amplas, habitumque calidiorem, atq; humidiorẽ facit, nisi obstiterit Cor. Si verò amplius in ambabus qualitatibus à naturæ modo recedat, à morbis, qui ex putredine, ac vitiosis humoribus fiunt, facillimè capitur. Adhuc autem magis, si plurimùm augeatur humiditas, caliditas verò parum. Si autem contra, parum quidem humiditas crescat, plurimùm verò caliditas, minimè vitiosis humoribus laborant.

Signa Hepatis humidi & frigidi.

HVmidius autem & frigidius hepar habet hypochondria glabra, sanguinem verò pituitosum generat, cum venarum angustia: sic & reliquum habet corpus, nisi à Corde ad contraria transferatur.

Signa Hepatis frigidi & sicci.

FRigidius autem, & siccius hepar cum pauco sanguine, & venarum angustia efficit corpus, atq; frigidius, & hypochondria glabra, nisi & hîc Cor dominetur.

Ca-

CAPVT XIII.

De varia Testiculorum constitutione.

Signa calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ temperaturæ Testiculorum.

TEmperatura verò Testiculorũ, calida quidem ad Venerẽ procliuis, & masculorum generatrix, & fæcunda, celeriterq; genitales partes obsepit pilis, simul autem & circumiacentes attingit partes: frigidior verò contraria efficit. Et humida quidem multo, & humido semine abundat: sicca paucum, & modicè crassum generat semen.

Signa calidæ, & siccæ temperaturæ Testiculorum.

CAlidior verò, ac siccior, & crassissimum semen habet, & fæcundissima est, ac celerrimè ab initio protinùs ad coitum excitat animal (quia temperamentum calidum, & siccum citius semen conficit: & hoc calidum, & siccum extans, celeriùs prurit, & facultatem expultricem ad sui excretionem stimulat). Itaq; & his genitales partes citissimè hispidæ fiunt, atq; omnes, quæ circumstant, supra quidẽ vsq; ad regiones, quæ ad vmbilicũ sunt, infra verò vsq; ad media femora. Petulca igitur est, & ad libidinem prona huiuscemodi tẽperatura, statim verò satiatur, quia tali temperatura prædit modicum continent semen, quo euacuato, illicò satisfit illis, & si cogatur, offenditur.

Signa calidæ, & humidæ temperaturæ Testiculorum.

SI autem caliditas humiditati coniungatur, hirsuti quidem tales minùs, plùs verò semine abundant, non tamen plus cæteris appetunt, sed minori detrimento præter modum Venereis indulgent. Quod si satis excreuerint, & caliditas, & humiditas, non sine detrimento à Venereis abstinent.

Signa frigidæ, & humidæ temperaturæ Testiculorum.

SI verò frigidiorem, & humidiorem temperaturam testiculi habuerint, partes circumpositæ glabræ sunt, & tardè rem Veneream exercere incipiunt, neq; proni ad actum huiusmodi sunt. Aquosum verò & tenue ipsis semen, & parum fæcundum, & fæminarum generatiuum, vel omninò non generans.

Signa frigidæ, & siccæ temperaturæ Testiculorum.

FRigidior verò, & siccior temperatura similis quidem in reliquis est antedictæ, crassius verò in ipsa semen existit, atq; omninò paucum.

CAPVT XIV.
De varijs Corporis Temperaturis.

De Habitu totius Corporis.

TOtius autem Corporis habitus, diximus & superiùs, quomodò & Hepatis, & Cordis naturam sequatur. Ei autem magis assimilatur, quod vnã aliquam ex primis qualitatibus potentiorem habuit, quas & effectiuas appellant. Totius verò Corporis habitus in illis maximè dicitur partibus, quæ primæ oculis subijciuntur. *Habitus corporis.* Sunt verò hæ, musculi, qui omnia ambiunt ossa, carnes quædam compositæ ex prima, & simplici carne, & præterea fibris, quibus innascuntur. Propria enim musculorum substantia his duobus constat; quæ verò ad ipsos vasa pertingunt, veluti riui quidam sunt, qui non eorum substantiam complent, sed eis subministrant, vt in vita permaneant. Dicentur igitur & horum temperaturæ indicia in benè temperata habitatione. Nam, quæ malè temperatæ sunt, cutem permutant ex seipsis formantes, & quædam ex indicijs corrumpunt. Ita & in benè temperata Regione, si quis se tempore æstatis nudum Soli exposuerit, permutabit

bit indicia, quæ ex colore, & duritie, & mollitie sumuntur. Si verò, quemadmodum bonam temperiem obtinet locus, ita & ipse benè temperato victu vsus fuerit, vt qui neq; se nudum singulis diebus in Sole plurimum torrefaciat, neque, sicuti plerique, more puellarum, continuè in vmbra degat, hic certa, atque exquisita temperaturæ indicia præ se feret. Tanquàm igitur de hoc futurus sit sermo, nunc ad ipsum accedemus.

Signa moderatæ Temperaturæ.

MOderatæ Temperaturæ indicia secundùm totum animalis habitum: color quidem ex rubro & albo commixtus, Capilli verò flaui, & plerunq; mediocriter crispi: Carnositatis autem mediocritas in qualitate, & quantitate. Medium est enim exquisitè huiuscemodi Corpus inter omnes excessus, vt qui ad ipsum dicantur, & intelligantur. Nam & crassum corpus ad hoc comparatum dicitur crassum, & tenue ad hoc eodē modo: & carnosum, & macilentum, & pingue, & durum, & molle, & hispidum, & glabrum. Nullum igitur horum corpus est mediocritatem habens, sed, qualis Polycleti regula, ad summum totius peruenit mediocritatis, adeò, vt neq; tangentibus molle videatur, neq; durum, neq; frigidum: inspicientibus verò neque hirsutum, neq; glabrum, neq; crassum, neq; tenue, aut aliquam aliam habens immoderationem.

De Corpore calidiore.

QVæcunq; autem in caliditate à medio recedunt, non tamen humiditate, vel siccitate, hæc, quantum ad carnosum genus attinet (de hoc enim præsens est sermo) videntur quidem tangentibus calidiora tantùm, quantùm & eorum temperatura calidior. Tanto verò magis hirsuta sunt, quanto & calidiora, & minus pinguedinis habent. Colorem autem rubrum, & capillos nigros habent.



Signa frigidæ Temperaturæ.

FRigidioris autem temperaturæ indicia ſunt, pilorum carentia, pinguedo,& frigiditas, quæ tangentibus obuiat. Color autem vnà cum capillis etiam rufior,& vbi multa frigiditas adfuerit, liuidus, quodammodò exiſtit, quem nonnulli Medici colorem plumbeum appellant.

Signa ſiccæ Temperaturæ.

SIccior autem temperatura tanto gracilior eſt, & durior bona temperaturâ, quanto & maior eſt ſiccitas: in reliquis autem eodem modo ſe habet.

Signa humidæ Temperaturæ.

ET humidior etiam in reliquis quidem eodem modo ſe habet: meliùs autem carnoſa, & mollior. Et quidem ſecundùm coniugationem qualitatum primarum factæ intemperaturæ compoſitam habent indiciorum formam.

Signa calidæ, & ſiccæ Temperaturæ.

CAlidior ſimul, ac ſiccior, hirſutior, ac calidior, & durior exiſtit, & pinguedine caret, graciliſq; eſt, & capillos nigros habet. Si verò multum in caliditate excedat, color quoq; niger illi adeſt.

Signa calidæ & humidæ Temperaturæ.

CAlidior autem, & humidior Temperatura, mollior & calidior, & carnoſior tanto eſt bona Temperatura, quantum & vtriſque qualitatibus aucta fuerit. Quòd ſi plurimum augeatur, citò ſimiliter à putredinis corripitur morbis, quoniam & humorum vitio promptè laborat. Si verò parum quidem humidior ſit, multo verò calidior, molliores quidem parum huiuſce-

iuſcemodi ſunt his, qui bonam habent temperaturam, & magis carnoſi, non parum verò hirſutiores, & tangentibus non parum calidiores. Nigri verò eis capilli, & caro pinguedine caret. Si verò paulò quidem calidior, multò verò humidior, mollis his caro eſt, & multa, & color commixtus eſt ex albo, & rubro, & tangentibus paulò calidiores. Et, vt ſummatim dicatur, omnibus temperaturę coniugationibus ſemper ſuperexcedentis qualitatis indicia eminebunt.

Signa frigidæ, & humidæ Temperaturæ.

FRigidior autem, atq; humidior temperatura, ſi parum quidem vtraque augeatur, capillis nuda eſt, & alba, & mollis, & craſſa, & pinguis. Si verò magis exceſſerit, reliqua quidem ſunt ſecundùm proportionem augmenti qualitatum, color autem vnà cum capillis rufus, quemadmodùm ſi plurimùm vtraq; augeatur, liuidus. Si verò qualitatum augmentum fuerit inæquale, eius, quæ ſuperexceſſerit, indicia eminebunt.

Signa frigidæ, & ſiccæ Temperaturæ.

SI autem frigiditas, vnà cum ſiccitate æqualiter augeatur, naturâ durum, ac gracile, & glabrum corpus habent, & tangentibus frigidum, pinguedo tamen ipſis, etſi graciles ſint, per carnes diſperſa. Capilli autem, & color frigiditatis modum, ac proportionem ſequuntur. Vbi verò calida & ſicca temperatura in tempore decrementi in frigidam & ſiccam labitur, tunc horum habitus gracilis quidem ſimiliter eſt, & durus: eſt verò etiam melancholicus, & ob id niger ſimul, & hirſutus. Vbi igitur altera qualitas multum dominatur, altera verò parum à mediocritate recedit, ſuperabunt eius, quæ dominatur, exilia autem erunt alterius qualitatis indicia. In omnibus verò, de quibus ſupra diximus, & poſtea dicemus, commune eſt temperaturæ indicium, ſi membrum facilè frigeſit, vel frigiditatis, vel raritatis: ſi verò non facilè, vel caliditatis, vel denſitatis: Si verò à deſiccantibus offendatur, & aridum, & ſiccum, & non facilè mobile fiat, ſiccitatis: quemadmodum, etſi ab humectantibus grauiter ſe habeat, humiditatis,

ditatis. Inspicere autem oportet, si eandem omnes musculi seruant temperaturam, vel minimè eandem, atque in omnibus simul animaduertere subiectorum ossium quantitatem. Nonnunquàm .n. gracilius videtur membrum, cùm tamen non sit gracilius, quod ad musculos attinet, sed propter ossium tenuitatem tale videtur. Sic & crassius quibusdam plerumque apparet, non ob ossium amplitudinem, sed ob multitudinem carnis: quæ vel aucta, vel comminuta, vel durior, aut mollior effecta, siccius, aut humidius membrum ostendit: Pauca igitur, ac dura, siccius: multa autem, & mollis, humidius. Sic & intermedia spatia similarium corporum, vt plus, vel minus humidæ substantiæ in seipsis continent, vel crassius, vel tenuius, & humidius, vel siccius membrum ostendunt: Humidius quidem, vbi subtilior, & copiosior est humiditas: siccius verò, vbi crassior simul, & minor. Ipsæ enim solidæ corporis partes, quæ verè solidæ sunt, ac primæ, nullo modo possunt effici humidiores. At satis est, si quis eas celerius exiccari prohibeat. Intercepta autem in ipsis spatia, hac, vel illa humiditate complere possibile. Hæc verò est proprium partium similarium alimentum, quod ex appositione fit, & non per vasa attrahitur. Communis autem hæc ratio, & omnium similarium partium existit. Et iterum in salubrium, atq; insalubrium causarum doctrina repetetur. Nunc autē ea, quæ ordine sequuntur, attingamus.

CAPVT XV.
De varia Ventriculi constitutione.

Signa Sicci Ventriculi.

VEntriculi indicia, eius quidem, qui naturâ siccior existit, si celeriter sitibundi fiant, & paucus eis sufficiat potus, (quia mediocris est exiccatio facta supra naturalem statum; qui, vt se conseruet, pauco potu est contentus) à copiosiore autem aggrauentur, fluctuationibus infestentur, aut superfluitet id, quod abundat, & cibis delectentur siccioribus.

Si-

Signa Humidi Ventriculi.

HVmidioris autem, si neque sitibundi fiant, & superabundans humidum facilè tolerent, & cibis gaudeant humidioribus.

Signa Calidi Ventriculi.

CAlidior verò naturâ Ventriculus meliùs quidē concoquit, quàm appetat(ex Arist. lib 4.meteoror.concoctio est opus caloris proprij: calidi tamen ventriculo nō benè appetūt, nam frigus ventriculi orificium corrugando appetitum excitat; Vnde tempore hyberno, & in partibus septētrionalibus, appetitus est validus. Calor verò emollit & dissoluit corpus, laxumq; reddit, quò minùs attrahere possit: humores præterea eliquat funditque calor; qui eliquati quoquouersum fluunt, partiumq; spatia replent; sed potissimum ventriculi: qui calidus factus appetitu caret. Galen. autem libro de causis morbor. c. 7. testatur ipsum aerem calidum & humidum fundere & eliquare, adeò vt retentricem laxet facultatem.) & multò magis quæcunque dura sunt, & non facilè alterationem suscipiunt. Nam, quæ facilè alterantur, in ipso corrumpuntur: (vnde patet vitellos ouorum, & consimilia teneriora alimenta ventriculo calido febricitantium, ad quem bilis ab hepate non rarò amandatur, & in quo bilis adhuc procreatur, minimè conferre: Nam à calore vrente, aut putrescente facilè corrumpuntur, & non coquuntur; Quare refrigerantia tunc ventriculum roborantia, exhibenda:) gaudetq; calidis potibus, ac cibis: neque à frigidis vllam percipit noxam, si modicè ipsis vtatur.

Signa Frigidi Ventriculi.

FRigidior verò naturâ Ventriculus, ad appetendum quidem plurimum viget, ad concoquendum autem minimè, præsertim cibos, qui non facilè alterationem suscipiunt, & frigidi sunt. Citò itaq; in ipso acescunt, atq; ideò acidis eructationibus talis ventriculus abundat: & gaudet quidem frigidis, sed ab

eo-

eorum vſu immodico facilè offenditur. Ita & ea, quæ extrinſecùs frigida occurſant, nequit longiore tempore tolerare, quemadmodum neq; calidus calida. Malæ verò temperaturæ, quæ morbi ratione Ventriculum occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales exiſtunt, quoniam contraria, non autem ſimilia appetunt, quemadmodùm naturales.

De malis Temperaturis in Ventriculo coniugatis.

MAlæ autem Temperaturæ in Ventriculo coniugatæ, ex compoſitione ſimplicium cognoſcētur. Oportet autem eas, quæ iam ſunt dictæ, diligenter aduertere, eaſdem ab his, quæ dicentur, diſtinguentes. Non ſolùm enim Ventriculus ſitibundos, & minimè ſitientes facit, & frigidi calidiue potûs appetentes, ſed ea quoq; viſcera, quæ in thorace ſunt, vt Cor, & Pulmo. Sed qui ob horum ſitiunt caliditatem, plus inſpirant, & lōgius expirant, atq; æſtum in thorace ſentiunt, non ſicuti qui Ventriculi ratione in hypochondrijs caliditatem patiuntur: & cùm potauerint, non ſtatim ſedatur ſitis, & magis ſedatur ſitis, cùm frigidum hauſerint, quàm cùm calidum nimis. Refrigerat autem eoſdem, & frigidi aëris inſpiratio, quæ nihil eos iuuat, qui ventriculi ratione ſunt ſitibundi. Ita & hi, qui contrario modo ſe habent, à frigida inſpiratione ſenſibiliter moleſtantur. Dum dixit ſitim à cordis etiam, & pulmonis calore aliquando excitari, clarè ſignificauit ſitim in renibus non fieri, vt à quibuſdam perperam aſſertum.

CAPVT XVI.
De Pulmonum Intemperie.

Signa Pulmonis frigidi.

ET hoc maximum ſit frigidi Pulmonis indicium. Vti verò frigidum inſpirantes manifeſtè moleſtiam ſentiunt, & frigiditatem, ita & caliditas eſt ipſis amica. Sed & pituitæ excrementa cum ſcreatu, & tuſſi expuunt.

Si-

Signa Pulmonis ſicci, vel humidi.

PVlmonis autem ſiccitates excrementis vacant, & pituita, & vocem claram efficiunt: quemadmodum humiditates obſcuram reddunt ac raucam. Et, cùm vehementiùs, aut acutiùs loqui ſtuduerint, tunc intercidunt excrementa.

De Voce.

NOn tamen ipſa Vocis magnitudo à caliditate, ſicuti neq; paruitas à frigiditate fit, ſed altera quidem aſperæ arteriæ latitudinem ſequitur, & vehemētiorem efflatum: paruitas verò à contrarijs aduenit cauſis. Quare neq; ſemper, neq; primum, ſed ex accidenti, & ſolas naturales temperaturas, non autem aduentitias vocis magnitudo, aut paruitas ſequitur. Quoniam etenim talia inſtrumenta temperaturæ ratione ſunt facta, ad hæc autem conſequitur huiuſmodi vox; idcircò contingit ex voce de naturali temperatura ratiocinari.

De leni, & aſpera Voce.

NAm & lenis vox arteriæ aſperæ lenitatem conſequitur, ſicuti & aſpera aſperitatem. Lenitas igitur, arteriæ moderatam ſequitur temperaturam: aſperitas verò ſiccitatem. Aſperitas etenim fit ab inæqualitate in duro corpore. Arteriam verò duram, ſimilarium partium, ex quibus conſtat, ſiccitas facit, inæqualem verò, diſperſæ in eiſdem humiditatis defectus.

De Voce acuta.

EOdem modo, neq; acuta naturâ vox ſine anguſtia faucium, neq; grauis ſine latitudine fieri poteſt. Anguſtia igitur ab innata naſcitur frigiditate: Latitudo autē à caliditate (nam calor dilatat, frigus anguſtat, coarctatue). Differentijs igitur naturalium vocum hæ, quæ ex affectu aliquo fiunt, ſunt proportionales, quæ & ipſæ indicia ſunt cauſarum, à quibus oriuntur: de qui-

bus in libris de Voce sufficienter distinxi. Reliquæ verò partes animalis interiores exilia habent temperaturæ indicia. Tentandum tamèn ea ex iuuantibus, atq; nocentibus agnoscere, ac præterea ex naturalium potentiarum operationibus. Dictum verò est in Tertio de Causis accidentium, quænam temperatura antecedat vniuscuiusq; facultatis virtutem, & vitium. Temperaturarum itaq; indicia iam dicta sunt.

CAPVT XVII.
De Signis partium dissimilarium.

HActenus abundè Galenus innumera proposuit Signa varij status totius corporis, & principum partium, ac aliarùm quarundam, vt pulmonum & ventriculi. Verùm quia temperamentorum variorum signa præcipuè examinauit, de signis quibus defectus partium organicarũ detegitur, expressè loquitur cap. 70. Artis Medicinalis. Et docet defectus partiũ instrumentariarum, qui sensibus subijciuntur, facilè dignosci: Circa magnitudinem verò, inquit, vel formationem, vel numerum, vel situm, quæcunq; quidem sensibus subijciuntur errata, cognitu faciliora sunt: quæ autem sensu percipi nequeunt, quædam cognitionem habent difficilem, quædam verò facilem. Capitis igitur magnitudo, ac figura, & cerebri simul in propatulo sunt: & de his antea diximus. Sic & quæ thoracis sunt, & quæcunq; ad scapulas, & humeros, vel brachia, vel cubitos, vel extremas manus, vel coxendices, vel femora, vel tibias, vel pedes attinent, non est difficilè dignoscere, siue secundum formationem, siue secundum magnitudinem ex his aliquid non rectè se habeat, siue secũdum numerum, siue secundum partium, ex quibus constant, compositauram: Singularum etiam operationis detrimenta facilè patent. Quæ autem intra corpus sunt, non omnia possunt dignosci.

Vult Galenus hoc capite Signa quibus morbi aut defectus quiuis partium dissimilarium deteguntur, esse per se ita manifesta in partibus exterioribus corporis, vt non alia inuestigatione quàm sola inspectione egeant. Verbi g., si manui deficit, aut superfluè adiectus est aliquis digitus, aut si in magnitudine, aut conformatione, aut compositione vitium aliquod fuerit, statim visu id ip-

sum

sum percipimus. Præterea defectus actionum earundem partium confirmat defectum à visu deprehensum, vel nondum animaduersum. Vnde ex mala comprehensione, manus defectum aliquando comprehendimus, ex claudicatione verò, pedis defectum. Sed lienis, hepatis, renum, ventriculi, intestinorum, & aliarum partium organicarum, quæ nostrum effugiunt visum, vitia dignoscere perarduum est. Proponit ipse modum quo quatuor partium internarum vitium detexit. Capite 71. ventriculi paruitatem agnouit. Cuiusdam.n.ventriculum, inquit, adeò paruum ac rotundum, ac pronum secundum hypochondria situm habentē inspexi, vt manifestè ex circumscriptione propria, & videntibus, & tangentibus appareret. Cap.72.vesicæ paruitatem agnouit. Sic, inquit, & cuiusdam vesicam contigit intueri ita expositam, ac paruam, vt si quando vrinam tardius excerneret, tumor quidam circumscriptus manifestè cerneretur: non tamen aliud ex interioribus quicquam mihi vnquam manifestum præbuit indicium. Tentare autē oportet quàm maximè fieri potest, virtutem ipsorum instrumentorum intus abditorum, ac vitium, & si non certa scientia, artificiosa saltem coniectura dignoscere, veluti exempli gratia, in hepate. Dictas modo duas partes, quæ in suis regionibus aut locis propriam figuram exhibebant, visu proprio percepit Galenus; quia ex anatomia earundem partium formam & situm præcognitos habuit: fatetur tamen se nunquam alias vllas instrumentarias, interius latentes, intuitu claro percepisse. Vnde, vt quis aliarum partium instrumentariarum intus reconditarum lapsum detegat, in anatomia peritus esse debet: debetq; insuper probè cognoscere partium internarū actiones proprias, & vsus. Hac cognitione præmunitus artificiosa coniectura internorum instrumentorum vitium in conformatione, magnitudine, numero, & situ, ac connexu hariolari conabitur; quemadmodum fecit Galenus hepatis paruitatem detegens cap. 73. sequenti serie.

Galeni diligentia in dignoscendis quibusdam internis partibus.

Vidi.n. aliquos, & quidem multos, quibus venæ erant angustæ, & totum corpus bono colore priuatum. Quòd si plusculum cibi assumpsissent, qui præsertim flatibus excitandis aptus esset, & crassus, ac tenax, nonnulli quidem veluti pondus quoddam insidens, atque suspensum in profundo dextræ hypochondriorum partis sentiebant, nonnulli verò cum quadam tensione dolorem

sentientes. In his quidem verisimile est hepar esse paruum, atque angustos meatus habere.

Pituitosus, qui bilem pallidam euomebat quotidiè.

Rursus capite sequenti 74. causam vomitus biliosi in homine pituitoso sequenti ordine diuinauit. Alterum autem vidi, cuius totus habitus pituitosus erat, quotidiè tamen bilem pallidam euomebat. Censui igitur inspicienda alui excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quarè, coniectura quadam comprehendi euin meatum qui biliosum egurgitat humorem, non paruam eiusdem partem ad imum ventriculi locum, quem Græci pyloron, id est, ostiarium vocant, effundere, vt in quibusdam apparet animalibus, ex quibus id constat, quod plurimùm ad eorum, quæ latent sensum, confert cognitionem, ea, quæ ex sectionis inspectione habetur peritia & operationum atque vtilitatum inuentio. Quicunq; igitur facultatem dignoscendi huiuscemodi corpora, quæ ita lapsa sunt, consequi cupit, oportet ipsum in sectionibus, ac in operationum atq; vtilitatum inuentionibus exercitari. Rectè commendat Galenus Anatomiæ cognitionem, veluti operationum, & vsuum. Nam, his instructus Medicus, internos affectus siue vitia dignoscit: vt ex sequenti constabit capite.

CAPVT XVIII.
De Signis status præter naturam.

Triplex res præter naturam.

SIgna proposuimus status naturalis, modò proponenda Signa status præter naturam, qui communiter in morbum, morbi causam, & symptoma distinguitur. Horum omnium Signa proponere non est in animo: Nam in praxi medica Signa cuiusuis speciei morbi proponuntur: causarum pariter Signa, veluti obscuriorum symptomatum. Quod attinet ad causas generantes morbos, vel sunt internæ, vel externæ: hæ facilè dignoscuntur, dummodò æger, aut astantes Medico fideliter præterita cuncta referant. Internarum causarum, id est humorum quantitate, aut qualitate peccantium, signa, fusè in nostra Physiologia libro de humoribus, proposuimus. Cardo etenim diagnoseos rerum præter naturam circa morbum maximè versatur. Galenus in Arte Medicinali cap. 75. paucis rem exponit. Quæcunq; verò, inquit, vt nunc insalubria sunt, hoc est, quæ iam ægritudinē patiuntur, dignoscere

Causæ internæ, & externæ.

& hæc ipsa oportet. Quæ quidem subijciuntur sensui ex eorum quæ ipsis insunt secundum naturam permutatione, in magnitudine, colore, figura, & numero, & situ; & ea quæ est secundum duritiem, & mollitiem, & frigiditatem, & caliditatem differentia. Quæ autem visum effugiunt (vt summatim dicam) ex operationũ læsionibus, aut his quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibusdam, vel omnibus. Absolutâ doctrinâ de Signis salubribus, ad signa quę præsentes morbos produnt, se confert Galen. & in memoriam reuocat ea quæ secundum essentiæ rationem insunt corporibus, sicuti actiones & casus qui ea quæ secundum essentiæ rationem insunt cõsequuntur. Quæ secundum essentiæ rationem partibus insunt similaribus sunt ipsa partiũ earundem temperamenta; hæc consequuntur actiones hæ, attractio, retẽtio, coctio, expulsio, siue excretio, nutritio; veluti casus, vt mollities, durities, crassities, tenuitas, color, & similia. Quæ partibus insunt dissimilaribus essentialiter, sunt debita conformatio earundem partium, magnitudo, numerus, & situs ac nexus: quæ hæc consequuntur, sunt actiones, commensuratio, pulchritudo, & siquid aliud ab illis naturaliter dependet.

His præintellectis, Galen. hoc capite inquit corpora actu ægra dignosci ex mutatione eorum, quæ secundùm essentiæ rationem insunt, eorumque quæ hæc consequuntur. Itaque quoties hominis alicuius temperamentum in sensibilem intemperiem mutari conspicimus, statim dicemus talem hominem ægrotare: Similiter de ijs quæ temperamenta consequuntur philosophandum; veluti de mutatione eorum quæ naturaliter insunt partibus dissimilaribus. Mutata enim naturali partis alicuius figura, vel magnitudine, vel numero partium componentium partem dissimilarem, vel situ & nexu, statim inde inferemus corpus actu ægrotare. Sed partes ægrotantes vel sunt externæ, & visui, ac tactui obiectæ, vel internæ & visui, ac tactui occultæ. Ægritudines partium externarum visu, tactuque, absque vlteriori inuestigatione, percipiuntur: & præsertim quoties aliquis, vel modica praxi initiatus est. Partium verò internarum, & sensibus non obiectarum, ægritudines, aut vitia, non nisi mediantibus actionibus læsis, vel excrementis, vel doloribus, vel tumoribus præter naturam dignoscuntur. De cognitione partium externarum corporis, læsarum, & de cognitione

Aegritudines partiũ externarũ sẽsibus percipiuntur: morbi partium internarũ mediantibus alijs rebus.

simul

ſimul læſionis partium internarum, loquitur Galenus libro 1. de locis affectis cap. 1. Igitur, inquit, partes in ſuperficie conſtitutæ, vnà cum affectuum ſuorum idea, ſpecieue, facilè ſenſibus deprehenduntur: quæ verò in imo corpore latent, exercitatum ratione virum deſiderant, cum in partium & actionibus, & vtilitatibus, tum vel maximè in præcedentibus eas corporum diſſectionibus: quippè hæ (corporum diſſectiones) nos docuerunt cùm alia permulta, tum cuiuſlibet partis eſſentiæ proprietatem.

Res corporis per ſe, vel per accidēs agnoſcuntur.

Senſus circa propriū obiectum aberrare nequit.

Verùm, vt res clarior euadat, præſupponere oportet res quaſuis in noſtro corpore dignoſci, vel per ſe, vel per accidens, ſiue aliquo interueniente: quæ autem per ſe dignoſcuntur, ſunt illa quæ à ſenſu viſus, & tactus, aut alterutro modo in externis, aut viſibilibus corporis partibus percipiuntur. Cum enim ſenſus circa ſuum obiectum errare nequeat, teſte Ariſtotele lib. 2. de anima cap. 6. id verè, & demonſtratiuè dignoſcitur, quod à ſenſu percipitur. Quod verò mediatè cognoſcitur, non ita exactè cognoſci dicitur. Primo modo, id eſt immediatè à ſenſibus, externarum partium corporis affectus dignoſcuntur. Viſus enim coloratum percipit, pariter & figuratum, & vtrumq; per ſe: nam ſenſibile commune, & ſenſibile proprium, eſt ſenſibile per ſe, ex Philoſopho citato capite; quare prauus color, mala figura &c. à viſu percipiuntur: veluti à tactu tangibilia: at verò, quæ intus latent, altiori egent inueſtigatione, vt cognita ſint. Nā non niſi mediantibus alijs dignoſcuntur. v.g. ventriculi imbecillitas mediantibus actionibus læſis, & excrementis, non primariò, & per ſe, à ſenſibus percipitur. Si autem cibum aſſumptum venter retinere nequit, retentricem facultatem imbellem eſſe dicimus, vel certè expultricem nimis irritatam. Ventriculum verò frigidum eſſe dicemus quoties ructus, aut humor excretus, perſentitur acidus: ex nidoroſo autem ructu, calidum eſſe ventriculum conijcimus.

Vt in ordinem redigamus ſigna omnia, quibus internus affectus detegitur, recurrendum ad magnum Magiſtrum Galenum, qui lib. 1. de locis affectis capite 5. in quo & partis, vitio aliquo laborantis, ſigna, ſimulq; ſigna vitij, ſiue mali infeſtantis, accuratè proponit. Nam affectu, & parte affecta cognitis, videtur Medicus benè inſtructus in ijs quæ ægrum infeſtant: proindeq; ſiquæ ſint propinanda remedia, diſtinctè præſcribet. Capite ergo illo 5. qua-

quatuor exhibet fontes signorum quibus internũ affectum dignoscimus. Primus fons desumitur ab ijs quæ excernuntur: Secundus, à loci natura: Tertius à doloris proprietate: Quartus à proprijs symptomatibus. Et his quintum addere possumus, actionem læsam: Nam Galenus citato capite docet locum affectum, seu partem affectam, ipsumque affectum eodem indicio aliquando indicari. Sed præfatos quatuor fontes examinemus.

Ex excretis autem, morborum aut affectuum naturas speciesue congruè deprehendimus: vt si vnà cum fœcibus ramenta quædam excerni videmus, tunc vlceris principio intestinum affici dicemus. Si rursus sanguis exeat, vlcus factum esse conijciemus: si deindè pus, tunc cauum vlcus. Similiter si crusta quædam aut eschara, exit, vlceris indicium erit. Si adhuc per podicem eijciantur excrementa quædam similia seminibus cucurbitæ, latos inesse lumbricos, siue vermes, indicant. Si vnà cum vrina, arenosa, seu potius sabulosa quædam eijciuntur, lapidem inesse significant; vt testatur Hippocr. lib. 4. aphorism. 79. Quibus in vrina sabulosa subsident ijs vesica calculo laborat. Et aphorismo 77. eiusdem libri, per id quod excernitur cum vrina morbus detegitur. Quibus cum vrina crassa furfurea quædam simul minguntur, his vesica scabie laborat. Alium affectum indicat excrementum aphorismo 78. Qui sponte sanguinem meiunt, ijs à renibus venulam ruptam esse significatur. Item aphorismo 81. ait: Si quis sanguinem, aut pus, aut squamulas meiat, & grauis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur.

Primus ordo signorũ ab excretis eruitur.

Secundum genus signorum desumitur à loci natura: Sunt enim quidam loci siue partes, quæ quibusdam morbis solæ afficiuntur, v. g. solus oculus suffusione laborat. Renes, & vesica, calculo sunt obnoxij, veluti etiam colum intestinum. Lumbrici in intestinis ferè semper nascuntur. Cor verò abscessui nullatenus est obnoxium.

Secundus Signorum ordo.

Tertius fons signorum desumitur à doloris proprietate. Doloris quidem variæ sunt efficientes causæ. Et hæ causæ sunt morbi varij: Afficiatur ergo pulsatorio dolore aliquis, tunc partem tali dolore affectam inflammatione laborare dicemus: simul cum inflammatione, erysipelas, & abscessus intelliguntur, docente Galeno libro 2. de locis affectis cap. 3. Nam dolor pulsatorius non solum in Phlegmone, sed etiam in erysipelate, & abscessu persentitur.

Tertius signorũ ordo.

titur. Tales ergo morbos nobis huiusmodi dolor designat: vt citato iam capite testatur Galenus, hac serie. At pulsus cum dolore factus sequitur inflammatorios affectus notatu dignos; idque semper in ipsis arterijs, atq; in continentibus ipsas partibus, quas & ob angustiam premunt, & cum attolluntur, modò pars affecta sentire nata sit, veluti percutiunt: hæc eadem verba paulò ante exposuit Galenus, modum tradens quo pulsatorius dolor efficitur. Arteriarum enim pulsum cum dolore persentiri in ingenti oborta inflammatione, vel erysipelate, vel abscessu, ait, & quidem sequenti ritu. Duabus præcipuè occasionibus vehemens dolor inflammatis partibus infertur: aut cum mouentur, aut cum à re quapiam comprimuntur. Inflammato igitur toto musculo duplici modo, dum attolluntur arteriæ, dolorem sentimus: nam & mouentur (eædem arteriæ) & ab adiacente carne comprimuntur, & ipsam (id est carnem) comprimunt. Atq; hac ratione partes inflammatæ pulsant, quem veterrimi quiq; solum vocant pulsum; posteriores verò omnem arteriarum motum, quem sensus percipere posset, similiter nominauerunt. Vult enim Galenus dolorem pulsatorium fieri, quia arteria est inflammata, quia dum mouetur suæ continuitatis solutionem patitur, quia à parte inflammata, & tumefacta comprimitur, & de nouo dilaniatur; & quia demũ ipsam fibrosam, & membranis obductam carnem ipsa arteria comprimit, adeoq; dissoluit. Eodem capite docet Galenus alium nasci dolorem ex inflammatione membranæ; & talem dolorem inflammatorium appellare nos possumus. Sunt & aliæ doloris variæ species, de quibus citato libro 2. de locis affectis fusè satis egit Galenus. Capite autem 7. vlcerati doloris mentionem facit: veluti etiam pruriginosi.

Dolor pulsatorius vndè nascitur.

Quartus signorum fons.

Quartus demum fons, è quo signa affectum præter naturam detegentia desumuntur, sunt propria symptomata, siue accidentia. Per tabificos enim morbos vngues incuruantur: & quidem nimia siccitate. Tale autem accidens solis tabidis proprium est. Præter rationem, seu sine causa inuadens rigor vnà cum febre, phlegmones ad suppurationem transeuntis, indicium est. Lingua nigricans ardentem febrẽ portendit. Color intẽse rubeus, & veluti purpuraceus in vultu, pulmonũ inflammationem significat. Si verò color rubeus ad flauedinem quandam vergat, pulmonum, aut

pleuræ

pleuræ erysipelatosam inflammationem demonstrat: nec solum genæ in pleuritide, aut peripneumonia biliosa flauescunt, sed insuper oculi, seu album oculorum croceo colore tinctum percipimus. Icterus autem, siue aureus, flauusue color cutis febri ante, aut post septimum diem superueniens, biliosam febrem adesse significat. Si verò flauo, croceoue colore vniuersum corpus affectum deprehendatur, iecoris obstructi, aut chistis fellis obstructæ indicium erit. Similiter si vniuersa cutis atro colore fuerit infecta, indicium erit obstructionis impensæ lienis. Hæmorrhoides pariter denotat corporis color subobscurus; licet enim copiosè fluant, non ita vniuersum corpus ab humore melancholico liberant, quin adhuc in eo sufficientem copiam humoris atri, quo corpus inficitur, relinquant. Sed vnà cum colore prauo miseri, & languidi apparent illi quibus copiosè fluunt hæmorrhoides, teste Aëtio libro 14. cap. 5. Nam deformitatem, & miseram simul vitam inducũt. Deformitatem quidem, propter coloris totius corporis vitiationem, ex vacuatione succedentem: Miseram vitam, propter corporis debilitatem. Nec solus humor melancholicus, aut biliosus in cute apparens internos quosdam affectus nobis indicat, sed etiam pituitosus. Vnde si albicanti colore totum corpus affectum fuerit, signum est frigidæ humidæq; intemperiei hepatis. Talis color apparet in Leucophlegmatia, hydropis specie; quæ quoties infestat, vniuersum corpus tumidum, & albicans erit.

Alij sunt varij signorũ fontes. Nec solum quæ hactenus dicta sunt morbi naturã detegunt, sed aliæ multæ circumstantiæ: vt iuuantia, & lædentia, aliaq; varia quæ Hipp. in Epidemijs recenset. Si autem calidis quis iuuetur, signũ est ipsum frigido laborare morbo: & viceuersa, si frigida conferunt calido morbo eum affici conijciemus. Eadem ratio in alijs contrarietatibus obseruanda, vt in humidis, & siccis, in repletis & inanitis. Repletionem porrò iuuat inanitio, siue euacuatio debitè facta, veluti inanitionem repletio. Galenus ipse ex iuuantibus, & nocentibus, ac ex naturalium facultatum functionibus, internum corporis statum rimandum docuit libro de Arte Medicinali cap. 69. de voce acuta: quod caput à nobis superiùs cap. 17. transcriptum est.

Pleraque, quæ nos in cognitionem vitiorum corporis manuducunt, ab Hippocr. proponuntur sectione 3. lib. 1. Epidemiorum,

Varia ex quibus morbus dignoscitur, morbiq; euentus præditur.

hac serie: Morbos dignoscimus, docti ex communi omnium natura, & cuiusq; propria: ex morbo, ægro, oblatis, offerente: nam faciliùs ex his, vel difficilius: præterea ex vniuerso vel singulari cæli statu, & singulis locis, ex consuetudine, ex victus ratione, vitæ genere, ætate cuiusq;, vnà cum sermone, modis, taciturnitate, imaginationibus, somnis, vigilijs, insomnijs, quibus, & quando, vellicationibus, perfrictionibus, lachrymis, accessionibus, deiectionibus, vrinis, sputis, vomitionibus: & quæ ex quibus, in quos successiones morborum, & qui abscessus in exitium, vel iudicium: sudor, rigor, algor, tussis, sternutamenta, singultus, spiritus, ructus, flatus silentes, strepentes, sonori, sanguinis eruptiones, hæmorrhoides. Ex his consideres, quæ per hæc accidunt. Tam latus est hic campus de morborum dignotione ab Hippocrate præscriptus, vt nullus ferme in eo spatiari velit. Galenus ipse in suo 3. Commentario in librum primum Epidem. hanc doctrinam, non exactè, sed per saltus, & plura omittendo exposuit.

Promiscuè autem dictis verbis Hippocrates diagnosim, & prognosim exhibet. Prima verba citati contextus, quæ sunt de natura communi, & propria, in superioribus fusè exposuimus. Ex ipso morbo, magnitudinem, aut exiguitatem morbi colligi posse docet: Nam statim ac Medicus morbi Ideam percepit, magnum paruumue esse illicò pronunciat. Apoplexia autem, Angina, peripneumonia, pleuritis, conuoluulus, cholera morbus, febris ardens, tetanus; dum adsunt, grauissimos morbos adesse dicimus; Si verò diaria, tertiana simplex, quartana, & consimiles vexant, nullum in ægris timet periculum Medicus.

Idea morbi aliquid indicat.

Aeger, offerens, & oblata.

Ex ægroto deniq; ex ijs quæ offeruntur, & ex offerente, nonnihil colligimus. Si enim æger fuerit vir robustissimus, verèq; viribus, & laboribus addictus, modò tamen à morbo vehementer, & anxiè torquetur, magnitudinis morbi indicium est. Nam sine graui causa talis homo nullo modo conquereretur. Quoties ergo grauiter laborat, periculum adest, & vitæ discrimen. Secus verò iudicandum quoties effæminati, & molles homines, ac delicatulæ mulieres de morbo conqueruntur; nam exiguos morbos, magnos esse fingunt, vel propter animi mollitiem, vel pusillanimitatem, & timorem. Vnde si conquerantur mulierculæ iuxta solitum morem, multò melius est quàm si non conquererentur. Silentium au-

tem,

rem, & modestia in illis præter consuetudinem, est mali ominis. Itaq; ægrotus nobis nonnulla indicat.

Ex ijs deniq; quæ offeruntur, aut offerri deberent, & ex offerente, quædam diuinamus. Si enim ad aliquē diu ægrotantē accersitus est Medicus, & nullum fuisse ipsi præscriptum medicamentū intellexit, malū non valde graue esse dicet, cum id æger, sine remedijs, pluribus diebus tulerit: morbi tamē longitudinem prædicere potest, ob negligentiam in remediorum administratione cultam. Quod si contigerit, ægro omnia medicamenta iuxta Medicinæ præcepta à perito aliquo Medico præscripta, & propinata fuisse, sed sine fructu, tunc Medicus de nouo accitus absolutè pronunciare poterit Morbum quo æger vexatur, esse verè magnum; Si verò ab imperito Medico medicamenta sine fructu præscripta sunt, morbi magnitudinem, aut longitudinem, siqua adsit, imperitiæ adscribere possumus. Si verò ægritudo remedijs facilè cedere videatur, morbum leuem, & sine periculo esse dicemus. Et hoc modo, ex oblatis, & ex offerente, morbi magnitudinem, & euentum prænoscimus. Oblata enim, sunt remedia: offerens est Medicus, isq; peritus, aut ignarus. *Signa quædam desumuntur ex offerente, & oblatis.*

Ex his enim dignoscimus faciliùsne, an difficiliùs æger laboret: id est, an leuiter, an grauiter ægrotet. Hoc idem adhuc ex sequentibus dignoscemus; nec solum morbi grauitatem, & leuitatem, sed præterea morbi speciem. Ex aëris ergo constitutione morbos, qui grassantur, aut timentur, agnoscimus. Aër enim variè dispositus varias parit ægritudines. Vnde cuiuis anni tempestati, morbi quidam sunt familiares, & proprij, teste Hippocr. libro 3 aphorismorum. Nec solùm anni tempestas, sed cæli status peculiares parit morbos: vt flante diu Austro, quidam oriuntur morbi; Aquilone præter consuetudinem similiter flante, alij suboriuntur morbi. Peculiaris cæli status in vna regione, vel aliquo terræ tractu, morbos etiam quosdam generat. Vnde locus Septentrionem respiciens suos gignit morbos; qui Austro subest, pariter suos: & ita de reliquis locis Orientem, aut Occidentem Solem respicientibus, philosophandum. Ipsa denique natura locorum aliquando morbos indicat: vt palustris, & humida quæuis regio, morbos frigidos, catarrhum, & similes. Loca autem sicca calidaq; calidos siccosque morbos nutriunt. Humilia loca suos habēt familiares morbos, habent etiam, & sublimia suos. *Signa quæ ex aëris cōstitutione colligūtur, sunt varia.*

Signa quæ à consuetudine, à vita genere, & ab ætate desumuntur.

Ex consuetudine, ex victu, ex vitæ genere, & ex cuiuscunque ætate morbos diuinamus. Itaque quoties quis irasci, aut copiosè loqui, aut assiduo moueri consueuit: & calido vtitur victu; & vitæ genere, est coquus, aut cursor, aut faber ferrarius: & in ætate versatur calida, sed iuuenili potissimum; biliosis febribus, & affectibus alijs biliosis obnoxius erit. Ex aduerso, si homo aliquis fuerit modestus, mansuetus; ætate frigidus, vitæ genere ociosus, & piger, ac in vmbra degens, aut piscator, & victu refrigerante vtitur, non biliosis, sed pituitosis febribus erit obnoxius. Nec solum ex dictis morbi speciem colligimus, sed insuper morbi constitutionem. Nam morbi calidi in calidis anni temporibus, calidioribus in locis, & à victu calido, ac ætate calida, & vitæ genere calido suscitatis, breuiores sunt, quàm si ijdem morbi contraria tempestate, contrarioq; in loco nascerentur, & à victu similiter frigido, vitæq; genere, & ætate, frigidis, excitarentur.

Varietas constitutionis morbi à varietate contrarietatis oritur

Signa ex sermone, ex sermonis modo, & ex taciturnitate desumpta.

Ex sermone, & eius modis, taciturnitateque, morbi magnitudinem colligimus. Si enim ille qui ex sua natura loquax est, dum ægrotat, silentium obseruat, aut viceuersa ille qui naturaliter taciturnus est, loquax deprehenditur, malum est indicium. Si verò loquax ex natura sua, suam in morbo exerceat loquacitatem, aut taciturnus suum silentium, mali nihil exinde colligitur. Quod attinet ad sermonis modum, eum Medicus diligenter in ægris obseruare debet. Nam si aliquis æger factus, de alieno vitæ genere attente loquatur, mentis alienationem significat. V. g. si miles nihil de militia diceret, & Philosophum, aut Theologum agere vellet, mente insanus diceretur; similiter si Philosophus, sui muneris factus immemor, militarem artem ad amussim examinare cuperet, delirus proculdubio dicendus foret: Nam nec solito more, nec de solito exercitio quidpiam efflat.

Discursus de aliena materia delirium indicat.

Imaginationes prauæ.

Imaginationes prauæ morbi grauitatē indicant; & hæ mediante sermone, & alijs actionibus deteguntur. Mediante sermone Theophilus suam prauam imaginationem astantibus significauit, dum pelli è cubiculo tibicines, qui nullo modo aderant, iuberet. Nutibus tantum ægri prauam imaginationem percipimus, quoties eum videmus floccos carpentem, aut festucas colligentem, aut veluti muscas intercipientem: cum tamen super stragula festucæ sint nullæ quæ auelli possent; & nullæ supersint muscæ, quas venari

pos-

possit. Si ergo falsæ immaginationes superuenerint febribus pessimum est signum.

A somno, & vigilia indicia quædam desumi docet Hippocrates libro 2. aphorismorum 1. Quo in morbo somnus noxam adfert, lethale: Si verò somnus prosit, minimè lethale. Et aphorismo 2. Vbi delirium somnus sedauerit, bonum. Et aphorismo 3. somnus, vigilia, vtraque modum excedentia, malum. *A somno, & vigilia indicia.*

Ab insomnijs quædā desumi indicia constat: ideoq; ait, quibus, & quando Per particulā, quibus, insomniorum species intelligit; per particulam, quando, tempus quo insomnia fiunt. Non licet hîc insomnij naturā, & causas inuestigare (Insomnia .n. animi visa dicūtur Gal. lib. de dignotione ex insomnijs): modò enim nobis scire sufficit, quædā insomnia esse diuina, quædā naturalia. Diuina sunt illa quæ dæmonis boni, ꝓbiue inspiratione fiunt. Naturalia sunt illa quæ è rerū Phantasmatibus nascuntur. Quoties hæc in homine puro, sobrioq; peracta coctione, fiunt, sunt certiora. Galenus in commentario de insomniorum significatione, hac serie loquitur. Nam si quis per insomnium videat incendia, hunc offendit flaua bilis. Si imbres, abundare frigidum humorem declarat: sic sanè, si niuem, glaciem, & grandinem, pituitam frigidam. Siquis in fætido loco se esse putet, putredinem humorum: si gallorum gallinaceorum cristas habere, aut rufa quædam, sanguinem exuperare: si caliginosa cernere, aut in locis esse caliginosis, flatus indicat. Plura ibidem habet Galenus, veluti etiam libello de dignotione ex insomnijs; Hippocrates etiam libro de Insomnijs mirabilia de hoc argumenti genere refert. *Ab insomnijs indicia.*

In contextu habet Hippocr. Euulsionibus, pruritibus, lachrymis, vel vt habet alia versio, vellicationibus, perfrictionibus, lachrymis. Vellicatio apud Galenum in commentario, fit quoties quis floccos carpit, aut festucas colligit. Dicitur etiam apud eundem de vellicantibus aliquam sui partem, vbi subest in profundo dolorificus affectus. Et sæpè partem, quæ pus, aut alium continet acrem humorem, vellicant: quæ quidem etiam est nonnunquam nota delirij. Iam quod est deinde scriptum, perfrictionibus, mordaces esse ad cutem humores significat, qui ad scalpendum irritant. Euulsiones autem sunt, inquit Vallesius, velut palpebræ, labij, aut nasi euersio, & genitalium, & testium reuulsio. Lachrymæ *Vellicatio, pruritus, & lachrymæ, sunt signa.*

Lachrimæ vnde. oriuntur à lippitudine, aut fluxione humorum à capite, vt habet Galenus commentar. 1. Prognost.

Aliquoties à vomitione vehementi, aut à multa potione fiunt, vt ibidem Galen. testatur, qui de eodem argumento hæc habet. In oculis verò signa exitiosa post triduū talia sunt: si lucem refugiāt, si lachryment, si peruertantur, si alter altero fiat minor, & candida pars in eis rubra appareat.

Lachrimæ aliquando malæ aliquando nō.

De forma accessionum libris de febribus abnndè dictum. Tertiana enim cum rigore, quartana cum horrore, quotidiana cum extremorum refrigeratione repetit. De deiectionibus, vrinis, sputis, vomitionibus, in Prognosticis, & aphorismis copiosè dictum est. Mediantibus autem his Medicus quotidiè ad interni status cognitionem peruenire solet.

Paroxismi deiectiones, vrinæ, sputa, vomitus.

Mutatio morbi in morbum. Postea dicit Hippocr. (Et quæ, ex quibus, in quos successiones morborum, & qui abscessus in exitium vel iudicium) his verbis morborum transmutationes intelligit. Nam dum de successionibus loquitur, intelligit, vnum affectum de nouo succedere alteri, qui esse desinit. Vnde filium Patri succedere dicimus. Dum ergo vnus morbus in alium desinit, & desinentis, & succedentis naturam considerare oportet. Nam fiunt successiones morborum perniciales, & decretoriæ, siue bonæ, pro ipsorum differentijs morborum, & locis affectis, vt loquitur Galen. Nam, vt ait ille, in morbos successio leuiores, & locos ignobiliores, est salutaris: in morbos grauiores, locosq; principaliores, perniciosa (mutatio, siue successio). Pro abscessu intelligit Hippocrates, mutationem morbi ad salubriorem, aut maiorem: vt si ardens febris in quartanam transmutaretur, abscessus esset salutaris: si verò pleuritis in peripneumoniam mutaretur, esset perniciosa mutatio. In Prognosticis, & aphorismis, ac alibi, cætera contextus verba exposuit plenè post Hippocratem Galenus.

Superiùs diximus internum affectum ab actione læsa indicari: cum Galeno tamen volui partem affectam mediante actione læsa dignósci, affectus verò à differentijs læsarum actionum colligi. Cæterum, inquit, Galenus in fine capitis 5. lib. 1. de locis affectis, paucæ admodum sunt ipsorum affectuum propriæ notæ, quæ simul locum affectum non ostendant. Etenim actionis noxæ affectam duntaxat particulam: earum verò differentiæ ipsius affectum declarant.

Actio læsa Partē malè affectam indicat: actionis læsæ differentia affectū.

clarant. Hæc Galeni doctrina manifesta fit ex ijs quæ ab eodem proponuntur lib. 1. de symptomat. causis cap. 2. vbi varias læsiones actionis oculi proponit. Læsio quidem visionis à cataracta peculiarem indicat morbum, læsio pariter visionis à vitio neruorum opticorum, peculiarem etiam morbum: læsio etiam visionis à vitio foraminis vueę tunicę nimis coarcti, aut dilatati, distinctas indicat ægritudines. Et ita de reliquis læsionibus citato loco videndis.

Cum Galeno citato cap. 5. lib. 1. de locis affect. Signa quibus pars malè affecta dignoscitur proponere par est. Quinq; in principio capitis recenset notas quibus pars malè affecta dignoscitur. Porrò, inquit, sæpenumerò ex vno indicio, simul & locus (siue pars) & affectus indicantur, aut locus vnà, & causa (læsionis). Veluti locorum indicia ab actione læsa, & ijs quæ excernuntur, & positu, & doloris proprietate, ac proprijs symptomatibus sumuntur. *Quinq; fontes e quibus desumuntur signa partis male affecta.*

Ab actione pars indicatur, vt visio læsa, oculum læsum indicat, siue hæc læsio per se vel per consensum oriatur. Per se læditur dum corpus oculi est malè affectum: per consensum læditur, quādo facultas videndi, aut à cerebro per opticos neruos non transmittitur, vel si Spiritus amandatur is est impurus, aut confusus, aut paucus, aut alio aliquo vitio affectus. *Actio lasa partem prodit.*

Secundus fons è quo signa partis malè affectæ desumitur sunt excreta, seu ea quæ excernuntur extra corpus. Quæ v. excernuntur sunt in duplici differentia: nam quædā particulæ, siue frusta, siue portiones, alicuius partis nō rarò ejciuntur. Et quādo mediātibus his pars latēs dignoscitur, dignosci dicitur per proprietatē essentię. Nonnulla hâc de re proponit exēpla Gal. lib. 1. de locis affect. cap. 1. Si. n. corpus quoddam cartilagineū tussiendo expuatur, maximū vlcus ex erosione, vel putredine in pulmone factum esse existimamus. Prius enim morietur animal, quàm tam grandis exulceratio in ipsa aspera arteria, aut bronchijs pulmonum fiet; quia bronchia sunt corpora cartilaginea, dura, & crassa, ac sicca, & frigida, quæ maximè putredini resistūt. In pulmone verò talis exulceratio fieri potest, quòd scilicet hoc viscus ob humiditatem facilè putrescere, & à vitiosis humoribus promptè erodi consueuerit, atque bronchia in ipso exigua sint. Supereſt ergo vt bronchij portione eiecta dicamus pulmonem, in quo situm habuit, magnum pati vlcus. Aliud proponit exemplum Galenus ibidem. Quin etiam inquit fru- *Excreta partem læsā produt.* *Pulmones pra humiditate facilè putrescunt, & à vitiosis humoribus facilè corroduntur.*

frustum quoddam vasis haud exiguũ tussiendo reiectum vidimus, quod ex pulmone fuisse eductum dissectionis periti manifestè intelligebant. Ex magnitudine portionis vasis eiectæ agnouit Galenus locum malè affectum, id est pulmones; quia venæ asperæ arteriæ, quæ in collo situm habet, sunt capillares; adeoq; valdè exiles. Aliud proponit exemplum rei excretæ, cuius natura, & magnitudo simul locum affectum demonstrant. Et exemplum est de interiori tunica crassi intestini, vt recti, aut coli, cuius portio aliquando in dysenteria excernitur: quæ portio quia lata est vtplurimum, & crassa, crassorum intestinorum à quibus deriuatur Vlcus prodit, nequaquam gracilium, siue superiorum intestinorum, duodeni, ieiuni, & ilei. Rem sequenti serie exponit Gal. Sic itaque quum intestini tunicam per dysenteriam excretam quis conspexerit, quæ & latitudine, & crassitudine ijs quæ à tenuibus soluuntur intestinis maior sit, non ab re exulcerationem in crassis intestinis esse conijciet. Alia exempla satis clara de re eadem eodem capite, & sequenti serie proponit Galenus. Ita cum adolescentulum aliquando tussiendo crassam, ac tenacem tunicam reijcere videremus coniecimus eam internam esse laryngis partem, quæ ligulam constituit; & sanatus est adolescentulus, quamuis id non admodum speraremus, vox tamen illi vitiata est. Prætereà essentiæ proprietas, ea quæ in renibus consistunt vlcera, ab ijs quæ in vesica sunt, distinguit, quemadmodum in Aphorismis scripsit Hippocrates. Si ea quæ in vrinis excernuntur laminarum speciem referunt, vesicæ exulcerationem significant, quæ verò caruncularum formam exhibent, renum. In hoc Galeni contextu notandum est quod de larynge protulit. Larynx enim est gutturis rima quæ paruæ linguę, ratione figuræ assimilatur, vnde ligula communiter nuncupatur. Huius autem rimæ cooperculum Epiglottis, id est superlingua nominatur: malè autem à Celso lib. 4. cap. 1. lingua dicitur. Nam non humanæ linguæ, sed potiùs fistularum linguæ figuram refert, vt ex Galeno colligitur lib. 7. de vsu partium, vbi inquit: Intus in ipso laryngis meatu corpus incumbit, figura quidem linguæ fistulam referens: proprietate substantiæ tale, cuiusmodi aliud nihil est eorum quæ corpori insunt. Membranosum enim est, adiposum, & glandulosum. Præter hæc, notandi sunt aphorismi à Galeno citati: dum enim cum vrina excernitur substantia quædam lumino-

Præter proprietatem essentiæ magnitudo rei eiectæ partem affectam demonstrat.

Laryngis descriptio.

sa, aut foliata, aut squamosa, vesicæ læsæ indicium est, vt habetur lib.4. aphorism. 81. Si quis sanguinem, aut pus, aut squamulas meiat, aut grauis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur. Aphoris. 76. eiusdem libri renum vitium sic notatur. Quibus cum vrina crassa exiguæ carunculæ, aut veluti pili vnà exeunt, his à renibus excernuntur. Et hæc de excretis quæ sunt portiones quædã partium internarum. *Vesicæ læsæ, & renũ indicium.*

Secundum genus excreti est illud quod contentum erat, seu id quod interius à partibus quibusdam continebatur, cuiusmodi sunt excrementa, sanguis, & quidquid aliud in aliquo continetur. Exemplum adfert Galenus cuiusdam iuuenis, cui Mitylenis inflictum fuit gladio vulnus, & quidem parti quæ est prope sedem, siue anum. Toto quatriduo sequenti nihil minxit; demum tamen per vulnus quatuor vrinæ circiter Cotylas (cotyla nouem vncias comprehendit) excreuit. Post excretionem vrinæ per vulnus, à pondere quo priùs circa pubem grauabatur, se perfectè liberatum præfatus iuuenis dixit. Manifestum igitur hinc erat, vesicam fuisse ipsi vulneratam. Similiter constat vbi stercus per vulnus excernitur, aliquod intestinorum, sed præcipuè crassiorum, vulneratum esse: quemadmodum vbi cibus ingestus egreditur, in ventriculo cibi receptaculo, vulnus esse monstrabit. Quinetiam tuberculum quoddam supra inguina (supra inguen fortassis sinistrum) ortum ac suppuratum, cum Medicus quidam incideret, stercus subsequutum, in colo abscessum esse liquidò declarauit. Colon autem est præcipuum fæcum stabulum, in quo ipsæ efformantur. Eodem prorsus modo, quo ex excretione vrinæ vesicam vulneratam dicimus, & ex excretione fæcum intestinum vlceratum vulneratumue colligimus, alias quasdam partes, vulneratas dicemus quoties per eas quid intus latens, exit. Vnde, tametsi solutio continui aliquãdò in thorace nos lateat, efflatus tamen spiritus per thoracem, præsertim dum quis loquitur, pro certo nobis, & musculorum intercostalium, & pleuræ vulnus, vlcusue, indicabit. Similiter, si post inflictum thoraci vulnus, pulmonis fibra aliqua, siue lobus visui, tactuiue exterius apparet, thoracem vulneratum, aut apertum esse, protinus demonstrat. Si etiam, post acceptum vulnus in ventre inferiori, per eandem vulneratam partem, omentum, aut intestinorũ aliquod exire videatur, peritonæũ discissum esse necesse est. De *Secundum genus excreti.*

cranio simile pronunciandum: Nam si post ictum, cerebri portio aliqua exteriùs appareat, indicium est cranium penitus fractum esse. Ex sanguine etiam exeunte, vas quod continui solutionem patitur, diuinamus: Nam si sanguis exiens pulsando, & saliendo, aut vibrando veluti eiaculatur, arteriam vulneratam esse confestim dicemus; & præsertim si tenuior, flauiorq; eiuscemodi sanguis apparuerit. Sanguis autem, è venis fluens, cùm tanta spirituum copia non sit refertus, nec tanto præditus calore, obscurior in suo exitu apparet, nec tanto cùm impetu, saltuue, (nisi fortè febris infestet ardens) ac sanguis arterialis, exit. Et hæc de excretis naturalibus, siue de ijs quæ naturaliter in aliquo interiori meatu, aut cauitate continentur.

Sanguinis arterialis exeuntis indicium.

Tertium genus excretorum addere possumus cum Galeno citato capite 1. lib. 1. de locis affectis: qui res quasdam præter naturam intus inclusas commemorat, veluti res quasdam alias, quas adnatas appellat, & vtrasq; partium malè affectarum indicia esse sine dubio vllo, asserit. Ab adnatis ergo rebus inchoans, ait, cerebri membranam, duram scilicet matrem, in fracturis cranij pati, quoties fungus supernascitur. Galenus commentar. 3. in librum 3. Epidem. fungi naturam sequenti serie exponit. Propter materiæ crassitudinem in palpebris adnata, non hîc tantum, verumetiam in pudendis extitisse ait, & si qua pars alia fortè exulcerata esset: humorum crassitie, vt dictum est, eiusmodi adnata efficiente. Vocant autem ipsa vulgò fungos. Ex his patet Galenum appellasse adnata partibus, fungos: qui, vt ipse retulit, ex humoribus enascuntur crassis. Cùm enim aër ambiens humescit præter modum, in ipsis lucernis fungi oriuntur. Vnde Plinius lib. 18. cap. vltimo lucernarum fungos futuræ pluuiæ indicium esse narrat. Pluuiæ etiam, inquit ille, si in lucernis fungi. Virgilius rem eandem testatur lib. 1. Georgicorum vbi sequentia habet:

Fungi partibus adnati.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nesciuêre hyemem, testa cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

Est & aliud exemplum eorum quæ præter naturam adnascuntur, & quidem ossibus: & Græcis πῶροι, Latinis verò calli appellantur: qui dum ossibus adnascuntur; eadem ossa vitio aliquo laborasse significant. Rursus ramentorum exemplum proponit Galen.

Pori, siue calli.

Ramentum autem est exilis tenuisue particula vi quadam secreta à sua comparte. Quoties ergo quid tale excernitur, loci è quo deturbatur exulcerationem necessariò significat. Si ramentum ergo cum vrina eijcitur, pars aliqua per quam vrina permeauit, vlcerata erit. Quibus autem in vrina crassa furfurea simul prodeunt, ijs vesica scabie laborat, referente Hippocrate lib. 4. aphorism. 77. Eodem lib. aphorism. 81. squamulas cum vrina excretas, vlceris vesicæ indicium esse docet idem Hippocrat. Si autem ramenta à regione vreterum, siue meatuum vrinariorum eijciuntur, dolor ibidem adest. Quod si tussiendo eiectum fuerit ramentum, aliquod ex instrumentis respirationis vlceratum esse significat. Si verò vomitione eiectum fuerit ramentum, gulam, aut ventriculum, quemadmodùm si cum alui excrementis deijciatur, intestinum aliquod exulceratum esse demonstrat.

Hìc sedulò obseruandum, nos vti ramenti vocabulo, iuxta Fuchsij, & aliorum versionem: ἐφελκὶς enim significat ramentum, significatq; crustulam: hanc vltimam versionem habet Copus, quem in hoc sequitur Vallesius, qui Fuchsium ignorantiæ redarguit quod vocem Græcam interpretatus sit ramẽtum; quia, inquit, non est adnatum de essentia partis: crustula verò est quid vlceri adnascens: adeoq; tertiò fonti bene additur crustula, quæ sanè vlcus demonstrat.

Diximus insuper cum Galeno à contentis alienis, alienumue locum occupantibus, desumi partis malè affectæ indicium: & si cui placet hunc constituere quartum modum contenti, & excreti, quo pars malè affecta dignoscitur, non ineptè loquetur. Indicium ergo sumitur ex eo quod est in alieno loco spacioue præter naturam: cuius naturæ est calculus, siue lapis in renibus, aut vesica, aut vreteribus: pus in thorace, grumus sanguinis in quocunq; corporis spatio contentus. Hæc enim omnia partes, in quibus continentur, malè se habere indicant. Similiter, quiuis humor molestus prauusue in ipso animalis corpore genitus, vel extrinsecus ei adueniens, locum malè affectum esse ostendit: Sic ingens inferioris ventris tumor ex aqua inter peritonæum, & intestina contenta, genitus, spatium affectum demonstrat: talis enim tumor præter naturam, hydrops communiter nuncupatur. Vrina etiam retenta tumorem efficit in imo ventre. Humor præterea quiuis spa-

tium aliquòd occupans, & tumorem efficiens partem malè affici ostendit. Tales quippe humores intus in corpore quasi semper nascuntur: à rebus tamen sponte assumptis non rarò intumescit venter; sicuti à rebus coactè ingressis; vt dum quis submergitur, aquã præter voluntatem haurit copiosam; quâ rursus ventriculus, imo totus venter inferior, totumq; demum corpus repletur. Extrinsecùs etiam quandoque aliquis alienus humor venenata qualitate prægnans ex venenatæ feræ morsu, aut ictu, accedit, &, locum in corpore occupans, non leuem indicat labem. Hactenus de excretis, & contentis, secundo fonte vastissimo, vnde quotidiè notæ desumuntur innumeræ quibus internæ partes malè affectæ, ipsique affectus dignoscuntur.

Tertius fons è quo partis malè affectæ signa eruũtur.

Tertius, generalisq; fons, è quo signa partis malè affectæ venamur, est positus, seu situs partium. Quippe durus in dextra hypochondriorum parte tumor, non lienis, sed iecoris laborantis nota est, quemadmodum, si tumor fuerit in sinistra hypochondriorum parte, non iecoris, sed lienis malum portendit. Quoniam iecur secundum maiorem sui partem in dextra corporis parte sub extremitatibus costarum, situm habet. Lien autem in sinistro hypochõdrio à natura sedem obtinuit: quoties ergo alterutrum viscus obstruitur, & in tumorem attollitur, tumor ille læsum ostendit. Proinde rectè Galenus partes internas mediantibus tumoribus aliquando dignosci superius asseruit. Sed tunc partium situm scire necesse est. Partium deniq; situs summoperè iuuat quoties ea quæ excernuntur similia sunt. Nam id quod excernitur in pluribus partibus simile reperitur. Membrana enim multis in partibus internis inuenitur; ex situ autem pars à qua secernitur dignoscitur. Si enim, inquit Galenus, membranosæ tunicæ frustulum excernatur, id exulcerationem esse alicubi ostendit: verùm in qua particula exulceratio facta sit, ex positu, seu situ discetur. Quod enim vomendo fuerit reiectum frustum, aut ventriculi, aut gulæ malum esse ostendit. Quod verò tussiendo, aut gutturis, aut asperæ arteriæ. Quod screando, faucium. Quod mingendo, vrinariæ fistulæ. Si autem per sedem, siue anum, alicuius intestinorum. Si per mulieris pudendum, vteri malum significat. Quiuis autem Medicus, harum, cæterarumq; partium situm accurata diligentia prænoscere debet; cùm similis sit membrana vnius partis membranæ alterius.

Quar-

Quartus fons signorum quibus pars malè affecta detegitur, à doloris proprietate desumitur. Doloris proprietatem, Franciscus Vallesius hoc modo exponit. Vnde constat decipi Fuchsium putātem Galenū, vbi inquit,(at verò constat quod singuli dolores) exēpla scribere argumenti sumpti à doloris proprietate. Nam reuera illic nulla mentio fit speciei doloris, siue sit mordēs, siue grauans, siue pungens, sed positus dolentis particulæ, vt non per doloris speciem, sed per suum positū dolens particula dignoscatur, quod breuissimè dixit Hipp. sententiâ illa, vbi dolor ibi morbus. Hìc frustra contentiosum contra Fuchsiū agit Vallesius, cū Fuchsius Galeni contextū exactissimè sequatur, & Vallesius ipse velit, nolit, Fuchsium; Galeni verba hanc veritatem confirmant. At constat, (inquit cap. 5. lib. 1. de loc. aff.) quòd singuli dolores pro situs varietate laborantē partē indicāt. Hoc etiā modo ea quæ prędicta sunt (de frustulo membranæ per varias vias eiecto loquitur) distinguūtur. Quippe cum in vomitu apparent vlceris notæ, animaduertendum est vtrum anteriores partes iuxta hypochondrium, aut posteriores circa dorsum, dolor aliquis infestet. Qui enim in anterioribus fit dolor, iuxta ventriculum est: qui verò in posterioribus, gulam occupat. Atqui, & os ventriculi, à capacitate ipsius, & gula similiter distinguetur; si deuoratis acribus, hoc quidem in ore ventriculi, aut parte inferiore mordicationem excitet: illud verò in transitu qui per thoracem est. Hæc enim omnia situ distinguuntur, quēadmodum alia ex doloris specie (siue proprietate, vt habet alia versio.) De doloribus verò latius in secundo libro dicemus. Hæc Galenus.

Quartus fons quo partis malè affecta signa deteguntur.

Immeritò Fuchsium reprehendit Vallesius.

Fuchsius, fateor, in commentario statim facit mentionem proprietatis doloris, dum inquit; Quartò laborans particula à proprietate doloris ostenditur. Id enim ideo dixit, quia Galen. in contextu proprietatis doloris meminit. Nam Fuchsius rem statim iuxta Galeni verba exponit dum consequenter ad eius modò citata verba hac serie loquitur. Singuli namque dolores pro varietate situs, laborantem indicant locum. Quod exemplo eorum quæ de gula, & ventriculo dicta sunt, palàm fit. Hæc enim ita distinguuntur. Quum in ijs quæ per vomitum reijciuntur, vlceris notæ apparent, animaduertendum erit, vtrum anteriores iuxta hypochondrium, an posteriores partes circa dorsum dolore aliquo infestentur.

tur. Si enim in anterioribus partibus percipitur dolor, ventriculum molestat. Is namque totam regionem inter iecur, & lienem vacuã, complectitur. Si verò in posterioribus, gulam occupat dolor. Nonne his manifestè indicauit Fuchsius se Galeni doctrinam sequutum: vt etiam longè post in eodem commentario innuit, aiens: Omnia enim hæc situ distinguuntur, quemadmodum alia ex doloris specie. Vallesius ipse in suo commentario ex doloris specie, aut proprietate vnà cum Galeno, & Fuchsio, partem malè affectam dignosci asseruit, aiens: Tamen ex doloris proprietate cognosci nonnunquam patientem locum, nonnunquam passionem facilè fuerit exemplis indicare. Dolor pungens significat inflammatam pleuram, dolor grauans laborans hepar, dolor pulsans inflammationem. His constat Vallesiũ admisisse Galeni doctrinam à Fuchsio fideliter enarratam. Gratis ergo, & contentionis gratiâ Fuchsio aduersatur. Nam, absque dubio vllo, ex doloris proprietate diuersitas affectuum dignoscitur, vt superiùs cum Galeno docuimus: imò & partium affectarum varietas ex doloris similiter varietate dignoscitur. Dolor enim punctorius in membranis persentitur, nec solum pleuræ competit, sed peritonæo, & alijs. Iecori v., renibus, & pulmonibus, cæterisq; partibus parum sensibilibus dolor congruit grauatiuus dictus: qui etiã à copia humorũ superfluorum non raro oritur: vt compertum habent plethorici, siue ij qui nimio sanguine sunt infarcti: è quo superfluo totum corpus adeò grauatur, vt segnitie laboret, & lassitudine, spontanea dicta: quæ nimirum non à motu violento, aut laboribus, sed ab interna repletione generatur.

Vallesius meritò perstringitur.

Cùm hæc vera sint, paulò altiùs de exẽplo à Gal. proposito, cuius cognitio in praxi Medica perutilis est, & necessaria loquendũ. Ex situ ergo varias dolẽtes partes cõprehendimus. Quoties ergo in anteriori parte ventris inferioris paulò infra cartilaginem xyphoidem persentitur dolor, ex situ colligimus talem dolorem in ventriculo esse. Si verò immediatè sub cartilagine xyphoide dolor extet, ventriculi orificium dolet: Si dolor in via, quæ est ab ore per thoracem ad ventriculi orificium vsque, percipitur, signum est in gula, siue œsophago doloris causam existere. Modum explorandi locum, siue partem, dolore affectum, ostendit Galenus dum persuadet deuorandum, aut deglutiendum esse aliquid quod sit acre

(vt acetum, acidumue quid, vel porrum, vel cæpa, vel quid salsum, aut consimile): quod acre deglutitum, in illo transitu qui per thoracem fit, qui gula aut œsophagus dicitur, dolorem in parte eius quæ vlcere, aut solutione continui magna, paruaue, aut intemperie potissimum calida, frigidaue afficitur, dolorem excitat: si causa doloris in ventriculi orificio fuerit, in eodem orificio dolor tunc excitabitur: si infra ventriculi orificium, in ipso ventriculi corpore.

Oesophagi, siue gulæ situs. Vt hæc doctrina meliùs percipiatur, œsophagi, orificij ventriculi, & ipsiusmet ventriculi situm obseruare oportet. Qua de re fusè Galen. lib. 6. de vsu partium capitibus 5 & 6. Oesophagus autem supra mediam vertebrarum ceruicis, & supra reliquas inferiores eiusdē ceruicis vertebras, & quatuor primas vertebras dorsi, ad quintam vsque rectâ deorsum, trachææ arteriæ subtensus deducitur. Postquam verò ad principium quintæ vertebræ thoracis peruenit, aortæ, siue magnæ arteriæ cedit, & versùs dextrum latus ab eadem declinat, medium vertebrarum locum hâc, id est magnâ arteriâ occupante, donec ad nonam dorsi vertebram deuentum est. Tunc gula, seu œsophagus (quem stomachum propriè Græci appellant, teste Galeno lib. 13. Methodi Meden. cap. 17.) sursum (versùs scilicet anteriorem partem, seu sterni finem) à vertebra, eleuatur, (ne dum cibus per eum transit, magna arteria, siue aorta, comprimatur) & versùs sinistrum latus nerueam diaphragmatis, siue septi transuersi partem pertransit, & in ventriculi orificium desinit. Ex his constat gulam spinæ superiacere, & accumbere vsq; fermè ad orificium ventriculi: Quamobrem, quoties eadem malè affecta est, cataplasmata retro supra spinam dorsi esse adhibenda, non autem ad pectus, suadet ratione ductus Galenus lib. 13. Methodi Meden. cap. 17.

Quintus fons è quo signa partis male affectæ eruũtur. Superest exponendus quintus fons signorum quibus partem malè laborantem cognoscimus. Locus ergo malè affectus proprijs symptomatibus aliquando detegitur. Ore quidem ventriculi laborante, siue malè affecto, fastidio laborantes corripiuntur: quoniam malè affecto ventriculi orificio, appetitus deijcitur, & æger fit anxius, fame, quæ ad animalis conseruationem à natura est instituta, deficiente. Hoc symptoma, fastidium scilicet, febricitantibus familiare est, in quibus varij humores funduntur, & ad ventriculum, eiusque orificium, transmittuntur, tàm ab hepate, quam *Fastidium febricitantibus familiare.*

alijs

alijs partibus: imò ipsum ventriculi orificium tunc veluti resoluitur ab extraneo calore febrili; & à calore simul humorum calidorum, putridorumue eò ab hepate, & alijs partibus reiectorum. Fastidium itaque proprium oris ventriculi symptoma constituit Galen. citato cap 5. lib 1. de locis. affectis. Proprium verò symptoma ex Galeno lib. 1. de Crisib. cap. 5. est illud quod simul cum morbo inuadit, & incipit. Aliud symptomatis proprij partis malè affectæ exemplum proponit Galenus, dum ait: Per iecoris verò imbecillitatem, loturæ carnium similia per inferna euacuantur. Quia nimirum imbelle hepar proprio calore destitutum, non probum, sed aquosum conficit sanguinem; qui sanguis aquosus, & nimis fluidus quoquouersum præterlabitur, ad vias per quas hepar se expurgat, vt per secessum, & vrinæ ductus. Vnde in hydropicis, & in ijs qui ad hydropem sunt propensi quotidiè conspicimus vrinas excerni tinctas rubore, veluti ea quæ per secessum deturbantur excrementa, similiter sanguinolenta, & aquæ, in qua caro recens mactata lota fuit, persimilia. Tertium proprij symptomatis exemplum à Galeno propositum, est genarum rubor; ex quo pulmones inflãmatos esse colligimus. Et hæc de signis partis malè affectæ sufficiant.

Proprium symptoma quid.

Post signa affectus præter naturam, & signa partis malè affectæ, signa essent proponenda Morbi Magni, morbi maligni, & morbi acuti, ac morborum his oppositorum; veluti adhuc signa temporum morborum. Sed horum omnium cognitionem hauriet, qui volet, ex ijs quæ à nobis dicta sunt lib. 1. nostræ Pathologiæ capite 6. Morbus verò magnus ex Galeno lib. 4. Methodi cap. 6. tripliciter dicitur. Primò, propter partis excellentiam eiusdem partis morbus magnus dicitur. Vnde morbi cerebri, cordis, & hepatis, magni dici possunt. Secundò, morbus dicitur magnus ex sua essentia, & natura: vt magnum in quauis parte vulnus, magnum corporis incendium, siue febris ardens. Tertiò morbus dicitur magnus propter ipsius cacoëthiam, siue malum morem, aut malignitatem. Quæ malignitas à causa maligna nascitur; vt à veneno, atra bile, excellenti putredine, & alijs huiusmodi pessimis causis. Galeni verba sunt hæc: Nam cum triplici genere morbus quisq; sit grauis, aut propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius cacoetheiam, omnium horum meminit Hippocrates, vbi de purgatione egit.

Trifariàm morbus dicitur magnus.

Ga-

Galenus autem in textu, Græca vtitur voce πάθη, id est vitia, siue passiones: quas, ob præstantiam partis, genere magnas dici docet, etsi aliquoties in specie paruæ sint. Vnde febris Ephemera, quatenus est in genere morborũ cordis, magnus morbus dici potest: quamquam sit species febris benigna satis, & periculo vacans. Nomine partis præstantis, aut præcellentis, censendæ non sunt solæ partes principes, sed quælibet pars quæ ad vitam simpliciter necessaria est, aut ad viuendum maximè vtilis. Vnde pulmo, & ventriculus inter præstantes partes locum merentur. Si celebritatem denique actionis perpendere licet, oculum visionis instrumentum, præstãtem partem appellabimus, veluti etiam aures: Nam in vtrisque actiones eduntur prænobiles; & homini ad discendum valdè congruæ. Morbi ergo lædentes talium partium functiones magni absque dubio dici possunt.

Pars præstans quæ.

Quid morbus magnus sit, in Pathologia exposuimus: & Galenus paucis comprehendit libro 1. de Crisibus cap. 2. vbi magnitudinem morbi, vehementiam appellat. Libro 3. de Crisibus cap. 4. rem eandem repetit, aiens: Dictum autem, & prius est, quod siue vehementiam, siue magnitudinem morbi, quispiam velit nominare, nihil differt. Libro de Constitution. Artis Medicæ cap. 16. signa magnitudinis, & moris morbi scripsit: Magnitudo quippe, inquit, ex affectionis, quæ in illis est, & symptomatum præterea illam consequentium magnitudine, innotescit: Mos, à morbi differentia, symptomatibusq; insequentibus comprehenditur. Eodem libro, cap. 18. morbi magnitudinem ex suis symptomatibus dignosci ait.

Morbus magnus & morbus vehemẽs sunt idem.

Mos morbi vnde deprehẽditur.

Galenus passiones magnas, propter cacoëtheiam appellauit. Et quidem meritò de passionibus in genere, siue de affectibus præter naturam in vniuersum loquutus est. Quoniam causa morbi aliquando maligna est; ipse morbus malignus etiam appellatur, & symptomata quandoq; maligna dicuntur. Morbos quosdam esse malignos, omnes vnanimiter concedunt. Maligna pariter admittit symptomata Hippocrat. lib. 1. Prorrhet. textu 14. dum inquit, tremores superuenientes ijs, qui ob melancholiam delirant, malignum esse Signum. Galenus etiam lib. 4. methodi cap. 4. docet quibusdam morbis accidere, vt sint maligni. Vnde cum morbis sola accidant symptomata, superest vt hæc maligna dici queãt.

Morbus, eius causa & symptoma maligna esse possunt.

Quod confirmat Galen. Commentario 2. in librum 1. Epid. textu 75. vbi quædam symptomata ab Hippocrate enumerata, vt rigores, sudores, pauores, vigilias, quietis, sitisq; vacuitatem, & alia quædam, esse maligna valdè ac lethalia. Quod verò causæ morbi malignæ dicantur, patet ex comment. 3. Prognost. textu 37. vbi Galen. inquit, atram bilem, quæ ex bilis adustione oritur, esse malignam. Et lib. 4. Methodi cap. 5. supponit vlceris difficultatem curandi ex maligna fluxione fieri. Lib. deniq; 4. aph. comm. 43. docuit Galenus febres quasdam ex maligna humorum putredine nasci. Lib. 1. de different. febr. febrem pestilentem à putredine oriri docuit. Ex quibus omnibus constat morbum malignum dici ratione humoris maligni, & symptoma malignum dici propter morbum, & causam. Hæc dicere volui, vt clarius euadat quod superius dixit Galen. de magnitudine morbi, seu de morbo magno.

Signa temporum morbi.

QVod attinet ad quatuor morbi ætates, siue tempora, videnda sunt, quæ de ijs in nostra diximus Pathologia. In quouis salutari, materialiq; morbo, quatuor ætates admittendas esse, concedunt vnanimiter Authores. Galenus lib. 1. de Crisibus cap. 2. vniuersi morbi, vniuersalia hæc quatuor tempora proponit. Sunt enim, inquit, omnia eius (morbi scilicet) tempora quatuor numero, Principium, Incrementum, Status, & Declinatio. Quædam verò ægritudines, ob earum malignitatem, atq; ob ægrotantis imbecillitatem, statim in tempore incrementi hominẽ occidunt: sicut, & quædam aliæ in ipso statu. Rursus docet Galenus, hæc quatuor tempora non esse æqualiter longa in omnibus, sed in breuioribus morbis esse breuia, in longioribus longa. Denique scire oportet, Principium morbi tripliciter accipi. Primò, pro prima morbi inuasione sensibili, siue pro primo insultu morbi, quo actiones sensibiliter lædi incipiunt: à quo insultu enumerari debent dies Critici. Huius acceptionis meminit Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 4. & 6. Secundò, Principium accipitur pro tempore trium dierum primorum morbi: cuius meminit, Galenus lib. 1. de Crisibus cap. 7. Hoc sensu principium ab Hippocrate accipitur lib. 2. Aphor. 29. vbi ait: Incipientibus morbis siquid mo-

In morbis salutaribus quatuor sunt tempora.

Aegri in incremẽto, & statu moriũtur.

Trifariã principiũ dicitur.

mouendum videtur, moue: vigentibus autem quiescere multò præstat. Et sequenti Aphorismo 30. Circa initia & fines morborum remissiora sunt omnia: vigentibus verò vehementiora. Et lib. 1. Aphorism. 12. Quin etiam per ea quæ mox apparent, eadem iudicantur, velut in Pleuritide laborantibus, si sputum statim appareat inter initia, ipsam abbreuiat. Et aphor. 24. eiusdem libri: In acutis morbis raro, & in principijs, medicamentis purgantibus vtendum, &c. Et aphor. 22. eiusdem: Concocta medicamento purgante educenda, & mouenda, non cruda, ni materia turgeat. Item lib. 4. aphoris. 22. Morbis quibusuis incipientibus, si atra bilis supra, infraue exierit, lethale. Itē lib. de Vict. ratione in morb. acut. comment. 2. tex. 45. in connumeratione quorundam vehementium accidentium, subintulit: Hæc autem si in principijs appareant, vehementissimum delirium ostendunt, vtplurimùm autem moriuntur. Lib. 2. Epidem. Sect. 1. Circa morborum principia considerandum, si statim morbus florescat. Hæc enim omnia loca intelligēda sunt de principio, siue initio, siue inceptione morbi, quæ ad tertium vsq; diem vtplurimùm extenditur, teste Galeno lib. 1. de Crisib. cap. 7. imò ad quartum diem ex Capite 6. Principio ideò sanguinem trahere, clysterio vti, &, si res vrgeat, purgare possumus, ex Galeno libro de totius morbi temporib. cap. 2. Tertiò principium accipitur pro toto illo morbi tempore, quo cruditas apparet, & nulla videntur Coctionis, aut putrefactionis signa. Galenus lib. 1. de Chrisibus cap. 20. ait: Cùm iam hoc tibi sine vlla dubitatione constabit, quòd vniuersum illud tempus, in quo nullum est manifestum coctionis signum, primum est ex quatuor morbi temporibus, quod nos Principium nominamus. Libro de totius morbi temporibus cap. 2. in calce eandem habet doctrinam.

Sputū mox in pleuritide apparens.

Augmentum verò morbi est illud tempus, quo symptomata maiora, aut plura fiunt; & coctionis, aut putredinis signa apparent. Loquor cum Auicenna fen. 1. quarti, tracta. 1. cap. 3. qui loco cruditatis facit mentionem putredines, dum refert nulla coctionis, aut putredinis signa in principio apparere. Vult enim coctioni non solam opponi cruditatem, sed insuper putredinem. Et sanè meritò; nam licet cruditas coctioni opponatur, & putredo aliquo pacto sub cruditate contineatur, cruditas maximè in mor-

Augmentum quid.

bi principio apparet. In febribus verò multis, & lethalibus, etsi nulla coctionis indicia in excrementis appareant, hæc putrida, quàm cruda magis congruè dicentur. Nam ex Galeni sententia, totũ tempus cruditatis, in morbis scilicet humoralibus, principiũ dicitur: & iuxta eiusdem Galeni doctrinam, homines in statu, aut declinatione moriuntur: quibus in temporibus si coctionis signa adessent, nequaquam fortassis morerentur. Nam signa coctionis bona semper esse passim affirmat Galenus. In febrium ergo putridarum augmento, & statu, si non apparent signa coctionis in excrementis, hæc putrida quàm cruda rectiùs dicentur. Status morbi, in quo symptomata maximè, & constanter sæuiunt, & coctio perficitur, ac putrefactio: nam à Calore mixto, natiuo scilicet, & febrili, omne opus, febre infestante, efficitur: ab illo coctio, ab hoc putrefactio. Declinatio est tempus morbi, quo cocta apparent cuncta, & symptomatum sæuitia desijt. Galenus lib. 1 de Crisib. fusè satis modum exhibet dignoscendi quatuor hæc vniuersalia morbi tempora. Quoniam tamen principium, & declinatio morbi, sunt mitiora reliquis duobus intermedijs temporibus, ascensu videlicet, siue incremento, siue augmento, & statu, de his vltimis accuratiùs agit. Omnia enim symptomata, vt dixi, in principio, & fine morbi, sunt mitiora, benignioraq;: nam in declinatione suum deposuit feruorem morbus, & in principio, feruorem, aut vehementiam nondum acquisiuit.

Status quid.

Declinatio.

Dicit ergo Galenus cap. 3 cit. lib. 1. de Crisib. ex sola accessionum anticipatione augmentum morbi non colligi: seu anticipationem accessionum non esse augmenti certum indicium: cùm & quartani, & tertiani, & quotidiani quidam circuitus vsq; ad integram harum febrium solutionem ita anticipare visi fuerint; vt citato cap. testatur Galenus, & frequens docet experientia. Nunquid igitur morbus augeatur (inquit Galen.) non ex eo tantùm coniecturari oportet, quòd accessiones anticipẽt: sed etiã earũ longitudinem oportet annotare, & magnitudinem quoque, ac morem, qui cum symptomatibus, v.g. vel sine his, euenit: sicut etiam in intermissione: & de declinatione hæc eadem existimo consideranda. Voco autem intermissionem (Græcè διάλειμμα) quando febris in quietem desierit: declinationem, omnem eius partem, quæ statum ipsum subsequitur, vsque ad secundæ accessionis principium.

Incrementum febriũ intermittentiũ non ex sola accessionum anticipatione colligitur.

cipium. Et paulò post ait: Conuenit autem non solùm aduertere, nunquid secunda accessio consuetam anticipauerit horam, sed nunquid etiam longitudo temporis eadem, aut magnitudo æqualis, aut, quæ nunc adest accessio, sit malignior, aut simplicior. Hæc ipsa etiam sunt in intermissionibus, & declinationibus inspicienda. Longitudinem quidem temporis facillimum est cognoscere: magnitudinem verò, quam & vehementiam vocant, & morem, quem etiam modum appellant, tum ex propria morbi specie, tum ex superuenientibus ei symptomatibus spectanda censeo. Ex propria quidem morbi specie, ea quæ propriam ipsius complent naturam, contemplando: veluti, exempli causâ, in Pleuritide, ad lateris dolorem pungentem, & febrem acutam, & tussim, & spirandi difficultatem. Ex superuenientibus verò symptomatibus, si multa, si diuturna, & valida, atq; maligna etiam extiterint: aut contra, pauca, ac breuis temporis, & parua, & simplicia fuerint: sic & intermissionis, ac declinationis tempus, si longius præcedente, vel breuius: aut toleratu difficilius, vel facilius: aut si quod ex accessione symptoma remanserit, aut omnia cessârint. Si enim ijs, quæ diximus, adsint peiora, morbus augetur manifestè: si verò meliora, declinat. Sit enim vt accessio consuetam anticipet horam: longior etiam fiet, atq; vehementior, malignior que: & cum multis, prauisq; symptomatibus perturbet: sit etiam, vt declinationis tẽpus breue fiat, neq; exquisitè toleratu facile, neq; omninò à symptomatibus accessionis liber: neminẽ futurum arbitror, qui de huiusmodi ægrotantibus quærat, nũquid morbus in eis ad magnitudinem crescat. Rursùs verò fiant omnia his contraria, nimirum ipsius insultûs initium tardet: longitudoq; accessionis, ac magnitudo imminuatur: malignitas mitigetur: & ea, quæ superueniunt symptomata, minora, simplicioraq; fiant, vel neq; omninò superueniant; intermissio etiam, vel declinatio toleratu facilis, longaq; succedat, omniaq; deleat accessionis symptomata: nam & hæc manifestissima sunt declinationis indicia, sicuti priora augmenti. Cũ verò, quæ ad accessiones ambas pertinent, æqualia fuerint, morbum consistere demõstrant. Nunquid igitur plus, quàm erat oportunum, à nobis est dictum? aut aliquid ab Hippocrate prætermissum (lib. 2. Epidem sect. 1.) vbi docet, quo pacto quispiam ex circuitibus inueniat ægritudinis incrementum? Ait enim. Accessio-

Magnitudo, & mos morbi quomodo agnoscũtur.

Augmenti ac declinationis Signa.

Vigoris signa.

Hippocratis verba exponũtur. nes esse inuicem conferendas: si citiùs fiant, vel non: si in longius tempus, vel non: si deniq; magis, vel non: Hoc enim verbum, citius, vel non, nihil aliud ostendit, nisi vtrum accessio horam consuetam anticipauerit; vel tardior facta sit. Illud autem, in longius tẽpus, vel non, nunquid longius perdurauerit tempus, an breuius. Illud verò, magis, vel non, reliqua omnia, quæ à nobis explicata sunt, in se comprehendit: nam, & magnitudinem, & morem ipsius morbi, & superueniẽtia ei symptomata, eorumq; insuper numerũ, in eo, quod dicitur magis, ac minùs, comprehendi existimes: Sic & declinationis (vt quæ, & ipsa sit totius accessionis pars) magis, ac minùs ex eisdẽ inuenire oportet intẽtionibus. Incremẽti itaq; & ascensus; & augmenti (his enim omnibus nominibus, secundum ægritudinis tempus appellant) si citiùs fiat accessio, si longiori tẽpore duret, si magis etiam, indicia sunt: sicuti his cõtraria, declinationis signa ostendunt, si videlicet tardiùs fiat accessio, si breuiori tempore duret: sitq; omninò præcedente accessione debilior. Statum v. indicant, si in eisdem permaneant, atq; persistant. Et quidem sæpè in morbis nullum sensibile tempus inuenitur huiusmodi, sed habente adhuc quarta (si ita contigerit) accessione indicia augmenti, quinta superueniat accessio, declinationis principiũ: quoniã videlicet status momentaneus extiterit adeo, vt nemo, cùm adesset, agnouerit, sed, vt exquisitè dignoscatur, primum declinationis tempus sit necessarium. Simile quiddam etiam accidit in morborum augmentis: nam interdum prior accessio principium simul habuit, & ascensum, & statum; scilicet in prima sui parte principium, deinde ascensum, postremò verò statum: deinde secunda accessio manifestè visa est declinare.

Nota.

Status aliquãdo momẽtaneus, sicuti principium in quibusdam morbis peracutis, teste Galeno.

Galenus hìc expositore non eget, qui accuratè, & prolixè modum dignoscendi tria morbi tempora, augmentum, statum, & declinationem, adinuenit. Principij verò signa facilè ex dictis colligentur. Vnde Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 9. inquit. Sicut igitur non habetur exquisita principij cognitio, antequã incipiat ascensus: ita neque ascensus, antequàm status inuadat. Hinc colligitur, cognito ascensu, & statu, siue vigore morbi, facilè cognosci principium. Libro de totius morbi temporibus cap. 2. cruditatem statuit principij caracterem; eandem posuit doctrinam libro 1. de Crisib. cap. 18.

Totum tẽpus cruditatis dicitur principium.

Gal-

Galenus libro 1. de Crisibus cap 5. & sequentibus, ostendit, Hippocratem ex coctione, & cruditate, desumpsisse distinctiones quatuor temporum vniuersalium morbi. Libro de totius morbi temporibus cap. 3. Hippocratem ipse sequitur, & Tumorum præter naturam tempora distinguit. *Coctio, & cruditas morbi tempora distinguunt.*

Ex essentia ergo morbi, ex symptomatibus, coctione, & cruditate, morborum tempora venamur: quibus addit, & meritò, Galenus cum Hippocrate lib. 1. aphor. 12 anni tempora: Nā anni tempora abbreuiant, aut producunt morbos, & consequenter morborum tempora: vnde Hippocr. lib. 2. aphorismorum 25. ait: Æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt: autumnales verò longæ, & præsertim quæ ad hyemem attingunt. Sic pariter, & omnis morbus alius æstate quidem breuiorem, hyeme verò diuturniorem habet crisim: & principium sic æstate breuius, hyeme verò longius habebit: similem quoq; seruabit in alijs temporibus intermedijs proportionem. Sic quidem & anni tempora morborum constitutiones prænunciant, vt cap. 4. primi de Crisib loquitur Galenus. Certum enim est tempore calidiori humores esse tenuiores, & crassos faciliùs attenuari, & corporis meatus esse apertos, & idoneos, vt per eos fiat superfluitatum euacuatio. Hyeme verò his contraria accidunt: proinde morbi prorogantur. *Tempora morborum ex tribus desumuntur, quibus adde tempus anni.*

Similiter morbi calidi, morbiq; omnes acuti, tēpora morbi breuiora fore indicant: è contra morbi longi sua habent tempora nimis protracta.

Accessiones ad inuicem collatæ, tempora morbi vnà cum reliquis superiùs expositis, indicant: & modo à Galeno proposito, ac à nobis paulò ante traducto.

Vtilitatem cognitionis temporum morborū lib. 1. de crisib. Galenus exhibet, sed accuratè lib. de totius morbi temporibus cap. 8. & vltimo. Loquendo autem de medicamentis, docet, in vigore morbi ea præpollere debere, quæ vim habent mitigandi eiusdem morbi vehementiam: in principio autem, & fine morbi, adhibenda esse medicamenta vehementia, siue magna, præcipit. Et quidem quia his temporibus non ita naturam vexat morbus cum suis symptomatibus, sicuti in augmēto & vigore: Etenim (inquit, aphorismum 30. lib. 2. pronuncians) circa initia, & fines, omnia imbecilliora sunt: in vigore fortiora, quæ hæc intercedunt tempora *Vtilitas dignoscendi tempora morborū.*

ra morbi, medio ordine cōſiſtunt tempora, quæ inter principium vigorem, & finem intercedunt, explicat ibidem Galen. Quæ namque partes morbi principio eiuſdem quàm vigori ſunt magis vicinæ, & fini ſiue declinationi quàm vigori, ſiue ſtatui, ſunt mitiores illis partibus quæ vtrinque ad vigorem magis accedunt: partes verò morbi quæ æqualiter diſtant à principio, & vigore, & à fine morbi ac eodem vigore, medio modo ſe habent. Vnde inter medendum hæc diligenter obſeruanda. Vt etiam victus debitè administretur, temporum morbi cognitio eſt protenus neceſſaria: nám alendum pro vt morbi vigor differtur, aut citò apparet. Omnimodè autem à cibo abſtinendum (dummodò vires id tollerent) quoties morbi vigor intra breue tempus acceſſurus eſt: Si verò non niſi poſt longum tempus accedere debet, ſtatim à principio æger alendus eſt, ne vires deficiant, & ille demũ hoſti ſuccumbat. Hanc doctrinam pluribus aphoriſmis expreſſit Hippocr. lib. 1. aphoriſmorum: in cuius 10. rem concludens ait: Quibus igitur ſtatim vigor adeſt, tenuiter alendi: quibus verò poſtea vigor futurus eſt, ijs ſub illud tēpus, & paulò ante ſubtrahēdum. Priùs verò vberiùs alendum, quo durare poſſit æger. Sed hæc de vniuerſalibus morbi temporibus, ſiue permutationibus ſufficiant: ex quorum cognitione particularia acceſſionum tempora (de quibus Galenus peculiari libro cui hic præfixus eſt titulus, de morborum temporibus) colliguntur, iuxta quorum diuerſitatem cibus etiam conceditur, vel ſubtrahitur, vt lib. 1. aph. 11. & 19. præcipit Hippocr.

CAPVT XIX.

De Signis ſtatus neutrius.

Salubre triplíciter dicitur: item inſalubre, & neutrum.

Ex hactenus dictis non erit difficilè neutrorum ſignorum naturam eruere: cum ſint ſigna mediæ naturæ inter ſigna ſtatus ſani, & ſigna ſtatus ægri, aut inſalubris, vt quibuſdam placet: qui Galenum ſequuti, ſtatum neutrum, inter benè ſanum, & inſalubrem collocant; licet reuera varijs in locis ſtatum neutrũ repoſuerit inter ſanitatem, & morbum. Vt res hæc clarior euadat, repetenda ſunt nonnulla ex Arte Medicinali, in cuius cap. 2. ait ſalubre, tripliciter dici, inſalubre ſimiliter, & neutrum. Nam ſalubre dicitur corpus, ſalubris dicitur cauſa, & ſalubre dicitur ſignũ: ſimi-

similiter insalubre conuenit corpori, signo, & causæ: neutrum pari modo dicitur modò corpus, modò causa, modò signum.

Capite 3. eiusdem libri ait vnumquodq; subsequentium, Effectiuum scilicet, id est, causam, indicatiuum, id est signum, & susceptiuum, id est corpus dupliciter dici, simpliciter, & vt nunc. Aristot. libro 1. Elench. aliquid simpliciter esse tale asserit, quod tale est absq; vllo addito, & omni quidem tempore: vt homo simpliciter est risibilis. Id verò, quòd non est simpliciter tale, dicitur esse secundum quid tale, v.g. Aethiops est albus, non simpliciter, sed secundum dentes. Vnde secundùm partem tantum dicitur albus. Secundùm tempus verò aliquid dicitur tale, vt quando aliquid nunc est tale, quod tamen semper non est huiusmodi. Vt Petrus naturaliter pallidus, dicitur nunc rubicundus, vel quia erubescit, vel quia ab interna, aut externa calefaciente causa excandescit. Dicitur aliquid secundùm quid tale ratione, vbi, vt aliquid bonum, & conueniens dicitur esse in domo, aut templo. In ordine, ad aliquid, dicitur aliquid secundùm quid tale, vt id quod temperatum est, frigidum esse dicitur respectu eius, quod est intensè calidum. Galen. hanc doctrinam obseruans, salubre simpliciter appellat id omne, quod omni tempore est tale. Salubre verò vt nunc, dicitur aliquid, quod præsenti tempore, & non semper est tale. Similiter, insalubre, dicitur simpliciter, aut vt nunc tale: neutrum pariter est simpliciter, vel vt nunc tale. Loco enim effectiui, indicatiui, & susceptiui, vtor salubri, insalubri, & neutro, quia ita clarior euadit oratio, & id ipsum dicere in contèxtu voluit Galen. licèt effectiuum sit causa, indicatiuum signum, susceptiuum, corpus; de horum tamen vnoquoq; dicitur salubre, insalubre, & neutrum.

Simpliciter & vt nunc.

Simpliciter, & secundùm quid tale quid.

Docet adhuc eodem cap. Galen. ipsum, simpliciter, duobus modis dici, & quod semper tale est, quale dicitur, & quod vt multum, siue vt plurimum, tale est, quale etiam nuncupatur. Nos cum Galeno superiùs exposuimus has præcipuas differẽtias corporis sani.

Simpliciter bifariã dicitur.

Rursus in capite docet, Neutrum dici de causa, de corpore, & de signo, & vnumquodque horum dici simpliciter tale, & vt nunc etiam tale. Et horum præterea vnumquodque in tria genera discindi: quorum primum est illud neutrum, quod neutrius contrariorum est particeps: & huiusmodi neutrum tale dicitur per nega-

Neutrum est simpliciter tale, vel vt nũc tale.

Neutrum simpliciter & vt nūc, est triplex. tionem extremorum. Secundum genus neutrius dicitur neutrum, quod est vtriusque extremi particeps; & dicitur neutrum per participationem cōtrariorum. Tertium genus neutrius est illud, quod aliquando est particeps vnius contrarij, aliquando alterius. *Neutrum secundi generis subdiuiditur.* Secundum genus neutrius iam expositum, rursus subdiuiditur in neutrum, quod ex æquo extrema participat, & in neutrum, quod aliquando plus vnius extremi, quam alterius est particeps. De corpore neutro cap. 6. Artis Medicæ fusè tractat Galenus.

De signis neutris, cap. 7. eiusdem libri à nobis in superioribus scripto. Copiosiùs tamen, & perspicaciùs neutra signa enumerat capit. 82. & 83. Artis Medicæ, & capite 19. lib. de constitutione Artis Medicæ. Ex quibus vnusquisque quamplurima signa neutra colligere poterit, cum nimis prolixum esset integra illa capita huc transferre. Vtrobique enim monet Galenus signa illa neutra non statim indicare aliquem in morbum casurū, donec læsio actionum tanta fuerit, vt à solito functionum exercitio hominem prohibeat. *Plura signa neutra.* Neque enim (inquit Galen. cap. 19. citato) si dolor quispiam aliquem, vel secundum caput, vel secundum aliā quampiam partem infestet, statim tantus est, vt hominem loco decumbere cogat. Neque si grauedo præterea caput, aut præcordia, aut alias partes, vel alia viscera detineat, tanta etiam erit, vt à cōsuetis functionibus desistere faciat. Corporis etiam tumor, aut gracilitas, decoloratio, pigritia in motu, procliuitas in somnum, vigilia, non sufficiunt, vt ab actionibus, quibus ad vitæ munera peragenda egemus, detrahant, nec cibi appetentia, vel nimis adaucta, aut omninò ablata: nam & hæc ambo ad corpus pertinēt non integrè sanum: sicut nimia siti torqueri, vel eius esse nimis expertem. Secundùm stomachum etiam, vel ventrem morderi, aut se lassum sentire: quippè hæc est ferè eorum formula, quæ illis contingunt, qui procliues sunt in morbos. Hæc Galenus, qui de ijs potissimùm loquitur, qui sunt in morbos propēsi: huiusmodi sunt hi, qui qualitate praua, aut quantitate humorum potissimùm infestantur, quique sunt in neutro statu, sicuti conualescentes, & senes plerique sexagesimum annum prætereuntes.

Cum hîc facta fuerit mentio doloris capitis, repetamus id, cuius in superioribus mentionem fecimus, modū scilicet dignoscendi partem affectam per consensum. Pars namque per consensum

læditur, quoties ad eam ea, quæ ad actiones proprias edēdas sunt necessaria non transmittuntur, vel quoties per consensum vnius partis altera læditur, ob transmissum nimirum ad hanc aliquid superfluum. Primo modo amittitur sensus, & motus in varijs corporis partibus, quoties à cerebro, ob aliquod impedimētum, ad easdem facultas animalis non transmittitur. Per consensum in syncope omnes corporis partes frigescunt, quia spiritus à corde ad eas tunc non transmittitur: Corpus vniuersum, aut pars aliqua atrophia, aut alimenti defectu, aliquando laborat, & in macilentiam, ac tabem incidit; quia ad partes conueniens alimentum nō transmittitur; vel quia hepar, aliæuè partes obstructione laborant, aut compressione, à quibus boni, transmissiq; alimenti penetratio prohibetur. Secundo modo Caput per consensum ventriculi non raro dolet; quia à ventriculo sursum superflui eleuantur vapores, Caput ferientes. Paraphrenitis similiter in febribus non raro excitatur ob fuliginosos, igneosque vapores, ex sanguine nimium feruente in caput delatos. Caput tunc per consensum dolere dicitur; quia aucto Ventriculi dolore Capitis dolor augetur, eoq; sedato, hic sedatur: quod non contingit, quoties primariò, & per se dolor Caput occupat: Nam fermè semper hic vexat. Idem de Paraphrenitide dicendum, quæ augetur aucta febre, & minuitur hâc diminuta. Per consensum Cerebri, Cordis, & Hepatis, Corporis partes quotidiè patiuntur. Et hæ eædem principes partes per consensum aliarum partium plurimarum læduntur; vel propter viciniam, vel ratione generis. Ob viciniam Cor læditur, læso grauiter ventriculi orificio. Ratione generis Cerebrum patitur, quoties nerui grauiter læduntur. Vnde Vtero læso, læditur Caput: neruos enim habet plurimos, & spinali medullæ, aut saltem vertebris colligatur. Ventriculi pariter orificio læso, compatitur cerebrum, propter neruos sextæ coniugationis eidem orificio, & toti ventriculo insertos. Sed hæc de his sufficiant. Et huius Libri Primi hic finis esto.

Pars læsa per cōsensum.

Atrophia.

Paraphrenitis.

Dolor capitis per cōsensum.



NELLANI (aliàs NIELLI) ó GLACAN, TIRCONALLIENSIS HIBERNI,

SEMEIOTICA.

LIBER SECVNDVS, De Crisibus.

CAPVT I.

De Inuentione, & varijs Significationibus Crisis.



Superiori Libro Signa Diagnostica omnis generis, statûs nimirum naturalis, statûs præter naturam, & statûs neutrius, abundè exposuimus. Ea deinceps examinanda, quæ futurum morborum euentum præindicant, vel ad prædictionem proximè conferunt, & Prognostica idcircò appellantur. Hæc à nobis in tres classes, cum Galeno, sunt distributa. Prima classis est Criticorum Signorum: Secunda, Coctionis, & cruditatis: Tertia, Salutis, & mortis. Hoc Secundo Libro Signa critica, nonnihil de alijs intermiscendo, examinabimus; præpositis tamen quidditate, & differentijs Criseos. Deinceps Crisis causas, ac Decretorios dies, ad amussim reducere conabimur.

Huius doctrinæ scopus.

Doctrinæ criticæ necessitas.

Necessitatem huius doctrinæ de Crisibus longa oratione prosequi, prorsùs inane foret; cùm omnibus cõspicuum esse arbitrer, nihil de futuro morborum euentu, sine Crisis cognitione, prædici posse: nec victum similiter, nec medicamentum purgans, sine crisis, & dierum decretoriorum notione, rectè præscribi, vt ex ijs, quæ in libri huius decursu dicentur, liquidò constabit.

Huius

Huius doctrinæ veritatem, inter alia, abundè confirmant, quæ habet Hippocrates lib. 1. Aphorism. 20. Quæ iudicantur, inquit, & iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere oportet. Hinc colligitur, quàm sit Crisium cognitio ad curandum necessaria, cùm peracta Crisi, aut bona iam inchoata Medico non liceat vlla exhibere medicamenta; imò nec, nisi valdè regulariter, alimēta. Medicamentorum ideò vsum non solùm crisi bona incepta, verumetiam diebus imparibus, in quibus plerumq; Crises fiunt, libro 4. de Morbis improbat, aiens: Qui iam febre continente detenti, diebus paribus medicamentum purgans sumpserunt, ij sanè supra modum nunquam purgati sunt. Qui verò diebus imparibus vehemens medicamentum sumpserunt, ij purgati sunt, multiq; etiam supra modum purgati perierunt. Superiores igitur Medici in hoc maximè peccârunt, quod diebus imparibus medicamenta purgantia exhibebant, & homines interimebant, id ita se habere ignorantes. Humor enim in ægrotantis corpore magis diebus imparibus conturbatur, nimirum cùm corpus ad ventriculum humiditatem transmittat. Et si quis iam commotum medicamento iniecto magis commoueat, non mirum est, si quis ex his pereat: Et reliqua, quæ inibi de vlceribus referuntur.

Doctrinæ criticæ necessitatem confirmat Hippocrates.

Error Medicorū exhibentium medicamēta purgantia diebus criticis.

Alimenta itidem rectè propinari nequeunt, sine exacta Crisis cognitione. Vnde Philonis filia, teste Hippocrate in Epidemijs, postquàm die septimo, liberali superueniēte hæmorrhagia, à morbo liberata est, interijt tamen, quia eadem die lautiùs cænauit. Libro 1. Aphoris. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. cautè victu vtendum præcipit ingruente Crisi, aut morbi vigore, quia in hoc morbi tempore Crisis fieri consueuit.

Error in liberali victu cōmissus die critico.

Nec solùm, vt victus, & medicamenta debitè præscribantur, Crisis cognitio necessaria censetur, sed præterea, vt Medicus suo præcaueat honori, futuram Crisim, ex signis eam antecedētibus, prænoscendo. Subitò porrò, instar vehementis tempestatis, subortis varijs symptomatibus, ægrum immaniter infestantibus, statim imperiti Astantes deterrentur, peritus verò Medicus neutiquàm: nam quæ futura sunt prænotcit, prædicitque, instar peritissimi Nautæ, futuram mox tempestatem, breui cessuram, vel diù duraturam prænunciantis.

Medico ad prænoscendū doctrina critica est necessaria.

Nam

Inuentio nominis Crisis. Nomen Crisis à nullo Medico inuentum est, sed ad vsum Medicum è foro iudiciali translatum; & quidem priùs à vulgari quodam homine, qui dum ægrum quendam maximè turbatũ, & agitatum varijs symptomatibus, ijsq; criticis, conspiceret, inde territus exclamat, aiens, Iudicium de vita ægrotantis ferri: vt habetur apud Galenum lib. 3. de Crisib. cap. 2. lib. 1. de Diebus Decretorijs cap. 1. & Comment. 3. Prognostic. tex. 1.

Varia Crisis significationes proponuntur. Varias Crisis significationes, & etymologias, inter alios, proponunt Ludouicus Lemosius doctissimus iam pridem in Salmanticensi Vniuersitate apud Hispanos publicus Professor, qui exactissimè, siquis alius, Crisium doctrinam libris 4. 5. & 6. de optima prædicendi ratione, discussit: & Andreas Laurentius, Henrici IV. Galliarũ Regis Archiater, Lemosium sequutus; veluti vtrumq; Iulius Cæsar Claudinus huius Florentissimæ Vniuersitatis Bononiensis ante aliquot annos publicus Professor. Sed omnibus plurimum lucis suppeditauit Germanorum Galenus Leonardus Fuchsius suis commentarijs in tres Galeni libros de Iudicijs, siue de Crisibus.

Vox igitur Græca, κρίσις, à verbo κρίνω, idest, iudico, aut sententiam fero, deriuari commodè potest: cùm Crisis Galeno frequentissimè iudicium vocetur.

Cæterùm, qui autumant nullam esse paritatem inter forense iudicium, & certamen illud, siue conflictum, inter naturam ægri, & morbum, subitò ortum, Crisim ἀπὸ τοῦ κρίνειν, idest, à secernere, deriuari contendunt. Hoc in sensu Galenum loquutũ aiunt lib. 2. aphoris 13. vbi inquit, Crisim fieri Naturâ secernente superfluos, malosq; humores à bonis, eosdemq; ad excretionem disponente. Galenus tamen dictam paritatem probat lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 1. vbi postquàm varia symptomata Crisim antecedentia proposuit, sequentia scripsit. Atque hîc iam vniuersos, qui adsunt, in metu esse maximo videre licet, audireque dicentes, quòd æger nihil ab ijs, qui in foro de morte iudicantur, differat. Vnde mihi quidam Medicorum ne adfuisse quidem huiusmodi ægrotantium perturbationibus videntur; vel non inquirerent, quid Iudicationis vocabulo significaretur, neq; an res ita fieri posset, vel minus. His, & subsequentibus verbis Medicorum ignorantiam propalat Galen. Nam licet in Crisi bona, excretio fiat, vel abscessus, non

tamen

tamen in omni Crisi: cum tamen omnis Crisis Iudicium meritò dici queat.

Nonnullis placet, Crisim à κρίνει, ideſt excernere deriuari, quo in ſenſu Ariſtotelem in Problematibus loquutum affirmant, veluti Hippocratem libro de Artic. ſect. 4. vbi corrupti oſſis excretionem Criſim appellat.

Non deſunt, qui aliã verbi κρίνω ſignificationem amplexi, Criſim certamen appellant. Nam verbum κρίνω apud Veteres quoſdam idem ſonat, ac certo. Vnde Criſis, iudicium, certamen, ſecretio, & excretio, nuncupari poteſt: & ita vocis Criſis ſignificatio quadruplex erit, iuxta quadruplicem verbi κρίνω, à quo Criſis deriuatur, ſignificationem.

Plures vocis κρίνω ſignificationes Græcæ linguæ Interpretes propoſuêre. Homerus enim 2. Iliados eâ vtitur, & apud eum ſignificat, ſecerno, diſcerno, dirimo: Libro 6. Iliad. ſeligo, deligo: Lib. 16. Iliados, idem eſt ac diſcepto, iudico. Apud Platonem 2. de Repub. idem eſt ac iudico. Apud Ariſtotelem alicubi, dijudico. Item apud Sopho. in Aiace, adiudico. Apud Polybium, ſtatuo, conſtituo. Apud Antiph. accuſo, diem dico, reum ago, defero. κρίνομαι idem eſt ac κρίνω; ſeligo, deligo; vt in 4. Odiſſ. habetur. Iliados 3. decerno: vt bello decernamus. Et apud Polybium de ſumma rerum, prælio decernere. Apud Pauſaniam decernor. Apud Thucididem lib. 1. iudicor, cenſeor. Apud Polyb. ſtatuor, conſtituor. Item idem eſt, ac dies mihi dicitur, accuſor. In nouo Teſtamento, damnor. Item apud Thucidid. lib. 6. examinor, exploror, quæſtio de me habetur. Κρίσις verò idem eſt ac iudicatio, ideſt, ipſa iudicandi actio, Item iudicium, ſententia, quæ de re aliqua fertur: cauſæ dictio, accuſatio, accuſationis tẽpus, lis, controuerſia. Item decretorium belli prælium. Plures adhuc ſignificationes Authores habent.

Vſus denique, ſiue acceptio nominis Criſis apud Medicos multiplex eſt. Primò enim, idem eſt ac morbi ſolutio: quo in ſenſu loquutus eſt Hippocrates in Prognoſticis, vbi ait: Iudicantur autem huiuſmodi vno die, & vna nocte. Iudicantur, ibi idem eſt ac finiuntur, teſte Celſo. Galenus lib. 1. de diebus decretor. cap. 9. Dioclis opinionem fuiſſe narrat, primũ, & ſecundũ morbi diem eſſe decretorios. Rurſuſq; ait: Quomodo igitur de hoc intelli- *Varij vſus Criſis apud Hippoc. & Galen. proponuntur.* *Primus, & ſecundus morbi dies ex Diocle sũt critici.*

gendum

gendum sit, distinctione docebimus: Nam si præceps ac subita in ægrotantis corpore perturbatio, morbi solutionem præcedēs, Crisis, siue iudicium nominatur, neq; primum diem, neq; secundum, Decretorios esse censebimus; quia illa velut fluctuatio (idest perturbatio) quæ solutionem præcedit, nequaquam in his est conspicua. Si verò solutionem simpliciter, Iudicium voces, hi quoque erunt Decretorij. Certè omnes febres diariæ solutionem partim in primo statim die, partim in secundo, nanciscuntur. Libro de Præceptionibus de Crisi sic loquitur Hippocrates: κρίσις δὲ, ἀπόλυσις νόσου: idest, iudicatio verò, morbi dissolutio est. Morbi autem solutio simpliciter accepta, est morbi sine subita mutatione, aut noua perturbatione, terminatio, teste Galeno lib. 1. de Dieb. Decretor. cap. 9. Vel est solutio, quæ in longiori tempore, & paulatim facta est, vt habet idem Galen. lib. 3. de Crisib. cap. 7. Et reuera in hoc sensu, libro iam cit. loquutus est Hippocrates, vt ex verbis præpositi textûs modò allatis cōstat. In morbo, inquit, non perturbari, diuturnitatem indicat, iudicatio verò morbi dissolutio est. Hinc conficitur, Hippocratem hîc de solutione morbi, quæ lentè, & paulatim fit, loqui, eamq; ab eo Crisim appellari. Morbi verumtamen, qui paulatim terminantur, siue ad salutem, siue ad mortem, solui dicuntur, nequaquam criticè terminari, teste Galeno lib. 3. de Crisib. cap. 1. & 7.

Solutio morbi simpliciter fit in diaria febre.

Quid Crisis.

Quid simplex solutio morbi.

Secundò, Crisis accipitur pro omni morbi solutione, teste Galeno lib. 1. de Crisib. cap. 1. & lib. 1. de Dieb. Decretor. cap. 1. veluti lib. 3. de Crisib. cap. 7. quo in sensu solutionem morbi quouis modo, idest, Criticè, & non criticè, factam vox Crisis complectitur. Hanc solutionem confusè satis, cum solutione simpliciter factâ aliqui confundunt: cùm simpliciter facta solutio accipi consueuerit pro ea sola, quæ sine Crisi terminatur: De qua potissimùm in præcedentibus.

Tertiò, Crisis accipitur pro subita mutatione morbi ad salutem, vel ad mortem: Quæ significatio est vera, & genuina, vt deinceps fusè aperietur. Hanc passim, tanquàm præcipuam, in suis operibus insinuat Galenus: vt libro 1. de Crisibus cap. 1. lib. 1. Epidem. comment. 3. Comment. 3. Prognost. tex. 1. lib. 2. Aphorism. 13. & 23. & alibi passim.

Quartò, Crisis accipitur pro perturbatione, quæ Crisim antecedit,

dit, teste Galeno lib. 1. de Crisib. cap. 1. & lib. 1. de diebus Decretor. cap. 1. vbi inquit: Nos sanè turbationem in morbo adeò subitam, iudicium, seu Crisim appellamus: atq; finire ipsam plerumque ad salutem, interim ad exitium ægrotantis, affirmamus. Quid turbatio sit, Galenus in antecedentibus verbis, & alibi, exposuit. Turbatur enim æger, quoties quædam symptomata de nouo suscitantur, quæ corpus exercent, adeòq; vexant, vt mirum in modum non rarò torqueatur, & à suis functionibus obeundis prohibeatur. Dum enim Cardiogmo, siue dolore orificij ventriculi, aliquis ante vomitum infestatur, vniuersum corpus turbatur. Nam Cor, ob viciniam, compatitur: Cerebrum similiter per consensum laborat; quoniam tunc nerui orificio vẽtriculi inserti, non mediocriter patiuntur; quibus & Cerebrum, eorum origo, correspondens, compatitur. Oculis deniq; caligo superuenit, quemadmodum & alijs partibus alia accidentia. Nam tunc pugna initur acerrima inter naturam, & morbum, causamque morbificam, quæ tunc vehementer agitatur: Agitationem verò, & turgentiam sequitur excretio, vel abscessus, si Natura est superior: si verò succumbit, aliquandò modicum, aut nihil deturbatur. Perturbatio itaq; in morbo nihil est aliud, quàm quorundam superuenientium symptomatum concursus, seu potiùs agitatio Corporis, ab his orta symptomatibus, vel à morbo, morbique causa testibus superuenientibus symptomatibus. Et hæc superuenientia symptomata sunt signa Crisim antecedentia; de quibus singulatim deinceps agemus, cuiusuis euacuationis criticę pręcedẽtia Signa exponẽtes.

Cardiogmus quid.

Cor, & cerebrum laborãti orificio ventriculi cõpatiuntur, seu per cõsensum læduntur.

Perturbatio quid.

Quintò, Crisis pro excretione, siue euacuatione accipitur: vt habet Hippocrates librò de locis, siue partibus in Homine, vbi inquit: Medicamentum benè sanis non propinandum; neque enim euacuantur nisi modicum: Græca quidem vox κρίνονται, latinè sonat, euacuantur. Libro de Articulis adhuc Hippocrates femoris os octogesimo die abscedere vidit: & quidem criticè; nam consimili die crisis contingere potest. Partem pariter aliquam exteriorem, carneam nimirum, nerueam, aut consimilem, & iam mortuam, criticè decidere docet.

Sextò, Crisis accipitur pro violentis Naturæ motibus, conatibusque. Vnde Hippocrates libro de Septimestri Partu (nihil enim hac de re habet libro de Octimestri Partu, vt mendosè suadet Lau-

rentius, & perperàm ex Laurentio supponit Claudinus, qui ordine solummodò transmutato, omnia, quæ habet hac de re Laurentius, sua facit) inquit: At verò mulieribus fætuum conceptiones, & abortiones, & partus eodem tempore iudicantur, quo & morbi, & sanitas, & mors cunctis mortalibus contingunt. Alia versio verborum Hippocratis hoc modo se habet. Verumenimuerò conceptus, & abortus, & partus mulieribus in eo tẽpore, in quo etiam morbi, & sanitas, & mors, omnibus hominibus, fiunt. Prima tamen versio præstantior est: Nam Græcè habetur: ἐν τουτέῳ τῷ χρόνῳ κρίνονται: idest, eodem tempore iudicantur. Malè ergo loco, iudicantur, ponitur, fiunt, in vltima versione. Post citata verba sequentia profert Hippoc. Sed istorũ omnium alia quidem diebus, alia mensibus, alia dierum quadragenarijs, alia annorum spatio contingunt. In his enim omnibus temporibus multa quidem cuiq; conferentia, multa quoq; aduersa insunt. Ex quibus quæ conducunt, sanitatem, & incrementa, contraria verò morbos, & mortem adferunt. Eodem adhuc libro de Septimestri Partu, inquit: At mensis octauus minimè ambiguus est. Per hunc enim contingit, vt iudicatio difficilis sit. Verba enim Græca his vltimis Latinis correspondentia, sunt hæc: ὥστε δυσκρίτως ἔχειν.

Triplex significatio crisis ab Hippocrate insinuata lib. 1. aphoris.

Septimò, Crisis accipitur pro morbi temporibus, & exacerbatione, siue accessione, lib. 1. aphor. 19. qui hoc modo scriptus est: Ijs, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes. Galenus in Comment. rem hoc pacto exponit: Quod autem dicitur in aphorismo, Ante iudicationes; Id intelligas ante accessiones quascunq; simpliciter, vel ante morbi vigores, vel ante illas, quæ propriè iudicationes nominantur. Nam hic triplex intellectus, verus est. Primus autem magis videtur ad propositum pertinere: si videlicet ante, accessiones, intelligamus. Nam de morbi vigore consistentis, priùs dictum est (aphorismo videlicet 8.) & si de hoc intelligatur, etiam de iudicatione intelligetur: quoniam magna ex parte morbo in suo vigore consistente fiunt iudicationes. Hîc clarè docet Galenus, Accessiones, Crises appellari, similiter & vigores: nec mirum, cùm in morbi vigore crisis fieri debeat. Accessiones pariter, etsi sua habeant peculiaria tempora, morbi vniuersalis vigores commodè dici possunt. Vnde in accessionibus, veluti in vigore, cibos

In morbi vigore fiũt Crises.

dari prohibet Hippocrates aphorism. 11. libri 1. In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. Galenus in Commentario ait: Totius quidem victûs rationem in vnoquoq; morbo à duabus intentionibus iussit assumere, ex summo totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis. Quomodo verò quispiam particulatim cibum offerat conuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubens morborum accessiones. Ipse verò manifestiùs in lib. de victu acutorum, dixit, quòd neque, cùm iam adsunt, neq; haud ita multò post affuturæ sunt accessiones, cibus dandus est, sed cùm declinant, aut cessant. Hæc Galenus; cum quo, & Hippocrate, dicendum, in accessionibus, & vigore à cibis abstinendum, quoniam his temporibus crises plerumque cõtingunt. Proindeq; Natura materiæ morbificę excretioni occupata nullatenùs interpellanda est. Quòd in accessionibus, præsertim in harum vigore, crisis superueniat, docet Galenus libro 1. de Dieb. Decretor. cap. 8. vbi inquit: Nam in accessionibus plurimùm iudicia contingunt. Hippocrates 4. Aphoris. 59. idipsum confirmat, dum inquit: Tertiana exquisita iudicatur in septem circuitibus, cùm longissima est. Galenus in Comment. veluti comment. 3. in lib. 1. Epidemion tex. 17. accessionum vim ostendens, ait: Quod enim in continuis vna dies valet, hoc in intermittẽtibus accessio: secundùm igitur istarum connumerationem, earum fiunt iudicationes. Hoc autem innuit & ipse in Prognostico, vbi de Quartana loquitur, ita inquiens: Seruat etiam Quartanarum constitutio ordinem talem. Est autem & à nobis obseruatum, tum in Quartanis, tum etiam in Tertianis, fieri iudicationem secundùm numerum circuituum, non dierum. Nimirum in tertiana febre ab initio septima accessio in tertium & decimũ incidit diem, & sæpiùs in ipso morbus iudicatur, non expectato quartodecimo. Sicut igitur in morbis continuis, acutorum quidem morborum terminus est decimusquartus, peracutorum verò septimus: sic in intermittentibus, longissima tertiana febris terminum habet circuitum septimum. Videsis, reliqua in Aphorismi citati Cõmentario. Eodem lib. 4. Aphorism. 36. ait etiam Galenus: Didicimus autem, quod in vehementioribus accessionibus iudicia fiunt, & quòd morbi, qui in diebus imparibus accessionem habent, citiùs iudicantur, qui verò pari-

Duæ oresiones cibãdi in morbis.

Cibus propinãdus in accessionis declinatione, vel postquam cessauit.

In morbis intermittentib. dies remissionis nõ sunt inter criticos numerãdi, sed dies potiùs accessionum, in quibus solis fiũt Crises.

bus, tardant. Atque ideò si in principio aliquis morbus peracerbus est, hoc magis accidit in diebus imparibus: si tardare debeat in dies pares vehementiores accessiones incidunt. Hæc igitur habeo dicere de die quarto &c.

Octauò, Crisis accipitur pro mutatione ad salutem (aut fortassis meliorem statum): Talis enim Crisis simpliciter Crisis nuncupatur, vt libro 3. de Crisibus cap. 4. testatur Galenus, inquiens: Reliquæ enim Crises coniecturâ quadã artificiosâ præcognoscuntur. Optimam verò Crisim (quam etiam solam Crisim simpliciter vocari diximus) non per coniecturam, sed firma cognitione comprehendes. Eodem libro cap. 2. statim in limine, etiam ait: Sola igitur subita ad sanitatem conuersio, simpliciter crisis nominatur. Commentario 4. in lib. de Vict. rat. in morb. acut. idem testatur Galenus. Vnde lib. 2. aphor. 13. inquit; Quoniam plures iudicationes in bonum terminantur. Nouimus enim plures esse ex ægrotis sanatos, quàm mortuos, nisi sit pestilens constitutio.

Tempore pestilentiæ plures moriũtur quã sanantur.

Nonò, Crisis accipitur pro ipso exitio, siue interitu apud Hippocratem in Coacis Prænotionib. vbi ait, linguam quæ multùm nigrescit, crisim decimoquarto die futuram, præostendere. Crisis enim inibi pro sanitate iam desperata accipitur, & indubitanter, pro morte. In Prorrheticis eodem in sensu loquutus est Hippocrates, dum inquit: Crebri cum vomitu relapsus, nigrum cient vomitum, circa crisim (idest ingruente exitio.)

Decimò, Crisis variè accipitur ab Hippocrate lib. de Affectionibus, Græcè περίπαθων, vbi inquit: Iudicari autem morbi dicuntur, cum increscunt, aut exolescunt, aut in alium transeunt, aut desinunt. Alia versio latina melior sic se habet. Iudicari autem in morbis est, quando vel augentur morbi, vel imminuuntur, vel mutantur, in alium morbum, vel finiuntur.

Vndecimò, Crisis apud Galen. comment. 1. lib. 1. aphorismor. idem est ac iudicium, seu ratio.

Duodecimò, Crisis idem est apud Hippocratem, ac temperamentum, teste Gal. comment. in librum de natura hominis textu 12. Sed hîc obseruãdum, quod κρῆσις idem sonat ac κρᾶσις, idest temperamentum, siue temperies: η, ita autem, non iota, ponitur in prima syllaba pro, α, iuxta Hippocratis dialectum, siue idioma Græcum suæ patriæ peculiare. Hactenus de varijs Crisis significationibus.

CA-

CAPVT II.
De Crisis Definitione.

CRisis, ideſt Iudicatio (vt loquitur Galenus lib. 2. Aphoriſm. Cõment. 13.) eſt ſubita in morbo vel ad ſanitatem, vel ad mortem mutatio. Fit autem Criſis (vt conſequenter loquitur Galen.) Natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum præparante. Non temerè igitur in tali turbatione grauiter ſe habent ægri; & grauitas hæc noctu manifeſtior eſt: nam hoc tempore dormire conſueuimus. Somno igitur à turbatione interrupto, clariùs grauitas illa percipitur, licet ſimilis fiat interdiù turbatio, quando nocte ſequente futura eſt iudicatio. Hactenùs Galenus primam partem aphoriſmi 13. lib. 2. expoſuit: qui aphoriſmus hac ſerie ſcribitur: Quibuſcunq; iudicatio fit, his nox grauis ante acceſſionem: quæ verò ſubſequitur, leuior ferè ſolet exiſtere.

Propoſitam definitionem ex Hippocratis doctrina hauſit Galenus, vt comment. 23. lib. 2. Aphoriſm. clarè ſubijcit: Acuti, inquit, morbi magni ſunt, & ad ſuum vigorem celeriter properant. Non abſq; ratione igitur in pauco tempore, & magnas faciũt permutationes: quod idem eſt quod iudicari. Huiuſcemodi enim permutationes, quando repentè in morbo fiunt, Hippocrates Criſes vocat, ideſt, iudicationes; in quibus nonnunquàm integra ſanitas reſtituitur, aut moritur æger: nonnunquàm verò magna fit ad ſalutem, vel ad mortem permutatio; non tamen aut ſubito ſanãtur, aut moriuntur: ita vt quatuor ſint in ipſis ſubitæ permutationes, quas ipſe docuit lib. 1. Epidem. inquiens: Ad ſalutẽ, aut ad mortem, vel inclinatio ad melius, aut ad peius. Hactenùs Galenus, exponens citatum aphoriſmum, qui ſic habetur: Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

Criſis definitio, eiuſq; quatuor ſpecies, ex Hippocrate deſumpta, ſunt.

Modò definitio Criſis explicanda eſt. Criſis dicitur mutatio, quia Criſis eſt motus quidam, in quo cum morbi lenta, & ſimplici ſolutione conuenit: Vnde mutatio in definitione allata eſt inſtar generis comprehendentis motum criticum morborum, & motum lentum quorundam morborum, qui ſimplici ſolutione, & nõ criticè, ad ſalutem, vel mortem terminantur. Poſita eſt particula,

Criſis eſt motus.

ſubi-

subita, aut repentina, in definitione, vt motus criticus à lento motu, quo morbi chronici sensim terminantur, distinguatur. Hinc conficitur, Mercurialem in Commentario aphorismi 13. libri 2. aberrâsse, dum inquit, particulam, præceps, idest subita, siue repentina, in definitione Crisis positam esse ad differentiam abscessus, & coctionis, quæ diuturno tempore fiunt. Decipitur autem; quoniam, vt deinceps exponemus, abscessus est Crisis species: & consequenter, dum fit, subitaneus motus dici meretur. Debent enim species Crisis formalem, & constitutiuã eiusdem Crisis causam participare, & includere. Subita mutatio, est huiusmodi formalis causa Crisis. Ergo excretioni, & abscessui, duabus primis Crisis speciebus, ex necessitate conuenit. Et per hanc formalem rationem crisis, vtraque iam dicta species à motu morborũ chronicorum, qui sensim fit, distinguitur. Subita autem illa mutatio dicitur fieri in morbo, seu potiùs in ægro, vt hinc constet, ægrum esse veluti subiectum Crisis. Fit autem hæc subita mutatio, quoties Natura à causa morbifica, & morbo ipso nimiũ agitatur: quo tempore varia suboriuntur symptomata, à quibus, & à pugna Naturæ, & Morbi, corpus mirum in modum perturbatur. Itaq; corpus ægrum, siue morbosum, est instar materialis causæ. Causam efficientem Criseos, Naturam esse, iam antea docuit Galenus; & eam talem esse, deinceps, dum de Diebus Decretorijs, cum Galeno statuemus. Finalem Criseos causam, Sanitatem, vincente Naturâ, posuit: mortem, victa Naturâ, & vincente morbo: licèt res mala, fine careat, cùm de ratione finis sit bonitas, qua res mala minimè fruitur.

Mercurialis perstringitur. *Subita mutatio est causa formalis crisis.* *Causa materialis crisis est ipsũ corpus.* *Efficiens causa crisis est natura, coefficiẽs causa morbifica.* *Finalis causa.*

Quoniam Crisis est quidam motus, in ea, vt in motu, quinque cõsideranda veniunt: Terminus à quo: Terminus ad quem: Tempus: Mouens: & Mobile. Terminus à quo, est morbi augmentum: Terminus ad quem, est Sanitas, aut mors, vel melior, peioruè status, vel in alium morbum à primo distinctum, transitus. Terminus per quem, vt ait Laurentius, est totum tempus, quo coctioni, secretioni, & excretioni, incumbit Natura: Sed meliùs dixisset, tempus Crisis esse totum illud tempus, quod motui erit co correspondet: Nam tempus coctionis, non est tempus Criseos, sed quid Crisim (saltem bonam) antecedens. Addamus & his, Galenum in comment. aphor. 13. lib. 2. dixisse, Crisim tunc fieri, dum Natura

Quinq; in crisi perpẽdenda. *Laurẽtius perstringitur.*

tura

tura bonum ſuccum à malo ſegregat, & hunc euacuat; nulla facta mentione coctionis. Mouens in Criſi, eſt ipſa Natura, quæ omnia in Corporibus perficit; vt ſuperiori libro fuſâ oratione protulimus, & Galenus citato, & tranſcripto paulò ante comment. aphoriſmi 13. lib. 2. oſtendit. Concauſæ verò efficientes, ſunt ea omnia, quæ Naturam ſtimulant, vexantque: vt cauſa maligna, & potens, ſæua ſymptomata, quæ morbi magnitudinem, ſiue vehementiam oſtendunt, & acumen, ſiue velocitas eiuſdem morbi. Demùm Mobile, ſiue id, quod mouetur, inſtante Criſi, conſiderandum eſt. Nam mobili excreto ſiue euacuato, ſiue ad partes ignobiles abiecto, benè cum ægris agitur; ſecùs verò, malè. Mobile autem in morbis eſt interna cauſa morbifica: humor nimirum quantitate, vel qualitate, vel vtroque modo, peccaminoſus, & ſuperfluus, vel quidquid aliud intus latens, corpus vexat. *Concauſæ Criſis.*

Dubia in hoc Caput.

PRimam dubitandi anſam mihi præbet Claudinus, qui, vt Laurentio ſuccenſeat, audacter refert, hunc dubitâſſe, an Criſis eſſet motus, nec ne? Affirmat ergo Claudinus, Criſim eſſe motum, & quidem alterationem: quod Ariſtotelis teſtimonio lib. 5. Phyſic. cap. 6. probat. *Prima dubitādi ratio.*

Sed fruſtra Laurentium taxat Claudinus: Nam Laurentius expreſsè Criſim motum appellat; & ne quorundam cenſuram incurreret, optimè inquit, Criſim motu ſaltem perfici. *Laurētius à Claudini cenſura liberatur.*

Quoad Ariſtotelis authoritatem, eâ non rectè Claudinus vtitur. Ariſtotelis verba hæc ſunt: Qui namque in non dijudicantibus diebus liberantur, ij præter naturam alterari videntur: Qui verò in dijudicantibus, ij ſecundùm naturam alterantur. Hîc autem minimè ſtatuit Ariſtoteles, Criſim eſſe alterationem; ſed die Critico alterationem naturalem in corpore fieri: & die non Critico fieri alterationem non naturalem. In noſtra Pathologia abundè docuimus, Morbum, & Sanitatem eſſe qualitates: proinde die verè Critico, dum in eo bona Criſis expectatur, fit alteratio infirmorum (vt in comment. citati textûs loquitur Auerroës) de ægritudine in ſanitatem. In die verò non Critica fit quædam contraria alteratio innaturalis; quoniam morbus magis intenditur. Hæ *Exponitur Ariſt.*

tamen

In morbo immateriali non fit crisis.

tamen alterationes non ſunt, propriè loquendo, Criſes, ſed Criſim conſequuntur. Criſis autem ipſa circa cauſam propriè verſatur: vnde in immaterialibus morbis, vt in hectica febre, & Diaria, propriè non fit Criſis, benè tamen Corporis alteratio. Criſis verò in motu cõſiſtit locali, quo peccaminoſus humor extra corpus, vel è loco in alterum depellitur, dum bona eſt: vel certè, ſi mala eſt Criſis, humor ſaltem mouetur, ſed quia non ſeparatur noxius à bono, extra, vt conueniret, non (niſi imperfectè) protruditur. Dum ergo ſegregatur noxius humor à bono, idemque noxius depellitur, fit bona & naturalis Criſis, quo tempore conſequenter fit morbi depulſio, & alteratio è morbo in ſanitatem; ſecùs verò in mala Criſi contingit.

In quo cõſiſtit criſis.

Secunda dubitandi ratio.

Dubitatur Secundò, in quo præciſè conſiſtit natura Criſis. Ratio dubitandi eſt; quia non ſolùm Recentiores, verùm etiam Antiqui, hac in re nimis erant ambigui, & ab inuicem diſtracti, teſte Galeno lib. 1. de Criſibus cap. 1. aiente: Siue ſubitam in morbo mutationem, ſiue ad meliorem ſtatum inclinationem ſolam, ſiue agitationem quæ eas antecedit, ſiue omnem morbi ſolutionem, ſiue eam tantùm, quæ bona ſit, Criſim velit quis appellare, non eſt mihi, niſi obiter, hoc in loco diſtinguere propoſitum: ſed quo pacto hæc omnia quiſpiam optimè præcognoſcat, percenſere inſtitui. Ex his conſtat, Galenum tam ſuſpenſo fuiſſe animo, vt nihil in veſtibulo doctrinæ de Criſibus, de re tã ancipiti, & controuerſa determinauerit. Contentionem adhuc augent ea, quæ de Criſi alijs in locis habet Galenus. Nam lib. 3. de Criſib. cap. 7. Criſis ſpecies enumerans, inquit: Criſis quidem ſimpliciter, morbi ſolutio ſubita. Ita enim Criſim conſtituit morbi ſolutionem, abſque eo quòd indicauerit, in quo poſita ſit illa ſolutio. Libro 1. de Dieb. Decretor. cap. 1. Criſim paucis comprehendens, ait: Nos ſanè turbationem in morbo adeò ſubitam, Iudicium, ſeu Criſim appellamus. Libro 1. de Criſib. cap. 1. iam antea à nobis citato, hanc turbationem, agitationem appellauit. Libro 1. de Diebus Decret. cap. 9. adhuc indeterminatè proponit, an Criſis ſit Perturbatio, an Mutatio. Libro 3. de Diebus Decretor. cap. 5. Criſim definiens, ait: Omnis autem velox mutatio, Criſis appellatur. Commentario 3. Prognoſtic. tex. 1. ait: Iudicatio enim per morbos de foro tranſlatitia appellatione dicta eſt, ſignificans præcipi-

Agitatio de qua loquitur, idẽ eſt ac perturbatio criſim præcedens.

Quid Criſis.

tem

tem in morbo mutationem, quæ quadrifariam existit. Commentatio 2. in lib. Hippocratis de Vict. rat. in morb. acuta tex. 15. ait: Per Iudicationem intelligo, vt dixi, non perfectam morbi mutationem solùm, verùm quoq; & effatu dignam transmutationem.

Vix sanè ex his, aut ijs, quæ alibi à Galeno de Crisi dicta sunt, percipere possumus, in quo Crisis natura consistit. Nuperi Scriptores adhuc in re hac sunt parùm concordes: Nam Crisim quidam Alterationem esse statuũt, vti antea Claudinum ita sententem produximus: Nonnulli Crisim coctricis facultatis effectum esse volunt. Alij aliter, & quisq; suo vsus genio, vel perturbationem, vel mutationem, vel excretionem, quòd nihil fermè hac de re Galenus definiuerit, Crisim esse decreuit. Doctissimus Mercatus Tomo 1. lib. 3. de Morbis, Parte 2. Classe 4. Quæst. 199. Crisim non quid simplex, sed compositũ ex Conturbatione, ex Euacuatione, & ex subita Mutatione ad salutem, constãs, affirmauit; harumque trium partium Crisis causas ibidem accuratissimè perscrutatur. Vallesius verumtamen, cui in Officio Prothomedici Regis Catholici Mercatus est suffectus, Perturbationem à Crisi excludit, quoties longo interuallo Perturbatio ab euacuatione est remota: Si enim intra diem, aut noctem fiunt, ambo vnico Crisis nomine significabuntur. Hæc doctrina apud Hippocratem suo videtur non carere fundamento; vt habetur aphor. 13. lib. 2. aphor. qui hac serie habetur: Quibuscunq; Crisis fit, his nox grauis ante accessionem: quæ verò subsequitur, leuior ferè solet existere. Vallesius prima Aphorismi verba hoc modo profert: Quibus Crisis futura est, nox ante acumen difficilis. Quibus verbis apertè anxietatem dicit Crisim antecedere, haudquaquàm esse Crisim. Vallesius hinc, vt patet, infert, Perturbationẽ, quam anxietatẽ nuncupat, non esse partem Crisis, cum hanc antecedat eadẽ perturbatio.

Variæ opiniones de Crisis essentia.

Mercati opinio.

Cæterùm licèt acutè Aphorismum citauerit Vallesius, non rectè tamen vsus est particula, futura est: nam plerique Interpretes communiter habent vocem, fit, & quidem iuxta Græcam dictionem, γίνεται; quæ vox latinè idem est, ac, generatur, aut fit. Subtiliter quidem Hippocrates ita est loquutus: quoniam, tametsi manifestè noctis præcedentis accessionem insinuauerit, non propterea decreuit, Crisim interdiù semper fieri, & perturbationem antecedenti nocte; sed solummodò id posse in morbis, qui

Vallesius perstringitur.

accessiones, siue paroxismos habent contingere: etsi viceuersa, id est nocturno tempore, frequentissimè Crisim accidisse obseruauimus. Atque præterea, perturbatione ortâ Crisim extemplò in multis contigisse morbis, vt videre licet in Synochis febribus, quæ vnica clauduntur accessione.

Perturbatio est crisis præludium, vt rigor tertiana.

Separatio humorũ fit ope caloris natiui, & facultatis coctricis.

Vt igitur, quod sentio, liberè proferam, Perturbationem Crisis præludium esse existimo. Perturbatio quidem à Galeno, & à multis Antiquis, Crisis rationem obibat: Crisimq; fieri Commentario 13. lib. 2. Aphorismor. docuit, quando Natura à bonis mala separat, & ad excernendum præparat. Sed tempus quo talia maximè Natura molitur, est, quando Perturbatio corpori superuenit. Scio equidem, Coctionem sine magna commotione, aut perturbatione, non rarò fieri; sed insignis rerum hetherogenearum segregatio in morbis, nec à coctrice facultate, nec à calore natiuo fieri potest, sine manifesta Naturæ agitatione, à causa morbifica, eandem Naturam lacessente, potissimùm orta. In huiusmodi agitatione & conflictu colluctantis Naturæ cum causa morbifica, & morbo, varia symptomatum syndrome siue concursus nascitur: & hic idem concursus à quibusdam perturbatio appellatur: quidam tamen anxietatem, & corporis agitationem ex superuenientibus symptomatibus emergentem, perturbationem appellare, & multò congruentiùs, malunt. Huius perturbationis causas posthâc fusiùs exponemus.

Perturbatio in quo consistit.

In salutari Crisi fit semper euacuatio, vel abscessus.

Euacuationis causa est facultas expultrix.

Crisis consistit in euacuatione subitò & debitè facta, si bona fuerit.

Mala Crisis.

Segregationem humorum excipit Euacuatio, in qua, quàm in illa, manifestior apparet motus ille localis, quo humores in sanabili morbo amouentur; & quidem extra corpus, vel saltem ad partem aliquam distinctam ab illa parte, quæ humores maximè continebat. In mala autem Crisi fit maxima perturbatio, sed modica separatio boni à malo: vnde euacuatio permodica sequitur, morbo, & causâ morbificâ vires superantibus. Victa enim Natura manus hosti dat, & ampliùs vix agit, sed summè patitur. Euacuationis, dum fit, causa est facultas expultrix, aut anima rẽ noxiam expellens. In debita Euacuatione potissimùm salutarem Crisim consistere puto: seu potiùs in illa motione, actioneue, qua humores semouentur, siue extra corpus, siue ad peculiarem aliquam partem propellentur: tunc enim verè Natura iudicat. Si abscessus, aut euacuatio ab Expultrice facultate fieri nequeat, saltem humo-

res agitantur aliquo locali motu, sed multùm obscuriori; quia Naturam deuincit morbus, & morbosa causa.

Quod attinet ad subitam mutationem ad salutem, sano modo intelligenda est. Non enim æqualiter in omnibus ægris, qui sanitati pristinæ restituuntur, fit subita ad salutem mutatio, sed in quibusdam integrè, in quibusdam tardiùs. In morbis quippe, qui à continente causa dependent, subita ad salutem mutatio, siue transitus fieri potest, quoties eadem causa euacuatur: v. g. euacuato calculo vretram obturante, & impediente naturalem vrinæ excretionem, subitò & quàmprimùm fit à morbo ad sanitatem mutatio. Similiter si à grumo sanguinis fuit impedita vrinæ excretio, eo euacuato hæc ampliùs non prohibetur. A morbo itidem in cauitate vesica liberatur, quamprimùm euacuata est vrina, quæ Vesicæ corpus impensè distendebat. Si fæces pertinaciter intestina obstruentes, subitò euacuentur, subitus fiet ad salutem transitus: Subitus pariter ad mortẽ, dũ omnimoda fuliginum euacuatio impeditur, vt videre licet in strangulatis, qui subitò moriuntur, ob trachææ nimirum arteriæ arctissimam compressionem, quæ fuliginum exitum extra cor & pulmones impedit.

Euacuata causa continente fit subita ad salutẽ mutatio.

Cæterùm in morbis intemperiei non ita fit subita ad salutem mutatio: nam motu alterationis, qui paulatim sensimque fit, talis transitus perficitur. V. g. Criticè euacuatis humoribus quibusuis putridis, & superfluis, fit subita quidem ad salutem mutatio: sed non est adeò subita, ac illa, de qua paulò antea est dictum. Euacuatis quidem omnibus humoribus, quantitate, vel qualitate, vel vtroq; modo superfluis, qui venas, & arterias, cauitates, & meatus infarciebant, statim obstructiones cessant; sed euacuatâ materiâ putredinosâ febris putridæ, etsi putrida febris cessare videatur, causâ coniunctâ, putredine, ablatâ, non tamen è vestigio tollitur febris, quæ qualitas quædam est, quæ per gradus intenditur, & quæ nonnisi gradatim adueniente & vincente contrario, supprimitur. Febris tunc superstes, pura est intemperies, quæ febri hecticæ, ratione defectûs materiæ, assimilatur; idest nullam habet ampliùs illa febris fouentem causam, in quo similis est hectica febri: hecticæ tamen dissimilis, quoniam post humoris, à quo fouebatur, ablationem, citò recedit. Proindeq; putridæ febris nomen adhuc retinet. Si enim ablatâ causâ vlteriùs protraheretur, non

Ablatâ causa intemperiei, non subitò hæc tollitur.

Febris putrida, sublata putredine, adhuc putrida dicitur, etsi hecticæ similis.

amplius putridæ, sed hecticæ rationem meritò obtineret. In bona tamen Crisi nunquàm producitur febris, & si qua superest, citò decrescit, & exigua est adeò, vt vix amplius actiones sensibiliter lædat. Nam abscissa omni eius causa, vix diu durare potest. Vnde meritò Crisis optima dicitur subita ad salutem mutatio, licèt in quibusdam morbis intemperiei, vt dixi, post euacuationem causæ morbificæ, supersit adhuc aliqua discrasia siue intemperantia, quæ non nisi adueniente frigore, quando intemperies calida est, fieri potest. Citò etenim calor ille præter naturam, qui superest, hebetatur; quoniam à putredinoso humore, & fuliginoso vapore non amplius fouetur: & facultates omnes corpus regentes, suas, ablatâ causâ, functiones liberè exercent, & auxilio eorum quæ assumuntur, veluti & externi aëris, plenè fruuntur. Vnde modico tempore corpus contemperatur, etsi non omninò subitò: Nam subita in corpore mutatio est localis propriè. Concludendum ergo, Crisim in locali mutatione propriè consistere. Siquidem motus criticus, quo lapis excernitur, immediatè, & sine dilatione, ad sanitatem terminatur, & nulla superest intemperies corrigenda. Si verò Crisis in alteratione consisteret, paulatim, & non subitò, semper fieret, nec fieri diceretur, nisi vbi esset intemperies. Cùm ergo contrarium quotidie experientiâ comprobetur, concludendum, Crisis præcipuam rationem in locali motu consistere.

Crisis in locali motu propriè cōsistit.

CAPVT III.
De Speciebus Crisis.

NOn solùm Crisis species, sed paulatinas morbi mutationes proponit perspicuè Gal. lib. 3. de Cris. cap. 1. & 7. & primo quidem cap. hac serie: Propositū nostrū est, sicuti & priùs dicebatur, omnis in morbo mutationis, præsentis quidē dignotiones, futuræ verò præcognitiones, dicere. Quia verò sex modis istæ fiunt, tentandū est de singulis separatim scribere, hâc priùs factâ memoratione, quod sex sunt in morbis mutationū differentiæ. Vel enim subitò ad sanitatem veniunt, vel subitò interimunt, vel paulatim horum vtrumq; contingit, vel mixtim. Paulatim quidem, vel scilicet morbo marcescente, vel ægri viribus dissolutis: Mixtim verò,

Sex sunt species mutationis in morbis.

rò, quando subita quidem aliqua ad melius, vel peius commutatio facta fuerit, deinceps verò; vsq; ad omnimodam solutionem, vel Mortem, reliquum totum emarcuerit.

De prima igitur, quæ repentè fit, permutatione dicamus; quoniam omniũ, quas antea diximus, optima est: atq; ideò ipsam per excellentiam Crisim nominant; quoniam Naturâ, quæ præter-naturam sunt, superante, exquisitè perficitur. Ex alijs autem permutationibus, quæ quidem ad subitam mortem, mala Crisis est: quæ verò aliquam effatu dignam faciunt mutationem, non tamen integram solutionem, imperfectæ Crises vocantur: sicuti & quæ sensim marcescente, vel virtute, vel morbo, contingunt: & hæ solutiones simpliciter, non Crises nominantur.

Sola subita mutatio ad salutē, per antonomasiam Crisis appellatur.

Mutatio subita ad mortē mala Crisis dicitur.

Subita mutatio ad melius, & subita ad peius imperfectæ Crises dicuntur.

Mutationes lentæ, solutiones simpliciter vocantur.

Hoc Capite Methodum à se in toto Opere de Crisibus obseruandam proponit Galenus. Dicit enim, suum institutum esse, docere, qua ratione Medicus præsentes morborum mutationes cognoscere, ac futuras adhuc prænoscere valeat. Mutationum ergo omnium, quæ in morbis contingunt, sex statuit differentias. Prima differentia, siue species, est illa subita mutatio, quæ fit ad integram salutem, siue pristinam sanitatem. Secunda species, est illa repentina mutatio, quæ fit ad mortem. Tertia species, est illa lenta mutatio, qua paulatim morbus, Naturâ hunc sensim superante, deficit, marcescitue, donec ad Sanitatem peruentum fuerit. Quarta species, est mutatio, tertiæ iam expositæ, opposita; quæ nimirum ægri viribus sensim dissolutis, ad mortem terminatur. Et hæ sunt quatuor simplices mutationes, quæ in morbis nõ rarò cõtingunt. Simplices, inquam, hæ dicendæ, quoniam eodẽ fiunt tenore: nam omnes subitæ mutationes ad salutem, sunt eiusdem rationis, quòd ad salutẽ simpliciter & absolutè terminẽtur. Similiter omnes subitę mutationes, quæ ad mortẽ absolutè terminantur, eandem obtinẽt rationẽ. Paulatinæ mutationes in morbis, siue ad salutem, siue ad mortem terminentur, sunt pariter simplices species: Nam omnes mutationes, quæ sensim, Natura vincente, & morbo marcescente ad sanitatem terminantur, sunt eiusdem rationis, & speciei. Oppositæ mutationes, quæ pedetentim morbo vincente, & Natura marcescente, ad mortem terminantur, eandem naturam habere videntur: idest, tametsi morbi sint diuersæ speciei, mutationes tamen sunt eiusdem ratione modi, quo ægrum ad interitum deducunt:

quod

quod de positis modò mutationis speciebus pari pacto dicendum. Multi quidē morbi, etsi specie, aut genere diuersi, eadē repentina mutatione secundùm speciem, ad salutem, aut mortem terminari possunt; sicuti genere, aut specie distincti morbi lentè ad sanitatem, vel exitium finiuntur: Sed quia Salus, & mors sunt diuersi termini, ad quos desinunt mutationes, hæ ratione diuersitatis terminorum distinguuntur: Et quia salutares termini sunt aliquo modo diuersi, salutaris mutationis tres constituentur species: & oppositæ mutationis ad mortem aliæ tres, vel quatuor, vt docet Galen. lib. 3. de Crisibus cap. 7.

Mixtæ mutationes morborum sunt duæ.

Præter enumeratas modò quatuor Mutationis species, duas alias proposuit Galenus, quas mixtas appellauit. Mixtę Mutationes in ægris sunt illæ, quæ subitâ, & lentâ simul mutatione constant: & ad Salutē, vel ad mortē terminantur. Quinta ergo ordine mutatio est mixta, quæ ad Salutem desinit, sed inæqualiter. Nā principiū huius mutationis est subita mutatio, nō ad integrā Salutem, sed ad meliorē statū: & ratione huius partis, subitæ mutationi ad salutē, quam primā speciē mutationis morbi statuit Galenus, assimilatur. Reliqua verò pars mixtæ huius mutationis est lentus progressus ad integrā Salutē: in quo lentæ mutationis, quā tertiam speciē posuit Galenus, naturā ęmulatur. Cùm ergo sit particeps subitæ, simul & lentæ mutationis, meritò mixta mutatio appellatur.

Prima mixta ad salutem tēdens.

Secunda mutatio mixta mortem respiciens.

Sexta species mutationis, quintæ iam expositæ aduersa, est mixta mutatio, cuius prima pars est subita, non ad mortem, sed ad peiorem statum, mutatio; in quo subitæ mutationi ad mortem, quam secūdam mutationis speciem statuit Galenus, assimilatur. Reliqua verò pars huius mixtæ mutationis, est lentus progressus ad mortem vsque; in quo lentæ mutationis ad mortem, quam quartam speciem posuit Galenus, naturam æmulatur. Cùm ergo subitæ mutationis ad mortem, & lentæ mutationis ad mortem, hæc mutatio sit particeps, rectè mixta mutatio nuncupatur.

Totam hanc doctrinam de mutationis speciebus fusiùs satis propalauit Galen. 3. de Crisib. cap. 7. quod Caput in confirmationem doctrinæ hactenus à me expositæ, hùc traducere placuit: Cum verò, res plures sint, inquit concedant mihi Sophistæ, manifestioris doctrinæ gratiâ, singulis proprium nomen imponere. Et, si hoc ipsi non concesserint, longè eis valere iussis (neq; enim ipsis,

ipsis, sed ijs, qui veritati student, hic sermo componitur)ita consideremus. Si quis subitò morbo liberatur, omninò huic aliqua euacuatio effatu digna contingit per vomitum, vel per ventris exonerationem; vel sudores, vel vrinas, vel sanguinis è naribus profluuium, aut ex sede per hæmorrhoidas, aut in mulieribus per purgationem menstruorum. Sed, & parotides non paucos in tempore opportuno liberarunt, & ad genua, & ad pedes, & ad aliud quodpiam membrum ignobile decubitus. Et quidem antecedit his omnibus atque assidet, non modica in ægrotantium corpore perturbatio: delirant enim & difficilem habent anhelitum, & stomachi angustiam, atque alia quæ priùs diximus, patiuntur. Vnus quidem hic modus est morborum solutionis, quem non modò nos Crisim nominare instituimus, manifestioris doctrinæ gratia, sed omnes etiam qui nos antecesserunt, eodē nomine Crisim nominabant. Alter verò modus est, qui hæc quidem omnia seruat, vno autem tantùm modo differt, quia non integrè à morbo liberat. Nominatur verò, & hic nonnunquam quidem Crisis simpliciter, sicuti & prior: aliquando etiam cum additione, Crisis imperfecta, vel Crisis defecta. Quicunq; autem morbi paulatim finiuntur, solui quidem in præsentia dicuntur, per Crisim autem finiri nequaquam; quamuis aliquando per abusionem hoc etiam Crisim nominari diximus. Sed nunc singulis trium eorum, quæ diximus, claritatis causa, sit proprium nomen impositum: Crisis quidem simpliciter, morbi solutio subita: Defecta verò Crisis, subita morbi diminutio. Solutio autem simpliciter, quæ in longiori tempore, & paulatim facta est. Sicuti verò vel effatu digna euacuatio, vel omninò decubitus cum veloci perturbatione necessariò in Crisibus fiūt: ita in solutionibus neq; agitatio aliqua, neq; euacuatio, neq; decubitus accidunt. Tres quidē hi sunt modi commutationis morborum, cum à morbo liberari debet ægrotus. Tres verò alij proportionaliter oppositi istis existunt, cùm moriturus est: Vel enim subitò moritur vnà cum turbatione & agitatione, & quibusdam excretionibus, vel decubitibus effatu dignis: Vel mortem non subijt quidem ex istis, sed multò deteriùs euasit; vocentur autem hæ duæ Crises non bonæ, cùm nihil refecat, siue hoc modo, siue malas Crises nominemus: Seorsum verò, prima quidem perfecta, Secunda verò imperfecta: Tertia quidem spe-

Subita mutatio ad salutem, semper fit superueniente, aut comitante excretione aliqua, vel abscessu.

Perturbatio non solum crisi præcedit, sed hanc eandem comitatur.

Secunda bona crisis species, quæ simpliciter talis dici potest: aliquando imperfecta Crisis, aliàs defecta.

Morbi qui paulatim finiuntur, solui dicuntur.

Crisis abusiue.

Crisis simpliciter est subita morbi solutio.

Altera Crisis salubris, est subita morbi diminutio.

Simplex solutio bona.

species malæ permutationis, quæ paulatim fit vsq; ad mortem, quæ marasmus.i.marcor, nominetur. Hæc igitur tria alijs tribus opposita sunt. Quartus modus est subitæ mutationis ad peius, sine magnis excretionibus, vel decubitibus: quam neque Crisim appello. Quòd igitur hunc modum ab alijs differre dicimus, quos cùm agitatione, ac perturbatione, & effatu dignis excretionibus, aut decubitibus fieri dicebamus, vnicuiq; manifestũ est: differt enim; sine his fieri accidentibus, quæ priùs iudicatoria nominauimus, atque absque excretione, vel decubitu: & fieri cum illis. An verò rectè, vel non, huic modo mortis nomen Crisis detrahimus, hoc est de nomine, non autem de re ipsa contendere. Ego autem quatuor modos docui inuicem differentes, & singulis proprium nomen manifestioris doctrinæ gratiâ imponendum censui. Siquis verò meliùs, vel manifestiùs scit nominare, de eius nuncupatione minimè disceptauerimus: docere verò vtile aliquid haudquaquam in isto consistit, sed in dignoscendo hos singulos modos, cùm adsint; & futuros prænoscendo. Neque etiam, si horum modorum causas explicare tentarem, deinde quispiam eisdem causis, tanquam non rectè habentibus, contradicens, putaret se aduersùs ipsos modos differere, rectè opinaretur. Cognoscere enim, quod tot sunt modi, quibus sanentur, aut moriantur ægrotantes, ac quòd dictis nominibus nominantur, atque vbi præsentes fuerint, ipsos dignoscere, futuros verò præcognoscere, hæc ipsa ad medendum conferentia sunt: atq; expedit quidem nomina concedere, dignotiones verò, ac præcognotiones experientia explorare.

Ex dictis liquidò constat Senarius, aut Septenarius numerus mutationum in morbis: quarum tres ad Salutem, quatuor ad mortem desinunt. Cæterùm, ijs mutationibus, quæ sensim & lentè, ac eodem fermè tenore in morbis fiunt, omissis, de Criticis tantùm mutationibus à nobis cum Galeno in præsentiarum agetur. Criticæ mutationes, sunt numero quatuor. Prima mutatio, siue prima species Crisis, est subita mutatio ad integram salutem: Secunda species, est subita mutatio ad mortem: Tertia, est subita mutatio ad meliorem statum: Quarta, est subita mutatio ad peius, siue deteriorem statum. Mutatio ergo omnis, quæ non est subitanea, & vehemens, Critica non est. Vnde Galenus comment. 3. Prognost. tex. 1. ait: Iudicatio enim per morbos de toto translatitia; appel-

Quatuor Crisis species.

latio-

latione dicta est, signans præcipitem in morbo mutationem, quæ quadrifariam existit: aut enim statim ægri vindicantur à morbis; aut magnam obtinent in melius mutationem: aut statim moriuntur: aut multò deteriores euadunt. Itaque duas primas iudicationes, simpliciter nominant Iudicationes: proximas duas magna ex parte cum adiectione, malam iudicationem, aut prauam iudicationem, aut aliquid tale, verbo Iudicationis adijcientes, quandoq; verò & sine adiectione simpliciter.

Nomen Crisis à foro iudiciali ad vsum Medicum träslatum.

Crises simpliciter, & Crises cum adiectione.

Hîc, & lib. 2. Aphoris. 23. quatuor Crisis species proposuit Galenus: quarum duas ad salutem tendentes, quia bonas, simpliciter Crises appellat; alias duas ad mortem tendentes, malas, prauasue, tametsi eas aliquoties Crises simpliciter dici posse, confiteatur. Quòd autem Crisis omnis debeat esse subita mutatio, præterquam quòd passim id à Galeno demonstratum fuerit, Ratio vlterius rem persuadet; cùm in hoc Crisis à lenta mutatione distinguatur: Omnis autem velox mutatio, Crisis appellatur; vt loquitur Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 5.

Bonæ Crises simpliciter Crises appellantur.

Crisis debet esse velox mutatio.

Quòd deniq; bona Crisis, Crisis simpliciter dici mereatur, est Galeni doctrina lib. 3. de Crisib. cap. 2. vbi inquit: Sola igitur subita ad sanitatem conuersio simpliciter Crisis nominatur. Licèt autem hîc de prima Crisis specie, quæ repentè ad sanitatem terminatur, loqui videatur, non tamen illam Crisim, quæ ad meliorem statum tendit, omninò excludit: alibi tamen hanc defectuosam nuncupat; quia ad absolutam sanitatem non terminatur. Crisis sanè mala, etsi iudicium dicatur; quia tamen bono fine, respectu ægri, caret, talem denominationem non, nisi vix, meretur.

Sola mutatio ad sanitatem Crisis per antonomasiam dicitur.

Quatuor præfatas Crisis species ante Galenum proposuit Hippocrates lib. 1. Epidem. Sect. 3. seu iuxtà Galeni ordinem, Commentario 3. hac serie: Insuper est animaduertendum, & cognoscẽdum, quæ sint his temporibus futura iudicia ad salutem, vel ad perniciẽ: aut momenta ad melius, vel ad peius. Galenus in Commentario sequenti ordine loquitur: Hoc loco significatum dictionis, Iudicij, docet, quod breuiter dicas, morbi repentinam esse mutationem. Nam fieri mutationẽ quadrupliciter, ipse dilucidè significauit: ad salutem, vel perniciem: aut momentũ ad melius, vel peius, insigne quidem. Prætermisit verò Hippocrates dicere, insigne, vt quod in communi significato dictionis, iudicij, contineatur:

Quatuor Crisis species primus assignauit Hippocrates.

Quid Crisis.

Species enumeratæ sumuntur ab ipsa Crisis essētia.

tur: Et hæ sunt quatuor veræ Crisis species, quæ videlicet ab ipsa formali ratione Crisis desumuntur. Diximus enim Crisim esse motum, siue mutationem. Legitimæ ergo eius species sunt motus specifici iam enumerati.

Species Crisis minus præcipuæ.

Aliæ Crisis species accidentales.

QVoniam omnis Crisis vel bona est, vel mala, facilis, vel difficilis, multæ species à bonis, malisue conditionibus modisue desumptæ à Galeno proponuntur lib. 1 de Dieb. Decretor. cap. 2. Species Crisis, quas à diebus venatur, in principio Capitis proponit. Iudicia enim (inquit) seu Crises ipsæ omnibus diebus accidunt, sed neq; pares numero, neq; ex æquali fide. Hoc intercedit discriminis inter illas, quòd aliæ bonæ, aliæ malæ eueniunt: quædam cum pluribus & difficilioribus symptomatis, & maiore certamine: nonnullæ statim ab initio tutò inuadunt. Quin etiam in hoc plurimùm differunt, quòd hæ deficientes, illæ perfectæ sunt: nec minùs, quòd aliæ certis statutisq; diebus iudicatæ priùs, fiunt: aliæ repentè, & ex improuiso non idiotis modò, sed etiam artificibus eueniunt. Tot sunt Iudiciorum differentiæ: tot etiam Dierum Decretoriorum. In duodecimo enim, & decimosexto nullum vnquàm iudicatum vidi. In septimo ne vel enumerare quidem omnes adhuc possum. In sexto iudicantur, sed cum difficilibus symptomatis, & periculo maximo: ad hæc absq; fide, imperfectè, obscurè, sine notis, & ad malum.

Deficiētes, & perfectæ Crises.

Die 12. & 16. nullam vidit Crisim Galen. Die 7. bona Crisis est frequēs: die sexta, mala.

Postquam Crisis malas, bonasque differentias speciesue à differentia dierum bonorum, malorumq; desumpsit Galenus, paulò post in eodem capite prolatam modò doctrinam optimè hac serie exposuit: Nam, quòd in tot annis septimum diem iudicantem subinde simul & absolutè, fideliter, tutò, manifestè, conspicuè, & salubriter: Sextum è contrario viderim; non paruum quoddam discrimen ostēdit. Porrò, quòd ego quidem duodecimum nunquam viderim iudicantem: alius autem quispiam rarò simul & imperfectè, infirmiter, cum periculo, obscurè, sine signis, & malè: neque hoc exiguam dierum differentiam indicat. Multi siquidem morbi sunt, qui in septimo die iudicantur absolutè, pariter, & securè, tutò, apertè, cum bonis signis, & dextrè: in duodecimo rari quidem

Crisis 7. die cōtingens optimas habet frequenter conditiones.

Crisis diei sexti malas habet cōditiones; veluti Crisis duodecimi diei.

adeò

adeò, vt nobis visi sint nondum: & sicui aliquando ante nos in duodecimo die Crisis euenisse visa est, vel imperfecta, vel infida, vel periculosa, vel obscura, vel sine signis, vel omninò ad malum accidere visa est.

Proposita modò verba præclarè explicat ibidem Galenus, sequenti serie. Voco imperfectam indicationē, cùm ex morbo quippiam relinquitur: infidam seu incertam, cùm morbi recidiua contingit: periculosam, quæ cum symptomatis grauibus accidit: obscuram, quæ citra excretionem, vel abscessum quempiam euidentem euenit: Sine signis fieri dicitur, quæ à nullo priore indicata est: mala, quòd in ægri perniciem omninò desinat non opus est, vt dicam. *Imperfecta Crisis quæ: quæ infida; quæ periculosa: quæ obscura; quæ sine signis: quæq; mala.*

Rursùs absolutam voco, quæ nihil relinquit morbi: Fidam, firmam, securam, quæ non ampliùs redit. Tutam, quæ sine periculosis symptomatibus accidit. Sic manifestam, cui excretio quædam, vel abscessus insignis, ac conspicuus adest: Cum bonis signis accidit Crisis, quæ à contemplatorio die prius indicata est. Bonam esse Crisim, quæ ad sanitatem desinit, non puto quempiam latere. Verùm, si hæc ita apparent, maximam esse dierum inuicem differentiam nullus reclamabit. *Quæ absoluta, fida, firma, secura, tuta, manifesta, cùm bonis signis, & demum bona.*

His bonæ, malæq; Crisis conditiones exposuit Galenus, & multò sanè sublimiori stylo, quàm hi, qui Galeni doctrinam, suam faciunt, nullâ, vel modicâ factâ mentione Galeni: inter quos non vltimum locum tenet Daniel Sennertus, qui non Galeno magis, quàm Recentioribus scriptoribus passim adhæsit. Bona Crisis, vt in cap. iam citato, & alibi docuit Galenus, die Critico fieri debet: Et hæc est bonæ Crisis prima conditio. *Sennertus vulgaribus scriptoribus quam Galeno magis addictus.* *Bonæ Crisis prima conditio.*

Secunda conditio bonæ Crisis est, vt sit cum bonis Signis: & talis erit illa, quæ priùs fuit indicata die contemplatorio, siue indice. Vt si signa apparuerint coctionis in Vrinis, aut Sputis, aut alui excrementis die quarta, est signum optimum, quòd vnà cum reliquis bonis signis, idest tolerantia ægri, validisq; viribus, & absentia prauorum symptomatum, Crisim futuram die septima prænunciat. Idem de vndecimo die, respectu decimiquarti: & de decimoseptimo respectu vigesimi, dicendum. *Secunda bonæ Crisis conditio.*

Tertia conditio, vt Crisis sit tuta: Est enim tuta, quoties nulla præfuere, aut superueniunt periculosa symptomata: In omni sanè *Tertia bonæ Crisis conditio.*

Crisi fit magna turbatio, & vehementia quædam præcedunt symptomata, quæ tamen nullatenus metuenda, quoties signa coctionis die indice apparuêre. Quod autem Signa coctionis bonam Crisim præcedere debeant, ab Hippocrate est indicatum lib. 1. aphorism. 12. loquendo de Sputo in Pleuritide; & lib. 4. aphorismor. 71. sequentia scripsit Quibus septimo die fit Crisis, ijs nubecula rubea quarto die in Vrina apparet, & alia ex ratione. Ibidem, & alibi passim, eandem est amplexus sententiam Galenus, & clarissimè lib. 4. aphorism. comment. 22. dum inquit: Siquidem vt bona fiat Crisis, coctionem præcessisse oportet, & secretionem sequutam fuisse, tandēq; euacuationem. Comment. citati aphorismi 71. lib. 4. etiam ait: Solis enim Coctionis signis in diebus contemplabilibus apparentibus, bonæ futuræ iudicationes indicantur. Nec solùm nubeculam rubram, sed multò magis albam in Vrinis die indice & contemplabili, vt loquitur, apparentem, futuram Crisim die decretorio à contemplabili indicato, premonstrare docuit: Imò colores bonos in Vrinis, & substantiam pariter bonam, aliaq; laudabilia die contemplabili contingentia, eandem habere præmonstrandi virtutem affirmauit. Nam signa Coctionis semper bonum significant, veluti cruditatis signa malum: Vnde Hippocr. 1. Epidem. sec. 2. ait: coctiones, iudicationis celeritatem, salutisq; securitatem significant. Cruda verò, & incocta, & quæ in malos abscessus conuertuntur, iudicationum carentias, vel dolores, vel temporis longitudinem, vel mortes, vel recidiuas ostendunt. Galenus commentario 12. lib. 1. aphorism. inquit. Coctionis igitur signa semper bona sunt, iudicationis verò signa non semper. Licèt ergo nox, aut dies præcedens Crisim grauis sit, vt loquutus est lib. 2. aphorismor. 13. Hippocrates (vigilant enim magna ex parte, & grauiter se habent, ac febriunt vehementiùs ægri, quanto magis iudicatio appropinquat. Plures verò eorum propè iudicationem spirant difficulter, vt loquitur Galenus comment. citati aphorismi 71. lib. 4.) non est quod timeamus quidpiam, signis coctionis apparentibus die indice. Nam Coctio præcedens, victricem significat Naturam: facultatem nimirum concoctricem, & Calorem natiuum præcipuum Animæ Instrumentū, ad suas functiones obeundas; vt testatur Philosophus lib. 2. de part. animal. c. 7. & Galenus iuxta Hippocratis placita libro 3. de causis pulsuum cap. 9. & libro

Signa coctionis bona Crisi precedunt.

Bona Crisis tres cōditiones ex Galeno.

Substantia bona Vrinæ, huiusq; bonus color, coctionis signa sunt.

Quibus Crisis fit, nox grauis ante accessionem.

bro 1.aph.comment.15. Caloris natiui facundia ex pulsu maximè percipitur, qui, si validus fuerit, & constans, benè de futura Crisi sperandum. Coctio quidem excrementorum, & validus pulsus, Caloris Natiui perfectionem arguunt. Proinde Galenus libro 9. Meth.med.cap. 5. Sanguinis missionem, constante virium robore, persuadet, non solùm sexto, septimoue febris continentis die, verumetiam sequentibus. Vnde vni virium robori, non verò dierum numero, attendendum docet; quemadmodùm plenè monuit libro de Curandi ratione per sanguinis missionem cap. 9. Quoties ergo signa Coctionis præcessêre, & vires naturales, animalesque fuerint constantes, nihil timendum; etsi turbatio aliqua corpori contingat: quæ sanè non tanta est, nec tam vehemens, quanta est illa quæ malam Crisim antecedit. Nam certamen remissum est, quando natura longè morbum, huiusque causam superat, hancq; & illum facilè deuincit. Vnde symptomata superuenientia, Crisi imminente, nec numerosa sunt, nec toleratu difficilia. Nam pulsus validus, & signa coctionis in Vrinis, alijsue excrementis, omnem spondent Naturæ victoriam contra morbum, morbiq; causam, hanc deturbando, & illum sedando. Imò tam boni ominis pulsus validus, & Vrina cocta, à Galeno perhibentur, vt ambo hæc signa simul concurrentia non solùm in febribus acutis tutæ Crisis præsagia statuantur, sed certa indicia medendi, & euacuandi veniam Medico tribuentia. Vnde Galenus cit.cap.5.lib.9.meth.med.postquam de Sanguinis missione, & aquæ frigidæ vsu in febre continente amplè loquutus est, sequentia scripsit: Maxima verò continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida. Verum illa (idest sanguinis missio) nullo non tempore, modò vires sustineant: hæc (idest potio aquæ frigidæ) cùm & in pulsu, & Vrinis, concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima. Attendenda verò cum venæ secandæ indicationibus, sunt, tum quæ eam præcedunt, tum verò quæ omninò excipient. Nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem iubebis, quantum satisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant, videbitur. Sin sequetur necessariò vacuatio quæpiam (vt menstrua purgatio, aut hæmorrhoidalis fluxus) tantum illi de eo quod superfluum est relinquendum, quantum est per eam euacuandum. Hæc integrum

Præcipuè permittens Sanguinis missionem.

Septimo die sanguinē mittit.

Phlebotomia, & aqua frigida continentis febris remedia.

Aqua frigida potio coctionis signis apparētibus, vtilis est.

Cruditas ciborum Phlebotomiam prohibet.

robur ijs, quæ antea protulimus, addunt.

Quarta bonæ Crisis cōditio. Quarta conditio bonæ Crisis est, vt sit manifesta. Manifesta autem dicitur Crisis, quæ per euacuationem, aut abscessum fit. Euacuatio, est excretio materiæ noxiæ per aliquas vias extra corpus. *Excretio quid.* Namq; quælibet superfluitas, prout præparata est, & viæ, per quas deturbari debet, benè dispositæ sunt, à vincente natura expellitur eò quò commodiùs videtur. *Septē species euacuationis Criticæ.* Idcirco alui fluore, Naturæ iudicio, molito, causa morbifica nō rarò euacuatur: aliàs Vrinæ profluuio, aut hæmorrhoidali fluxu, aut menstruali, aut hæmorrhagiâ, aut sudoribus, aut sputis, aut vomitu. Omnes etenim hæ excretiones manifestæ sunt, & non rarò Criticè natura superante in morbis fieri conspicimus omnes Praxi Medicæ addicti. Verùm causa morbifica non est aliquādo ita benè disposita ad exitum extra corpus, vel natura non est adeò valida, vt cum impetu materiam superfluam excernat, vel viæ non sunt patentes ad transitum eidem materiæ superfluę concedendum. Proinde natura quod potest perficit: idest, non potens causam morbificam extra corpus omninò relegare, eam ad aliquas partes magis imbelles, quàm sint partes relegantes siue expellentes, propellit; ibidemq; superflua materia sistens, partem in tumorem eleuat; & talis transmissio humoris ad partem aliquam, in qua aliqualem efficit vt plurimùm tumorem, abscessus dicitur; & Criticè non rarò contingit: & quidem fœliciter, cessante, vel saltem diminuto primario & præcipuo morbo, à quo pars potissimùm affecta, tunc liberari consueuit. *Abscessus quid.*

Medicus naturæ imitator. Medicus, dum medetur, geminum modò expositum naturæ conatum sectatur. Præparat enim humores morbum efficientes fouentesque, eosque postmodùm solutiuis remedijs euacuat: & quidem, quotiescunque natura impotentiâ laborat euacuationem moliendi. Similiter quando causa morbifica purgantium medicamentorum debitæ propinationi integrè non cessit, cogitur Medicus Naturam abscessum molientem imitari, humorem superfluum reuellendo, deriuando, & euacuando, mediantibus præcipuè scarificationibus, vesicatorijs, frictionibus, dolorificis ligaturis, & cauterijs. Excitantur enim non rarò in cruribus, dum caput vitiò partium infernarum, vt hepatis, lienis, aut vteri, infestatur, reuulsionis ergò, vlcera mediante cauterio: ex quibus vlceribus diu relictis apertis, superuacanea materia, quæ sursùm vehebatur, & caput

put

put ferire ſolebat,paulatim extrorsùm manat. Natura etenim tunc à Medico veluti docta,huic euacuationi per infernas vias aſſueſcit. Aliàs cogitur Medicus ſuperfluitates capitis, purgantibus non cedentes, præſidijs deriuantibus euacuare, ſimul & reuellere. Huius rei gratia ſpatulis admouentur Cucurbitulæ cum magna flamma, & ſcarificatione profunda, apponendo priùs collo cucurbitulas, & conſequutiuè partibus inferioribus versùs ſpatulas,& lumbos, vt hac arte humores in capite contentos,& ad anteriores partes,vt oculos, os, nares, imò & aures,& inde quandoq; ad fauces, & guttur, prolabentes, retrorsùm auertantur reuellanturque, & ſimul euacuentur. In eundem finem veſicatoria ſpatulis, & collo apponuntur, quoties repetitæ cucurbitulæ, poſt vniuerſales euacuationes, non proſunt. Et quoniam moleſtum eſſet Cucurbitulas, aut Veſicatoria ſingulis diebus apponere, idcircò Medici excogitârunt vſum Setonis, ſiue Sedi,in collo inter primam & ſecundam vertebram: quo artificio diu noctuq; aliquid ſaltem humoris ſuperflui retrorſum tranſmittitur ad partes externas, & minùs nobiles; aut ſaltem minoris interioriſue vſûs. In vertice adhuc capitis ſupra Suturas, Coronalem, & Sagittalem, in eundem finem vlcera excitantur ferro, ſcarificando nimirum leuiter ipſam cutem, & iterum apponendo illico cucurbitulas, vel Cauſticum potentiale admoueatur. Cauſtici verumtamen vſus in illa parte ad reuellendum, & euacuandum non eſt adeò tutùs, ac in poſteriori parte: Primò,quoniam cauſticum in excarnea illa parte facilè ad pericranium penetraret, idque læderet; imò & cranium ipſum alteraret, læderetq; adhuc duram matrem, cuius portio eſt ipſum pericranium. Secundò, quoniam Medicus hoc genere præſidij, naturam abſceſſum molientem imitatur. Sed natura abſceſſum infra morbum, & non ſupra efficit, teſte Hippoc.lib.2.Epidem. Medicus ergo, qui eſt naturæ Miniſter, Imitator, & ſpectator, infra morbum, ſeu partem morbo affectã,materiã morbificã,mediantibus præfatis auxilijs deponere debet. Cæterũ euacuationis, aut reuulſionis ergo, commodiſſimè cucurbitulæ cum ſcarificatione ſuturarum regioni, adhibentur,vt in phrenitide ſatis, ſuperque compertum habeo. Sed hæc, occaſione abſceſſûs, & excretionis, dicta ſunto.

Cauſtici inuſtio ſupra ſuturas capitis, periculoſa.

Cæterùm, quòd Criſis bona fiat per excretionẽ, vel abſceſſum,

Crisis, cōmuniter, per excretionem, vel abscessū fit. vti diximus, est doctrina Galeni lib. 3. de Crisib. cap. 2. vbi sequentia scripsit: Sola igitur subita ad sanitatem conuersio, simpliciter Crisis nominatur. Et quidem omninò fit per manifestas quasdam excretiones, aut effatu dignos abscessus: quicunq; .n. aliter quieuerint, maligniùs retrocedunt. Nos tamen cum eodem Gal. alibi, Crisim bonam infantibus benè dormientibus cum insensibili per cutem euacuatione contingere credimus. Comment. enim 3. Prognost. textu 1. hæc habet: Didicistis præterea, vt omnis iudicatio cum quadam euidenti fiat euacuatione, aut abscessu: raró enim pueruli tantummodò per somnum altiorem, ac longiorem celeres in melius fecerunt mutationes: quas nonnulli etiam volunt nominari iudicationes, alij nequaquam comprobant.

Quincta Crisis bonæ cōditio. Quinta Crisis bonæ conditio est, vt sit fida. Et talis Crisis dicitur illa, quæ nullas relinquit in corpore superfluorum humorum reliquias. Nam quoties aliqua humoris morbosi pars superstes in corpore latet, relapsum in morbum, seu recidiuam minatur: vt habetur lib. 2. Aphorism. 12. *Recidiua.* Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt. Humor quidem superfluus in corpore relictus, cùm inutilis sit, & in corporis substantiam conuerti nequeat, necessariò putrescit; & eò quidem celeriùs, quò locus, in quo fuerit collectus, calidior est, & minùs perspirabilis. *Fida, absoluta, secura, & firma Crisis.* Ad fidam Crisim, reuocanda est absoluta à Galeno descripta: similiter & secura, ac firma.

Sexta cōditio bonæ Crisis. Sexta bonæ Crisis conditio, vt fiat ratione speciei morbi, naturæ ægri, & ætatis. Acuti enim morbi per euacuationem, siue excretionem, sæpiùs terminantur: morbi verò longi per abscessum. Si naturâ deniq; biliosâ & sanguineâ æger fuerit præditus, & febre laboret ardente, per hæmorrhagiam non raró Crisis fiet: Si autem biliosâ & pituitosa febre, sæpiùs per vomitum, aut alui fluorem. In ætate pariter Iuuenili morbi acuti per vomitum, & hęmorrhagiam sæpè terminantur: in senibus per alui profluuium. Vt ergo Crisis absolutè dicatur bona, debet non solùm supradictas quinque conditiones habere, sed insuper speciei morbi, temperamento, & ætati ægri correspondere.

Crisis malæ bonæ Crisi aduersa. Crisis malæ conditiones, iam dictis bonæ Crisis conditionibus opponuntur: & vtræq; ex Galeni verbis à nobis ex cap. 2. lib. 1. de Diebus Decretor. superiùs traductis, fermè patebunt. Ego de his

mo-

modò mentionem feci, vt ostenderem à bonis, malisque conditionibus, species quasdam Criseos posse constitui. Nam vna, quæ ad salutem tendit, bona dici potest: opposita verò mala. Bona similiter potest esse absoluta, opposita imperfecta. Et sic de cæteris paulò antè dictis, proportione seruata, dicendum.

Qui volet vlteriùs alias quasdam Crisis species ex varietate modorum, quibus Crises fiunt, rimari, Crisim diuidet in eam, quæ fit per excretionem, & in eã quæ fit per abscessum. Et Crisim per excretionem factã iterum subdiuidet, in Crisim factam per hæmorrhagiam, in Crisim factam per vomitum, in Crisim factam per sputum, in Crisim factam per sudores, in Crisim factam per alui fluorem, in Crisim factam per Vrinæ profluuium, in Crisim factam per hæmorrhoidas, siue podicis venas, & in Crisim factam per menstruas purgationes. Crisis pariter quæ per abscessum fit, subdiuiditur in varias species: Nam humoris transpositio transmissione à parte infestata, varia est pro varietate partis affectæ, aut inclinationis humoris ad hanc, illamue partem.

Crisis species à causa morbificæ semotione desumpta.

CAPVT IV.
De Signis Criseos in genere.

PRæcipuus huius Libri Scopus est, Signorum Criticorum exactissima disquisitio. Nam mediantibus Signis Criticis, quamplurima de futuro ægritudinis euentu, summa cum certitudine Medicus, instar Vatis, pronunciare poterit. Signa verò Critica, siue indicatoria, sunt illa quæ nobis iudicij, siue Crisis naturam, & modum ostendunt. Suntq; in triplici differentia. Quædam enim dicuntur antecedentia siue præcedentia, & sunt illa, quæ in futuræ Crisis cognitionem nos plenè manuducunt. Secundum locum obtinent Signa illa, quæ concomitantia appellantur; quoniam Crisim ipsam, dum fit, concomitantur. Tertium occupant locum Signa illa, quæ consequentia, siue subsequentia dicuntur, quoniam Crisim subsequuntur. De hoc triplici Signorum genere, distinctis capitibus, fusiori oratione agemus.

Signa critica sunt in triplici differẽtia.

CAPVT V.
De Signis, quæ Crisim præcedunt.

Signa præcedentia, in duplici sunt differentia.

SIgna Crisim præmonstrantia in duplici sunt differentia: quædam diem, siue tempus quo Crisis futura est, præostendunt: quædam modum, quo Crisis ventura est. Signa quibus Crisis imminentis modus detegitur, primo loco exponemus: Posthàc autem signa, quibus diem, in quo Crisis superuenire solet, comprehendimus, proponentur. Ratio etenim persuadet, priùs proponenda Signa excretionis Criticæ, & Critici abscessûs, quàm signa temporis, quo Crisis contingere consueuit: quoniam priùs euacuationis, ac abscessûs naturam & modum præscire debemus, quàm tempus futuræ euacuationis, vel abscessûs. Nam ignorata excretione, & abscessu, tempus excretionis, & abscessûs nos penitùs latebit. Signa imminentem Crisim prodentia in duplici sunt differentia: quædam vniuersalia dicuntur; alia particularia & specifica. Vniuersalia dicuntur illa signa, quæ in vniuersum, genus, siue communiorem modum Crisis præindicant: Peculiaria, quæ generis species. Capite 3. huius Libri præmonuimus Crisim in duo subdiuidi genera; quorum vnum Excretio dicitur: alterum Abscessus. Excretio in varias, quas ibidem enumerauimus, species distribuitur: Abscessus etiam in plures. Excretionem, & Abscessum, modos, quibus Crisis fit, appellare licet: vti testatur Galenus lib. 3. de Crisib. cap. vlt. vbi, postquam Hippocratis plures sententias de Abscessu, & Excretione in medium produxit, sequentia scripsit: Et hæc quidem etiam in Prognosticis ab Hippocrate dicta sunt, indicantia modos, secundùm quos Crisis fit. Signa, quæ Excretionem in vniuersum, non hanc, aut illam Excretionis speciem præindicant, vniuersalia appellantur. Signa autem, hanc, aut illam excretionis speciem prænotantia, peculiaria. De abscessu in genere, & specie, pari modo dicendum: cùm quædam sint signa futuri abscessus in vniuersum, alia speciei Abscessûs. Quid euacuatio, siue excretio sit, quidque Abscessus, Capite 3. abundè dictum est.

Imminentẽ Crisim prodentia signa, in duplici sũt differẽtia: quædam Vniuersalia, quædam peculiaria.

Excretio & abscessus dicuntur modi quibus Crisis fit.

Generalia, siue vniuersalia signa Euacuationis, siuè Excretionis

Cri-

Criticæ desumi solent à morbi specie; à motu morbi; à parte læsa, siue malè affecta; à natura ægri; ab ægri ætate: ab Anni tempore: à Regione; & à Cæli statu. Morbi ergo calidi per excretionem siue Euacuationem Criticam terminari debent; frigidi verò morbi, vt plurimùm per Abscessum. Etsi quandoque per excretionem, veluti calidi, per abscessum. Morbos porrò calidos per Excretionem iudicari par est; quoniam in morbis calidis humores sunt calidiores, tenuioresq; quàm in frigidis: adeòq; magis turgentes: Vnde exitum per aliquam viã spontè quærunt; eosq; ita benè dispositos natura, iam vexata, deturbare molitur. Præterquàm enim quòd humores in calidis morbis facilè ad exitũ disponuntur, viæ quæuis, & ductus etiam angustiores corporis, vi caloris dilatantur, & amplificantur adeò, vt feruenti & noxio humori iam præparato, & à bono segregato, congruus pateat exitus. Hippocrates has ob causas rectè docuit, Causonem per Hæmorrhagiam, aut Sudorem, non verò per abscessum iudicari. Causo enim siue Causus, siue Causon, est febris non solùm ardens, sed continens; in qua massa sanguinaria tota flagrat. Morbi frigidi, cùm calidis sint contrarij, per abscessum sæpiùs iudicantur. Vbi autem calor deficit, humores magis magisque refrigerantur, incrassantur, & non rarò viscidiores efficiuntur, adeòq; ad motum inepti. Præterea viæ omnes, ac meatus Corporis, angustiores, vi frigoris omnia cogentis & coarctantis, fiunt.

Fundamẽta vniuersalium signorũ Criticorum

Calidi morbi per excretionem, frigidi per abscessũ terminantur.

Febris ardens per excretionẽ iudicatur.

Causo quid.

Secundum, à quo signa vniuersalia desumũtur, est motus morbi; qui si acutus, siue celer & vehemens fuerit, morbum constituit acutum; qui ideò dicitur, quòd citò, & cùm vehementiâ sua tempora penetret, perficiatque. Diuturnus verò, siue longus, siue Chronicus morbus, dicitur ille, qui tardo motu pergit. Acuti itàq; per Excretionem, ni facultas succumbat, & Chronici morbi per Abscessum iudicari, vtplurimùm, consueuerunt. Dixi, vtplurimùm, quoniam quidam morbi acuti per excretionem non iudicantur: & quidam morbi acuti per abscessum iudicantur: imò quidam morbi Chronici per Excretionem. Quòd aliqui morbi acuti per excretionem rarò, aut nunquàm iudicentur, patet: Nam Apoplexia, & Tetanos Conuulsionis species, si qui alij, sunt morbi acuti, qui tamen per excretionem non iudicantur; sed ad mortem quasi semper terminantur. Quòd acuti per abscessum aliquando

Secundum fundamentum signorum vniuersalium est motus morbi.

Morbus acutus.

Morbus diutinus quis.

do iudicentur, patet ex Hippocrate in Prognostic. sect. 2. tex. 64. qui textus hac serie scriptus est: Quibus autem abscessus fiunt ex pulmonijs, aut circa aures, ac suppurantur: aut ad infernas partes, ac fistulantur, ij supersunt. Et textu 67. sequenti, hæc habet: Abscessus autem, qui ad crura fiunt in pulmonijs vehementibus ac periculosis, omnes vtiles sunt. Pulmoniæ enim nomine ab Hippocrate potissimùm intelligitur Peripneumonia, siue Pulmonum inflammatio, quæ omnium Medicorum calculo, est in acutorum morborum genere. Præterea in acutis & malignis febribus frequentissimi fiunt abscessus: nam Glandulæ ponè aures quandoq; ob humorem superfluum ad eas translatum, intumescunt: aliquando glandulæ in axillis positæ: quandoque glandulæ Inguinum. Ad corporis deniq; circumferentiam, & ad cutem vsque, plures transmittuntur humores, adeoq; ibi sistentes variorum abscessuum differentias constituunt: vt Carbunculos, Furunculos, Erysipelata, Variolas, Morbillos, siue maculas modò rubras, modò citrinas, modò nigras, modò violaceas: non rarò Vesiculas, Herpetes, & alia id genus. Vidi sanè ego iam à vigintisex annis, Anno videlicet 1626. quendam ægrum (Figeaci in Quercia Galliæ Prouincia) febre continente correptum, cui, postquàm Ptisanã quandam solutiuam, quam auidè tempore sitis hauriebat, præscripsi, tumor vniuersorum pedum tantæ molis superuenit, vt his partibus ita inflatis, à febre tandem fuerit liberatus. Galenus huic doctrinæ fundamentum præbet comment. 1. libri de humoribus, sequenti serie. Et verò etiam tubercula, & pustulæ excitantur, cum natura partes corporis intimas expurgat, vt nonnunquam per excretionem, sic etiam per depositionem ad cutem. Subtiliores enim dilutioresque humores extenuans natura, per halitum digerit: ex crassioribus autem cuti, ac magis etiam pelliculæ, quæ densior est, inhærentibus, pustulæ oriuntur: idq; illis potius accidit, quorum densior sit cutis, & durior.

Peripneumonia abscessu aliquando iudicatur.

Tubercula in cute.

Quod deniq; diuturni, siue Chronici morbi, aliquoties per Excretionem terminẽtur, constat Hippocratis testimonio lib. 3. Epid. in quo nonnulla proponit huius rei experimẽta. Sectione quidem 3. eiusdem Libri, decimum proponit ægrum, Nicodemum videlicet Abderæ agentem, qui cùm ex Veneris, & potûs vsu in febrem incideret, vigesimoquarto die multam Vrinam, & albam reddidit,

Nicodemus vigesimoquarto die sudore iudicatus.

dit, in qua multa subsidebant: sudor ei toto corpore copiosè calidus emanauit. Sine febre iudicatus est. Octauus ægrotus Abderæ degens, fuit Anaxion, qui in febrem acutam incidit: Præterea assiduus dextri lateris dolor eum cruciabat, tussim habebat aridam: &c. Sub finem historiæ Hippocrates sequentia scripsit: Vigesimoseptimo redijt febris, tussijt, multa excreuit concocta, in Vrina multa subsidebant alba, desijt sitire, dormiuit. Trigesimoquarto sudauit corpore, cessauit febris, in totum est iudicatus. Ecce Pleuriticus 34. die iudicatus, & quidem mediante sudore, atq; Vrinæ profluuio, non secùs ac Nicodemus, 24. die consimilibus euacuationibus à febre liberatus est. Ægrotus nonus rem eandem testatur: Fuit is Heropytus Abderæ degens, cui caput dolebat, nec decumbebat, quod tamen fecit paulò post: Hic ad superiorem viam habitabat. Captus est febre ardente, & acuta &c. In calce huius historiæ sequentia scripsit Hippocrates: Circa diem centesimum aluus fuit turbata multis biliosis, durabantq; diu multa talia, deinde dysenterica cum dolore. Reliqua leuia fuerunt. In summa febres eum reliquerunt, discessitq; surditas. Centesimo est absolutè iudicatus. Febris ardens.

Anaxion trigesimoquarto die sudoribus iudicatus.

Heropytus centesimo die alui fluore iudicatus est.

Hîc obiter notandum, Hippocratem pro principio morbi non intellexisse tempus, aut horam decubitûs, sed tempus læsionis sensibilis actionum: quo ante decubitũ ægrotant multi; vt in hac historia testatus est, dum ait, Caput dolere Heropyto, etiamsi nonnisi postea decumberet. Certum etiam est, vnà cum Capitis dolore (eundem Heropytum) febre fuisse correptum. Historia 13. hanc doctrinam confirmat Hippocrates, inquiens: Apollonius Abderæ morbum rectus diù sustinebat.

Principiũ morbi non est desumendum à tẽpore decubitus, sed à tempore læsionis actionum sensibilis.

Ad rem rediens Hippocrates Ægroto septimo, Abderitanę Virginis historiam proponens, hæc scripsit: Abderæ Virginem, quæ in vestibulo Templi decumbebat, febris cepit acuta & ardens: siticulosa erat, & insomnis, &c. In calce historiæ sequentia scripsit: Vigesimoseptimo multum sudauit, febre caruit, surditas eam reliquit: restabat pedum dolor, cætero fuit exactè iudicata. Ægroto 7. libri 3. Abderitanam Virginem vigesimoseptimo die per sudores iudicatam, & à febre liberatam narrat. Videtur Laurentius non legisse hunc locum, cum hāc Virginẽ septuagesimo die iudicatam narret. Eundem errorem ex Laurentio hausit Claudinus. Sectione

Æger quadragesimo die sudoribus liberatus. 1.lib. 3. Epidem. Ægrotum proponit tertium in Dealcis horto decumbentem: & in fine historiæ inquit: Quadragesimo die aluus pituitosa, alba, subcrebra deiecit: multum toto corpore sudauit, absolutè est iudicatus. *Pythion Perirrhæa 40. die sanatus.* Ægrotus primus lib. 3. qui Pythion dicitur, Vrinarum multitudine superueniente, quadragesima die sanatus est. *Alter 40. die.* Ægroto 10. lib. 1. Epidem. ait, Clazomenium igne, idest febre, fuisse correptum, die quadragesima mediante alui fluxu, perirrhęa, & parotidibus, fuisse liberatum. *Alter octogesimo.* Ægroto 6. eiusdem sect. 3. lib 1. Epid. refert, Cleonactidem die octogesimo, superueniente copioso sudore, liberatum fuisse à febre.

Præfati quidem morbi, quanquàm acuti in principio dici meruerint, ijdem dum in longum tempus tardo motu protraherentur, acumen, nisi per interualla, deposuêre, & Chronicorum naturam sunt induti. Vnde acuti, nonnisi per conuersionem, vt in nostræ Pathologiæ libro 1. docuimus, sunt appellandi: *Morbi acuti 14. diebus iudicantur.* Nam morbi acuti simpliciter iudicantur intra dies quatuordecim; vt loquitur Hippocrates lib. 2. Aphoris. 23. Galenus. a. in Commentario rem totam confirmans, ait: Quòd verò sit necessarium ob morborum magnitudinem, ac casuum (siue symptomatum) vehementiam, vel citò *Symptomata dicuntur casus.* vires prosterni, adeò vt homo moriatur: vel ad noxiorum humorum excretionem excitatas, si modò quos inuaserint exuperent, bonam sequi iudicationem: Sin autem exuperentur, malam; vnicuique manifestum est. Propterea igitur fieri non potest, vt in longum tempus iudicatio differatur in morbis acutis. Terminum igitur in hisce omnibus Hippocrates posuit duas Septimanas, tanquam nullus eorum vlteriùs progrediatur. *Die vndecima, nona, septima, & quinta multi iudicati.* Verùm ante quartumdecimum diem multi possint iudicari. Etenim vndecimus, nonus, septimus, & quintus, multos visi sunt iudicasse in libris Epidemiorum. Iudicat autem & sextus nonnullos, sed non benè.

Sextus quosdã iudicat morbos, sed nõ benè. Paulò post in eodem Comment. Galenus, quasi per modum obiectionis, ex Hippocratis Prognosticis sententiam ab aphorismo iam citato, valdè diuersam, sequenti serie introducit. *Respiratio libera in acutis, qui cum febre sunt, est bona.* Spirationis autem facilitatem existimare oportet perquàm magnã vim habere ad salutem in omnibus morbis acutis, qui cum febre sunt, & in quadraginta diebus iudicantur. His verbis visus est Hippocrates mutâsse sententiam, morbos nimirum acutos, non spatio quatuordecim, sed potiùs quadraginta dierum, iudicari. Manifeste

ſtè enim hîc, ſicuti in Aphoriſmo, de morbis acutis loquitur: imò non abſolutè & in genere, in præſenti contextu de morbis acutis agit, ſicuti in aphoriſmo, ſed de morbis acutis, qui febrem habent comitem. Vnde Galenus textum Hippocratis exponens, inquit: Adiecit enim (Hippocrates) qui cum febre ſunt, vt eos (morbos acutos ſcilicet qui comitem habent febrem) à Conuulſione, & Tetano, ideſt diſtentione neruorum, & Cholera, ideſt bilari, diſiungeret, & quicunq; alij morbi ſine febre acuti ſunt.

Conuulſio, tetanus, & cholera, ſunt morbi acuti ſine febre.

Vt hanc apparentem contradictionem aphoriſmi, & Sententiæ Prognoſticæ, diſcutiat Galenus, in commentario contextus Prognoſtici, præſupponit in primis duplex eſſe acutorum morborum genus: Siquidem, inquit, nonnulli ſimpliciter ac primùm vocantur acuti, quidam ex conuerſione. Morbi ſimpliciter acuti dicuntur, qui propriè tales ſunt, quales eſſe dicuntur. Particula, primùm, apud Galenum idem eſt, ac per ſe. Morbi verò acuti ex conuerſione dicuntur illi, qui protrahuntur in longum, vt ad quadrageſimum vſque diem, & fortaſſis vlteriùs. De hoc morbo acuto per conuerſionem, & de morbo acuto per ſe, ſatis diſtinctè loquitur Galenus in Comment. citati aphoriſmi 23. lib. 2. hac ſerie. Quęcunq; verò iudicationes ſunt veluti imperfectæ, ijs finem imponit aliquis alius dies ex eorum numero, qui deinceps ſequuntur, de quibus, qualeſnam ſint, in libris Prognoſticis Hippocrates docuit: & hîc de ipſis aliquid in ſequenti docebit aphoriſmo. Eſt autem & harum imperfectarum iudicationũ terminus, quidam vlterior, vltra quem non ampliùs fieri progreſſus poteſt, dies quadrageſimus. Quicunq; morbi intra diem quartumdecimum integrè iudicantur, hos ſolet Hippocrates acutos ſimpliciter nominare: Quicunque verò imperfectè iudicati, ſeruati fuerint, in ſequentium iudicatoriorum dierum aliquem vſq; ad quadrageſimum, hos non ſolet ſimpliciter acutos nominare, ſed appellatione compoſita his omnibus verbis, acutos, qui in quadraginta diebus iudicantur. Verùm manifeſtius illi declarant, qui eoſdẽ morbos ἐκ μεταπτώσεως, ideſt, ex decidentia vocant. De his igitur in Prognoſtico ſcribit Hippocrates in hunc modum: Oportet autem exiſtimare ſpirandi facilitatem magnam habere vim ad ſalutẽ in omnibus acutis morbis quicunque febres habent adiunctas, & in quadraginta diebus iudicantur.

Morbus acutus, duplex eſt.

Criſis imperfecta, alio die critico terminatur.

Galenus Hippocratem exponit.

Præ-

Præter dictam diuisionem morbi in acutum simpliciter, & acutum ex decidentia, in modò citatæ sententiæ Prognosticæ Commentario Galenus aliam insinuat diuisionem hac serie: Conuersio enim per iudicationes imperfectas fit acutorum morborum, non solum in hos (idest in morbos, qui ad quadragesimum vsque diem protrahuntur) sed etiam in alios diutinos, maximè marcorem, quartanam, suppurationem, tabitudinem, aquam inter cutem. Verù n Hippocrates excipit à præsenti oratione etiam illos (idest diutinos siue longos) in solis simpliciter acutis morbis, qui cum febre sunt, & item ex conuersione in quadragesimum perueniant diem, optimum esse indicium dicens, spirationis facilitatem, non in omnibus, qui sine febre sint, acutis, neq; diutinis: Ita vt tria sint omninò genera morborum, quantum in ipsam agitur temporis differentiam. Alij enim acuti sunt, qui in quatuordecim iudicantur diebus; quibus diutini opponuntur: aliud ambiguum, & velut in confinio positum, tertium genus; cuius terminus decretoriorum dierum quadragesimus dies est.

Morbus acutus ex decidentia dupliciter fit.

Tria morborum genera à differentijs temporum sumpta.

His ita positis, Galenus tam in Aphorismi citati, quàm in citatæ Sententiæ Prognosticæ, Commentario, ambos Hippocratis contextus verissimos esse docet. Asserit enim in Aphorismi Comment. omnes morbos acutos quatuordecim diebus iudicari, aut absolutè, aut imperfectè: idest, tempore illo quatuordecim dierum, morbum ad integram salutem desinere, vel ad meliorem statum mutari: vel ad mortem, vel ad peiorem statum. Hæ enim sunt quatuor veræ Crisis species, quæ ab ipso motu siue mutatione, à Causa efficiente Criseos manante, desumuntur. Sufficit enim, vt morbus acutus aliquâ harum specierum Criseos mutetur. Si autem non ad perfectam sanitatem, nec ad mortem fuerit facta transmutatio, saltem ad meliorem, peioremue statum fiet: & Crisis quæ aliquo horum duorum vltimorum modorum fit, perfectè terminatur, noua alia, vtplurimùm, superueniente, spatio quadraginta dierum: in quo sensu loquutus est Hippocrates sententiâ citatâ Prognosticor. cuius rei extãt exempla in Ægrotis Epidemicorum. Et si alia Crisis non superueniet ad reliquias materiæ morbificæ (dum ad sanitatem fit progressus) in corpore, post primam, eamq; imperfectam Crisim, etsi ad meliorem statum desinentem, relictas, deturbandum, ipsa natura paulatim superstitem superuaca-

Exponitur Hippocrates.

Quatuor Crisis species.

Medicus reliquias ab imperfecta Crisi relictas aliquando euacuabit.

neæ

neæ materiæ portionem euacuabit. Et Medicus naturam imitatus, non rarò, ope Medicamentorum, idem opus perficit, humores superfluos præparando, rursùsq; euacuando, & naturam roborando. Verùm si fuerit facta omnimoda, fermè, morbi acuti in alium conuersio, succedens, alterius à primo, naturæ erit; adeoq; alia indiget speculatione. Exempli gratia, febris ardens, & consequenter putrida, nonnunquam in hecticam febrem, aut quartanam, aut tertianam notham, aut hydropem, Chronicos morbos, desinit; veluti Pleuritis in Empyema, Apoplexia in Paralysim. De hac, inquam, conuersione non est loquutus Hippocrates, sed de illa tantùm, quæ fit in morbis acutis febrem habentibus comitem, qui medij sunt inter verè acutos, & diutinos. Vnde respectu merè acutorum morborum, longi dici possunt: respectu autem merè diuturnorum, acuti; sed ex conuersione, siue potius decidentia, vt cum alijs loquutus est Galenus. Et quidem rectè; quoniam morbus acutus febrem habens comitem, dum imperfecta Crisi diminuitur, non rectè dicitur conuerti: Nam reuerà in alium specie, aut genere distinctum morbum non conuertitur, quamdiu manet, post Crisim illam imperfectam, eiusdem febris idem tenor, & eadem causa: benè tamen acutus ex decidentia dicitur; quia à suo illo acumine, & veloci motu decidit, & tardiori motu, iā semiuictus, progreditur.

Nostram hanc expositionem confirmat Galenus in Aphorismi citati commentario, hac serie: Sed, & ipsa rerum natura suffragatur sermoni, quo dicitur acutos morbos habere terminum iudicationis quartumdecimum diem. Nullus enim inuentus est vnquam ab initio velociter motus, hunc transgredi terminum, qui non aliquod ex iam dictis quatuor iudicijs vnum acceperit: Sicuti quidam morbi motus leues, ac parui circa primos dies existentes, quarto, aut quinto die continui, vehementes, & acuti fieri incipientes, ad decimumseptimum terminârunt. Alij verò (motus scilicet, vel morbi) sexto, aut septimo die exacui incipientes, ad vigesimum terminarunt: adeò vt morbi continui acuties nunquàm possit plures, quàm quatuordecim, obtinere dies. Ex ijs verò morbis, qui motus habent inæquales, multi extenduntur vsq; ad aliquod tempus vlteriùs præfinitum. Dico autem inæquales habere motus, eos, qui aliquot diebus vehementiores fuêre, postea sine aliqua significatione torpuerunt; deinde rursùs adaucti continuitatem acceperunt.

Morbi acuti, tales quandoque fieri incipiũt quarto, vel quĩto, vel sexto, vel septimo die.

Inæquales morborum motus sunt qui vehementiam, modò torporem habent.

Tt

runt. Si quis igitur, vt dixi, faciat in ægrotãtibus obſeruationem, omnes inueniet, qui per duas integras ſeptimanas velociter mouentur, nunquam ad vlteriorem progredi terminum. Hîc enim optimè Hippocratis ſententiam de morbo acuto ſimpliciter dicto expoſuit Galenus, concludens quatuordecim diebus iudicari (Repentinæ autem mutationes acutorum ſunt, vt habetur lib. 3. de Criſib. cap. 3.) Dies verò decretorios non à numero dierum morbi deſumendos eſſe monet, ſed à prima die acuminis & vehementiæ morbi; quod acumen, ſi continuò perſeueret, ad Criſim efficiendam neceſſariò excitabit naturam. Si autem quibuſdam diebus acuminis continuitas adſit, & alijs diebus acuminis remiſſio, & rursùs viciſſim talis alternatio contingat, eſt inæqualis morbi progreſſus, propter quem Criſes vtplurimùm protrahuntur.

Dies Critici non à numero dierũ ſimpliciter, ſed à numero dierum acuminis morbi deſumuntur.

Galenus demùm, in Sententiæ Commentario, de Criſi quadrageſimo die facta, ſequentia ſcripſit: Quod verò dictum eſt ab Hippocrate; & in quadraginta diebus iudicantur, vt connumerentur cum ſimpliciter proprièque acutis, acuti ex conuerſione: tales fiunt quoties inter initia acutè ægrotauerint, poſtea verò quartodecimò die, aut etiam, ante, non integrè iudicati fuerint, ſed ita, vt morbi quædam reliquiæ ad quadrageſimum vſq; diem extendantur. Sed hæc de Textuum Hippocratis concordantia modò ſufficiant.

Exponitur Hippocrates.

Quanquàm vix ſit huius loci, ſententiam præfatam Prognoſticam exponere, non pigebit tamen textûs rationem propalare. Ergo ſpirationis facilitatem Hipp. vice naturalis reſpirationis poſuit: Et naturalem reſpirationem, bonũ ſignum in ipſis acutis febribus, tam ſimpliciter, quàm ex decidentia dictis, eſſe docuit; quia nobis indicat partes in thorace contentas, vt Cor, Pulmones, cæteraſq; ambientes, & potiſſimùm Præcordia (Maiores enim ſiue Veteres, Præcordia, ac ſeptum tranſuerſum, idem appellauerunt, vt loquitur Galenus in Commentario præcedentis Sententiæ vigeſimæquartæ): imò verò & partes quaſdam his adiunctas, Ventriculum ſcilicet, Lienem, & Iecur, eſſe omnis doloris atque inflammationis expertes. Concludit ergo perquàm optimè Hippocrates, reſpirationem liberam eſſe ſalutare ſignum in morbis acutis: nam illa perſeuerante, calor natiuus non adeò extinguitur, & virtus vitalis benè ſe habet ad ſua obeunda munera: Eſtque ideò ſpes optima fu-

Cur reſpiratio bona, in febribus.

Præcordia quæ.

Reſpiratio libera quid denotat.

futuræ salubris Crisis; ni natura, ægri, aut Medici erroribus fuerit interpellata. Sententiam enim iam antea transcriptam expressit Hippocrates post vigesimamquartam, quæ hac serie habetur: Spiritus autem (Spiritum hoc loco, vniuersam vocat respirationem) qui creber est, significat dolorem, aut inflammationem in regionibus, quæ supra præcordia (siue phrenas) sint: qui verò spiratur magnus, multoque interposito tempore, delirium indicat: qui verò frigidus (spiritus scilicet, aut aërea quædam subtilisue substantia) de naso, & ore expiratur, admodùm exitialis iam est. Sed de his hæc sufficiant. Modò ad reliqua signa vniuersalia futuræ excretionis Criticæ accedamus.

Respiratio crebra, magna, frigida, quid indicat.

Tertium fundamentum nobis præostendens futuram euacuationem, à parte affecta desumitur. Si autem Hepatis pars conuexa inflammatione laborat, per excretionem Crisis fiet: Inflammatio enim est morbus calidus, & per euacuationem Criticam terminabilis. Nec solùm pars, euacuationem in vniuersum significat, sed hanc, aut illam euacuationis speciem. Vnde inflammata conuexa hepatis parte, non solùm euacuatio Critica expectanda, sed Hæmorrhagia per narem dextram, si bona est futura; aut Perirrhia, siue Vrinæ profluuium, aut bonus sudor, aut vomitus, aut alui fluxus: qui quidem fluxus alijs euacuationibus in affectibus cauitatis hepatis tutior est, vt ex Galeno de euacuatione, febri tertianæ superueniente, mentionem faciente, colligitur. Cæterùm, cùm mortalium nemo tam exactè hanc doctrinam tetigerit, ac Galenus, eius verba ex capite 3. lib. 3. de Crisib. hùc transferre placuit.

Tertium fundamentum signorum vniuersalium.

Inflammato hepate, quæ Crises superueniunt.

Galeni textus.

PRimum quidem & maximum inter omnia, est considerare coctiones ex Vrinis, & alui excrementis, & sputaminibus: Siquidem ego millies, dum Crises fierent, cùm interessem, neminem vnquam vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus Crisim habuisset. Non tamen æqua signorum omnium dignitas existimanda est, sed in morbis quidem Thoracis, atq; Pulmonis, præcipuè sputamina sunt animaduertenda: non tamen tunc Vrinarum contemplatio negligenda: Sed & alui excrementa sunt inspicienda. Si verò tantùm febricitent, sine alicuius visceris affe-

Magna vis signorum coctionis, teste Galeno.

Sputa, Vrinæ, & fæces, quomodo obseruari debent.

ctu, vt sine inflammatione Hepatis, vel Renum, vel Vesicæ, vel Splenis, maximè Vrinis animum oportet adhibere: Sicut, si circa Ventriculum passio sit, primùm excrementis alui: deinde neque Vrinæ sunt negligendæ. Semper enim, cùm febris affuerit, vel ex sola humorum putredine accensa, vel ex membro inflammationem patiente, præcipuè Vrinas inspiciendas censeo, atque inde coctiones agnoscendas, sicuti & priùs definiuimus. Primum quidem & maximum instantis (siue imminentis) bonæ Crisis indicium, sunt coctiones. Secundum autem, quod ab aliqua die indicatoria antea indicetur, cui annexa est diei iudicantis potentia. Deinceps autem inspicere oportet, & speciem morbi, & morem: speciem quidem, si tertiana, vel quotidiana, vel febris ardens, vel Pleuritis, vel Peripneumonia: morem autem, si moderatus & mitis, vel prauus atq; malignus. Deinde si formæ (siue speciei) morbi excretio respondeat. Si enim sit febris ardens, vel sanguis ex naribus profluet, vel post vehementem rigorem, sudor multus calidus per totum corpus emanabit, aut per vomitum, aut per aluum biliosa excernentur. Ita (siue similiter) & Tertiana vomitibus, & excrementis alui biliosis, & sudoribus multis toto corpore fluentibus, iudicabitur. Plurimum autem pituitæ in quotidianis febribus excernetur, & multi in toto corpore sudores fient. Iudicat & Phrænitidem sudor bonus, & præcipuè, si ex capite multus, & calidus fluxerit, sudante simul reliquo corpore: contingit autem aliquando, quòd etiam per sanguinem è naribus fluentem Phrænitis iudicatur. Non tamen Lethargus, aut Peripneumonia, fluxum sanguinis amant. Inter ipsas autem Pleuritis medium obtinet locum: minùs enim, quàm febris ardens, & Phrænitis, magis autem, quàm Peripneumonia, atq; Lethargus, profluuio sanguinis (narium) soluitur. Soluit autem (abundè) Lienis, & Hepatis inflammationes sanguis è naribus profluens; cùm hæc viscera vnà cum acutis febribus habent inflammationes. Et omnes quæ in hypochondrijs fiunt calidæ atq; acutæ inflammationes, fluxu sanguinis iudicantur. Oportet autem per directum fluere sanguinem, ex dextra quidem nare, Hepate patiente, vel locis in dextris hypochondrijs positis, laborantibus. Ex sinistra autem, Liene, & locis vicinis. Iuuat autem & sudor bonus omnes, quæ sunt in hypochondrijs, inflammationes calidas, & acutas. He-

Quatuor, instatis bonæ Crisis signa.

Morbi mos.

Excretio, speciei morbi correspondere debet.

patis verò deuexæ (siue gibbæ) quidem partes inflammationem patientes, tribus præcipuè modis Crisis obediunt, fluxibus sanguinis è nare dextra, & sudoribus bonis, & Vrinis abundantibus. Concauæ autem partes excrementis alui biliosis, atq; sudoribus, nonunquàm verò & vomitibus. Magis autem expetunt per Vrinas expurgari, quàm deuexæ Hepatis partes, omnia ea, quæ vel in partibus Renum, vel Vesicæ laborant: sicuti loca, quæ ad thoracem, & pulmonem pertinent, sputaminibus. Sudores verò omnibus febribus proprij sunt, & præcipuè incendentibus (siue ardentibus.) Iuuant autem non parùm, & efferuentes inflammationes (siue Phlegmonas) quando (sicut & antea diximus) vnà cum coctionibus emanauerint. Iudicant autem & quotidianas febres, simul vomitibus, atque excrementis alui pituitosis adiunctis. Et quartanas etiam, si atra simul, ac varia excernuntur: Semitertianas verò, si biliosa simul, & pituitosa. Parotides autem iudicant Lethargos, & reliquos omnes Capitis affectus. Alijque decubitus (idest Abscessus) omnes febres diuturnas securè iudicare consueuerunt. Sed nondum de diuturnis morbis dicere proposuimus: nam repentinæ mutationes acutorum sunt morborum: quorum optimam, qualis sit, nunc enarramus, quòd videlicet omninò sine coctione non est, & quod in aliquo die iudicatorio fit, ac præterea ab aliquo indicatorio præindicata fuit, & etiam Crisis motum, seu speciem (seu excretionis speciem) facit morbo conuenientem.

Repentinæ mutationes, siue Crises, solis morbis acutis congruũt, paulatinæ mutationes diutinis.

Præter hæc autem te hortor hoc loco, vt ægrotantis ætatem, atque naturam, nec non antecedentem victum, locumque in quo ægrotat, & anni tempus, atque præsentem temporis statum considere es. Si enim, quemadodum morbus fortè est biliosus, hæc etiam singula æq; biliosa sint, oportet bilem Crisi expurgari: sicut, si pituita superabundauerit, pituitam oportet euacuari: Varijs autem humoribus superfluentibus, variam etiam oportet esse euacuationem. Cùm verò hæc vniuersa benè tibi fuerint explorata, tunc euentus iam tibi sunt considerandi. Si enim, dum ægrotans iudicatur, febris soluatur, atque alijs accidentibus liberetur, & meliùs fuerit coloratus pro ratione euacuationis, cum melioribus pulsibus, & ad surgendum robustior, hæc optima Crisis est: si verò ex his aliquid desit, tantum ab optima deficit, quanta est eius, quod deficit, vis.

Quatuor bonæ Crisis cõditiones.

Humor superfluus a natura excernitur in Crisi.

Signa consequentia bonã, malamq; Crisim.

Ga-

Galenus hoc capite statim nonnulla proponit signa imminentis bonæ Crisis, siue Iudicij. Et quamquàm nos omnia superiùs plenè proposuimus, non pigebit cum Galeno hîc, ex ijs quædam repetere. Primum ergo & omnium maximum signum, sunt concoctiones quæ in Vrinis, deiectionibus aluinis, atq; sputis considerantur. Experientiâ enim probat Galenus, coctiones excrementorum, siue excrementa cocta, esse maximum signum imminentis bonæ Crisis: nam cùm millies iudicijs, siue Crisibus; dum fierent, interfuerit, nunquàm quempiam eorum mori deprehendit, qui iudicati sunt, præcedentibus coctionibus. Nos verumtamen monet, non omnia signa Iudicatoria in omnibus morbis indiscriminatim æqualem obtinere dignitatem. Nam in omnibus affectibus internæ partis Thoracis, & Pulmonum in eodem thorace contentorum, sputa præcipuè consideranda veniunt, quod ex ijsdem partibus, in quibus formata sunt, excernantur. In ijsdem tamen thoracis affectibus non est Vrinarum contemplatio negligenda, veluti nec deiectionum inspectio: quoniam ambo hæc excrementa, facultatum naturaliũ robur, aut imbecillitatem, non secùs, ac sputa, indicant.

Primum signum bonæ Crisis.

Sputa affectus partiũ in thorace contẽtarũ, præcipuè indicant: Vrinæ, & fæces minus præcipuè.

Cæterùm, si æger solummodò febricitat, citra alicuius visceris, exempli gratiâ, Iecoris, Lienis, Renum, Ventriculi, aut Vesicæ, phlegmonem, Vrinæ tunc potissimùm inspiciendæ sunt, non tamen negligendæ deiectiones. Si verò Ventriculus aliquo laborat affectu, deiectiones, siue alui excrementa, primo loco, idest maiori cum sedulitate, inspicere oportet: Vrinarum tamen contemplatio non omittenda.

Vrinæ potissimum ĩ febribus primarijs, imò & symptomaticis, inspiciendæ: deinde deiectiones.

In alui affectibus, primò deiectiones: deinde Vrinæ.

Iterum febricitantium Vrinas maximè inspiciendas docet Galenus: nec solùm in febribus putridis Vrinæ contemplandæ sunt; sed & in alijs febribus, quæ Phlegmonem alicuius partis consequuntur.

Posthæc, verbo innuit Galenus, se alibi ostendisse, quantum ponderis habeant signa ex sputis, deiectionibus, & Vrinis, desumpta. Libro autem 1. de Crisib. cap. 7. rem plenè sequenti serie exposuit: Quodcunq; igitur concoctionis signum superuenerit, breuem simul, & salubrem morbum fore significat. Tale sanè etiam est in Pleuriticis sputum. Quippe vniuscuiusq; corporis partis excrementum, eum, qui illi inest, affectum demonstrat: si concoctum quidem fuerit, salubrem: si verò crudum, morbosum. Sic itaq; hæc etiam

Vis coctionis excrementorum.

Cuiusuis partis excremẽtum, eiusdem partis affe-

etiam dicta sunt (ab Hippocrate Sectione 2. Prognostic. tex. 13.) Egestio Alui optima est, mollis & compacta, & quæ eâdem horâ, qua in secunda valetudine deijci solebat, excreta. Copia verò egestionis, ijs, quæ ingesta sunt, respondeat. Talis enim si fuerit exitus excrementorum, inferior vtiq; venter rectè valebit. Quinetiam sputum si fuerit exquisitè simile sanorum sputo, respirationis instrumenta exquisitè sana esse demonstrabit. Quod si verò aliquo modo impediatur, & à naturali habitu recedat, tantundem illa instrumenta læsa esse ostendit sputum, quantum vtique ipsum à naturali specie formaue abest. Quod verò illi, quod secundùm naturam se habet, contrarium est, crudum existit, & magnam laborantium locorum imbecillitatem demonstrat. Quod si etiam vitiosæ causæ signum aliquod habuerit, quemadmodū nigrum, perniciosissimum hoc est. Pari ratione & in vrinis se res habet. Nam quæcunq; harum, sanorū Vrinis maximè similes sunt, hæ quidem satis robustum esse venosum instrumentorum genus ostendunt. Quæ verò crudiores fuerint, ipsorum instrumentorum imbecillitatem significant. Quæ verò sanorum Vrinis sunt maximè contrariæ, hæ quidem omninò sunt crudæ; & magnam vniuersi generis venosi imbecillitatem indicant. Quæcunque verò exuperantis causæ etiam prauitatem ostendunt, veluti quæ nigræ sunt, hæ extremè exitiales sunt. Hæc igitur tria Signorum genera (idest, Sputa, deiectiones, & Vrinæ, siue signa ab his tribus desumpta) propriam cuiusq; membri coctionem significant, demonstrantue: Inferioris quidem Ventris, quæ secundùm naturam se habent deiectiones. Venosi autem generis, Vrinæ: Instrumentorum verò respirationi inseruientium tantùm, excreationes, Quemadmodum autem hæc ipsorum locorum, à quibus excernuntur, indicia præbent, eodem, arbitror, modo etiam Vrinæ, Renum, & meatuum per quos Vrina defluit (communiter Vreteres appellantur) Vesicæ, & Penis. Sed Vrinas quidem, quæ in harum partium morbis accidunt (Fuchsius ait, excernuntur) Hippocrates seorsim in aphorismis (vt lib. 4. Aphorism. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81.) scripsit. Quæ v. acutis assident ægritudinibus, in Prognosticis: quoniam hic liber (vt iam sæpiùs ostendimus) de solis est morbis acutis. Et cùm eodem libro compleuisset omnem de Vrinis sermonem, postea in fine (Sectione scilicet 2. tex 37.) subiunxit: Ne decipiaris autem, si Vesi-

Efiū demonstrat.

Faces bona.

Sputum bonum.

Vrina bona.

Vrina cruda.

Nota hæc.

ca quopiam vitio affecta, aliquam ex his vrinam reddiderit: non enim totius corporis signum, sed ipsius per se vesicæ. Sicuti igitur Vesicæ meminit, facto in ea sermonis exemplo; ita & Renes, & Vasa deferentia (Vreteres scilicet) Vrinam, & Penem, subaudire oportet. Maximè verò idipsũ demonstrant, quæ ab ipso in Aphorismis sunt scripta. Sicut enim Vesicæ, ita & Renum ægrotantium signa conscribit. Quibus, inquit, (libro 4. Aphorismor 76. in Vrinâ crassâ, carunculæ paruæ, aut veluti capilli exeunt, ijs à Renibus excernuntur. Hæc igitur tria signorum genera (Vrinæ scilicet, alui excrementa, & sputa) vt dixi, singula quæque propriam concoctionem demonstrant: Vrinæ quidem, eius, quæ fit in venis: deiectiones verò, eius, quæ fit in ventre: sputamina autem, eius, quæ fit in respirationis instrumentis. Fieri autem non potest, quin semper bonum aliquod magnum coctionis signa ostendant.

Vrina non sẽper venarum, sed instrumentorum Vrinæ statum indicant.

Nota hæc.

Coctionis signum semper bonum.

Cùm transcriptus Galeni contextus clarissimus sit, ad primamq; imminentis bonæ Crisis conditionem attineat, Secundum iam imminentis Crisis Signum exponamus: Hoc enim est, Iudicium, siue Crisim ab aliquo die indice præindicari. Est enim diei Criticæ facultas, diei indici annexa. Vt ergo præsciamus diem iudicatorium bonum, coctionis aliqua Signa die indice apparuisse debent. Signa porrò Coctionis illis diebus indicibus apparentia fælicissimum spondent euentum. De Die indice in sequentibus agemus.

Secundum signũ bonæ Crisis.

Tertium boni Iudicij indicium est, quando species morbi ex se lethifera non est: vel quando morbus est boni moris: Verbi gratiâ, Tertiana ex sua natura non est mortiferus morbus, sed salutaris. Morbus etiam acutus, etsi periculosus, si boni moris est, salutarem spondet Crisim: vt si Peripneumonia, aut Pleuritis, symptomata habeat mitia, & quæ boni moris esse dicuntur, bonam minatur Crisim.

Tertium bonæ crisis futuræ signum.

Quartum Indicium est, vt speciei morbi excretio correspondeat. Diarrhææ autem, aut Lienteriæ, aut Herniæ, aut alijs multis, non congruit, nec correspondet vllo pacto hæmorrhagia; sicuti nec febri quotidianæ. Sed huiusmodi euacuatio probè competit febri ardenti: Nam ardens febris, continens dicta, à bile in vasis maximis vtplurimùm putrescente, & excandescente, quasi semper generatur. Sanguis ergo bile refertus, sursum ad caput suopte ingenio

Quartum imminẽtis Crisis bonæ signum.

nio facilè capessit, & venas vniuersas Capitis replens, & pungens, exitum quærit; quem denuò per narium venas, quæ tunc aperiuntur, commodè consequitur. Propter humoris etiam biliosi tenuitatem, & vim penetrantem, facilè hic ipse impetum ad varias partes efficit: Vnde nunc sudorem, nunc vomitum; nunc alui fluxum, pro naturæ optione, concitat. Eandem ob rationem tertiana febris modò per sudores, modò per vomitum, aliquando per alui fluorem iudicatur. Quotidiana autem febris ex pituita producta, per crebras euacuationes per aluum, & aliquando per vomitum, ac copiosos sudores iudicatur. Pars etenim eius vi caloris, siue naturalis, siue febrilis, attenuata, ad habitus corporis superficiem facilè penetrat, & sudorem excitat. Cùm tamen, maiori ex parte, crassus sit talis humor, commodiùs per alui fluorem, quàm aliter, iudicatur. Phrenitis autem cùm sit Phlegmone membranarum Cerebri, Cerebriq; consequenter, non est mirum, si per Hæmorrhagiam aliquando iudicatur. Sanguis enim ille inflammatus, & biliosus, exitum quærit: & si per nares non excernitur biliosus humor, & ichores, per sudores bonos fæliciter malum iudicatur. Malus enim sudor morbum minimè soluit. Bonus autem sudor Phrenitidem soluens dicitur ille, qui die Critico fit, quiq; non frigidus, sed calidus, è capite laborante copiosè profluit, sicuti & à corpore vniuerso. Hippocrates Sect. 1. Prognostic. tex. 29. Sudoris perfectionem, & defectum, hac serie proposuit: Sudores optimi censentur in omnibus acutis morbis, si in die iudicatorio fiant, febrimque integrè finiant. Boni etiã, vbi vniuerso corpore æqualiter insudante, æger morbum facilius sustinere videtur. Contra, inutiles, qui id efficere non valent. Pessimi omnium sunt frigidi, & vbi duntaxat caput, aut facies, aut ceruix insudat. Lethargus, quia pituitam habet causam, hæmorrhagiam non amat, sed potiùs pituitæ per os, aut nares excretionem, aut parotidas. Peripneumonia pariter rarò per hæmorrhagiam iudicatur, sed per sputamina potiùs: aliquando per alui fluxum, aut vrinæ profluuium purulentum. Pleuritis verò medium locum inter ardentem febrẽ, Phrenitidem, Lethargum, & Peripneumoniam occupat. Porrò minùs quàm ardens febris, & Phrenitis, magis quàm Lethargus, & Peripneumonia, per hæmorrhagiam iudicatur.

Ardens febris, nunc hæmorrhagia, nunc sudoribus; nunc vomitu, nunc alui fluxu iudicatur.

Tertiana modò sudoribus, modò vomitu, modò alui fluore iudicatur.

Quotidiana deiectionibus, aut vomitu, & copiosis sudoribus.

Phrenitis hæmorrhagia, aut sudoribus iudicatur.

Sudores optimi, qui.

Pessimi sudores.

Lethargus parotidibus, aut excretione per os, aut nares facta iudicatur.

Peripneumonia sputis, rarò hæmorrhagia, vel alui, vrinæue fluxu terminatur.

Iecoris, & Lienis phlegmonæ, hæmorrhagiâ, seruata rectitu-

Iecoris, lienisq; inflãmatio, hæmorrhagia quandoque terminatur.

Bona, malaq; hæmorrhagia.

dine; quandoque iudicantur: habent enim hi affectus febrem acutam comitem: febribus autem acutis hæmorrhagia familiaris est. Aliarum etiam partium hypochondriorum Phlegmonæ, ob eandem rationem, hæmorrhagia quandoq; iudicantur. Hæmorrhagia tamen horum affectuum, si rectitudinem seruat, profutura est, secùs minimè. Vnde Galenus lib. de curandi rat. per sang. miss. cap. 15. ait: Quæcunq; sanguinis eruptiones per rectitudinem fiunt, maximam ægrotantibus commoditatem afferunt. Quæ contra sanguinem excernunt, nihil iuuant; aut etiam nocent; quod scilicet interdum citra mali leuamen vires exoluant. Neq; enim Lieni magno existenti è dextra nare erumpens sanguis, neq; iecori è sinistra, vllam adfert vtilitatem.

Inflammatio gibbæ partis hepatis, hæmorrhagia aliàs sudoribus, aliàs vrinis, iudicatur.

Gibbæ autem, siue conuexæ Iecoris partes dum Phlegmone tentantur, aliquando hæmorrhagia, aliquando sudoribus bonis, more aliarum inflammationum, iudicium percipiunt, veluti etiam multis vrinis: Commodè enim per vrinas expurgantur ea quæ in gibbis hepatis partibus continentur, quòd inde exeat vena caua; per quam transmittuntur superfluitates vnà cum sanguine; & rursùs à sanguine separantur eædem superfluitates, & ad renes, per emulgentes venas relegantur, & illinc per vreteres ad vesicam, in qua molestiam, ob quantitatem excedentem, & qualitatem acrem excitant: suscitantq; ideò naturam ad sui exclusionem per vretram.

Diuretica.

Propter facilitatem qua excrementa ex gibbis hepatis ad renes transuehuntur, medicamenta diuretica facilè deturbant ad vias vrinæ, quæ in ijsdem gibbis continentur superuacanea; dummodò hæc sint in mediocri quantitate: nam si in magna fuerint copia, non per vrinã, sed per secessum euacuanda veniunt; docente Galeno lib. 7. Meth. med cap. 23. & vltimo. Libro autem 13. Meth. med. cap. 15. contra Attalum Methodicum, qui Theagenem Cynicum inflammatione Iecinoris laborantem relaxantibus cataplasmatis enecauit, agens Galenus sequentia profert: Nam, sicut Iecoris cauum per aluum purgatur, seu paulò supra diximus, sic gibba eius per ea, quæ modicè vrinas mouent, cuius generis est Apium. Procedente autem tempore vbi Phlegmone iam concoquitur, etiam valentioribus vti licet, Assaro, & Celtica nardo, & Phu quod vocant, & Petroselino, & Smirnio, & Meo, &c.

Historia Theagenis hepatis inflãmatione laborãtis.

Iecoris cauum per aluum expurgatur.

Prouocantia vrinas.

Deinde in capite illo 3. lib. 3. de Crisib. à nobis transcripto (quod

(quod modò interpretor) docuit Galenus partes illas quæ circa Renes, & Vesicam sunt, multò magis, quàm gibba Hepatis, per vrinas expurgari, veluti ea, quæ iuxta thoracem, & pulmonem sunt, per sputa. Per has vias quidem respirationis commodissimè, quæ in thorace superfluitant, euacuantur: sicuti per vrinas quidquid in vrinæ instrumentis superfluum est. Etsi exactè, modum, quo partes corporis ab excrementis liberari consueuerunt, hoc capite Galenus euulgauerit, lib. 7. Meth med. cap. 13. & vltimo, indicationes quæ à partis læsæ natura desumuntur, proponens, de euacuationibus, quibus partes liberari solent, apprimè loquitur. A figura verò (inquit) indicatio ipsius modi euacuandi excrementi suggeritur, ad hunc modum: Ventriculus vomitu, deiectioneq; inanitur. Intestina deiectione tantum, sicuti etiam Iecinoris caua. Renes verò, & Vesica, ac Iecinoris gibba, si multo vitioso succo sunt referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria (Catoterica, & Hypelata Græci nominant) expurgantur; sin mediocri, per Vrinales meatus: Cerebrum verò per palatum, & nares, & aures: Pectus, & Pulmones per asperam arteriam, & fauces. Et paulò post ait: Iam ad vacuationes quoq; nonnihil situs indicat, dum societatem laborantis particulæ, cum alijs docet. Nam, nisi illud compertum haberemus, quod cauo iecinoris subijcitur ventriculus, & ieiunum: tum quod ieiuno ipsi tenue intestinum succedit: id verò colon excipiat: ac colon, quod appellant rectum: vtiq; inuenisse illud non licuisset, quod Iecur, & per aluum, & per vomitum, expurgari possit. Cæterùm aptior sit prior euacuatio, tanquam vsu iam callentibus intestinis iecinoris superflua tolerare.

Viæ per quas variæ partes euacuantur.

Viæ per quas partium læsarum excremēta euacuantur.

Iecur per vomitum, & alui fluxū expurgari potest.

Prudenter sanè Galenus vltima adiecit verba: nam intestina quotidiè è iecore superfluum humorem biliosum, per meatum ad duodenum, è vesicula fellea protensum accipiunt: imò per venas mesaraicas in intestina commodissimè varia effundūtur indies excrementa, tam biliosa, quàm pituitosa, quàm melancholica, quàm serosa. Intestina ergo assueta quotidianæ receptioni superfluitatū è Iecore transmissarum, easdem facilè tolerant; nisi quando in magna copia, aut diuturno tempore, aut vtroque modo, ad eadem intestina confluunt: tunc enim, si illa excrementa quæ ad intestina deturbantur, acredinis aut salsedinis participantia sunt, internos intestinorum parietes aliquando radunt, & exulcerant, & dy-

senteriam procreāt. Si autem acredine, & omni vi radendi vacant, Lienteriam, aut Diarrhæam. Quoties verò Hepatis superfluitates vomitu euacuantur, molestiam ventriculo, ventriculiq; orificio, exquisito sensu prædito, inferunt. Vnde, etsi Oesophagus, antiquis stomachus dictus, non solùm cibi, & potûs ingressui, sed etiam superfluitatum, quæ sunt in ventriculo, mediante vomitu, egressui à natura fuerit fabricatus, & destinatus, vt cum Galeno in nostra docuimus Pathologia, vomitus tamen multò molestior est, quàm euacuatio deorsum per intestina facta: Nam intestina crassiora, gratiâ excretionis excrementorum sunt constructa, & graciliora intestina causâ receptionis, tam chyli, quàm excrementi è ventriculo deorsum expulsorum: cùm tamen ventriculum chylificationis ergò natura efformauerit. Ad hæc, ventriculi orificium, exquisitissimo, & peracuto sensu præditum est, grauiori verò, & hebetiori intestina, saltem crassa. Proinde acria, & molesta excrementa è iecore in ventriculū effusa, & vomitu eiecta, orificiū sensibile mordent, & ventriculi Oeconomiam potenter euertunt: intestinis verò copioso muco interiùs obductis non tam facilè nocent. Doctè sanè suo more, hanc ob causam Galenus eodem capite 23. Libri 7. Methodi medendi, ab acuto, & tardo, siue hebeti sensu indicationes desumpsit, aiens: Non spernenda verò indicatio est, & ea, quā sensus partium acuitas, hebetudoq; suppeditant: quando omne medicamen contemnunt, quæ tardi sunt sensus, etiamsi non leuiter mordeat. At, quæ acuti sunt sensûs, eorum vires dolore resoluuntur. Expedit igitur, has, nec confertim, nec semel, valentibus auxilijs mederi tentes, sed tuto potiùs in tempore. At, vbi tardus est sensus, in his etiam celeriter obire, quod iustum est, licet, semel vsis remedio, quod sit idoneum. Pulchrè sanè Purgantium acrium vsum immodicum pro corporibus valdè sensibilibus (qualia sunt biliosa, & viuidiora, ac tenera corpora) vetat Galenus; quoniam facilè à talibus remedijs læduntur: nec secùs ac partes acuto sensu præditæ ab humoribus morsum, aut punctionem inducentibus. Ex aduerso, corpora duriora, obæsa, & frigidiora, quæ obtusioris sunt sensûs, purganda sunt forti remedio, & confertim, & pluribus vicibus, si opus fuerit: remedij porrò vehementiam facilè tolerant, sicuti partes robustiores, & obscurioris sensûs, transitum copiosorū & mordacium humorum. Conclu-

Vomitus deiectione inferna molestior.

Indicatio ab acuta, & tarda sensatione.

Purgantia remedia, qui tolerant, & qui non.

cludendum ergo cum Galeno, aptiorem esse euacuationem superfluitatum hepatis per intestina, eâ, quæ fit per vomitum, ob allatas modò rationes.

Denique docet Galenus, sudores febribus omnibus esse familiares, & proprios, sed præcipuè incendentibus, siue ardentibus communiter dictis. Licèt Galenus strictè in hoc loquutus fuerit, & rei rationem solito more non proposuerit, eius doctrinam sequenti ordine interpretari possumus, dummodò priùs in medium adferam verba ipsius ex lib. 1. de Crisib. cap. 7. quæ sequenti ordine scripta reliquit: Nam cuiusq; partis in corpore superfluitas, eam, quæ illi inest, dispositionem ostendit: si cocta quidem fuerit, salubrem: cruda autem, ægram. De sputis, fæcibus, & vrinis, dum hæc protulit, loquutus est Galenus.

Sudor febrib. familiaris.

Notá has.

Cùm constet ergo, excrementa, quæ ex quibusdam partibus exclusa sunt, earundem partium robur, & imbecillitatem prodere, esseque sanitatis, aut morbi earundem partium signa; Sudores rectè dicuntur febri superuenire, eiusq; euentum, siue bonum, siue malum, prædicere. Febres enim sunt vniuersales morbi, cùm sint totius corporis calida intemperies: Vniuersale igitur excrementum, quod in toto corpore, vtpotè visceribus, & habitu eiusdem includitur, febres, & potissimùm ardentes, siue continentes fuerint, siue continuæ, indicat, & totius corporis robur ac imbecillitatem prodit. Sudoris enim materia est sanguinis serum, & aliorum humorum superflui ichores, cum quibus biliosi, putridiue, atque attenuati humoris superflui portio, pro naturæ robore, per cutis poros eijcitur. Cùm ergo sanguis in venis & arterijs, tam viscerum, quàm totius habitus corporis, contineatur, cùmq; per venas & arterias calor præter naturam à corde, & adhuc hepate (prius hepar, & viscera incalescunt, quàm corporis habitus) ad extimam vsque corporis superficiem transfundatur, rationi consonum est, serositates, & tenues inutilesque humores, sanguini commixtos, eundemque sua acredine, ardore, alijsque prauis qualitatibus cõtaminantes, naturæ iudicio aliquandò, quandòq; irritatâ naturâ, ad habitum corporis relegari, & his penitùs euacuatis morbum solui: malè autem expulsi sudores, febris confirmationem significant. Febrem ardentem, mediante sudore solui docet Hippocrates lib. 4. Aphorism. 58. Si febre, inquit, ardente laboranti rigor super-

Febris est morbus vniuersalis.

Materia sudoris.

Rigor superueniens ardentem soluit febrem.
Rigor superueniens quandoq; malus, vt causa, malus etiam vt signũ.
Quid prænindicat rigor.

superueniat; solutio fit. Loco autem, sudor, posuit, rigor; quia rigor in continentibus febribus, absq; eo quod ei succedat sudor, malus est. Vnde idem Hippocrates aphor. 46. eiusdem libri 4. inquit: Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili; læthale est. Rigor enim tunc malus, vt causa, quia corpus imbelle exagitat: malus, vt signum; nam rigor est signum imminens alicuius euacuationis, aut per sudores, aut per vomitum, aut per alui fluorem, teste Galeno comment. citati aphor. 58. libri 4. Ostensum enim est, inquit, in sermone de rigore, etiam ob flauam bilem, quæ per membra sententia veloci motu defertur, fieri rigorem, post quem videlicet, & alui soluuntur, & sudores, & vomitus biliosi superueniunt. Cùm ergo bilis, ex qua febris ardens habuit ortum, expurgatur, soluitur febris. Nam febrem ardentem fieri nouimus, quando æstiuo tempore venæ exiccatæ acutos, ac biliosos ad se ichores attraxerint. Hæc enim vltima verba sunt doctrina Hippocratis, quam ab hoc mutuatus est Galenus. Concludendum ergo, rigorem superuenientem febri, facultate existente imbelli, esse pessimum omen: quia, vt dixi, natura imbecilla rigore magis exagitatur; & sic, vt causa, nocet: Præterea malam est signum; quia cùm natura tunc sit imbellis, nullam, vtplurimum, molitur euacuationem.

Boni sudores qui.

Sudores mali.

Bonos sudores, malosq; indicat Hippocrates aphor. 36. lib. 4. aphorism. dum inquit: Sudores febricitanti si inceperint, boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, vigesimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuã. In Aphorismi Commentario monet Galenus, alui Criticum fluxum, vrinæ Criticum profluuium, & abscessum ponè aures, & articulos, posse identidem ijsdem diebus contingere. Voluit tamen Hippocrates de solis sudoribus Criticis in aphorismo loqui: qui quidem sudores in peracutis sæpiùs tertio, & quinto die, quàm quarto superueniunt: nam quando prima accessio vehementissima est, credibile est, quòd secunda, quæ tertio die in putridis biliosis superuenit, vehementissima adhuc sit futura; & cùm in maioribus exacerbationibus Crises fieri consueuerint, verisimile est, quòd natura aliquam die tertio molietur euacuationem: Nam in peracutis

cutis morbis tertia dies quartam anticipat, eò quòd morbi qui in diebus imparibus accessiones habent, citiùs iudicentur; tardiùs qui paribùs. Si autem die tertia Sudor non erumpet, quinta die, in qua tertia continget accessio, Crisis superuenire commodè potest. Cùm ergo in morbis peracutis, & breuioris consequenter temporis, Crises, quæ per sudorem fiunt, multò frequentiùs tertio, & quinto die, quàm quarto, superueniunt, quartum diem in Aphorismo prætc-rijt Hippocrates, quamuis quartus sit primus decretorius dies; vt in commentario testatur Galenus. Docet deniq; in cõment. Gal. à nonnullis in aphorismo positum fuisse diem trigesimumprimum loco diei trigesimiquarti, sed fortassis trigesimumquartum diem, maiorem habere vim Criticam, quàm habeat trigesimusprimus. Rursusq; docet, Hippocratem non meminisse diei quadragesimi, fortasè quia hunc diem, principium morborum longorum existimauit, qui non admodùm per sudores iudicantur. Nam & trigesimumprimum, & trigesimumquartum, & ante ipsos, vigesimumseptimum raro inueniemus per sudores iudicare; vt loquitur in Cõment. Galenus, qui sub principium, de morbis, qui vltra dies in aphorismo enumeratos, loquens, ait: Morbi enim istis diuturniores, non admodùm solent per sudores iudicari, sicuti neq; omninò per excretiones, sed vel per concoctionem, vel per abscessus.

Cur tertio, & nõ quarto die in peracutis sudores superueniunt.

Quartus dies est primus decretorius.

Trigesimũprimũ loco 34. posuere quidam.

Cur non meminit quadragesimi.

Morbi vltra 34. diẽ producti raro per sudores, aut excretiones terminantur.

Non est omittendum, quod Galenus in Capite translato 3. Libri 3. de Crisib. ait. Sudores nimirum non solùm iudicare febres ardentes, sed insuper phlegmones, dummodò cum signis concoctionis superueniant. Sanè res est ardua, signa coctionis, & cruditatis in sudoribus depræhendere. Nam Medici signa coctionis, & cruditatis aspectu quotidie in Sputis, Vrinis, & Fæcibus notant: in sudoribus autẽ minimè; cùm nihil nostris oculis appareat, præter liquorem quemdam aqueum ex corpore emanantem. Quòd si alicui placeret, sudores coctos appellare aqueas illas guttas è corpore manantes, quoties calidi percipiuntur; crudos verò sudores liquorem frigidum exeuntem, non omninò satisfacere videtur: Nam sudores diaphoretici, quales multis mox morituris superuenire obseruauimus, calidi sunt, imò copiosi; quæ tamen duæ conditiones sudori optimo, & Critico pariter competunt.

Rem hanc hac serie Ego definio. Sudores, ex se, Medico coctionis, aut cruditatis indicium vix subministrant. Dicuntur tamen su-

Quomodo sudores dicuntur habere signa coctionis.

ſudores habere ſigna concoctionis, quoties in Vrinis, aut Sputis, aut fortaſſis fæcibus, notæ coctionis obſeruantur. Quotieſcunque ergo prænotantur in his excrementis concoctionis indicia, & rurſùs die Critico ſuperuenit Sudor, Medicus audacter pronunciare poterit, Sudorem illum eſſe coctum, adeòq; optimum. Quod autem coctus ſit, patet ex eo, quod calor natiuus ſit robuſtus, & materiæ morbificæ prædominetur; vt colligere licet ex coctione reliquorum excrementorum. Huic doctrinæ fauet Hippocrates. Libro enim 3. Epidem. Sect. 3. Ægroto octauo, Anaxionem proponit acuta febre laborantem: qui Anaxion aſſiduo dextri lateris dolore, & conſequenter Pleuritide, torquebatur. Primis diebus vrinas boni coloris, multas etiam, etſi tenues, reddebat. Die octaua Baſilicam venam ei ſecuit Hippocrates. Die vndecima aliquantum circa caput ſudauit, & quæ è pulmonibus mediante tuſſi exibant, liquidiora erant. Decimo & ſeptimo die cæpit pauca concocta expuere, leuatus eſt. Vigeſimo ſudauit, febre liberatus eſt: à iudicio rectiùs habuit. Vigeſimoſeptimo redijt febris, tuſſijt, multa excreauit concocta; in vrina multa ſubſidebant alba, deſijt ſitire, dormiuit. Trigeſimoquarto die, toto ſudauit corpore, ceſſauit febris, in totum eſt iudicatus.

Octaua die Hippocrates venam ſecuit.

Ex varijs mutationibus in Anaxione Pleuritide vexato factis, colligere poſſumus, præceſſiſſe varia coctionis Signa, antequam trigeſimoquarto die ſudoris interuentu integrè fuiſſet liberatus. Vrinæ enim primis diebus, ideſt, ante ſextum diem, vt in hiſtoria notat Hippocrates, quanquàm contento caruêre, boni erant coloris: aliquod ergo coctionis rudimentum obtinuêre: die pariter vndecima circa Caput modicè ſudauit, & liquida expuit: quæ duo ſimul ſuperuenientia coctionis adhuc rudimenta arguebant; ſudor tamen ſolus nequaquam; liquida illa, tametſi cruda, vndecimo die, tuſſi mediante, per os eiecta, obſcuram concoctionem humorum, Pleuritidem cauſantium, arguebant: erat enim adhuc Pleuritis in ſuo principio. Decimoſeptimo autem die pauca, ſed cocta expuit: quod fuit certum indicium factæ tranſmutationis morbi à principio ad ſuimet augmentum: nam in hoc manifeſta apparent ſigna quædam coctionis in ſalutaribus morbis. Sudor autem die vigeſima, poſt apparens coctionis indicium in ſputis die indice, ideſt decimaſeptima, ſuperuenit, & Anaxionem à febre liberauit.

Hic exponũtur cruditas pleuritidis in principio, coctionis rudimentũ in augmẽto, & aperta coctionis ſigna in ſtatu.

Vige-

Vigesimoseptimo sputa apparuêre perfectè cocta, quæ in magna copia, & sine difficultate educebantur: & talis perfecta coctio, & copiosa ac facilis expuitio, Pleuritidis statum arguebant. Verùm Crisis illa sudoribus facta die vigesimo, tametsi fuerit indicata, non erat perfecta, sed imperfecta, vt comprobauit recidiuatio febris facta die vigesimoseptimo, propter partem materiæ morbificæ in corpore relictam. Quæ enim relinquuntur in morbis post Crisim, reuersionem facere consueuerunt, vt loquitur Hippocrates lib. 2. Aphorism. 12. Non enim potuit fieri absoluta perfectaque Crisis die illa vigesima, quoniam die indice, videlicet die decimaseptima, non apparuit exquisita Vrinarum, aut Sputorum concoctio. Si enim sputa fuissent exquisitè cocta, in magna copia expuerentur: quod non factum fuit. Præterea dies indices, dum morbus protrahitur, non habent tantam indicandi virtutem, quantam habent priores; sicuti nec posteriores dies Critici, siue Decretorij tantam excernendi vim, quantam priores; vt docet Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 18. hac serie: Age iam hoc die (idest 17) supponamus expuere pauca quidem, sed cocta: huic in die vigesimo possibile est aliquam aduenire Crisim, non tamen perfectam, ob talem causam, quoniam non eandem vim habent, neque inter indices primi cum posterioribus, neque primi Decretorij cum vltimis decretorijs: at valentiores quidem primi sunt, in longum autem iam producta ægritudine, imbecilliores redduntur. Oportet igitur procedente morbo, & tum præcipuè, quando admodum crudus extiterit, magnam fieri transmutationem, vt secura Crisis speretur. Magna autem est permutatio, cùm perfectè cocta minguntur, atque expuuntur. Talia verò non supponebantur in die decimoseptimo affuisse. Quare nec fieri potest, vt hic ægrotus in die vigesimo liberetur, & perfectè Crisim habeat: sed mutationem aliquam effatu dignam fieri sat est: poterit enim in aliquo ex sequentibus Decretorijs diebus integra solutio aduenire.

Recidiuæ causa.

Dum morbus protrahitur, dies tam indices, quàm decretorij vim indicatoriam, & Criticã paulatim amittunt.

Cùm res ita se habuerit, Authore Hippocrate, & expositore Galeno, atque suffragante ratione, non est mirandum, si post imperfectã Crisim, vigesimo die ortam, fuerit aliquid materiæ morbificæ in corpore Anaxionis relictum, quod paulatim à die vigesima vsque ad vigesimamseptimam putrescens, atq; efferuescens febrem de nouo excitauerit. Cæterùm, quia calor natiuus extra-

Recidiua.

neum toto illo dierum decurſu ſuperauit, materia morbifica plenè concocta apparuit die vigeſimaſeptima: nam ſputa, & vrinæ, perfectæ coctionis ſigna habuêre: Itaque cum vigeſimaſeptima dies Criſim non ediderit, ſed inſtar diei indicis diei trigeſimiquarti apparuerit, Criſim futuram die trigeſimaquarta tantùm prænunciauit: quæ denuò fæliciter ſudoris liberalis interuentu ſucceſſit: humores etenim ſuperflui thoracem vexantes, & febrem in vicino corde fouentes, copioſa expuitione excernebantur: humores ſuperflui in venis contenti, & febrem acutam fouentes, per vias vrinæ excludebantur: & tandem, humores ſuperflui habitum corporis occupantes, ſudoribus ſunt excluſi.

Vigeſimaſeptima velut īdex trigeſimiquarti.

Sputa thoracē, vrina vaſa, ſudores corporis habitū, liberant.

Sudores ergo Critici, febres omnes materiales, tam ex ſola humorum putredine, quàm inflammatione peculiarium partium ortas, iudicantes iuuanteſq;, ſigna coctionis habere debent, non latentia, ſed manifeſta; quæ ſcilicet in alijs, non ſeipſis, viſuntur excrementis, prout in exemplo allato Anaxionis oſtenſum eſt, & in alijs ægrotis videre licet. Ægroto enim tertio, Libri 1. Epidem. Hippocrates inquit: Horophontem febris acuta corripuit. Deinde, poſtquàm varia accidentia die octaua ſuperuenientia enumerauit, ait, Horophontem facilem habuiſſe noctem: Et conſequenter ait: Vrinæ erant melioris coloris, & reſidebant in ijs pauca. Die nono ſudauit, iudicatus eſt, intermiſit: Die 14. recidiuatio facta eſt, ſed die 17. poſtquam pars materiæ deorſum ad Lienem, & rursùs ad crura deſcendit, ſudor ſuperueniens morbum iudicauit. Item, Mulier quædam, quæ in littore decumbebat (vt habetur in Ægro 13. trimeſtri fætu erat grauida, eamque Ignis (ideſt febris) corripuit. Et poſt multos labores circa decimumquartum vomuit biliosa, flaua, ſubcrebra, ſudauit, febre liberata eſt. Melidiæ altera fæmina decubuit iuxta templum Iunonis, febre acuta fuit correpta, vrinæ perpetuò boni quidem coloris, cæterùm tenues. Et paulò poſt ait: in vrinis ſubſedit album, læue: ſudauit, iudicata abſolutè eſt die vndecimo. Libro 3. Epidem. Sect. 1. Ægroto 3. narrat Hippocrates, eum, qui in Dealcis horto decumbebat, die vndecimo ſudâſſe, & à febre per biduum fuiſſe liberatum: ſed plenè iudicatum narrat die quadrageſimo: Quadrageſimo, inquit, aluus pituitoſa, alba, ſubcrebra, deiecit: multum toto corpore ſudauit, abſolutè eſt iudicatus. Sectione 3. eiuſdem

Sudorum ſigna coctionis in alijs apparent excrementis.

Horophontis hiſtoria.

Grauidæ hiſtoria.

Hiſtoria decumbentis in Dealcis horto.

librî 3. Epidem. Ægroto 6. narrat Periclem tertio die vrinas minxisse coctas: Et quarto die, inquit, circa meridiem sudor prorupit toto corpore multus & calidus: sine febre iudicatus est, neque rediit. Abderitana Virgo vigesimoseptimo die sudoribus iudicata est, postquã vrinas boni coloris septimo die reddidit, & hæmorrhagiam habuit die 17. & hæmorrhagiam simul, ac Sudores die vigesima. Nicodemus etiam post vrinas coctas, vniuersali sudore iudicatus est. Larissea Virgo sexta die sudoribus iudicata est, postquam suspensum in vrina apparuit.

Periclis historia.

Historia Virginis Abderitanæ.

Nicodemus.

Virgo Larissea sexto die iudicata.

Ex his exemplis satis constat, Signa coctionis Sudorum Criticorum, esse illa coctionis Signa, quæ in aliis conspiciuntur excrementis. Certum præterea est, Sudores in omnibus febribus fore salutares, dummodò signa coctionis concomitantia habeant. Febres etenim omnes sunt morbi vniuersales, vt superiùs docuimus: commodè ergo per sudores, qui ex vniuerso corporis habitu manant, diffluuntur, iudicantur. Acutarum porrò febrium causa est humor putrescens in vasis, vel in toto corpore, teste Galeno lib. 4. Aphor. Comm. 37. Nã quibusdã, inquit, humoribus putrescentibus, ostensum est febres acutas fieri. Hi verò putrescunt sæpiùs quidem in toto corpore; sæpius verò in vasis solis. Cùm ergo hæc aliquando duo contigerint, humores, qui sunt in vasis, putrescere, & eam quæ solida corpora regit, naturam (quæ secundùm Hippocratem est calor naturalis) vel extingui omninò, vel proximam esse extinctioni: quæ quidem ex his euacuantur, frigida sentiuntur: eam verò quæ fit ex putredine, caliditatem nihil prohibet vehementissimam esse: atque ideò signum est exitiale, ostendens in animalis corpore humorum multitudinem superabundare, tantam habentium frigiditatem, vt neq; à calore natiuo, neq; à febrili calefiant. Tepidis siquidem existentibus febribus contingit saluari hominem, concocta in processu temporis multitudine humorũ frigidorum, atque euicta à natura. Acuta enim febris, causa est, & signum perniciosissimum: causa quidem, quia prompta est ad dissoluendum corpora: Signum autem; quoniam humorum multitudinem esse frigidissimam ostendit, vt quæ neque à calore febrili transmutetur. Febris verò, quæ non est acuta, sed moderata, permittit tempore longiori à natura multitudinem concoqui, cùm non anticipet dissoluere hominem: non est autem Signum, adeò

Febres acutæ ab humoribus putrescentibus in vasis, aut toto corpore, nascuntur.

Sudor frigidus in febre acuta lethalis: in lenta nequaquam.

perniciosum, sicuti vehemens febris. Contingit enim in tepida febre, etsi modicè frigida multitudo fuerit, incalefactam permanere.

Hactenus Galenus in Commentario istius Aphorismi: frigidi sudores cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant. In transcripto enim contextu dilucidè monuit Galenus, humorem putridum in habitu corporis contentum, efficere non raró acutam febrem: quæ, quanquàm, vtplurimum fomitem habeat humores putridos in vasis conclusos, causam quandoq; habet humores extrauasatos vnà cum inclusis. Vnde ipse lib. 3. de morbis Epidemicis, comment. 3. tex. 33. ait: Nam quibus hominibus in iecinoris, & ventris regionem, maximèq; in eius os prauus humor decubuit, hos febres ardentes sollicitauerunt: quibus in Cerebrum peruenit, Phrenitis. Sint hi humores putridi, quos febris ardentis causam statuit Galenus, antecedens, aut coniuncta causa, quod perindè modò nobis est; qui Galeni doctrinam sequuti, libenter admittimus humores in habitu corporis posse putrescere, & ardentem generare febrem. Similiter in foco putredinis, aut in habitu corporis, aut vtrobiq; dum putrescunt humores, qui febres intermittentes procreant, commodissimè, sudoribus, & alijs euacuationibus à Galeno in contextu propositis, euacuantur. Multò tamen fæliciùs febres acutæ Sudoribus iudicantur; cùm non in prima corporis regione, sed in vasis maioribus, aut in habitu corporis, aut vtrobique, earum causa contineatur.

Humor putrescens in habitu Corporis, ardentem Febrem generat.

Cæterùm, quoniam Sudoris boni naturam exposuimus, sudorem malum obiter exponamus. Sudores mali sunt illi, qui non fiunt diebus Criticis, nec signa habent coctionis præcedentia, aut concomitantia; qui non sunt vniuersales; qui frigidi, aut fætidi, aut viscidi & lenti. Hæc doctrina ex se conspicua, vlteriori indagatione non eget.

Sudores mali qui.

Obiectio. Sed aliquis obijciet, sudorem particularem non esse malum. Nam Hippocrates lib. 4. Aphorism. 38. ait: Qua parte Corporis sudor est, ibi significat morbum.

Solutio. Hanc obiectonem in Commentario diluit Galenus hâc serie: Si per totum animalis corpus morbus extenderetur, ex toto etiam æqualis fieret euacuatio. Fiunt enim sudores, vel naturâ humidi-

tatem

tatem superfluam euacuante (quando & optimè iudicium fit) vel quando non continetur in corpore, morbi ratione. Sed, siue hoc, siue illo modo fiant, membrorum patientium humiditatem euacuant. Supponit enim Galenus, Hippocratis doctrinam esse verissimam, quotiescunq; morbus est in aliqua parte; Dolorem quidem capitis idiopathicum, vel potiùs humores superfluos, morbũ doloremq; in capite generantes, notat sudor superueniens: qui si boni sudoris conditiones habuerit, bonus erit; quanquàm particularis; quia in capite solo supponitur esse morbus, morbiq; caussa. Si a. morbus fuerit vniuersalis, & humor pariter morbum efficiens per corpus vniuersum diffundatur, sudor tunc particularis non est vllo modo profuturus: nam sudor vniuersalium morborum debet esse vniuersalis, vt omnis materia per corpus vniuersum sparsa euacuetur. Cùm ergo febres sint vniuersales morbi, nonnisi vniuersali sudore, eoq; tempestiuo, iudicantur.

Sudor frigidus malus.

Dixi sudorem frigidum esse malum, cum Hippocrate, citato aphorismo 37. lib.4. Aphoris. & Galeno in Commentario à nobis fermè transcripto: nam mortem in acutis febribus indicat; in mitioribus, morbi longitudinem. Sudores enim frigidi non ex calidissimis partibus efferuntur, sed potiùs ex partibus frigidis, vtpotè natiuo calore destitutis. Licèt enim calidissima febre quis laboret, cutis tamen, aliæq; partes natiuo calore destitutæ, frigiditatem contrahunt, adeoq; humores in his frigidiores facti, dum per cutem transmittuntur, frigidi persentiuntur: Nam nec à calore natiuo, nec à calore febrili vincuntur. Malum ideò exitum in acutis præcipuè, huiuscemodi erumpentes prænunciant. Si fætidi etiam, aut viscidi fuerint Sudores, caloris natiui imbecillitatem prorsùs arguunt. Vbi enim viscidi sunt humores per cutem excreti, signum est imbecillitatis caloris natiui, qui dictos humores, nec subigere, nec incidere, nec attenuare potuit: similiter quoties humor per cutem excretus fætorem expirat, signum est, talem humorem à natiuo Calore nullatenùs regi, sed ingentem in corpore putredinem arguere. Quæ de Sudoribus dixit Hippocrates citato Aphorismo, eadem scripsit in Prognosticis, Sect. 1. Sudores, inquit, optimi sunt in omnibus acutis morbis, qui in Diebus iudicatorijs fiunt, & febrem perfectè submouent. Boni verò sunt, qui per totum corpus fiunt. Qui verò tale quid non effecerint, incommodi

Fætidi sudores caloris extranei sunt soboles.

Viscidi sudores mali.

Optimi sudores ex Hippocrate.

Pessimi sudores. modi sunt. Pessimi autem sunt frigidi, & qui tantùm circa caput, & faciem fiunt, & circa Ceruicem. Hi enim cum acuta quidem febre mortem præsignificant, cum mitiore verò, longitudinem morbi. Alia subsequenter ad hæc in Prognosticis subiunxit, non Hippocrates, sed Dioscorides, vt testatur Galenus. Cur Sudores, etiam calidi, circa Caput, & Ceruicem, mali sint, reddit rationem Galenus; quia nimirum Syncopem minantur: & si frigidi appareant Sudores istis in locis, eandem Syncopem non minantur, sed eam in suo principio adesse demonstrant. Sudoris Syncoposi meminit Galenus Comment. 1. Prognost. tex. 4. hac serie: Igitur adolescentem Medicus quidam nuper incipientem sudare syncoposè, demisit in balneum: tum autem sudoris copia effluente, Medicus gauisus est, tanquàm exquisitè oportunum tempus coniectâsset: paulò post mortuo ægro, Medicus à familiaribus, tanquam ægrum interfecisset, accusabatur. In Historijs Epidemicis, de Sudoribus frigidis, qui morituris superueniebant, abundè loquutus est Hippocrates.

Sudores etiam calidi circa caput mali, sed frigidi peiores.

Sudoris syncoposi exemplũ.

Cætera Signa Vniuersalia.

HActenùs plenè exposuimus vniuersalis excretionis modum, & tria præcedentia fundamenta, aut Signa, à quibus hæc eruuntur; breuiter reliqua cum Galeno, Capite illo 3. lib. 3. de Crisib. à nobis transcripto, proponemus. Ab Ægri enim natura siue temperamento; ab eius ætate; ab Anni tempore: à Regione: & à Cæli statu, hæc petenda monuimus. Ante finem citati cap. repetit Galenus quatuor priùs proposita signa Crisis bonæ mox futuræ. Primò, Signum coctionis ante Crisim apparet: Secundò debet Crisis fieri Die Iudicatorio. Tertiò, debet à die indice præindicari. Quartò, Iudicium debet esse congruum speciei morbi. Hanc congruentiam confirmant Signa, à Natura, Ætate, præcedente Victu, Loco, Anni tempore, & Cæli statu. Exempli gratia, ardente febre, eaque legitima, infestetur aliquis: in Crisi futura, absq; dubio, humor qui excerni debet, est biliosus; quoniam is est qui in corpore redundat: Crisis ideoq; citiùs in hoc morbo, quàm in alijs, superuenire debet: Et præsertim, si æger fuerit Naturæ, siue Temperamenti biliosi: si ætatem agat biliosam,

Quatuor conditiones bonæ Crisis.

Hæc signa obseruãda.

Iuue-

Iuuenilem nimirum: Si cibis calidis, & ſiccis, bilemq; generantibus, præcedentibus temporibus fuit enutritus: Si in Regione calida morã contrahit, in qua homines biliosi euadunt, & potiſſimũ,ſi locus regionis calidæ, in quo degit æger, Auſtrum, & Orientem, non verò Septentrionem, aut Occidentem reſpicit. Situs enim varius loci, etiam in Regione calida, aëris temperaturam variat. Nam locus reſpiciens Auſtrum, & Orientem, multò calidior eſt loco reſpiciente Septentrionem, & Occidentem: Loca tamen hæc non ſunt conſideranda tantum ratione diſtantiæ quam habent, v.g. ab Auſtro, & propinquitatis cum Septentrione, aut viceuerſa; ſed præterea ratione inæqualitatis Terræ. Ergo ſi locus manſionis ad radicem Montis poſitus, Auſtrum reſpiciat, homo inibi agens bilioſior erit altero, qui in aduerſo Montis pede, Septentrionem reſpiciente, habitat. Denique æger propoſitus febricitet Æſtiuo tempore, quo bilis maximè in corporibus generatur; & præſertim ſi Cæli ſtatus calidus fuerit. Cæli enim ſtatus, ſiue conſtitutio (cuius frequens eſt mentio apud Galenum) libro 9. Meth. med. cap. 5. exponitur ab eodem Galeno ſequenti ordine: Voco Cæli ſtatum ipſam ambientis nos aëris temperiem: ſub qua & Anni tempus, & Regio comprehenditur: quando horum quoq; vtrumq; ex ambientis aëris temperie indicationem mutuatur. Quanquam rem optimè expoſuerit Galenus, Cæli ſtatus per ſe ſumptus, eſt præſens aëris temperies, quæ varia eſſe poteſt. Nam licèt Æſtas ex ſua natura ſit calida, & ſicca, tempus tamen, quo quis febricitat, poteſt eſſe frigidum, & humidum: pluuiæ enim magnæ & vehementes, longæ, aut frequentes, in ipſa æſtate aërem non rarò efficiunt frigidum, humidumque. Aquilo etiam tunc efflans, Aërem refrigerat; veluti Zephyrus pariter diuturno tempore ſpirans. Ver ex ſua natura temperatum, æſtiuo tempori ſimile quandoq; fit. Hyems frigida, & humida naturaliter, vel tota, vel aliqua eius pars, Autumni, aut Veris temperiem ſæpiſſimè æmulatur. Eodem adhuc die, aut Æſtiuali, aut Autumnali, aut Hyemali, aut Vernali, contrariæ contingunt aëris diſpoſitiones: quæ quidem à Studioſo Medico non negligenter, ſed accuratiſſimè ſunt obſeruandæ. Nam aëris diuerſa conſtitutio Criſi perficiendæ, aut prohibendæ, non modicè confert: ſimiliter remediorum adminiſtrationi conſentit, aduerſaturue.

Situs loci varius aëris temperiē mutat.

Cæli ſtatus quid.

Quo-

Quotiescunq; igitur consentiunt omnia præfata; idest, quoties febre ardenti quis corripitur, eiusdemq; febris motus est celer, & vehemens, Parsque affecta calidi est temperamenti; natiuum corporis temperamentum est calidum: Ætas percurrit Iuuenilis: Alimenta sunt calida: Regio calida: Situs loci calidus: Tempus Anni calidum: Aëris status calidus: Crisis intra breue tempus expectanda, & quidem mediante aliqua euacuatione biliosa, vel biliosi sanguinis, aut per secessum, aut vomitum, aut sudores, aut fortassis hæmorrhagiam: fieri etiam potest, vt bilis per vias vrinæ expurgetur. Natura etenim commodiorem viam sibi facilè eligit, vt noxiam deturbet sarcinam: Medicus verumtamen studiosè prærimari debet viam, per quam Natura superfluum humorem deturbare molitur. Si autem humor turgeat, & fuerit prætenuis, commodè per cutem sudorifica euacuatione excerni poterit. Si verò bilis fuerit immodicè assata, & ad vitellinæ saltem bilis naturam redacta, vix per sudores, ob sui acquisitam crassitiem, euacuabitur, sed per vomitum potiùs, aut alùi fluorem. Bilis autem in venis immodicè perassata, & consequenter incrassata, inepta est, quæ per vllam viam euacuetur; quia in vasis sistens obstructiones parit, nec est fluida, aut disposita, vt impetu Naturæ extra corpus per vllos ductus transmittatur. Oculatus ideò Medicus bilem, tunc nimio ardore concretam, refrigerantibus, & aperientibus benignioribus, & nō calidis, tēperabit, attenuabitq;. In hoc casu proderit Decoctū Radicis Graminis, Radic. Acetosæ, & Oxylapathi, Foliorum Acetosæ, Endiuiæ, Borraginis, Oxalidis, Quinq; Capillarium, Quattuor Seminum frigidorum maiorum, Semin. Acetosæ, & Scariolę; addendo Decocto debitam Syrupi Violacei quantitatem. Hoc enim, aut consimili benigno Remedio, humores biliosi disponuntur adeò benè, vt Naturæ conatui facilè obtemperent. Nam Natura vacuationem alacriter molitur, quoties humores superuacanei sunt præparati, siue cocti: Si autem Natura imbellis est, ideoq; segniter dispositam superfluitatem deturbat, opituletur ei tunc Medicus mediocrium medicamentorum purgantium administratione. Rem totam comprehendit Galenus Comment. 1. in Lib. de Humorib. hac serie: Ac ne illud quidem est omittendum, cùm humores redundantes mouentur, & omnem in partem corporis feruntur, necdum in aliqua parte corporis firmati sunt, tunc ad eos expel-

Modi varij futuræ Crisis in ardente Febre.

Remedium præparans bilē superassatam.

Natura imbellis parcè euacuans dispositos humores, a Medico iuuanda.

expellendos naturam incitari, & aliquo, qui velut manum porrigat, & motum illum ad ventrem deducat, indigere. At qui vna in parte firmati sunt humores, priusquàm concoquantur, mouere non oportet. Tunc enim Natura quoque nobis ad euacuationem est adiumento. Hæc enim post concoctionem humores excernere, & quod superfluit, reijcere videtur: quo sanè tempore iudicationes fiunt. Cùm igitur Natura perfectè euacuat, nihil est præterea faciendum, cùm verò modicè, & imbecilliùs facit, tum, quod deest, addere debent ij, qui Medicinam faciunt. Qua in re illud intelligendum est, raro contingere, vt ab vno membro ad aliud humores confluant. Sæpiùs verò accidit, vt vna in parte, in qua concoquantur, toto morbi tempore, vsq; ad morbi solutionem, conquiescant. Hæc Galenus per se clarus.

Tenaces, & impacti humores præparādi.

Post coctionem fiunt crises.

Raro ab vno membro in aliud fluunt humores.

Quod si contingat, morbum non esse biliosum, sed potiùs pituitosum, & reliqua concurrentia iam antea enumerata; aduersa temperie ad pituitæ procreationem dotata esse, tunc non biliosa, sed pituitosa excretio, iudicij interuentu, expectanda: & quidem in hoc morbo multò tardiùs, quàm in bilioso. Si morbus fuerit mixtus, idest, si causam habeat biliosum humorem, simul & pituitosum, aut melancholicum, vel omnes simul, excretio Critica futura mixta erit: nam non vnus, sed plures humores morbum fouentes excernentur, vt sæpiùs conspicere licet in febre semitertiana: in quotidiana notha; & similibus morbis, à varijs simul humoribus ortum ducentibus.

Humores morbū efficientes criticè euacuari debent.

Post omnia in prædicto capite 3. libri 3. de Crisib. monuit Galenus, Medicum, dummodò cuncta in capite dicta diligenter mente comprehendat, absq; difficultate vlla, posse futurũ morbi euentum prænunciare. Imò & consequentia bonæ Crisis Signa paucis, in capitis calce, complexus est Galenus. Postquàm enim desijt febris, eiusq; symptomata, vi Crisis factæ; si meliori colore præditus est ille in quo Crisis facta fuit: si pulsus sit satis validus, si ad motum sit promptus, Crisim factam, optimam esse pronunciabitis. Nam bonus color, humorum puritatem indicat, sicuti quiuis color cognatum humorem. Vnde Hippocrates libro de Humoribus, in exordio ait: Color humorum, vbi non est humorum reciprocatio, veluti efflorescit. Quæ verba hoc pacto interpretari licet: Color in cute delitescentem ostendit humorem, dummodò humores

Signa subsequentia bonam crisim.

Bonus color cutis quid indicat.

intùs contenti non perturbentur. Id eſt, ſi humores propter Animi paſſiones, aliaſue cauſas, contra naturalem conſuetudinem introrsùm non repelluntur, aut extrorsùm raptim euocantur, nobis humorem in corpore prædominantem, morbumq; efficientem, aut effecturum, indubiè indicabit. Reciprocatio enim humorum, nihil eſt aliud, quàm humorum, aliquam ob cauſam de-nouo accedentem, perturbatio. In ira etenim, ac gaudio, ſpiritus, & ſanguis ad exteriora recurrunt. Similiter, dum Solis, aut ignis ardori aliquis exponitur, cutis incaleſcit, & ſanguis, ac ſpiritus è penitioribus partibus, ad hanc, attenuati, euocantur. Diffuſo ſimiliter febrili calore ad extimas corporis partes, ſanguis, ſpiritusq; feruentes ad eaſdem expanduntur. In immodico pariter motu, ſiue labore, fit ſanguinis, & ſpiritus ad corporis ſuperficiem impetus. Proindeq; in ira, gaudio, externa, internaq; corporis vehementi calefactione, faciei, & reliqui corporis color, venuſtus eſt, pulcher, viuidus, & rubicundus; eſto ille, cui aliquid, aut plura horum contigêre, èx ſua natura ſit pallidi, liuidiue coloris. Contrarij colores ob cõtrarias pariter naſcuntur cauſas. Nam homo naturaliter rubicundus, aut ſpecioſi coloris, pallidum, aut liuidum, aut viridem, aut album, aliumue prauum colorem facilè acquiret, quotieſcunque metu afficietur, aut mæſtitiâ, aut in otio diu deget, aut frigus patietur immodicum; Hoc enim intùs humores, & fluentes ſpiritus pulſu quodam recedere cogit: in metu autem, & mæſtitia introrsùm naturæ ingenio, vt patientibus partibus opem ferant, recurrunt. In iræ etiam principio Spiritus, & ſanguis ad interna retrahuntur, quo tempore facultas iraſcibilis in ſeipſam cogitur, colligiturue, atque vnitur; vt videlicet poſtea multò maiori, atque vehementiori cum impetu, in externum obiectum vindictæ deferatur, atque prorumpat. In hoc autem primo motu ſpiritûs, & ſanguinis ad internas partes, irati pallidi conſpiciuntur: At in ſecundo iræ motu, quo Spiritus, & ſanguis, antea ad interiora retracti, iterum extra expanduntur, veluti ad vindictæ obiectum, vt de eo victoriam reportent, corpus rubicundum, & non ampliùs pallidum apparet. In ira ergo, cùm duo contrarij humorum, & ſpirituum motus, vnus ad intra, alter ad extra, reperiantur, verè in eadem fit humorum reciprocatio, ratione cuius modico tempore diuerſi in corpore conſpiciuntur colores.

Humorum reciprocatio quid.

In ira principio ſpiritus & ſanguis ad interiora cõfluunt, rurſus ad exteriora.

Lu-

Lucem non modicam iam dictis adfert Galenus, Comment. citati textûs 1. libri de Humorib. hac serie: Rectè autem fecit Hippocrates, cùm addidit, vbi reciprocatio non sit: propterea quòd cùm humores sunt aliquo affectu perturbati, non est nobis integrum, de coloribus ab illis excitatis, rectè, & verè iudicare. Vt enim mare cùm crescit, cùmq; decrescit, quod fieri omninò solet in reciprocationibus, & purpurascit, ventisq; agitatum, accuratè naturam suam non videtur seruare: sic humores, cùm intra corpus se receperint, & non fusi sint, sensu oculorum percipi non possunt. Cùm verò nulla reciprocatio est, hoc est, cùm in toto corpore sunt ęquabiliter fusi, tunc color, qualis sit humor noxius, & redundans, nobis indicat: vt si aliquam euacuationem Medicus moliatur, noxium humorem educat, vt ipse Hippocrates sexcentis in locis, noxium humorem, & non alium, priùs esse euacuandum præcepit. Id autem, qua ratione faciendum sit, in libro de Natura Hominis scriptum est.

In humorum reciprocatione non est de colore cutis iudicādum.

Fluxus & refluxus maris rectè reciprocatio dicūtur.

Colorum vtilitas.

His ostendit Galenus, Hippocratem loquutum de coloribus cutis, qui ab humoribus, in ægris reduntantibus, proueniunt, quoties ijdem humores non sunt perturbati, aut agitati valdè; vt sic, nactâ humoris redundantis, mediante colore, naturâ, tutò queat Medicus humorem peccaminosum, & non alium, euacuare. Sententiæ Hippocraticæ vtilitatem in calce Commentarij his verbis commendat Galenus: Quod igitur hac sententia cōtinetur, ad morborum curationem, futurorum præsagitionem, & præsentis sanitatis tutelam, pertinet. Hippocratis non mediocrem diligentiam, circa doctrinam de Coloribus, tā corporis, quàm excrementorum, Galenus paulò ante in eodem Cōmentario scriptis hac serie commendauit: Sed mihi non fit verisimile, Hippocratem modò de successione ætatum, deque earum mutatione, & colorum variatione verba facere: sed de ijs coloribus, quos quotidie in corporibus ęgrotantium intuemur: quosque spectare Medicum oportet; vt ipse Hippocrates in libro Præsagiorum ad hunc modum præcepit: In primis, inquit, ægri faciem spectare conuenit, sitne ea beneualētium faciei similis. Deinde, totius quoque faciei color attendendus, viridisne sit, & non niger, & liuidus. Tum paulò post: An totius faciei sit immutatus color. Ad hæc, sitne reflexa, an liuida, an pallida palpebra, aut labrum, aut nasus. Præterea verò in sexto de vulgari-

De colore cutis in ægris loquutus est Hippocrates.

Doctrina colorum necessaria.

Medicus diligenter faciei ægri, & partium in ea contentarum

colorẽ animaduertere debet. Quia hæc pars Medico semper est cõspicua.

garibus morbis Libro: Alij, inquit, ad manum sunt humecti, alij prærubri, alij præpallidi, alij liuidi, & cætera generis eiusdem. Sic de sputo, de vrina, de alui deiectionibus, deque alijs ipse censuit. Admonet igitur Medicum, videat, sitne color sanguineus, an pallidus, an flauus, an albus, an niger: vt planè noscat, quisnam humor redundet in corpore: Siquidem color eum humorem, qui insit in corpore, consequi consueuit. Consequutiuè ad hæc Galenus excipit colores ex reciprocatione humorum ortos: eius verba paulò ante de reciprocatione transtulimus.

Ex colore tẽperamentum dignoscitur.

Colores, qui nobis humoris huius, aut illius, in corpore redundantiam indicant, fusè proposuimus in nostræ Physiologiæ libro 2. qui de Humoribus agit. Ex Galeno tamen Comment. primi textûs libri de Humoribus, sequentia introducere placet: Notas, inquit, ex quibus temperaturam noscimus, suppeditat color: idem noxæ magnitudinem indicat, vt si vlcus omninò siccum sit, propter eius facultatis, quâ corpus alitur, imbecillitatem: non vnus in eo color erit perpetuò: sed pro humorum, qui in corpore sint, varietate, magnitudineq; noxæ, variabitur: vt exempli causâ, si amaræ bilis humor in corpore redundârit, color pallidus apparebit: si humor sit melancholicus, tum aut liuidus, aut in alterutra viridis significatione; cùm viride modò idem, quod pallidum, modò idem quod æruginosum, significet: vt interim maior noxa liuidum colorem, qui propè ad nigrum accedit: minor rubrum, & viridem efficiat. Hoc cùm in singulis corporis partibus clarè, tum verò in facie euidentiùs perspicitur: Siquidem pessima coloris commutatio habetur, quæ ad nigrum tendit, vtpotè refrigerato iam sanguine: vt facere solet, cùm foràs effusus in grumos coit: moderatior verò, cùm ad viride vergit: id quod diuturnis in morbis sæpè cernitur, sed tamen in principijs perrarò: Quocirca eo tempore maximum periculum impendere significat, vt scriptum reliquit Hippocrates. Etenim cùm totius corporis color immutatus sit, tum & malum, & perniciosum putandum est. Ad hoc tamen alia quoque signa accedunt, vt cum oculi lucem refugiunt, in cuius rei causa est imbecillitas eius facultatis, quæ ad aspectum pertinet: vt cùm propter infirmitatem continentis facultatis lachrymas emittunt: vt cùm distorquentur, quòd laborante neruorum origine, musculi oculos mouentes conuellantur: vt cùm alter oculus minor, quam suápte na-

Viride pro pallido, & æruginoso accipitur.

Color niger omniũ pessimus in ægris, liuidus ad eũ proximè accedit; rursùs viridis.

Color totius corporis immutatus malũ signum.

Signa mala in oculis deprehẽsa.

naturâ esset, reddatur, quòd facultatem, ipsum gubernantem, inde esse extinctam intelligamus. Iam verò in malis etiam habendum est, cùm alba oculorum esse rubra videntur: sicut cùm venulæ in eis, aut liuidæ, aut nigræ sunt. Nam vt rubræ propter plenitudinem, aut inflammationem quandam partium ad Cerebrum pertinentium, videntur: sic nigrescunt, & liuent, dum refrigerantur: refrigerantur verò dum extinguuntur. Quocirca fit, vt huiusmodi colores perpetuò perniciosi censeantur.

Facultas gubernans est ipse calor natiuus.

Verùmenimuerò, bonus faciei color, si multum mæstitiæ adiunctum habeat, in malis esse consueuit. Putant enim persæpe Medici, faciei bonum colorem significare, aut sanguinis è naribus eruptionem Criticam, aut abscessus secundùm aures futuros; & tamen falluntur: præsertim verò, si habeant multam mæstitiam coniunctam. Neque enim vsu venit, vt ægroti ita bono colore sint, sicut ij, qui optimè valent; sed magna vi caloris valde rubri effecti, hoc consequuntur, vt similes ijs, in quibus bonus est color, esse videantur. Nam quod valdè rubrum est, idem est ad melancholiam pronum: cuius apertum signum est mæstitia: quæ si multa sit, idipsum multò magis confirmat. Quamobrem cùm facies florida videatur, ægrotus verò mirum in modum mæstus sit, tum calidam admodum affectionem, quæ sanguinem exurat, ideoque atram bilem gignat, in cerebro esse planè constat.

Bonus faciei color cum mæstitia malum signum.

Color valdè ruber ad melancholiā pronus.

Interdum verò etiam calidissimus sensus nobis insuetus in habitu corporis exoritur, cùm humores calidi cæteris excellunt; vt etiam frigidissimus, cùm frigidi dominantur (loquitur enim hîc Galenus iuxta ea quæ habentur lib.4. Aphorism.39. Et qua parte corporis insignis, aut caliditas, aut frigiditas fuerit, in ea morbum esse necessarium est: hæc siquidem exit à temperie naturali, quæ sanitas est) atque vbi pituita redundat in corpore, candidiores; vbi bilis, pallidiores homines videntur: Sique purior bilis sit, flauiores. Color enim ab humoribus, non à solidis animantis partibus prouenit, cum humores se in intimas corporis partes receperunt: id quod eis contingit, aut propter frigus, aut rigorem, aut aliquam animi perturbationem: quo in numero sunt, timor, magna tristitia, aut pudoris initium. Si horum nihil adsit, humores in intimas corporis partes se nunquam recipient: sicut neq; vnquam facto in cutem impetu violentiùs, eam adurent, nisi animum occupet

Caliditas, aut frigiditas in cute, quid indicat.

Candor, pallor, flauedo.

Color ab humoribus, non à solidis partibus prouenit.

Humorum reciprocatio vnde.

pet aliqua perturbatio; aut calor immodicus extrinsecus animal obsideat. Proinde rectè dictum ab Hippocrate est, vbi non est humorum reciprocatio. Etenim in ijs, qui vehementer commoti sunt, aut irâ perciti, aut pudore affecti, veluti reciprocantibus humoribus, seq; intro retrahentibus, animum ad colorem adhibere non oportet. Quod si nulla vis frigoris, aut caloris, aut nulla perturbatio earum, quas nunc dixi, ambientem nos aërem infestum habeat, certè humores ex colore cutis verè dignoscentur. Fit enim interdum, vt Medici, atque hi quidem non vulgares, redundare sanguinem in corpore arbitrentur, falsi nimirum coloris mutatione, & tamen non redundat. Sed illa coloris commutatio, aut ab aëris nos ambientis calore, aut ab iracundia, aut etiam à febre, profecta est: quandoq; etiam esse imminutum sanguinem putant, nec tamen id verum est: id quod vsu venit, cùm is à frigore compulsus in partes intimas se recepit. Potes autem idipsum in mari persæpè contemplari, quod cùm agitatur, maius, cùm tranquillum est, minus multò videtur.

Similitudo apta.

Tranquillorũ humorum veri colores in cute apparent.

Cùm igitur Corpus seipso albidius sit factum, neq; vlla adsit perturbatio, tunc pituitosum humorem abundare plerumq; indicat: cùm verò sit pallidius, aut magis flauum, biliosum. Sic etiam, si ad rubicundius vergat, quàm naturæ status ferat, redundare sanguinem: Si ad nigrius, atrã bilẽ ferè significat. Sunt etiam, quorũ color plumbum imitetur: alij, quorum ceu mixtio ex albo, & liuido quædam: atq; huiusmodi quidem colores crudum abundare humorem declarant, qui in genere quidem ille pituitæ continetur; minus tamen, quàm quæ consueto vocabulo pituita appellatur, humidus est. Huncque Humorem Praxagoras vitreum nominat. At sanguis in medio horum, & biliosorum est. Eorum autem aliqui, priùs quàm alimentum sit accuratè in sanguinem conuersum, velut semicocti sunt: aliqui omninò incocti: alij à forma sanguinis parùm absunt: aliqui rursùs velut postremi ad gignendum sanguinem, excessum caloris consequuntur: quorum alij parum absunt à sanguine: alij plus, alij plurimum. Quo sanè tempore, si vacuatione opus sit, tunc secare venam poteris, hac adhibita distinctione: vbi parum in vtramq; partem (idest ad humores crudos, & humores adustos) recesserint, audacter mitti sanguis poterit: vbi plus, cautiùs agendum: vbi plurimum, planè abstinendum

Colorẽ ex albo & liuido mixtũ efficit crudus humor, pituitâ vera siccior.

Varij recessus humorum à sanguine ob coctionis defectum, aut vstionis excessum.

Regula in sanguinis missione obseruãda.

dum: qua in re ſæpè coloris ſanguinis mutationem intueri oportet, ac modò ſanguinis profluentis, modò verò etiam ægrotantis hominis. Sed & animi defectio ſolet eſſe in multis affectibus euacuationis terminus: itemq; fluentis ſanguinis tenor labaſcens, & pulſus commutati.

Quibuſdam interpoſitis, monet adhuc Galenus, mediante corporis colore redundantem humorem dignoſci. Et de redundantis euacuatione, ſequenti ſerie loquitur: Et humor noxius, neque alius ante illum, euacuandus eſt: vt ſi, exempli causâ, pituita redundet, eam euacuabis: ſi bilis flaua, aut atra infeſtum hominē habeat, pituitam non attinges, ſed bilem infeſtam educes. Simili quoq; modo, cum ſanguis redundârit, aut eius ſerum, eius erit facienda euacuatio. Vnus enim quiſq; humor in corpore redundans proprijs notis diſtinguitur. Monet rursùs Galenus, bilis notis præſentibus, bilem Cholagogis euacuandam. Idem de reliquis humoribus dicendum. Hanc enim humorum euacuandorum diſtinctionem à Medicis ſedulò obſeruandam docet: nam euacuato vno humore, loco alterius, ægri euacuationem nō facilè tolerant: è contra, facilè ferunt euacuationem redundantis humoris. Facilitas verò tolerandi euacuationem factam, nobis indicat, humorem ſuperfluum, & non alium, fuiſſe euacuatum; vt Hippocratis teſtimonio in Aphoriſmis, in Comment. textûs 1. Libri de Humorib. Galenus inſinuat.

Purgandus ſolummodo humor peccans.

Quòd autem humor ſuperabundans, & non alius, euacuari debeat, pulchrè à Galeno inſinuatur lib. de purgantium Medicamentorum facultatibus cap. 2. vbi hæc ſcripſit: Sed profectò ſi, quod nigram, aut flauam bilem educit, dederis, ventris tumorem nequaquam minues. Atq; ita vt ſingulum quodq; medicamentum, proprium quendam humorem è corpore trahat, apparet.

Sola hydragoga hydropicis proſunt.

Cæterùm Commentario citati tex. 1. libri de Humorib. multa alia ex Phyſiologia repetit Galenus: Vt, ſanguinem ex contrarijs coaleſcere partibus, quatuor nimirum humoribus: in eodem ſanguine fila eſſe, ſiue fibras, quibus amiſſis non ampliùs concreſcit: Totius Corporis colorem vitioſum, à Iecoris, aut Lienis vitio dependere: Colorum notitiam magno nobis eſſe, & ad curationem, & ad dignotionem morborum, adiumento: præſertim tamen ad hoc munus valere colores eos, qui in facie, in oculis, in lingua, &

Ex quibus cōſtat ſanguis. Fibrarū eius vſus.

Vtilitas colorum.

vri-

Humoris, & succi discrepantia. vrinis conspiciuntur: Humorem, & succum differre, quòd ille, sit humiditas quędam in corpore animantis contenta, succus verò, qui ex plantis exprimitur: Quatuor elementis quatuor humores correspondere: Sanitatem in æquitate humorum, idest in proportione & temperatura, consistere: Massam sanguinariam, sanguinem à dominio dici: Elementa potestate, non actu esse in mixto: Solum aërem in corporibus animantium cerni iuxta suam naturam (antea enim supposuit Galenus, quatuor Elementa esse potestate, non actu, in corporibus nostris: Nolim.a.inquit, quemquam cogitare, corpora ex quatuor Elementis absolutè esse conflata, quandoquidem illa, vt potestate sint in corporibus, actu tamen nullo modo insunt: sed quæ ex ipsis, intercedentibus alimentis, gignuntur; vt sanguis, pituita, & flaua, atraq; bilis. Et paulò post, ait: Aëreum *Solus aer integer in corpore ex. tat.* verò elementũ in solis corporibus animantiũ cernitur iuxta suam naturã: vt in respirationibus, & pulsibus licet intueri. Vult.n.Galenus, aërem attractũ vi inspirationis, & transpirationis integrum in corpore esse, donec iterũ expiratur vnà cũ fuliginosis vaporibus:) *Aetates anni temporibus respondent.* Puerum correspondere Veri, Iuuenẽ Æstati: Senem Autumno: Decrepitum Hyemi, & Regiones Anni temporibus: Totas qualitates primas per totas misceri in mixtis, ex Hippocrate. Propria, & proxima nostri corporis elementa, esse quatuor humores; omniũ communia, calidum, frigidum, humidum, & siccum: quatuor has qualitates subiectam substantiam immutare, vt inter se commutentur *Primæ qualitates miscentur. Quatuor humores proxima sunt hominis elementa.* elementa: Elementa inter se mutari, vt humores procreentur: Quatuor humores in nobis semper reperiri: à Calore natiuo temperato sanguinem in venis procreari: à Calore immodico reliquos humores: vnde calida alimenta bilem, frigida pituitam procreant: in ætatibus, Regionibus, & Anni temporibus, idem, quod de Alimentis, dici debet: Sanguinem à Liene, & Vesicula Fellis expurgari: crassum, terreumq; humorem, in Iecore mutationem fugientem, à Liene attrahi: Pituitam esse semicoctum alimentum, & paulatim à naturâ àlterari; ideoq; nullum ei à natura fuisse constitutum receptaculum; sicuti Bili vtriq;: Calidum, frigidum, hũmidum, & siccum, bifariàm dici, vel absolutè, vel per exuperantiã: Commune esse omnibns partibus, quæ ad humores aliquos gignendos, aut ad vsum aliarum partium, aut ad propagationem generis, aut ad fætum alendum, vtiles, vt ille humor sit quædam veluti redun-

Quatuor qualitates generationis causa. Notanda hæc. Cur nullũ pituitæ receptaculũ cõstituitur.

dan-

dantia alimenti partis illius, in qua ipse generatur. Neque enim particula ideò humorem gignit, quia nôrit quam ad rem is humor vsui futurus sit animanti: alioqui tali esset mente, atque intelligentiâ prædita, qualem in ijs arbitramur inesse oportere, qui Rempublicam gerunt: sed eam mentem atque intelligentiam habet animantium opifex; ipsa verò particula, cùm alijs naturalibus potentijs, tum verò alteratrice, quâ sibi alimentum assimilat, regitur, & gubernatur: In vasis seminarijs sanguinem exalbescere, quia in flexibus eorundem vasorum sanguis diù stagnat, atque moratur: vnde vasa albicantia humorem alimentitiũ sibi assimilant, & quod superfluum est, reijciunt: in alijs autem vasis, quoniam sanguis longam in ijsdem moram non contrahit, in albam substantiam non mutatur: Animi actiones ab humoribus, & omninò à corporis temperaturâ immutari: Ex humorum redundantia plures nasci intemperies, quæ octo sunt numero; quarum quælibet per contraria vinci debet. Humorum redundantiam, & prauas qualitates, omnia morborum genera afferre solere: redundantiam quidem, Podagram, aliosque varios: prauæ qualitatis ratione, innumeros: Vrinas crassas iumentorum vrinis similes, esse crudorum, crassorumq; humorum sobolem; pessimosque esse morbos, in quibus vterque humor, idest crudus, & crassus, redundat; qui quidem ambo semitertianam febrem afferre solent: Varios deinde morbos ab humoribus, qualitatibus distinctis, dependentes, ibidem enumerat Galenus: Crudum humorem esse similem puri in vrina subsidenti; à pure tamen differre, quòd pus sit grăueolens, & glutinosum: crudus verò humor colorem habet, & crassitudinem, puri similes: sed neque graueolens est, neq; glutinosus; ac tale quidem est id, quod ventriculo, ac venis nondum concoctum continetur. Sunt porrò crudorum humorum duo genera: eorum alter tenuis, & aqueus est: alter crassus & glutinosus, estque in partibus corporis impactus: Tenuem verò, & aqueum, euacuare expedit priùs, quàm à calore febris excalfiat, pungatq; ac mordeat: at crassum, & glutinosum concoquere, & fluidum reddere priùs (sunt Galeni verba) quàm medicamento purges. Hoc enim scitum est, corpora, cùm purgare quis velit, fluida esse facienda, vt censuit Hippocrates. Cùm igitur Homo se cibis largiùs expleuerit, necesse est crudi humoris plurimum in corpus animantis rapi:

Semen est redũdãtia testiũ, sanguis iecoris, chylus vẽtriculi.

Nota hæc.

Cur ex sanguine in vasis seminarijs fit semen.

Animi mores corporis temperaturam, & humores sequuntur.

Nota hæc.

Vrinæ, iumentorum vrinis similes, quid denotant.

Crudus humor à pure differt.

Duplex crudorum humorũ genus; vnum tenue, alterum crassũ; illud statim expurgandũ, hoc prius præparandum.

Ex largo cibo crudus humor. idque multis de causis, & quod deterius in ventriculo, venisq; concoquatur id, quod plus est: & quod plus in corporis molem subit, quia plus sit, & quod citius, quam par est: propterea, quòd ventriculus venis: venæ autem cæteris omnibus animalis partibus permittunt, vt quod nondum confectum est, rapiant. Hunc autem humorem, qui crudus propriè nominatur, pleriq; Pueri propter crapulam, plurimum coaceruant: ex quo facilè calculus gignitur: cùm is humor sit, ceu materia, ex quo fiat lapis: efficiens verò causa, calor censeatur. Fit etiam ex naribus, & ore in circuitibus ordinatis, & inordinatis, humorum crudorum excretio, quâ Cerebrum expurgatur: qui sanè humores, à pure, vt diximus, differũt. Cùm igitur curandi ratio potissimùm in humoribus versetur, certè eos neq; tenues esse, neq; crassos, neq; multos, neq; nimis calidos, neque frigidos, neque mordaces, neque corruptelæ obnoxios, neque veneni naturam imitantes, expediet. Etenim cùm aucti sint, morbos gignunt, & dolores inuehunt. Ac dolores ex humoribus excitari sex modis planum est; aut ex calore, aut ex frigore, aut ex crassitudine, aut ex tenuitate, aut ex mordacitate, aut ex copia denique, cùm, inquam, supra modum aucti sunt, & euacuationem postulant. Augentur autem interdum eâdem de causâ, à qua geniti ab initio sunt: quo sanè tempore duplex est nobis curationis proposita ratio, vt alterentur, & vt euacuentur: quin etiam in Aphorismis ostendimus, cum corpus plethoricum est, venæ sectione: cùm malis redundat humoribus, medicamento purgante euacuandum esse. Post hæc docet, crudos humores in Pueris ob voracitatem generari: & humorum cruditatem in adolescentibus esse imbellis valetudinis causam.

Pueri ob crapulam crudos humores congerunt.

Calculi causa.

Euacuatio crudorum humorum cerebri.

Curandi ratio circa humores maximè versatur.

Dolor sex modis ab humoribus fit.

Humores praui prius præparãdi, & rursus purgandi.

Plethora venæ sectio, cacochymia purgatio debetur.

Hæc, occasione boni Coloris Ægri post Crisim factam, ex Galeno libenter proponere volui: quoniam ad Crisis cognitionem, & affectuum præter naturam, cognitionem, curationem, atque Prognosim, vim habent, non solùm præcipuam, sed maximam. Probus ergo corporis color post Crisim factam, Crisis integritatem commonstrat: Signum enim est, naturales facultates vigere, & in corpore prædominari. Pulsus præterea validus, facultatis vitalis robur indicat: veluti ad motum alacritas, facultatis animalis integritatem. Sed tempus est, vt ad signa futurarum specierum excretionis criticæ, descendamus.

Signa sequentia Crisim bonam.

CA-

CAPVT VI.

De Signis imminentium Specierum Excretionis Criticæ.

MVlta superiori Capite de Generalibus signis, vel signorum generalium fundamentis, diximus; modò cuiusuis futuræ speciei Excretionis Criticæ præcedentia signa distinctè proponemus. Criticæ Excretionis septem species superiùs enumerauimus. Tres per sanguinis exitum fiunt: & vna dicitur Hæmorrhagia: Estque sanguinis è naribus fluxus. Secunda, Hæmorrhoidalis excretio appellatur: Estq; sanguinis è venis hæmorrhoidalibus, in podice, siue extremitate intestini recti, sitis, effluxus. Tertia, est menstrua purgatio; quæ est sanguinis ex venis vteri euacuatio. Sunt quatuor aliæ species Excretionis Criticæ, quæ circa humores prauos, & à sanguine distinctos, versantur: quę pro diuersitate viarum, per quas fiunt, diuersa obtinuere nomina, diuersamque rationem. Quoties autem humores superflui sursùm capessunt, & per os euacuantur, huiusmodi euacuatio Vomitus nominatur: Si deorsum per intestina, & extra podicem percurrant humores, Diarrhæa: Si per vias Vrinæ, Perirrhia: Si per habitum corporis, & cutem, Sudor. His quatuor possumus addere expuitionē: Et sic octo species Euacuationis Criticæ statuere possumus.

Septē species euacuationis criticæ communiter proposita.

Octaua species est sputorum expectoratio.

Antequam cuiusuis speciei signa proposuero, obseruandū censeo, dari quædā generalia signa, quæ quamlibet Crisim, aut plures species præindicant. Signa mox futuræ motionis Criticæ vniuersalia, paucis complexus est Hippocrates lib. 2. Aphorism. 13. vbi inquit: Quibus Crisis fit, his nox, quæ accessionem præcedit, grauis: quæ verò subsequitur, leuior ferè solet existere. Grauis enim siue molesta est nox præcedens Crisim, teste Galeno in Cōment. quoniam natura tunc turbatur; separando nimirum prauum humorem à bono, eumque ad excernendum præparando. Grauitas enim hæc noctu fit manifestior: nam hoc tempore dormire consueuimus. Somno igitur à turbatione interrupto, clariùs grauitas illa percipitur: licèt similis fiat interdiu turbatio, quando nocte sequente est iudicatio futura. Grauitas illa, nocte, dieue, temporeue

Signa cōmunia omnibus imminentibus crisibus.

Crisim præcedēte, contingens, nihil aliud est, quàm animi, corporisq; anxietas & inquietudo, quæ vnamquamq; Crisim præcedunt.

Signa præcedentia plures species, sunt rigor, altus pulsus, durus pulsus, oculorū caligo, & anxietas.

Præter molestiam superuenientem ęgro in Crisis præludio, sunt quædam signa pluribus speciebus Criseos communia: Exempli gratiâ, Rigor superueniens febri ardenti, ex se vix certam euacuationis speciem prænunciat: quoniam eum sudor non semper sequitur; sed quandoq; vomitus, aliàs alui fluxus: non rarò harum euacuationum duæ. Rigor Tertianæ febris, etiam à bile pendentis, veluti ille qui ardenti febri accidit, præcedit, aut sudorem, aut vomitum, aut alui fluxum, aut harum euacuationum aliquas; quæ pro naturæ arbitrio, aut inclinatione succedunt, dum morbo, causæq; morbificæ eadem natura præpollet. Similiter indiscriminatim, altus Pulsus, est omnis mox futuræ excretionis indicium, sicuti & vehemens pulsus. Caligo denique oculorum, & anxietas, æquè vomitum, ac hæmorrhagiam præindicant.

Confusa signorū Criticorum recensio; quæ etiam habetur lib. 1. aph. comment. 12.

Vniuersalia signa, & peculiaria, motionis Criticæ promiscuè proposuit Galenus libro 2. de Crisib. cap. 2. hac serie: Antecedit autem huiusmodi Excretiones, & abscessus, non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis. Nam & difficiles tolerantiæ, & vigiliæ, & deliria, & graues somni, & difficiles anhelitus, & vertigines tenebricosæ, & difficiles sensus, dolores Capitis, Colli, & Stomachi, & multorum aliorum membrorum: nonnullis verò aurium sonitus, & vani ante oculos apparent splendores, & lachrymæ inuoluntariæ effluunt, & vrina retinetur, & labrum agitatur, aut aliquid aliud tremulum fit, obliuio, & præsentium ignorantia, & vehemens accidit rigor, & plurimum accessio consuetam anticipat horam, & multus æstus, sitisq; intolerabilis sequitur: clamant & saliunt, sicuti furentes, neque possunt in eodem situ recumbere: deinde repentè multus sudor erumpit, aut vomitus aliquis non paucus insequitur, aut venter subitò soluitur, aut abundans fit fluxus sanguinis, aut hæc omnia simul contingunt: vnde non paruus inuadit timor inspicientes. Hîc autem (veluti lib. 1. aph. 12.) indistinctè Galenus signorum vniuersalium, & particularium congeriem exposuit, vt ostenderet ob terrorem cuidam vulgari homini, similia accidentia in ægro quodam conspicienti, incussum, Crisis nomen inuentum fuisse: Ipse enim spectator ignarus, re ita cogente, ita pronunciauit, quòd iudicium tunc de vita ægrotantis agere-

Inuentio nominis crisis.

tur.

tur. Sed diſtinctiùs de his in ſequentibus.

Obſeruandum prætereà, imminentem Criſim, quæ per excretionem fit, dupliciter prænoſci: Primò, mediantibus Signis cuiuſuis ſpeciei Excretionis: Secundò ex abſentia ſignorum aliarum Excretionum. Diſtinctis nos ſectionibus ſingularum ſpecierum ſigna enumerabimus. *Dupliciter futura criſis dignoſcitur.*

SECTIO I.
De Signis mox futuri Vomitûs.

GAlenus exactè hanc doctrinam nobis reliquit lib. 3. de Criſib. cap. vltimo, ſequenti ſerie: Vomituum autem ſigna ſunt oris ventriculi morſus, ſimul cum dolore capitis, & vertigines obortæ, cum ijs, quæ obijciuntur oculis, tenebroſis, & cum agitatione labri inferioris, & multo ac tenui ſputo defluente. Hæc verò omnia accidunt, cum bilioſus & mordax humor in ventre, ac ſtomacho collectus fuerit, & ventriculi os momorderit (quod etiam Priſci Cor nominabant) & cum ipſo totum ſtomachum intus atque infra diſtraxerit: vnde & labrum in ipſis agitatur, & ſputum tenue defluit, & tenebroſa quædam oculis obuerſantur, & hallucinantur, & vertiginem patiuntur, & caput dolent, euaporante re aliquâ ex humore bilioſo, & præterea facta in neruis compaſſione. Hæc Galenus. *Signa futuri vomitus.*

De ſignis præcedentibus vomitum, Hippocrates lib. 1. Epidem. ſect. 2. tex. 56. hac ſerie loquutus eſt: Qui verò totius Capitis grauitates, & oris ventriculi morſus, ac ſtomachum anxium habent, iſti bilioſa, & pituitoſa euoment. Ita enim extant hæc apud Galenum lib. 3. de Criſib. cap. vltimo: ſed apud Hippocratem, textus ſequenti ordine habetur: At verò quibus totius capitis grauitates, tum autem cordis dolores, & faſtidia ſunt, bilioſa poſt, ac pituitoſa vomunt. In Prognoſticis, ſequentia ſimiliter habentur: Quicunq; autem in febre non mortali dixerit ſe dolere caput, aut aliquod tenebroſum apparere ante oculos: ſi oris ventriculi morſus huic acciderit, vomitus bilioſus ſubſequetur. Si verò rigor inuaſerit, & partes, quæ ſunt infra præcordia, frigidæ fuerint, celeriùs adhuc aderit vomitus. Si verò etiam aliquid biberit, aut comede- *Signa futuri vomitus ex Hippocrate.*

rit

rit circa hoc tempus, multò etiam citiùs euomet. Ex ijs verò, qui primo die dolere cæperint, quarto die grauatur magis, quàm quinto, septimo verò die liberantur: plurimi verò ipsorum dolere incipiunt tertio die, conflictantur autem quinto maximè, liberantur autem nono, aut vndecimo die. Quicunq; verò quinto die dolere cæperint, & alia secundùm rationem priorem ipsis affuerint, quartodecimo euadunt. Fiunt autem hæc Viris quidem, ac Mulieribus, in tertianis præcipuè: Iunioribus verò fiunt quidem & in his, magis verò in febribus continuis, & legitimis tertianis.

Primum signum futuri vomitus, est oris ventriculi morsus.

Prima causa morsus, & doloris orificij ventriculi.

Modò singula signa vomitûs mox futuri, iuxta Galeni ordinem exponamus. Primum signum, est Cardiogmos, idest Cordis morsus: Ventriculi enim orificium, Cor Antiquis dicebatur: nam hoc læso, cor Vicinum è vestigio patitur; inde Lipothimia, aut Syncope, aut palpitatio, aliæue Cardiacæ passiones. Vnde etiam eiusdem orificij ventriculi dolor ex morsu proueniens, Cardialgia, id est Cordis dolor, appellatur. Causa efficiens huius morsûs, atque acerbissimi doloris oris ventriculi, est humor biliosus, isque non rarò superassatus, & infensissimus; de quo loquens Hippocrates, lib. 1. Epidem. sect. 2. inquit: Circa caput, & collum, & dolores, & grauitates cum febribus, & sine febribus. In Phreniticis quidem neruorum distentiones, sed & ęruginosa euomunt, & quidam ex his citò intereunt. Textus hic apud Galenum extat capite vltimo lib. 3. de Crisib. sed in Epidemijs, loco, æruginosa, habetur vox, virulenta. Vt vt sit, flaua bilis dum aduritur, in æruginosam conuertitur, & hæc verè virulenta dici meretur; quæ ideò, siue per os, siue per anum excernatur, periculum inuehit: nam pungit, radit, & veluti adurit. Rectè idcircò Hippocrates notauit, quosdam statim à vomitionibus huius virulenti excrementi interijsse, ipsum Cerebrum scilicet, eiusque membranas, tenente Phrenitide, à flaua bile profecta; vt in comment. 2. Epidem. tex. 54. loquitur Galenus: qui etiam insinuat, non mirandum, si impensè exiccatis menyngibus, & Cerebro, conuulsiones tunc patiantur Phrenitici: quorum quidam, simul atque contracti sunt vi conuulsionis, & virulenta vomuerunt, è vestigio agunt animam.

Flaua bilis assata in æruginosam conuertitur.

Secunda causa morsus oris ventriculi.

Secunda causa morsûs oris ventriculi, est exquisitus sensus tactûs, quo fruitur. In eo enim inserti sunt duo insignes rami à sexta neruorum coniugatione dimissi, in quibus, vnà cum ipsa membrana in-

na interiore ventriculi, fit acutissima sensatio. Quare immodicè irritata illa pars, ad rei noxiæ exclusionem se colligens, vomitum prouocat. Geminam expositam causam proponit Galenus Comment. 3. Prognostic. tex. 30. inquiens: Ventriculi verò ostiolum (appellatur id, vt constat, etiam Cor) propter magnitudinem neruorum, quos habet, sentientium, nihil latet, quod in eo infestet: ita fit, vt mordens biliosus humor, cardiogmon, id est Cordis, seu oris ventriculi morsum, committat: & ob eam rem biliosa vomitio accidit. Tale enim etiam Thucidides indicauit, dum ait: Et cùm in cor inhæsit, subuertit id, ac purgationes bilis, quæ à Medicis sunt appellatæ, subierunt. Verbum enim, subuertit, de impetu dixit in vomitionem, statim etiam nominans Cor, ventriculi ostiolum: & ob eam rem, morsum eius, cardiogmus, & cardialgias appellitant. Hîc etenim cardiogmum, & cardialgiã idem significare insinuat Galenus; tametsi paulò ante in eodem textu, Cardialgiam Cordis dolorem esse pronunciauerit, quo etiam in sensu nos Cardiogmum in hoc opere accepimus; sed causatiuè, vt aiunt: nam Cardiogmos, etsi Cordis morsum significet, Cordis siue orificij ventriculi, dolor dici meritò potest; cùm immediatè dolorem concitet, & causa prima siue immediata rei, effectûsue, huius nomen, non raró, ex hominum instituto, induat. Cæterùm, vox Cardiogmos, iuxta cõmunem interpretationem, cordis morsum significat; vt patet ex Aphorismo 65. lib. 4. Aphorism. qui Græcè sic habetur. Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν, καὶ καρδιωγμὸς, κακόν: id est: In febribus circa ventriculum vehemens æstus, & stomachi morsus, malum. Itaque Cardiogmos, cordis morsum magis propriè, quàm dolorem, significat. Galenus, tametsi Cardialgiam, & Cardiogmon, vt paulò ante vidimus, confuderit, rem penitiùs in comment. iam citati Aphorismi tangens, sequenti serie exponit: Quod non solùm ei visceri, quod ex seipso secundùm naturam pulsat, Cardia, hoc est Cor, nomen fuit apud Antiquos, sed etiam ori ventriculi, pro confesso habetur apud omnes: Sicuti etiam quod Cardialgin, idest Cordis dolorem, huius partis dolores appellant. Verbum autem Cardiossein, idest corde morderi, plurimi exponentium Aphorismos, pro Cardialgein, idest Corde dolere, acceperunt: nonnulli ipsius Cordis, hoc est visceris, motum quendam palpitationi similem, per

Thucidides.

Cardiogmos & Cardialgia aliquãdo confunduntur.

Aphorism. 65. lib. 4.

Ventriculi os, cor dicitur.

Car-

Cardiogmon verbum, ideſt Cordis morſum, intellexerunt. Fortis itaq; ventriculi æſtus à flaua bile in ipſius tunicis ebulliente generatur. Rationabiliter autem ijs, qui ita ſunt affecti, & ventriculi mordetur os; atque ob id malus eſt caſus (caſus enim idem eſt apud Galenum, ac ſymptoma ex lib. 1. Aphoriſm. comment. 12.) Siquis verò per Cordis morſum, crebrum & velocem Cordis motum, eum præcipuè, qui palpitationi ſimilis ſit, intellexerit, extremum ex eo malum ſignificatur, & vim vitalem (ſeu principium vitale, quod eſt Cor) maximo incendio laborare. Sed hæc de Cardialgiæ, & Cardiogmi conuenientia, ac diſcrepantia, ſint ſatis.

Caſus eſt ſymptoma.

Antequam primum, iam antea expoſitum, imminentis vomitûs ſignum deſeram, obſeruandum ſedulò eſt, orificij ventriculi morſum, ex ſola bile ortum, non ſemper præcedere vomitum. Quod patet primò ex Hippocratis verbis, ex ſect. 3. Prognoſtic. traductis. Si quis, inquit, per febrem non exitioſam dixerit, caput dolere, aut etiam tenebricoſum aliquid ob oculos obuerſari, aut ſi oris ventriculi morſus in eo extiterit, bilioſa vomitio aderit. Non enim voluit Hippocrates, capitis dolorem oculorum caliginem, & ventriculi morſum, ſimul & coniunctim præcedere vomitum, ſed horum vnum, aut alterum (etſi ſimul præire queant) vt patet ex particula diſiunctiua, ἢ, ideſt, aut. Secundò, doctrinæ huius veritas, ex ipſa rei naturâ colligitur: Non enim ſemper bilioſus humor vomitum excitat, ſed pituitoſus, ſeroſus; imò ipſa alimenta ventriculo parum grata; veluti potus non arridens, venenum, & ſimilia. Habemus enim ex Hippocratis doctrinâ, ſuperiùs ex libro 1. Epidem. traductâ, bilioſa, ſimul & pituitoſa per vomitum excerni: Denique experientia compertum eſt, pinguia quæuis vomitum quibuſdam concitare; alijs hoc genus edulij, alijs aliud: imò ſordida quædam oculis obiecta vomitum aliquibus non raro prouocant. Sufficit ergo quandoque, vice doloris, aut morsûs orificij ventriculi, anxietatem præcedere vomitum, cùm non omne id quod vomitum excitat, mordax ſit, & bilioſum, ſalſumue, ſed modò acidum, modò inſipidum, modò vnctuoſum, aut pingue, modò nimium. Nec mea hæc doctrina Galeno aduerſatur, qui, vt vidimus, capitis dolorem, morſum orificij ventriculi, tenebricoſam vertiginem, labri inferioris agitationem, ſiue tremulum motum, & ſaliuationem, copulatim, ſigna imminentis vomitûs eſſe voluit. Nam

A ſola bile non fit vomitus.

Non eſt neceſſe, vt omnia ſigna vomitus ſimul ſemper cõcurrant.

Præter bilem, alia quamplurima vomitum excitant.

Dubio occurritur.

Nã hæc omnia simul conuenire possunt in morbis biliosis, cuius naturæ sunt Febres continentes, & biliosæ, quarum excretionem Criticam vomitu venturam exponit potissimùm Galenus, dicta proponens signa. Hippocrates de vomitu quidem febricitantium loquitur loco citato Prognostic. qui, tametsi disiunctim signa proposuerat futuri vomitûs biliosi, non proinde negauit omnia simul concurrere, bile maximè dominante. In morbis autem non purè biliosis proposita vomitûs signa, simul minimè concurrunt.

Secundum signum imminentis vomitûs, est repentinus dolor Capitis: qui dolor, vtplurimùm, à bilioso humore, aliove cognato, vt salso, aut fuliginoso, nascitur: nam ab humoribus frigidis non tam dolor, quàm grauamen capiti inuehitur; quanquàm vim inducendi dolorem ijsdem negare non ausim; vt experientiâ patuit in Galeni persona, dum atrocissimo dolore colico, à pituitoso humore vitreo, orto, afficeretur. Dolor autem Capitis in febribus biliosis subitò contingens, vnà cum orificij ventriculi morsu, & oculorum caligine, futurum prænunciat vomitum. Dixi vnà cum ventriculi morsu, quoniam dolor capitis superuenire potest, absque eo quòd Crisim fore prænunciet. E Pulmonibus enim, & Thoracis cauitate, fuliginosi & vrentes quidam vapores ad caput subleuantur, qui in hoc dolorem non rarò pariunt. Vt autem Medico compertum sit, an è Pulmonibus, an è ventriculo vapores calidi sursum ad caput ascendentes, & in hoc dolorem excitantes, eleuentur, animum aduertat necessum est ad ventriculi statum: cuius orificium si mordetur, aut dolet, signum est certissimum, capitis superuenientem dolorem, à biliosis vaporibus è ventriculo ad caput sublatis, nasci. Si autem in ventriculo nullum extet doloris vestigium, è pulmonibus, aut vasis, sursùm causa doloris attollitur. Quod si alicui videretur, vapores illos è pulmonibus sursùm non ferri, quia suâ acrimoniâ dolorem in pulmonibus æquè, ac ventriculo, excitare deberent, qui tamen dolor tunc non adest, Responsio in promptu est apud Gal. Comm. 3. Prognost. tex. 30. Pulmones obscuro sensu esse præditos; ideoq; eos non persentire tales vapores fuliginosos, qui tamen sursùm elati, menynges valdè sensibiles citò suâ acrimoniâ, & calore intenso, feriunt.

Secundum signum futuri vomitus.

Medicus scire debet, vtrum capitis dolor, à vaporibus è pulmonibus sublatis, an ab ijs qui è vẽtriculo efferũtur, prouenit.

Dubio occurritur.

Tertium signum imminentis vomitûs in febribus salubribus, de quibus loquutus est Hippocrates sententiâ citatâ Prognostic.

Tertium signum futuri vomitus.

(appellauit autē iam hunc morbum, inquit Galenus in Comment. sæpenumerò περιεςηκότα, id est, salubrem:) est vertigo tenebricosa, quæ nihil aliud est, quàm apparens circumgyratio eorum quæ oculis obijciuntur, vnà cum tenebricositate, aut caligine: ita vt visio fiat obscura, & nubibus quasi impedita: non tamen adeò, quin res visæ circumrotari videantur: imò & caput ipsum circumagi videtur, teste Gal. com. 4. acutor. tex 42. Causa vertiginis est circumrotatio Spiritûs flatulenti, aut sublatorum vaporum in ipsis Cerebri ventriculis: flatulentus verò Spiritus, ab intemperie frigida Cerebri oritur; nisi quando per consensum infernarum partium, vt ventriculi, vteri, pulmonum, aliarumue, is idem, vel fuliginosus vapor procreatur; sicuti fit in casu nostro. Vaporibus enim fuliginosis tetrisque sursùm sublatis, caput repletur; vnde in ventriculis Cerebri magna spirituum & vaporum agitatio, turboque. Spiritus denique animales impuri, vtpote quibus tetri vapores commiscentur, ad oculos transmissi, humoris Chrystallini luciditatem obscurant: indeq; visûs obscuritas. Vniuersam doctrinam de Signis mox futuri vomitûs fermè proponit Galenus, comment. citati textûs 30. sect. 3. Prognost. hac serie: Secunda verò, vt ægro dolenti caput, obuersetur quiddam ob oculos ὀρφνῶδες, id est tenebricosum, quod vtiq; significat atrum, & flauæ bilis syncera exhalatione confectum. Hæc enim pleniùs calefacta, &, vt ita dicatur, superassata, atram exhalationem, ceu fuliginem quandam, ad caput remittit, ob quam capitis dolores infestant. Quantum verò eius ad oculos permeat, turbulentiorem reddit in eis humorem, splendidum ex natura, ac purum (Chrystallinum intelligit): ita vt fiat conditio quædam similis ei, quæ circa purissimum, ac lucidissimum aërem, euenit, recipientem statim in se, aut fumidum quendam, aut fuliginosum nigrorem. Hanc igitur exhalationem sentiens à Cerebro permeans ad oculos visorius Spiritus, quemadmodum per suffusiones, visa (vt ait) tenebricosa committit. At verò cum talis exhalatio de sedibus quandoq; etiam subeat pulmonis, eam interstinguimus ab illa, quæ de ore ventriculi redundat, cordis dolore, id est, Cardialgia. Tales enim humores latent pulmonem, vt qui vel omninò non sentiat, aut difficulter sentiat: ventriculi verò ostiolum (appellatur id, vt constat, etiam cor) propter magnitudinem neruorum, quos habet, sentientium, nihil latet, quod in eo infestet.

Vertigo quid.

Causa vertiginis tenebricosæ.

Fuligo ex superassata bile sublata ad caput, dolorē parit.

Caligo oculis vnde.

Fuligo pulmonem non lædit.

Quar-

Quartum signū futuri vomitûs in febribus non exitiosis, siue salutaribus, est frequens agitatio labri inferioris. Causam huius rei in prædicto commentario citati tex. 30. exponit Galenus sequenti serie: Alicubi Hippocrates scripsit, quod infernum labrum idipsum indicet, haudquaquam quiescens, sed quodammodo intremiscens, propterea quod si bilis mordeat internam oris ventriculi tunicam, ita commouetur labrum: didicimus enim ex dissectione, vnam esse omnem hanc tunicam perpetuam per omnia sibi, & omnis ventriculi, & gulæ, & linguæ, & palati, & omnis oris. Hæc igitur est, quæ & labra concutit, quoties ab acriore bile collecta in ore ventriculi mordetur: talis enim humor præ leuitate fluitare naturâ assolet. & ob eam rem ad stomachum (idest, ad ventriculi orificium, aut œsophagum) redundat, relinquens ventriculi fundum, ac facilè vomitur.

Quartum signum vomitus.

Tremor labri vnde.

Citauit enim Galenus Hippocratem, quasi hic, labri inferioris tremorem constituisset vomitûs imminentis indiciū: Sed nonnulli tenent, Hippocratē nihil hac de re dixisse lib. de Vict. rat. in morb. acut. & Galenum solum in Commentario textûs 44. sect. 2. eiusdem libri, rem hanc insinuâsse. Verè tamen Hippocrates idipsum insinuauit, dum ait: Manuum tremor, atque interdum labij inferioris concussio. Loquitur enim Hippocrates de symptomatibus superuenientibus febribus acutis, in quarum decursu facta fuit magna mutatio victûs: solebant enim nonnulli Medici inediam omnimodam, in morborum exordijs, ægris imperare. Sed exiccata corpora, tertio, vel quarto, vel quinto, vel sexto die, repentè plenioribus edulijs reficere cogebantur; qui quidem transitus ab omni abstinentia ad copiosum alimentum, antequā morbi vigor præteriret, ingens inuexerat incommodum. Nam propè morbi vigorem, aut in ipso vigore pleniorem victum præscribebant: cùm tamen tunc victum minuere deberent. Hæc ergo magna victûs mutatio, innumera produxit mali moris symptomata. Non mirum ergo, si vomitûs signa tunc apparuerint, cùm ex inediâ magna bilis amaræ & crudæ copia, in ventriculo, cerebro, & hepate generaretur. Cruda quidem (inquit Galenus in Comment.) flaua admodum est, & acris, & malè olens. Bilem igitur incoctam ait ad ventrem de necessitate confluere, quæ ob prauam victûs rationem, tum ex capite, tum ex thorace trahitur, idq; cum fame ægros necant,

Varia mali moris symptomata, ex errore in victu oriebātur.

Cruda bilis.

cant, nullo vtili solatium ventri præstantes, atque cùm ex inedia ad validos cibos propè vigorem intempestiuè trãseunt. Iuxta hæc, idem Galenus in calce Commentarij, inquit: Concussio autem labri inferioris, morsum in ore ventris (id est ventriculi) vehementem significat. Quò fit, vt tale symptoma, vomitûs acrium humorum etiam signum sit. Constat ergo contra quosdam, Galenum non perperam hac de re citâsse Hippocratem.

Quinctum vomitus signum. Quintum imminentis vomitûs signum, est Πτυαλισμος, id est frequens saliuatio, siue sputatio, siue spuitio, materiæ tenuis, & veluti aquosæ, quoad consistentiam, quæ imbibita est in vniuersa tunica interiore ventriculi, quæ interiùs coextenditur œsophago, ori, & labijs tenùs, vt nos docuit Galenus, cuius verba superiùs traduximus: Bilis enim, & varij ichores in ventriculi capacitate supernatantes, ob sui tenuitatem, leuitatemque, facilè superiùs ad os, sese insinuando internæ tunicæ, gliscunt, vehunturque. Postquam enim tunicæ substantiam paulatim ore tenùs irrigant, ij, qui supernatant fluctuantque, eosdem facilè consequuntur: vti in filtro quotidiè fieri conspicimus; dum enim aliquo liquore, Catina, discus, aliudue consimile vas, semirepletur, & lobus laneus vnâ ex parte liquori immergitur, cætera verò pars lobi superius ad vasis labrum, & paulò extra protenditur, & semel madescit, post se liquor in lobo imbibitus catinæ, aut disci liquorem consequutiuè deducit, vsquequo vniuersus liquor fuerit exhaustus. Videmus etiam, quoties animaduertere placet, vasa quædam liquoribus plena, suos continere liquores, etiam aliquando tumescentes, donec vasis labrum ad liquorem vsque, vel à liquore inchoando ad labrum exterius, madefiat: per hanc partem, eodem vasis liquore, aut alio quouis, priùs madefactam, priùs & veluti spontè, liquor vniuersus facilè exit. Idem experimur, dum è disco, alioue rotundo vase, liquorẽ aliquẽ in aliud effundimus: id enim, vt commodè fiat, digito, stylo, aliaue consimili re, eodem in liquore submersa, tantillum liquoris ad labrum vsque, instar fili, aut lineæ, deducatur, & rursùs inclinato paulatim, & absque impetu, vase, totus liquor per partem illam priùs madefactam effundetur. Si ergo omnia latera interioris tunicæ ventriculi, Oesophago, simul & ori, coëxtensæ, à tenui, & penetrante humore fuerint semel irrorata, non mirandum, si humorem in illa tunica

Causa sputationis frequentis.

Varia exẽpla modum quo vomitus fit exponẽtia.

im-

imbibitum stagnantes in ventriculi capacitate humores perfacilè consequantur, & vomitum excitent. Natura denique tenuium humorum, vt bilis, & ichorum, sursum sponte hos euehit. Vnde Hippocrates lib. 4. Aphorism. 4. ait: Æstate superiores potiùs ventres, hyeme verò inferiores purgandi. Ideò enim purgationes per vomitum æstate magis, quàm hyeme, laudat Hippocrates, quoniam, qui tunc humor superabundat, flaua bilis est: Et omninò tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad superiora mouetur, vt in Commentario loquitur Galenus. Quælibet autem superfluitas, eò, quò vergit, ducenda est per loca conuenientia, docente Hippocrate in principio libri de Humoribus: Et lib. 1. Aphorism. 21. Quæ educere, inquit oportet, quò maximè vergunt, eò ducenda per loca conuenientia. Cùm ergo humor biliosus vnà cum varijs ichoribus, æstate generetur, sitque ex sua natura igneus, & calor natiuus, quem naturam appellauit cum Hippocrate Galenus, tunc ignescat, sursumque omni tempore vergat, rectè purgatio per vomitũ magis, quàm per secessum, instituitur. Nam raró tunc crassa, & mucosa pituita generatur: quæ, cùm hyeme procreetur, tunc deorsùm commodiùs purgatur, veluti omnis humor crassus, & ponderosus. Vnde Hippocrates eodem libro 4. Aphor. 9. Melancholicos autem pleniùs per inferiora, eadem ratione contraria apponentes. Plenius autem, idest fortiùs, per ventrem inferiorem iubet humorem melancholicum purgandum; quia terreus hic humor ad inferiora naturaliter declinat, sicuti flaua bilis ad superiora, cùm hæc sit leuis humor, & spontè continuò fluitet. Quoniam magnâ ex parte graciles sunt biliosi, hos magis per superiora purgari laudat Hippocrates Aphor. 6. lib. 4. dum inquit: Graciles, & facilè vomentes, purgare superiùs magis, cauentes hyemem.

Cur æstate purgãdum per vomitum.

Naturæ motum debet Medicus imitari.

Hyeme per inferiora purgandum.

Graciles per superiora purgandi.

Si vellemus vertiginem ab oculorum caligine distinguere, non quinque tantùm, sed sex signa imminentis vomitûs, iuxta Galeni doctrinam lib. 3. de Crisib. cap. vltimo, constituerentur. Libro enim 1. Aphorism. Comment. 12. Lib. 1. de Crisib. cap. 2. de tenebricosa solùm vertigine loquutus est. Libro tamen 3. de crisibus cap. vltimo vertiginis meminit, & tenebricositatis oculorum. Cæterùm quia rara est vertigo sine tenebris, pro vno signo, vertigo, & oculorum caligo, accipi possunt.

Dubio occurritur. Solius caliginis oculorum meminit.

Sex-

Sextum vomitus signum.

Sextum ergo Signum imminentis vomitûs, eruitur ex textu superiùs traducto ex Hippocrate lib. 1. Epidem. Sect. 2. tex. 56. in quo ait, imminente vomitu stomachum anxium esse. Hanc stomachi anxietatem proposuit Hippocrates lib. de Vict. rat. in morb. acutis, Sect. 2. tex. 44. in cuius Commentario Galenus ait, anxietatem, & inquietudinem, esse familiaria symptomata inediæ, & intempestiuæ propinationi alimentorum. Consimili modo, inquit, & ἀπορία, id est anxietas, inquietatioq; commune est vtrisque symptoma, & ob longam inediam, quæ ventrem ichoribus replet, & propter cibum intempestiuum grauantem. Ventriculi enim anxietatem, & fastidium, & inappetentiam, consequitur semper totius corporis inquietudo, ita vt in lecto tunc requie careant ægri. Sed inquietudo omnem fortassis Crisim antecedit.

Inediæ, & satietati anxietas stomachi familiaris. Damna ex inedia orta.

Septimum vomitus signum.

Septimum Signum, quod ex Hippocrate eruitur, est frigiditas partium infernarum Hypochondriorum; quasi diceret, tunc imum ventrem refrigerari, & consequenter pedes, quòd humor biliosus, & calidus vndequaque ad ventriculum recurrat; cui tunc vexato, vt natura opituletur, sanguis, & spiritus ad interiora recurrunt, vnde externarum partium frigiditas. Galenus Comment. 2. in Librum de morb. acut. tex. 54. extrema, quoties ventriculi os patitur, refrigerari docet: Corporis, inquit, extrema, quæ sunt pedes, & manus, promptè perfrigere, malè habente ventris ore, haudquaquàm nos præterit; vtpote cùm vel propter longam inediam vehementer à mordentibus mordetur ichoribus, vel ob importunam cibi multitudinem grauatur. Patitur autem vtrumque ex eâ, quæ ante dicta est, victûs ratione, quâ Medici, ægros primis diebus vbi fame exiccauerint, tunc (idest circa febris ardentis vigorem) cùm tenuiter cibandum sit, ad frumentacea repentè transeunt edulia.

Inediæ, & rursus satietatis incommoda.

Octauum signum vomitus.

Octauum vomitûs Signum, est quædam lachrymatio, quæ à bilioso humore ad caput sublato facilè excitatur; quod talem humorem è Cerebro deturbare per varias vias conetur Natura. Capitis enim repentinum dolorem, tenebricosam vertiginem, in auribus sonitum, cùm tunc generet biliosus ille humor, potest pariter lachrymas excitare acres, mordentesque, oculos: imò in ipso capite, & vultu præsertim, si non ruborem, saltem calorem solito intensiorem excitat: vti facit quiuis humor calidus sursùm in caput

put impetum faciens: vnde ante hæmorrhagiam, calor, rubor, & lachrymæ.

Nonum Signum, sed Sudori, & Diarrhææ commune, est rigor; qui quidem si vnà cum cæteris superuenerit, iamiam vomitum præ foribus adesse significat: vt ex traducto à nobis Hippocratis textu 30. Sect. 3. Prognostic. constat; & ex Galeno in Commentario, vbi hæc habet: Quòd si rigor quoque prehendat tunc hominem, magis etiam vomitio non solùm citiùs, sed etiam bilis erit copiosioris: cùm soleat rigor magna ex parte bilis efficere vomitionem, quemadmodum, cùm de ea ageretur, est demonstratum. Quinetiam, si quid bibat, aut esitet per illud tempus homo, adhuc citiùs deuomet, quia pariter cum bile ingesta cibaria in ventriculo corrumpuntur. Hæc enim pronunciauit Galenus, postquàm in eodem Commentario de labri inferioris concussione à bile facta loquutus est. Particula enim, tunc, ab ipso in contextu posita, significat rigorem aduenientem labri concussioni, vomitum accelerare.

Nonum signum vomitus.

Rigor est vomitus signum.

Decimum proximi vomitus signum.

Decimum Signum imminentis vomitûs, est durus pulsus, imò & inæqualis, teste Galeno, lib. 3. de Crisib. cap. vlt. vbi de Pulsu, prout mox futuræ Crisis signum esse potest, de eo hac serie loquitur: Quòd si Pulsus vndosus fiat, & insigniter mollis, adhuc ampliùs sudores expectare oportet. Durus autem pulsus, vomitus magis, quàm sudores, præostendere solet. Altus enim omnis excretionis indicium est, sicuti & vehemens. Si verò magnus fuerit, motus ad exteriora potiùs, quàm ad interiora, signum existit. Cùm verò vterque duplex sit, hic quidem qui ad exteriora, per fluxum sanguinis, atque sudores: alter autem ad interiora, per aluum, & stomachum. Vndosus quidem pulsus, sudores; magnus autem simpliciter, fluxum sanguinis præostendet. Motu verò ad interiora superante, cùm non aderunt signa vomituum, per ventris excrementa Crisis fiet. Si verò vomituum Signa, per vomitum potiùs: Si verò eadem signa vomituum affuerint, & venter insigniter subducatur, per vtraq; (id est) vomitum, & alui fluxum, fiet Crisis. Inæqualis autem pulsus in pluribus quidem Crisibus fit, & præcipuè, cùm non fiunt sine pugna, & periculo: multò verò magis, cùm biliosi humores ad ventriculum confluunt, præsentibus etiam alijs vomitûs signis.

Pulsus vndosus, mollis sudoris prænũcius.

Durus pulsus.

Altus pulsus, & vehemens.

Systole, diastolē superãs, excretionem per interiora; diastole systolē superãs, excretionem per exteriora, vt per sudores & hæmorrhagiam, significat.

Vn-

Vndecimũ vomitus signum.

Vndecimum imminentis vomitûs Critici signum, est absentia signorum aliarum excretionum Criticarum, vt Diarrhææ, Hæmorrhagię, Sudoris, & Perirrhiæ: Hæmorrhoidarum, & menstruæ Euacuationis.

Qui volet inter vomitûs signa recensere Sitim (sitim, fateor, & æstum, inter signa Crisis recensuit Galenus lib. 3. de Crisib. cap. 2.) & oris amarorem, per me licet: etsi huiusmodi signa paruam habeant vim prænunciandi vomitum. Hærendum ergo Hippocrati, & Galeno, qui præcipua vomitûs signa proposuerê. Ille enim in Coacis Prænotionibus, quæ locis à nobis citatis dixit, breuiter pronunciauit, aiens: Quibus autem anxietates sunt, & oris ventriculi morsus, & multum saliuæ, his vomitus fit. Breuiloquus Hippocrates loco trium vltimatum vocum posuit, ἔμετος, id est, vomitus.

Prognosis ex Vomitu.

Salubris vomitus signa, sicuti & insalubris.

BOni, prauique Vomitûs concomitantia Signa proposuit Hippocrates lib. Prognost. Sect. 2. cuius Textus 38. hac serie scribitur: Vomitio autem vtilissima est, quæ pituitâ, ac bile, permixta quàm maximè est: & non crassa valde; neque multa: synceriores enim deteriores sunt.

Syncerum quid.

Syncerum, Græcè ἄκρατον, est id, quod est impermixtum cum aliena materia. Etenim Vinum dicimus syncerum, quocum aqua permixta non est, aut perquàm exigua permixta est. Flauam etiam bilem intueri licet interdum crassam, ac summè flauam vomitione reiectam, & item deorsum deiectam, quam sanè nonnulli nominant vitellinam: Sæpè verò humidiorem ac minùs flauam, quæ magis propriè Crocea nominatur, permixtam habens in se tota pituitosum humorem tenuem, aut aquosum quoddam excrementum; vt in comment. loquitur Galenus: Flaua enim illa bilis, vitellina dicta, si ei nihil humoris pituitosi, aut aquei, commixtum est, sed per se pura extat, syncera, & impermixta dicitur: similiter si pituita per se est sine bilis commixtione, syncera, & impermixta appellatur. At verò permixtum, quod syncero opponitur, dicitur id, quod in sua specie non est solitarium, & merum, sed alterius rei particeps; vt constat in allato exemplo à Galeno: Bilis enim

Bilis vitellina est syncera.

Vitellina bilis syncera sicuti pituita vera.

Permixtũ syncero opponitur.

enim flaua tenuis, & non intensè flaua, sed crocei coloris, non est syncera, sed permixta cum tenui pituita, aut serosâ, siue aqueâ substantia. In hac enim commixtione neuter humor syncerus apparet, cùm ambo inter se quodammodo permisceantur. Biliosus enim syncerus, multam caliditatem: pituitosus indicat frigiditatem (commixti ergo sese inuicem corrigunt, & temperatum quid quodammodo constituunt): Quinetiam synceri humores crassiores existunt, pituitosus quidem propter frigiditatem quasi concretus: biliosus verò propter exuperantiam caloris euaporatus, & tanquàm assatus: Hæ enim duæ causæ contrariç crassitudinis sunt, calidum admodum, siue res impensè calida; ac frigidum, siue res admodum frigida: calidum enim incrassat, quòd tenuiora per euaporationem à crassiori parte separet; frigidum autem adstringendo, siue cogendo, & condensando, tenuiora incrassat. Sicut enim calida resoluunt tenuiora, & assando incrassant; ita propter frigus, tenuiora etiam, vnà cum crassioribus, concrescunt. *Synceri humores crassi, vnus vi caloris, alter vi frigoris.*

Sententia 39. hâc serie scripta est: Si verò vomitio fuerit porracea, aut liuida, aut nigra, quicunque ex his fuerit color, malum esse censendum est. Vomitio autem nigra, iuxta Hippocratis doctrinam, synceram atram bilem, quâ liquor, qui excernitur, satur est, indicat; adeòq; magnam in corpore adustionem: Vomitio liuida, liquorem excretum modica bile atrâ tinctum denotat. Vomitio porracea, siue porri colorem habens, in febricitantibus potissimùm, mala est. Rem in Commentario, sequenti serie præclarè exponit Galenus: At verò gignitur in corpore, quemadmodum crocea bilis præter naturam habentibus, ita porracea altera, præter naturam; constatque quòd hæc sæpenumerò in ventriculo gignatur propter quorũdam cruditatem esculentorum, aut olerum, qualia Beta, Cæpa, Brassica, sunt: atque, quòd etiã interdũ talibus nequaquàm ingestis, ratione ęgrotationis in venis gignatur, ac decumbat, aut in ventrem superiorem, aut in inferiorem, calorem in corpore indicans præter naturam, atque excrementi proprietatem talis temperamento, qualis prædictorum Olerum succus est. *Vomitio nigra cur mala. Vomitio liuida, & porracea cur mala. Porraceæ bilis causæ.*

Textus 40. Si verò idem homo, omnes vomit colores, exitiale admodum iam est. Galenus rem hac serie exponit: Siue de prædictis coloribus, porraceo, liuido, nigro, sit proditum verbum, omnes, siue etiam de alijs coloribus vnà cum ipsis, quicunque præter *Vomitus variorum humorum prauus est.*

naturam habentur colores, vtrouis modo exitiosissimum est, indicans eadem particula, omnes, in corpore multas haberi difficiles affectiones.

Vomitus liuidus, & graueolens imminẽtis mortis indicium.

Textus 41. Ocyssimam verò abolitionem indicat vomitio liuida, si graue olet. Colorem liuidum prauum esse, paulò ante diximus. Est enim signum perniciosissimum in vomitu, & deiectione, vrinis, & sputis, quoties socium & comitem habet fætorem. Quoniam liuidus color, sicuti niger, vel ab adustione immodica humorum nascitur, vel à frigore prædominante, & caloris natiui extinctione. Fætor autem, caloris extranei prædominium, & caloris natiui extinctionem arguit. Liuida ergo excrementa per vomitum excreta, si fæteant, pessimi sunt ominis.

Duplex causa nigri coloris excremẽtorũ. Fætoris causa.

Fætor pessimum in excrementis signum.

Textus 42. Omnes autem subputres, ac fætidi odores, in omnibus vomitionibus, mali sunt. Putredinem malam esse in excretionibus, rectè docet Hippocrates, cum hæc à caloris præter naturam dominio ortum ducat. Ingentis autem putredinis indicium est fætor. Vomitus ergo omnis subputridus, & fætidus, malus est. Hactenùs de vomitûs signis, tam præcedentibus, quàm Prognosticis.

SECTIO II.
De Signis Criticæ Diarrhææ.

Galenus nulla posuit peculiaria diarrheæ signa.

GAlenus, etsi in omnium rerum Medicarum indagatione diligentissimus fuerit inuestigator, ita parcè de futuri fluxûs Critici per aluum signis loquutus est, vt nullum constituerit peculiare signum, cap. illo vltimo libri 3. de Crisibus, in quo studiosissimè specierum Criticarum præcedentia signa recenset. Sola ergo signa Aluinæ euacuationis Criticæ, ad duo tantùm contraxit: Quorum primum, est præsentia communium signorum, vt inquietudinis, vigiliæ, inappetentiæ, rigoris, aut refrigerationis extremorum, pulsûs duri & inæqualis. Secundum signum futuræ Diarrhææ, est absentia signorum aliarum excretionum, sed præsertim, Vomitûs, Sudoris, & Perirrhiæ. Hæc sola ex Galeno haurire possumus.

Signa diarrheæ ex Hippocrate.

Hippocrates autem in Coacis Prænotionibus, sequenti serie futuri fluxûs alui signa enumerauit: Quibus verò ructus adsunt, &

fla-

flatus, ſtrepitus, ac eleuationes ſiue inflationes ventris, his fit alui exturbatio. Græca enim vox ἐρεύγμος, ἐρεύξις, & ἐρυγή, latinè ructus eructatioue dicitur: Eſtque halituoſi ſpiritûs & flatûs in ventriculo collecti per os excretio. Si flatulentus ille vapor deorſum per inteſtina ad anum deuoluitur, & exeundo nullum edit ſtrepitum, flatus ſilentes ab Hippocrate dicitur: Si verò cum ſtrepitu & ſono erumpit, crepitus: Si in ventre ſiue inteſtinis coërcetur flatus, vniuerſus venter inferior inflatur, eleuatur, & intumeſcit. Sed inflatam aluum ſoluunt murmurilla (Græci βορβορυγμὺς nominant) à flatibus, ſimul & humoribus agitatis, excitata, & ad infernas partes declinantia. Murmurillum autem, eſt paruus ſtrepitus, ex flatibus & humoribus, vt dixi, ortus; qui quidem dum deorſum tendit, nobis deiectionis Criticæ ſpem dare conſueuit. Vt enim tonitrua in nubibus excitata, nimbum breui fore promittunt, ita ſtrepitus ille obtuſus ventris, ſubitò ortus, alui exturbationem pollicetur. Χειλίης ἐκ τάραξις, in textu Græco habentur, ideſt, alui exturbatio: quæ quidem verè adeſt, quoties vi quadam, ac impetu, multa in inteſtinis contenta, ſemel & repentè erumpũt, profluuntque deorsùm ad podicem, & deinde extra corpus. Sicuti porrò venti, per aëra vagantes, pluuiarum deſcenſu ſilent, ita flatus humorum copiâ per inteſtina ad podicem profluente ceſſant.

Ructus quid. *Flatus ſilentes.* *Crepitus.* *Murmurillum.* *Alui exturbatio quid.* *Similitudo optima.*

In febribus quidem ardentibus flatus, nonniſi ex incongruo intempeſtiuoque cibi, potûſq; vſu, rarò generantur: nam tunc in corpore æſtuante, quidquid flatulentum eſt, ignis febrilis actiuitate reſoluitur, atque diſſipatur. Si ergo deficiunt, ſudoris, vomitûs, & profluuij vrinæ, aliarumque euacuationum indicia: & borborigmos ſiue murmurillum repentè ſuperueniat, futuræ Diarrhææ indicium aderit. Maximè verò, quoties vrinæ parciſſimæ ſunt, & veluti bilis tincturâ priuatæ: quòd tunc ſerum, & ichores vniuerſi, vnà cum bile ad inteſtina ex hepatis cauitate, & reliquis primæ regionis corporis partibus, & non raro ex vniuerſo venarum genere ad inteſtina confluant. Ex hoc humorum ad inteſtina, cum impetu, & agitatione, concurſu, copioſi vapores, vnà cum flatu, ſuſcitantur, qui ructum, borborigmum, flatum ſilentem, aut ſonorum, aluique eleuationem ſiue inflationem efficiunt.

Cauſa borborigmi, ſiue murmurilli.

Quòd vrinæ tunc modicæ ſint, rationi conſonum eſt; quoniam ad aluum omnis humor recurrit; & quando ita res accidit, vrina

Quare vrina supprimitur, imminente diarrhæa, & viceuersa.

veluti supprimitur; &, si qua redditur, tenuis fortassis erit, & bile priuata; hác nimirum per venas mesaraicas ad intestina, vnà cum sero, & ichoribus, currente: sicuti viceuersâ contingit, aluum omninò supprimi, aut parcè fluere, quotiescunque per vrinæ vias fit seri, & superfluitatum copiosa euacuatio. Vnde Hippocrates lib. 4. Aphorism. 83. & vlt. pronunciauit: Mictio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem. Distributo enim ventris humore, inquit in Commentario Galenus, minor, parciorue fit alui deiectio: id est, quando humoris superflui pars vnà cum sero, & sanguine, vltra iecur in venam cauam diffunditur, rursusque per vias vrinæ permeans euacuatur, & altera pars eiusdem humoris per ventrem deijcitur, hæc copiosam non efficit deiectionem, propter humoris in duas regiones distributionem. Ex aduerso, si vnà cum humoribus superfluis cibus ipse non probè cōfectus deorsùm ad podicem, & rursùs extra deturbetur, aluus præhumida erit; adeòq; plura deijciet; vrina verò paucior excernetur. Ex alui humiditate, & siccitate, curatiuæ indicationes desumendæ sunt. In quibus igitur supra modum humida aluus deprehenditur, ijs potum minorem exhibebimus; ac & præterea superfluo humori viam ad vesicam parabimus. In quibus verò siccior est aluus, quàm par est, plus dabimus potûs, & distributionem liquoris ad vias vrinæ, quantum fieri poterit, prohibebimus.

In alui fluxu potus esto parcus, & diureticus: in sicca aluo potus liberalis, & non diureticus.

Cur vrinæ tenues, & aquosæ.

Dixi, vrinas, imminente alui profluuio, aut sudoribus, non solùm parcè excerni, aut omninò supprimi, sed biliosâ tincturâ tunc destitui; atq; adeò tenues esse, & veluti aquosas. Verùm non propterea censeo, similes vrinas solummodò, imminēte alui profluuio, apparere: cùm quotidiana nos doceat experientia, consimiles vrinas in magnis obstructionibus, in quibus, retentis bile, alijsque humoribus, fit tenuioris seri transcolatio, excerni: sicuti, quoties sursùm ad caput biliosus humor capessit, & Phrenitidem efficit, aut surditatem, aut dolorem: aut quando per vomitum omnis bilis euacuatur.

Aliud diarrhææ signum.

Præter signum Profluuij alui ex pluribus aggregatum, ab Hippocrate propositum, & à nobis hactenùs diligenter expositū, aliud signum addere possumus, lumborum videlicet dolorem: cùm enim Mesocolon, siue pars Mesenterij, cui crassa intestina copulantur, à ligamentis vertebras lumborum colligantibus nascatur, quoties-

cunque

cunque ad inteſtina per venas meſaraicas ex prima corporis regione, aut ex vniuerſo corpore, ſuperflui humores concurrunt, eædẽ venæ meſaraicæ neceſſariò replentur; à repletione abbreuiantur, ſiue de longitudine aliquid amittunt; ideoque vnà cum neruis, & arteriolis, veluti contrahuntur; inde quid ſimile concuſſioni oritur. Nam tunc Meſenterium humoribus refertum, veluti intumeſcit, & ſolita carens extenſione, vt hanc eandem recuperet, natura idipſum ad priſtinam longitudinem prouocans, dilatat. Ex huiuſmodi dilatatione partis membranoſæ, neruoſæ, arterioſæ, & venalis, neceſſariò dolores, iuxta vertebras, præſertim lumborum, excitantur: Et non rarò in ipſo meſenterio, & inteſtinorum regione.

Dolor lũborũ ante alui profluuiũ, vnde prouenit.

Præterquàm enim quòd ratio ſatis perſuadet, dolorem in lumbis, alui profluuium præcedere, Experientiâ compertum eſt, lumbos dolore præaffici, antequàm Diarrhæa ſuperueniat: vt teſtatur Hippocrates libro 1. Epidem. Ægroto Septimo, hac ſerie: Metonem febris ardens corripuit, lumborum grauitas doloroſa. Poſtridiè vbi aquam bibiſſet ſatis multam, ab aluo probè prodijt. Tertiâ, capitis grauitas; ſeceſſus tenues, bilioſi, ſubrubri.

Ratio & experiẽtia docent lũborum dolorem præcedere.

Prognoſis ex Alui profluuio.

QVoniam id quod mediocre eſt, extremorum temperantia dicitur, mediocres, adeoque bonas per aluum factas deiectiones primo loco, deinde reliquas à bonis recedẽtes, propoſuit Hippocrates Sect. 2. Prognoſticorũ, cuius Sectionis textus hac ſerie ſcribitur: Deiectio autem optima eſt, ſi mollis, conſtanſque eſt, & eo tempore excreta, quo ſecundâ valetudine aſſueuit, ſi copia ex ratione ingeſtorum ciborum eſt. Si enim talis excernitur, inferior venter benè valet.

Naturalis deiectio per aluum.

Galenus in Commentario rem clarè exponens, ait: A conſiſtentia (id eſt, à craſſitie, aut tenuitate, aut mediocri inter nimium craſſum, & nimium tenue, ſiue liquidum excrementum) quantitate, & tempore, quo deiectiones excernuntur, dignotionem fecit optimarum deiectionum: non tamen deterrimarum ex his ſolùm, ſed adiecit eis indicia à colore, atque ab odore, & ad hæc ſonitu per excretionem adiuncto. Itaque conſiſtentiam obtinent per naturam

Excremẽta optima à cõſiſtentia, quantitate, tempore excretionis, colore, & odore, mediocribus, talia dicuntur.

turam, vbi non omninò duræ ſint, quemadmodum lapides: neque extremè humidæ, vt diffluere queant, ſed in tantum molles, quoad conſtantes permaneant. Copia verò earum, proportione reſpondeat ingeſto cibo, oportet. Ac tempus, quo vacuantur, aſſuetum ægro. Cæterùm addendum eſt, vt color, & odor naturalis ſeruetur: quæ quidem ipſe Hippocrates non adſcripſit, ceu ex ijs, quæ ſunt prodita, præter naturam, hæc quoq; intelligere poſſis: id enim illi eſſe in conſuetudine, ſæpenumerò docuimus, vt ex contrarijs indicet contraria, præmiſſis appellationibus eorum. At verò benè valere ventrem dixit inferiorem, tanquàm conferens eum cum thorace, vt intelligamus ventriculum ipſum, & item ieiunum ſimul cum inteſtino omni, per ventrem inferiorem.

Ventrem inferiorem appellat ventriculũ & omnia inteſtina ſimul.

Poſt hæc aduertit Galenus, non omnes deiectiones contrarias naturalibus iam deſcriptis deiectionibus, arguere ſtatum præter naturam inferioris vẽtris, ventriculi ſcilicet, & inteſtinorum. Nam licèt deiectiones aliquoties colorem, & odorem habeant, à ciborum aſſumptorum colore, & odore diſtinctos, & conſueto tempore non deturbentur, & in quantitate aliquando excedant, & liquidiores adhuc appareant, non inde, abſq; diſtinctione, inferendum, Ventrem inferiorem non eſſe ſanum. Rei huius rationem reddit Galenus ſequenti ſerie: Itaq; contingit benè valere ventrem inferiorem: à iecore verò, aut liene aliquid in eum confluens variare non ſolùm colorem ſecundùm naturam, verumetiam conſiſtentiam, atque odorem eorum, quæ deijciuntur. Porrò quandoque permutabitur copia illorum, permixtione decumbentium humorum, neque ſeruabitur tempus excretionis aſſuetum. Ergo ſimillima naturali deiectio indicat, non ſolùm inferiorem benè valere ventrem (id quod ipſe dixit) ſed etiam nihil in eum defluere ex viſceribus prædictis. Quæ verò deiectio ſe habet præter naturam, ſignificat interdum ventrem ſolum eſſe affectum, ſæpè verò confluentis aliunde materiæ in eum indicia habet. Atque hæc multiplicia ſunt, eò quòd iecur non ſolùm ſua ipſius excrementa, ichoraſque, & humores præter naturam, demittit in ventrem, ſed etiam corporis totius: quandoquidem venter per id omnibus corporis partibus copulatur, ac per illud recipit excrementa earum: quæ quandoque quidem decumbunt purgantia omne corpus, aut partem vnam, aut duas, aut plures pariter: ſæpè verò accidentia

Excremẽta, quãdoq; ventris vitiũ arguere videtur, cum nihil tale extet.

Deiectio præter naturã quarum partiũ affectum indicat.

ſunt

ſunt indicantia affectionem, aut corporis totius, aut partis alicuius, aut aliquarum. Sed animaduertamus ſermonem eius ſequentem de talibus docentem.

Textus 14. hac ſerie habetur: *Si verò deiectio fuerit humida, expedit, neq; ſtridere, neq; crebrò & paulatim excerni: frequens enim ſurrectio laſſitudinem, & inſomnium facit. At ſi vniuerſim, & ſæpè deijciatur, periculum defectionis animæ imminet.*

Cuiuis enim perſpicuum eſt, vt in Commentario teſtatur Galenus, humidam ſiue madentem deiectionem prouenire ex alterutra harum cauſarum: vel ſcilicet, quòd Chylus in ventriculo contentus non transfertur ad iecur; vnde neceſſariò ad podicem, & rursùs extra corpus eijcitur: vel eadem euacuatio liquida eſt; propterea quòd iecur, aut lien, aut cerebrum, aliaue pars ſeſe in ventrem exonerat, id eſt, ſuperfluos humores ad vẽtrem tranſmittit. Humida autem deiectio defectu diſtributionis alimenti ad iecur orta, mala eſt; quia vel hepar imbelle eſt adeò, vt ad ſe alimentum trahere nequeat: vel venæ meſaraicæ, quæ ſunt hepatis manus, factæ ſunt ita anguſtæ, vt alimento tranſitum dare nequeant. Anguſtæ enim redduntur; vel quia ab humoribus craſſis, aut multis, obſtruuntur; vel quia præ nimia ſiccitate in ſeſe collabuntur, vt in tabe fit. Poteſt etiam ex partis inferioris ventriculi læuitate, quæ Lienteria malè dicitur, prouenire: quoniam ventriculus ita læuigatus, & planior interiùs factus, non amplius alimenta probè amplectitur, aut retinet, vt caloris natiui operâ ſubigantur, & alterentur, concoquanturue. Vnde moram in ventriculo non contrahentia, deorſum cruda delabuntur, & breui exeunt.

Humidæ deiectionis duplex cauſa.

Anguſtiæ venarum duplex cauſa.

Lienteria.

Quotieſcunque aluus liquida eſt propter humores è iecore, liene, totoue corpore ad eam effuſos, fieri poteſt, vt bona ſit deiectio: Poteſt tamen contingere, vt mala ſit. Bonam eſſe docet Galenus, quoties ea mediante, iecur, lien, aut totum corpus expurgatur. Malam eſſe liquidam deiectionem, docet idem Galenus, quoties accidentis ratione fit, aut quoties ea quæ è iecore in ventrem permeant, ſigna bonæ affectionis, ſiue ſalutaris non habent. An bona, an verò mala ſit deiectio, multa ſunt vtriuſque ſigna. Bona igitur deiectio dicitur illa, quæ fit ſine ſtridore (ſtridor enim hoc in loco, eſt ſonus in exitu excrementorum factus, à flatuque humori permixto ortus atque inſtrumentorum anguſtia, teſte Gale-

Bonæ deiectionis indicia.

no

no lib. 1. de Crisibus c. 11. & lib. 3. de symptom. caus. cap. 2.) quęque non crebrò ac pedetentim fit, sed interposito tempore; id est, per interualla, & vniuersim, id est copiosè. Deiectionis tamen quantitas nimium excedere non debet: Nam immodica euacuatio, etiam Critica, vires exoluit: vti compertum est, id sæpius ab immodico sanguinis fluxu contigisse. Vt ergo deiectio omninò bona censeatur, fieri debet cum ægri tolerantia. Vnde Hippocrates lib. 1. aph. 2. ait: In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: sin minus, contra. Sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & benè tolerant: sin minus, contra. Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non. Eodem lib. 1. Aphorismorum 25. nonnulla ex dictis repetit, inquiens: Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: si contra, difficulter. Facilitatis tolerantiæ, & vtilitatis euacuationis exempla varia proposuit in Epidemijs Hippocrates; nonnulla etiam in aphorismis: vt lib. 6. aph. 14. Hydrope detento, si aqua è venis in ventrem confluxerit, solutio fit. Et libro 7. aphorism. 29. Si leucophlegmatiâ detento fortis diarrhæa superuenerit, morbum soluit. Et libro 6. aph. 17. Si lippitudo adsit, ab alui profluuio capi, bonum. Libro 4. aph. 28. Quibus biliosæ deiectiones, surditate superueniente cessant; & quibus surditas, biliosis factis, cessat.

Immodica euacuatio Critica, mala.

Tolerãtia facilis, est bonæ euacuationis indicium.

Exempla tolerantię.

Mala deiectio aduersas habet conditiones: fit enim non rarò cum stridore, estque crebra, & parca. Et hæc accidentis rationem habent: nam talis euacuatio symptomatica est, & mali moris, quæ alia inuehit praua symptomata, vt lassitudinem, & insomnium, vt in contextu testatur Hippocrates. Quin etiam sæpè & multum excernere, ceu vires exoluens, criminatur Hippocrates. Vnde lib. 6. aph. 27. inquit: Quicunque Empyi, aut hydropici vruntur, aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omninò moriuntur. In Coacis etiam Prænotionibus, ait: liquida deiectio, & confertim, semelque effluens, & paulatim, mala. Altera enim (id est paulatina) vigilias; altera exsolutionem virium inuehit. Eodem libro sequentia etiam protulit: Aluus in febre ardente affatim prorumpens, mortis periculum adfert. Talem quidem euacuationem damnat Hippocrates, quando signa coctionis antea non apparuêre, vel quando vires sunt prostratæ.

Malæ deiectionis indicia.

Eua-

Euacuatio deinde per aluum facta, mala non raró dicitur; quia quę è iecore ad eã traijciuntur, sunt malæ affectionis signa. Intempestiuè quidem eiecta excrementa, morbi, causæue morbificæ malignitatem arguunt: & si colorem, aut acrimoniam, aut fætorem excedentem habeant, pariter morbum arguunt prauum. Omnes ergo deiectiones in principio morbi factæ, sunt intempestiuæ, quia eas signa coctionis non præcedunt. Vnde Hippocrates lib. 4. Aphorism. 22. Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supra, vel infra exierit, lethale est. Et præcedente Aphorismo 21. Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius: cum medicamento verò melius, & quanto colores plures non praui. Itidem, Aphorismo 23. inquit: Quibuscunque, ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger desubter exierit, postridiè moriuntur. Aphorismo autem 22. atræ bilis euacuationem in principio morbi lethalem esse dixit Hippocrates; quia quando aliquis morbus incipit, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, siue iudicio: sed excretiones illæ, sunt casus, siue accidentia, siue superuenientia symptomata, quæ sunt signa dispositionum præter naturã, corpus nimiùm infestantium, atq; irritantium. Atra enim bilis acris est, corrodens, & acida, terramque, dum in eam cadit, fermentat. Non mirum ergo, si in principio morbi suam exercet malignitatem, naturam irritando, & stimulando ad sui exclusionem. Vnde in principio, non cocta, excreta, pessimum est signum, pessimaque causa.

Praua qualitas, praui morbi soboles.

Omne alui profluuium in morbi principio malum.

Nigræ deiectiones malæ.

Varij colores, nisi ex medicamento, mali.

Atræ bilis deiectio in principio mala.

Galeni verba in Commentario hac de re, sequenti serie habentur: Quo enim in tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuari est impossibile: siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem, vt bona sit Crisis, siue Iudicium. Hæc autem nos ipse (id est Hippocrates) docuit in primo lib. Epidemior. (Sectione 2. tex. 45.) ita inquiens: Coctiones iudicij celeritatem, salutisque securitatem significant: cruda autem & incocta ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, vel dolores, vel longitudinem, vel mortes, vel eorundem malorum reditus. Quando igitur post morbi coctionem aliquis

Vt fiat crisis quid prærequiritur.

Coctio, & cruditas quid indicant.

quis humor vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor, vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem. Si verò aliter excernantur sine Signis coctionis, exitialis est casus. Quare, cùm in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala semper erit humorum talium euacuatio.

In principio morbi cruda sunt omnia.

Abundè sanè his exposuit Galenus, cur lethalis sit atræ bilis euacuatio in principio morbi apparens: Est sanè talis euacuatio intempestiua; quia ante humorum coctionem fit: insuper causæ morbificæ malignitatem ostendit illa excretio; causa quidem morbi, iam relata, est affectus verè præter naturam: Est enim humor ex assatione sanguinis biliosi, aut melancholici, genitus. Est ergo eius deiectio tunc tantùm bona, quoties in vigore morbi, post coctionis signa, contingit: quo etiam tempore bonæ erant nigræ illæ deiectiones, de quibus loquutus est Hippocrates citato aphorismo 21. Licèt autem multi morerentur ex ijs, qui talem patiebantur fluxum, nonnulli tamen euaserunt; quoties scilicet flaua erant, & rufa, excrementa, tam in morbi principio, quàm incremento, & nigra in statu apparuere. Galenus in Commentario rem sic exponit: Plurimas verò huiuscemodi deiectiones in Pestilenti hoc morbo longo conspeximus, quæ non magis in ijs, qui exitio proximi erant, quàm in alijs saluandis apparebant: non tamen vel in principio, vel incremento morborum conspiciebantur. Tunc enim, quæ euacuabantur, erant & flaua, & rufa, colore, colliquamenta: quæ verò mox apparebant, nigra erant, veluti sanguinis fæx: siue ipso superassato habuissent generationem, siue aliquam extraneam putredinem adepto, illis, quæ in ventriculo fiunt, cruditatibus proportionalem, quando ad vitiosos humores, corruptio terminauerit. Quare ab initio quidem nunquam ad bonum fiunt huiuscemodi deiectiones, magnam visceris (id est hepatis) læsionem (aliàs, æstuationem) ostendentes: ad morbos verò in vigore consistentes sequuntur sæpiùs, Naturâ superfluitates expurgante. Non tamen istud in hoc aphorismo adiecit Hippocrates, quamuis alibi quidem (Libro videlicet 2. Epidemior. Sectione 1.) dixerit in vniuersum, quæ sequuntur: Signa iudicatoria non statim appareant.

Cur atræ bilis euacuatio, in principio morbi, est lethalis.

Quãdo humoris melancholici euacuatio bona.

Humor ater, vel ab assatione sanguinis, vel ab eius putrefactione oritur.

Ex lib. 2. Epid. sect. 1. Signa critica in principio morbi apparere nequeunt.

Galenus in commentarij principio, iuxta Antiquorum opinionem

nem, docet nigras deiectiones quandoque ægris superuenire: huiuscemodi tamen deiectiones, non atrabilarias vocat, sed nigras, tantùm: quoniam id, quod excernitur, est sanguinis limus, qui similis est fæci, quæ subsidere solet vinis crassioribus iam in dolio, aut cado consistentibus: Nigra hæc, si diutiùs in corpore moretur, & neque per aliquem sensibilem effluxum, neq; occultum, excernatur, verùm transmutetur, atq; putrescat, fit bilis nigra exquisitè. Antequam verò hæc genita sit, Splen trahit eam (id est, nigram bilem nigro sanguini similem) quæ est veluti sanguinis fæx, hepar expurgans: quemadmodùm in Commentarijs de Potentijs naturalibus (sunt Galeni verba) est demonstratum. Abutitur itaque, & hoc melancholico humore ad sui nutritionē Splen, & quam rursùs ipsa fecerit, superfluitatem, totam expellit ad ventrem, vnà cum alijs superfluitatibus excernendam. Si quando igitur neque Splen benè expurgauerit, & ille qui in hepate continetur sanguis, multum huius limosæ superfluitatis habuerit; accrescet debilitas visceri ita, vt in seipso continere superfluitates non possit, & tunc illæ, quæ nigræ vocantur, fient deiectiones.

Humoris melancholici descriptio. Ex eo putrefacto, aut assato, fit atra bilis.

Splen succo melancholico nutritur.

Deiectionis nigræ causa.

Ex his Galeni verbis, & ex alijs paulò antea ex eodē eius Commentario à nobis traductis, constat, nigras deiectiones periculum portendere, nisi præeuntibus signis coctionis, debitoq; tempore, id est in morbi statu, superueniant. Et non solùm atræ bilis, ex assatione, aut putrefactione in hepate genitæ, excretio mala est, sed ipsius etiam naturalis melancholiæ, siue fæcis sanguinis, deiectio: quoniam huiuscemodi humoris excretio malam affectionem inesse significat. Est enim indicium imbecillitatis hepatis, vel lienis: huius quidem, quòd debitè suo nō fungatur officio: nam iuxta consuetum ordinem à Natura præscriptum, sanguinem fæculentum ex hepate non allicit, vel quia obstructus est, vel quia tumore schirrhoso laborat. Hepar verò aliquando imbelle est adeò, vt etiam à se humorem illum melancholicum ad lienem, omni vitio vacuum, deponere nequeat. Verùm, quando Splen malè affectus, nequaquam ad se humorem melancholicum præ imbecillitate attrahit, hepar quantumuis validum, imbelle tunc redditur, inutili onere grauatum: quoniam copiosa fæx sanguinis in eo coërcita, vel ipsum obstruit, & indurat, vel aggrauat, vel aliter labefactat, debitam eius nutritionem prohibendo. Bono quidem, vtpotè puriori,

Deiectio nigra quādo bona.

Deiectio nigra cur mala.

riori, ſanguine nutritur: à fæculento ergo ſanguine malè nutritur: adeoque labefactatur. Simile autem ſimili, & non diſſimili, conſeruatur.

Addidit in Aphoriſmo Hippocrates, peſſimum eſſe ſignum, quoties multi praui colores in deiectionibus ſpontinis apparent. Galenus rem exponit hac ſerie: Aſſumpto tamen medicamento, quod vim habet purgandi nigra, talia deijci nihil mirum. Sic itaque plures deiectionum colores præter naturam, ſponte quidem euacuati, multarum atq; malarum in corpore diſpoſitionum ſunt ſigna: à medicamento autem ducti, vim habente plures humorum ſpecies euacuare, nihil abſurdum ſignificant.

Varij colores in deiectionibus ſpontinis mali: in deiectionibus medicamento factis non praui.

Quidquid de praua deiectione humoris melancholici, ſiue hic ſanguinis fæx fuerit, ſiue atra bilis, idipſum Aphoriſmo 23. à nobis traducto confirmat Hippocrates. Aphoriſmi ſenſum ex Galeno ſic accipite: Siue atra bilis (de qua egit Hippocrates aphor. 22.) ſiue nigra, quæ ſanguini nigro aſſimilatur (de quibus ambo, id eſt nigra bile, & ſanguine, Aphoriſmo 21.) ijs, qui ad extremam extenuationem venerint, apparuerit, poſtridiè moriuntur. Eſt enim in talibus ægris natura imbecillis adeò, vt non poſſint concoquere, neq; diſcernere, neque excernere ea, quæ ita praua exiſtunt. Propter morbi igitur magnitudinem, cùm contineri nequeant in corpore, effunduntur, & idcircò difficilia ſunt.

Coctio, ſeparatio, & excretio, ſeriatim in nigra deiectione non fiunt.

Poſt hanc Prognoſim, Hipp. diſtinxit deiectiones nigras, ſanguini denigrato ſiue nigro ſimiles, à bile merè nigra, quæ atra dicitur, quæq; aduſtionis interuētu generatur. Vterq; namq; humor, ſua habet propria ſigna. Deiectio a. nigra nigro ſanguini ſimilis, concreſcit, & coagulatur, quia eſt ſanguis melancholicus. Licèt a. atra bilis eiecta, deiectioni nigræ in exitu ſimilis videatur, longè tamē à nigra deiectione, ſanguini denigrato ſimili, diſtat. Nā atra bilis propriè dicta, fuſa ſemper abſq; concretione, aut coagulatione manet, fulgentemq;, more carbonum, habet nigredinem; & præterea mordax eſt, ſicuti acetum, & terram abradit, atq; fermentat; quorum omnium nihil nigris deiectionibus, ſanguini nigricanti ſimilibus, adeſt. Hæ enim, etiam ante exitum, non rarò concreſcunt.

Sanguinis melancholici, & atræ bilis diſcrepantia.

Propter modò dictas atræ bilis prauas qualitates, Aphoriſmo 24. ſubſequenti, ait Hippocrates: Difficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt. Galenus in Commentario inquit:

Dyſenteria ab atra bile lethalis.

Ab

Ab illa, quæ à quibuſdam pallida, ab alijs bilis flaua nominatur, maxima ex parte incipit inteſtinorum difficultas (ita enim Latinis dicitur id, quod Græcis Dyſenteria) abraſis priùs in ſumma parte, propter humorum acrimoniam, inteſtinis; poſtea verò exeſis adeò, vt exulcerentur. Hanc igitur inteſtinorum difficultatem ſæpè ſanauimus. Quæ verò ab atra bile fit, inſanabilis eſt prorsùs, cum nihil differat à Cancro vlcerato. Cùm igitur hic Cancer in ſumma parte corporis (id eſt in ſuperficie) conſiſtens, ſit aut cum difficultate ſanabilis, aut omninò inſanabilis, quamuis poſſit continuò medicinam (ſiue remedium) habere inſidentem (id eſt ſupra ſe firmiter annexam, in forma emplaſtri, cataplaſmatis, vnguenti, aut olei): rationabile eſt, illum cancrum, qui occupat inteſtina, non ſolùm, quia nihil illi continuò adhærere poteſt, verùmetiam, quia ſemper ab alimenti ſuperfluitatibus tangitur, eſſe penitùs inſanabilem. *A bile cõmuniter fit dyſẽteria.*

Sed doctrinę Hippocratis de prauitate nigrarum deiectionum, opponet aliquis eundem Hippocratem, deiectionem nigram laudantem ſubſequenti aphoriſmo 25. eiuſdem Libri 4. Aphoriſmi. qui hac ſerie habetur: Sanguis quidem ſupra, qualiſcunque fuerit, malum: infra autem nigra deiecta, bonum eſt. Vult Hippocrates teſtè Galeno in Commentario, omnem ſanguinis euacuationem per os factam, eſſe malam, ſiue hic ſanguis, qui per os excernitur, ſpumoſus fuerit, ſiue rubeus, ſiue niger, ſiue aquoſus, ſiue craſſus. Nigri tamen ſanguinis excretionem per inferiora, bonam eſſe dicit: cùm tamen, vt dixi, hanc, in præcedentibus aphoriſmis, tanquàm peſſimam, repudiauerit. *Obiectio.* *Omnis sãguinis excretio per os, mala.*

Galenus bifariàm huic contradictioni in Hippocratis verbis apparenti, reſpondet, Hippocratem non abſolutè nigri ſanguinis deiectionem laudare, ſed reſpectu ſanguinis per os excreti eſſe bonam: Id eſt, ſanguis, qui per podicem euacuatur, minus malum indicat, quam ille, qui per os: Quanquàm enim excretio ſanguinis per inteſtina, quaſi ſemper mala ſit, in parua tamen quantitate delabens, dũmodò mediante lento eius deſcenſu concreſcere queat, non tam ingens malum portendit, ac ſanguis per os excretus, & ſanguis copioſè deorſum per inteſtina irruens. Quando ergo ſanguinis nigri per inferiora deiectionem, bonum portendere pronunciauit Hippocrates, particulam, bonum, non propriè intelligi voluit, ſed impropriè: quaſi diceret, meliùs eſſe nigrum ſanguinem *Solutio 1.*

per

per inferiora, quàm superiora excerni. Reuera enim hoc eligibilius, quàm per os quocunque modo sanguinem ferri; vt in Commentario loquitur Galenus.

Solutio 2. Quamquàm iam dicta expositio, apparentem in verbis Hippocratis repugnantiam sufficienter diluere videatur, aliam Galenus in Commentario solutionem exhibet: Hippocratem nimirum, non de descensu sanguinis per intestina loquutum, sed de nigro sanguine, qui per hæmorrhoidas euacuatur: qui quidem melancholicas passiones sanat. Galenus ita sentiens, ait: Sic itaque nobis intelligentibus sermo talis erit. Sanguis supra, qualiscunque fuerit, malum: infra verò per hæmorrhoidas, bonum, quando nigra euacuantur: hoc est, quando hominis natura multum talem accumularit sanguinem. Aliter autem non est assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas, euacuationi, vt quæ periculosam habeat vtramque immoderantiam, siue supra modum sanguis excernatur, siue ex toto supprimatur. Hanc interpretationem Hippocrati lib. 6. Epidem. Sect. 3. conformem esse docet Galenus. Hippocratis Sententia, quæ est 37. dictæ Sectionis, hac serie scribitur: Mariscis (id est hæmorrhoidibus) laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonario, neque Phagedæna (Phagedænæ sunt vlcera corrodentia) neque furunculis, neque therminthis, (Sed Thermintorum, inquit Galenus in Commentario, nomen nigras quasdam pustulas, in tibijs maximè orientes, significat, à figuræ, coloris, magnitudinisque similitudine, quam cum Therminthorum, id est Cicerum, fructu habent, deriuatum) fortasse verò neque lepris, fortasse neque alijs.

Vtilitas hæmorrhoidalis fluxus tempestiui.

Phagedæna quid.

Quid therminthus.

Antequàm hinc digrediar, quod compertũ est, idq; scitu dignũ, vobis referam. Hîc Bononiæ à P. Stephano Desij, natione Hungaro, Missionario, & Congregationis Oratorij, iam à sexennio (Anno videlicet 1646.) accersitus, deprehẽdi, præter Sciaticã, qua antecedentibus temporibus frequenter infestabatur, ipsum laterali morbo, & quidem hyemali tempestate, corripi. Febris acuta, & tussis, ægrũ impensè exercebant. Procedẽte morbo deiectiones superuenêre planè nigræ, sed copiosissimæ: in suprema superficie harũ copiosarum deiectionum supernatabant sanguinis concreti, & planè nigri, coagulata quędam frusta, quorum aliqua magnitudinẽ excedebant Splenis Hædi, aut Agni. Per plures dies istiusmodi deiectio

Niger fluxus quo laborabat Bononiæ Pater Stephanus.

per-

perſeuerauit. Cùm vires mirum in modũ eſſent proſtratæ, Confectionis de Hiacyntho drachmam ſemis, pro vice, in modico iure diſſolutam, exhibebam. Denuò, præter omnium ſpem, à tantis malis liberatus eſt, etſi hyemis rigor multum obſtaret. Præfatus Pater quadrageſimum annum attigit, mediocris erat ſtaturæ, & quidem quadratæ, ac temperamenti ſanguinei; cuius hepar fuit accenſum adeò, vt varis, facies, & frons vniuerſa, eſſent fœdè contectæ. Cùm in exitu ſanguinis, aut ante exitum, nullum perſentiret in regione inteſtinorum dolorem, inde illicò conieci, Dyſenteriam non adeſſe, nec euacuationem fuiſſe hæmorrhoidalem: cùm tantus ſanguis nigricans tot diebus ex hæmorrhoidalibus venis, aut inteſtinis, excerni non poſſet. Intuli ergo, ex hepate in inteſtina transfundi: Et licèt hepar calidum fuerit, in atram bilem humor melancholicus non migrauit; quoniam Homo pinguiuſculus, etſi modicè, ratione otij, erat. Vnde pituita otij ope genita, ſanguinis feruorem compeſcebat. Sed hæc de hac Hiſtoria, ne animum ſtatim deſpondeat Medicus, tali ſuperueniente euacuatione.

Remediũ ad vires reficiẽdas.

Ad Prognoſtica regredior. Textus 15. Sectionis 2. hac ſerie ſcribitur: Sed pro copia ingeſtorum ciborum deijciat bis, aut ter, die, noctu ſemel, oportet. Plurimum verò ſubeat prima luce, quemadmodùm homini fuerat conſuetum. Sententiæ huius ſuperfluitatem arguit Galenus, qui inquit: Abundè enim fuerat dixiſſe: quemadmodùm homini fuerat conſuetum.

Euacuatio in Aegris cõſuetudini reſpondens, bona.

Textus 16. Corpulenta reddatur deiectio, morbo eunte in iudicationem, oportet. Galenus in Commentario ait: Corpulenta ſcilicet redditur deiectio, quæ aquoſa, ac tenuis eſt: haudquaquam verò, quæ corpulenta, duraque exiſtit. Quocirca ſermo eſt de humida ſtatim inter initia deiectione.

Corpulẽta Deiectio, quæ.

Tex 17. Subrufa verò, nec admodum graueolens eſto. Naturalis quidem deiectio, vt Galeno, & omnibus Medicis conſpectum eſt, ſubrufa eſt; quoniam de iecore bilem in ventrem deſcendentem ſuſcipit; quæ quidem bilis cùm quantitate modica ſit, modicã tincturam deiectionibus præbet. Si enim ſyncera, aut multa decumbit bilis, rufam reddit, aut flauam, deiectionem: Si verò nullo modo bilis peruenit ad inteſtina, vt in arquatis, ſeu ijs, qui morbo regio laborant, deiectio erit candida: defectu nimirum tincturæ, quam bilis ad inteſtinum duodenum decumbens, excrementis tribuebat.

Deiectio naturalis, ſubrufi eſt coloris.

Syncera Bilis ſyncerũ præſtat colorẽ. Arquati.

Tex-

Lumbrici commodè inferiùs euacuātur.

Tex 18. Ac Lumbricos quoque teretes, eunte in iudicationem morbo, descendere vnà cum deiectione idoneum est. Si natura (inquit Galenus in Commentario) pariter cum cæteris excrementis, hos quoq; pellit deorsùm, melius est, quàm si sursùm, & quoties aliter post appareat ratione accidentis. Lumbrici enim, ex se, nihil boni arguunt, cùm putrefactionis sint soboles: si tamen in corpore sint geniti, per infernas vias vnà cum deiectione, quā per supernas, eos euacuari præstat. Vidi quamplurimos peste correptos in Gallia, tàm Tolosæ, quàm in circumuicinis Prouincijs, annis 1627. 1628. 1629. 1630. 1631. quibus per os lumbrici teretes, & oblongi, viui excernebantur. Vtplurimum omnes moriebantur: & siqui euaserunt, maximâ diligentiâ à me adhibitâ, sanati sunt.

Authoris experientia.

Venter esto mollis, & mediocriter carnosus.

Textus 19. At verò in quouis morbo venter mollis, corporatusque sit, necesse est. Mollis, inquit Galenus, hoc est λαπαρός, opponitur intento, aut repleto: corporatus verò, hoc est ἔυσγκος, opponitur absumpto, siue extenuato. Loquutus enim est primo loco Hippocrates de ijs, quæ in ventre continentur, ratione quorum, mollis, aut durus, seu intentus, aut repletus, dicitur. Secundo autem loco de ipsa ventris substantia: quasi dixerit in hunc modū: At verò in quouis morbo modicè venter inanis sit, & corporatus ex propria suiipsius substantia, haudquaquàm tenuis, siue extenuatus secundùm musculos, aliasque partes, oportet.

Textus 20. Si autem aquosa admodùm, aut candida, aut admodùm crocea, aut spumans deijciatur, hæc omnia mala sunt. Aquosa deiectio inquit Galenus, cruditatis indicium est. Candida verò, vt superiùs iam dictum est, haudquaquam decumbere croceam de iecore bilem in ventris sedes significat. Porrò admodùm chloron, id est viridis, aut crocea (id enim vtrouis modo vertas, licebit) quia hæc gemina significat, vt antea dictum iam est, in altera significatione, bilis croceæ, seu pallidæ copiam permixtam esse, in altera rubiginosæ, significabit. Cæterùm, spumans deiectio interdum spiritum flatuosum humore permixtum esse solutu difficili, quandoque caloris copiam indicat. Ita enim per exteriora corpora fieri cernitur, in mari incursantibus ventis, in lebete expellentis præ copiâ caloris.

Aquosa Deiectio cruditatis indicium. Candida siue pituitosa deiectio. Chloron, viride, & Croceum significat. Spumans deiectio à flatibus, aut calore prouenit.

Textus 21. Malè etiàm est, si exigua, glutinosa, candida, subcrocea, læuisque sit. Duas Hippocrates in hoc contextu deiectio-

num

num species proponit, teste Galeno in Commentario. Prima species, est Deiectio exigua, ac glutinosa, & candida. Secunda, est Subchlora, læuisque. Hæ ambæ ex Galeno in Comment. inter se differunt ratione vehementiæ maioris, aut minoris causarum, à quibus generantur: Diffident verò inter se, in quantum exigua (sunt Galeni verba) ac glutinosa, candidaque deiectio, pinguedine absumptâ ab igneo calore, non tamen vehementer maligno, efficitur. Subchlora verò, vel (vt alij vertunt) subcrocea, ac læuis, absumptâ quoq; pinguedine consistit, sed aut propter caliditatem vehementiorem, aut quia pinguedo ipsa vetusta, ac velut semiputris existat. Itaque exterior (id est pinguedo animalium, quæ diu in ollijs, siue testis conseruatur, & putrescendo subcroceum acquirit colorem) non solum pinguedo, sed etiam septum, mutare spatio temporis priorem colorem, ac perspicuè subcrocea reddi perspicitur. Si verò subuiridis sit de rubiginosa bile, (id enim, vt antea dictum est secundum voculæ chloras, id est viridis, aut croceæ, significatũ est) vehementis cõsumptionis indiciũ est. Exigua ergo deiectio, iuxta Galeni interpretationem, fit ob febrium malignarum vehementem feruorem, à quo, ipsa pinguedo, & quidquid pingue in corpore est æstuante, colliquatur: hoc autem colliquamentum, siue id quod liquefactum est, copiosum esse nequit, quàmdiu animal viuit: nam animal tam magnam colliquationem sustinere diuturno tempore, pluribusue diebus, non posset. Præterea non est in corpore, tam magna pinguedinis copia, quæ copiosas deiectiones diuturno tempore efficere posset. Paulatim ergo fusa pinguedo in parua quantitate excernitur: imò glutinosa excernitur eadem pinguedo, ob insignem calorem, eam ita condensantem: Nec solùm glutinosa est eadem illa parca deiectio, sed præterea albicans, siue candida, propter adipem, qui recenter funditur, liquaturue. Coniunctim ergo, & ad modum vnius signi accipienda sunt tria illa Hippocratis verba: exigua, glutinosa, & candida. Horophontis in historiâ, à nobis superiùs commemoratâ, scribitur, ipsum ardenti febre laborantem, statim in morbi principio, exigua, glutinosa, & candida deiecisse. Talis deiectio Electro similis dicitur Hippocrati, lib. 4. Epidem. tex. 92. in historia famulæ, quam nuper emptam vidit.

Discrepãtia inter geminas deiectiones ab Hippocrate propositas.

Deiectio cur parua, & glutinosa.

Cur candida.

Ad secundæ partis sententiæ diligentiorem inuestigationem

accedamus: Subcrocea, læuisq; sit: Id est, deiectio quæ subcrocea est, & læuis, præcedenti deiectione peior est; quia à vehementiori calore, & malignitate, quàm præcedens, fit. In Græco autem textu habetur ὑπόχλωρον, quam vocem nonnulli subpallidum, nonnulli subcroceum, alij subuiride, interpretantur. Accipiatur vox illa ad cuiusque placitum, quouis tamen in sensu caloris excessum arguit: Dum enim pinguedo, aut adeps, putrescit, subcroceum acquirit colorem: Quoties ergo interiùs pinguedo impensè putrescit, non est mirum, si subcroceum, vi immodici, & putredinosi caloris, acquirat colorem: nam ab immodico calore funditur, & ab eodem putredinoso nouum accipit colorem. Si verò subchloron pro viridi accipiatur, similiter intensissimum arguit in corpore calorem, qui fundit, liquat, & consumit totum corpus.

Subchlorō varia significat: estq; caloris soboles.

Cæterùm, si subcrocea, aut subuiridis deiectio, adhuc læuis fuerit, perniciosior erit. Læuitas enim illa immensam malignitatem denotat: nam indicium est, omnem partem materiæ æqualiter esse colliquatam, corruptam, & omni prauitate saturam; veluti ex aduerso contingit, quoties natiui caloris operâ ipsa alimenta læuigantur, & secundùm omnem sui partem subiguntur, illustrantur, atque perficiuntur. Galenus in Commentario rem hanc hac serie describit: At verò læue redditur quidquid de corpore excernitur, aut quod habeat æqualem concoctionem, vt nulla eius pars effugerit naturæ alterationem; aut propter vehementem consumptionem, vt nulla materiæ pars imperpessa supersit. Vt igitur, quicquid bonum est, id omne melius redditur, quoties æquale sit: ita quicquid malum est, id omne euadit deterius, si æquale existat. Vtrumque enim per omnem materiam apparet, quæ aut naturæ comptum recepit, aut turpitudinem prauitatis. Hîc enim pro Natura intellexit Galenus calorem natiuum; qui sicuti omnem vtilem & alibilem materiam perlustrat, ita calor putredinosus, intensus, & malignitate roboratus, dum vincit, omnia peruadit, & integrè corrumpit, & ita æqualiter, vt nihil relinquat intactum, sed omnia plenè fædat. Consimiles deiectiones colliquatiuæ familiares sunt febribus Pestiferis dictis, teste Galeno commentario 3. in Librum 3. Epidem. tex. 57. Hippocratis hæc sunt verba. Vnoque verbo, qui longis morbis, vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipuè mortui sunt: cunctos namq; venter sustulit. Galenus ait: Et

Læuitas excrementi prauum signum.

Calor natiuus, est Natura.

pestis

pestis quoq; illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est, ex ijs quæ per aluum vacuantur, omnes prope peremit. Quæ euacuabantur, erat colliquatio: Quod quidem esse symptoma, videtur in perpetuum febris, quam pestilentem priuatim vocitant, cùm mortales, vel citra pestem, corripiat.

Sed cum Galeno animaduertendum, viscíditatem excrementorum non à solo excedenti calore procedere, sed etiam à qualitate quorundam alimentorum, quæ naturaliter glutinosum procreant succum; cuiusmodi sunt Cochleæ, Pedes Vituli, Suis, Bouis, Veruecis, veluti venter, intestinaq; eorundem animalium. Vt ergo Medicus exactè percipiat, à quâ causâ glutinosa generantur excrementa, examinare debet, an vehementi febre afficiatur æger. Et si ita res fuerit, glutinosa fortassis excrementa deijciet. Sed posito, quòd ante deiectiones glutinosa alimenta assumpserit, modus discernendi inter glutinosa excrementa, quæ vi febris talia euadunt, & glutinosa excrementa, quæ cibi soboles sunt, est, quòd illa, quæ vi febris excernuntur, sunt in permodica quantitate: quæ ratione alimentorum ingestorum, in magna copia, vtpote correspondente alimentis præassumptis. Sed quoniam aliquando in colliquantibus febribus fit copiosa glutinosi excrementi deiectio, in eo distinguitur à deiectione, alimentorum ratione factâ, quòd immodicè fæteat: Deiectio autem alimenta ingesta consequens, quia crudis humoribus vtplurimùm constat, non fætet nisi permodicè. Galenus in Commentario rem hanc hâc serie explicauit: Cæterùm, vt lentor sæpenumerò fiat in ijs, quæ iam calefacta admodum sint, perspicuum est: nonnunquam etiam qualitas esculentorum tales reddit humores: Sed hi quoties commouentur ad excretionem, haudquaquam exigui sunt: deiectio verò glutinosa, quæ sensim excernitur, ab his abest, tribuitur verò modicæ consumptioni. Sed interdum vehemens consumptio deiectionem reddit vniuersam viscosam (legitur & *ἀθρόας γλίσχρας*, id est, vniuersam viscosam, vt benè notatur in Codice Basiliensi, etsi in Veneto hæc sint omissa) sed talis admodùm graueolens est. Ita interstinguitur ab humore crudo, quippe qui graueolens non est. Lentor in textu Galeni ponitur loco viscidi, aut glutinosi.

Viscositatis duplex causa.

Modus dignoscendi causã viscíditatis.

In vehementi colliquatione fit non rarò copiosa deiectio.

Textus 22. Exitiosiores verò his sunt, si nigræ, aut liuidæ, aut opimæ, aut fætidæ sunt deiectiones. Galenus clarè rem hanc, vt se-

Nigra, liuida, pingues, & fætida deiectiones, lethifera.

ſequitur, exponit: Nigræ deiectiones ab atra bile ſyncera tinguntur: liuidæ verò, vbi modica modicè ipſis permiſcetur. Porrò opimæ deijciuntur, quoties pinguedo ab ignito calore conſumitur: Graueolentes verò deiectiones, putredinis indicia ſunt.

Aeruginoſa, omiſit Galenus.

Hippocratis textum hùc tranſtulimus, ſicuti habetur apud Galenum: Verùm, in Operibus Hippocratis reperitur vox, æruginoſa, quam omiſit Galenus: Et textus hoc ordine habetur: His verò magis lethalia fuerint Stercora nigra, aut pinguia, aut liuida, & æruginoſa, & malĕolentia. Ita Codex Venetus. Sed Hippocrates Foëſij operâ notatus, hac ſerie loquitur: His verò magis lethalia ſunt nigra, aut pinguia, aut liuida, aut æruginoſa, aut fætida. Foëſius ſanè Phraſim Græcam exactè obſeruauit: Nam Græcè habetur: τετέων δὲ θανατωδέστερα ἂν εἴη, τὰ μέλανα, ἢ λίπαρα, ἢ πέλια, ἢ ἰώδεα, ἢ κάκοδμα. In rigore quidem particula, ἢ, idem eſt Latinè ac, Aut, Vel. Multis tamen placet, ab Hippocrate varijs in locis, hanc voculam diſiunctiuam, ſcilicet, Aut, Vel, in contrario ſenſu, copulatiuè accipi pro particula, Et. Vtut ſit, non eſt contemnenda vox à Galeno omiſſa, æruginoſa: Deiectiones enim æruginoſæ, bilis viridis ad inteſtina deſcenſum arguunt: & æruginoſa hæc bilis maximi incendij ſoboles eſt.

Bilis æruginoſæ cauſa.

Opimæ deiectiones in contextu Hippocratis relatæ, ab alijs dicuntur pingues: Vox enim Græca, λίπαρα, vtramque admittit interpretationem, ſignificationemue. Fiunt hæ, quoties pinguedo, & caro colliquantur. Ætius Tetrab. 3. Serm. 1 cap. 38. pingues excretiones aſſimilari ait flauæ bili, quæ per vomitũ, aut ſeceſſum reijcitur. Sed fortaſſis deiectio colliquatiua erit fætidior, flauior, craſſior, adipoſior, oleoſiorue.

Pinguis excretio.

Nigra deiectio in febre, tertia, & quarta die ſimul exacerbata, lethalis.

Malam eſſe nigram deiectionem, cum Hippocrate, & Galeno ſuperiùs oſtendimus: & libro de victûs rat. in morbis acut. Sect. 4. tex. 57. eandem deiectionem lethiferam eſſe docuit Hippocrates, in febribus, tertia, quartaq; die exacerbatis: Quantum autem, inquit, ad ſigna attinet, nigra deiectio mortem indicat: Quæ verò ſanæ deiectioni ſimilis eſt, cùm omni die apparuerit, ſalutem. Bonam autem deiectionem paulò ante in contextu ſynceram appellauit Hippocrates; quaſi diceret, deiectionem ſanam eſſe, cui nihil ferè morboſi excrementi permixtum ſit. Monens autem Medicum de exacto ægri examine, ait: Inſpiciendum quoque, vtrumne deiectio

iectio nigra admodùm colore fuerit, vel syncera, qualis sanorum existit.

Deiectio sanorū syncera, siue pura, & impermixta dicitur.

Ambigit nemo, descriptas modò ab Hippocrate deiectiones, esse pessimas: Fieri tamen potest, easdem aliquando non fore lethiferas, teste Hippocrate, libro 4. Aphorismorum 47. vbi sic loquitur: Excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, & cruentæ, & fætidæ, & biliosæ, omnes malæ: commodè tamen si prodeant, bonæ. Sed eadem quoq; est eorum, quæ per aluum, & vrinas excernuntur, ratio. Si quid verò, quod non iuuet, per hæc loca excernatur, malum.

Nigra, liuida, fætida, cruenta, & biliosæ deiectiones, si commodè prodeant, non sunt malæ.

In hoc aphorismo Hippocrates complexus est prauitatem excrementorum, quæ per os, per secessum, & vias vrinæ, excernuntur. Primo tamen loco de praua excretione per os, siue vomitu fiat, siue expuitione, quadam cum celebritate loquitur; & , veluti secundariò, de ijs quæ per secessum, & vrinæ vias deturbantur: tametsi prauas deiectiones quouis modo factas, siue per os vomendo, expuendoue, siue per podicem, siue per vrinæ vias, siue etiam per aures, nares, oculos, & vlcera quæuis, comprehenderit. Hæc excrementorum vitia in Prognosticis, Aphorismis, Coacis Prænotionibus, Prorrheticis, Epidemijs, & alibi communiter damnat Hippocrates

Exponitur aphorismus.

Sed examine dignum, quod in Aphorismo iam citato, & transcripto, cautè pronunciauit, inquiens: Commodè tamen si prodeant, bonæ. Postquàm deiectiones qualitate prauas vituperauit Hippocrates, his verbis sententiam lenire, atque temperare voluit. Malignitatem ergo, secundùm eius doctrinam, exuunt relata excrementa liuida, cruenta, fætida, & biliosa, per quamcumq; viam euacuata, dummodò commodè prodeant, siue excernantur. Quid autem sit commodè prodire, siue excerni, Galenus in Aphorismi citati Commentario, his paucis complectitur: Indicia verò, quòd benè excernatur materia superflua, ab Hippocrate descripta, maxima quidem sunt, & coctio, & bona tolerantia, cum ipsis verò, & morbi species, & post ipsam tempus anni, Regio, Ætas, Natura ægrotantis. Rectè sanè duo præcipua indicia iuuantis excretionis primo loco proposuit Galenus, coctionis signa, & tolerantiam euacuationis. Signa coctionis, vt ipse varijs in locis retulit, semper bona sunt, id est, semper salutaria: quoniam concoctricis virtutis robur

Euacuatio commodè facta, semper bona.

Euacuatio commodè facta, quæ.

Coctio excrementorū, & euacuationis tolerantia, tempestiuā euacuationē indicāt.

bur indicant. Quotiescunque igitur in dictis excrementis per os, aut vrinas, aut secessum, excretis, signa coctionis apparent, salutem spondent: Et quoniam quandoque non ita Medico conspicua sunt coctionis signa in iisdem excrementis, quæ excernuntur, ad signa excretionum per alias corporis vias factarum, recurrendum; quæ si coctionem prodant, benè sperandum. Semper tamen ad Ægri tolerantiam animum aduertere debet Medicus. Tolerantia enim bona est, quoties tales euacuationes facilè fert æger: fert eas iucundè æger, quoties facilè excernuntur superflua, & ex horum excretione eidem ægro leuamen accedit: quod leuamen morbi remissionem ex euacuatione ortam, & virium recuperationem, subsequitur. Dum autem vires concidunt, & prorsùs labefactantur perseuerantibus istiusmodi deiectionibus, malè cum ægro agitur. Ex aduerso, si cum iisdem euacuationibus vires, antea oppressæ, reficiantur, optima spes futuræ salutis adest: Et præsertim, quando species morbi sanabilis est, & iuxta eius naturā fit euacuatio. Concurrunt ad facilem, aut difficilem euacuationis tolerantiam, præter morbi speciem, Anni tempus, Regio, Ætas, & Natura ægri: de quibus in superioribus fusè egimus.

Bona tolerantiæ signa.

Quòd autem euacuationes praui coloris exitiosissimæ sint, testatus est in præcedentibus, tum in Coacis Prænotionibus, tum alibi, Hippocrates; quem vbique sequitur Galenus: qui de nigra excretione, per expuitionem factâ, loquens, ait: Si nigra est screatio, exitiosissima est: Sed sicuti Hippocrates euacuationes praui coloris, quoties ægro conferunt, non damnauit Aphorismo 47. libri 4. à nobis paulò ante transcripto, similiter nec eas criminatur Sectione 2. Prognosticorum, Sententiâ 51. quæ hac serie habetur: Omnes autem Screationes malæ sunt, quæ non sedant dolorem: pessimæ autem nigræ, vt descriptum est: quæ verò sedant dolorem, omnibus meliores sunt: Hîc autem, etsi de sola screatione expressè loquutus fuerit Hippocrates, quod de eâ dixit, idem de aliis euacuationibus pronunciandum voluit, teste Galeno in Commentario, qui hac serie loquitur: Communis hic quoque sermo est in omnibus, quæ ex corpore excernantur: de quibus, aliis libris, atq; etiam in Sententiis (libro videlicet 1. Aphorismorum 2. & alibi) dixit, quòd facilitatem potissimùm spectari conueniat. Sæpè enim valuit Natura, prauam vincens affectionem, expurgare corpus: & in

Praui coloris euacuationes per quamcumq; viā facta, ex se perniciosæ.

Praua euacuationes non semper damnādæ.

in hoc terrentur multi aſpicientes vitium eorum, quę excernuntur, nequaquàm cognoſcentes, vtrum id accidentis fiat ratione, an quia Natura prauam materiam foras expellat. Pòſt hæc, iuxta Hippocratis doctrinam, docet Galenus, perpendendum, an conferant euacuationes, necne. Conferunt autem, dum eas, vires facilè tolerant, & iuuare deprehenduntur: quoties autem ſubſequuntur indicia ſalutaria, facilè eas tolerant ægri. Nomine enim facilitatis complexus eſt Hippocrates omnia indicia, quæ nobis oſtendunt euacuationes prodeſſe, teſte Galeno in Commentario.

Conferentia ſigna.

Experientiâ denique compertum Hippocrati, deiectiones nigras, aliaſue qualitate malas, non eſſe ſemper lethales: vt patuit in illo ægro, qui in Dealcis horto decumbebat, & in Leophorbida; quorum tamen vterque ſanatus eſt, vt ex hiſtorijs Epidemicis conſtat. Libro 1. Epidem. illius, qui in Dealcis horto decumbebat, varios caſus referens, inquit: Tertio die febris acuta, deiectiones nigræ, tenues, ſpumoſæ: quæ in retrimentis ſubſidebant, liuida erant: in vrinis quod reſidebat, liuidum erat, & ſubuiſcidum. Quarto vomuit biliosa, flaua, pauca, poſtea æruginoſa. Quinto deiectiones plures, nigræ, ſpumoſæ, in his nigra ſubſidebant. Sexta die ſeceſſus nigri, pingues, ſpumoſi, viſcoſi, graueolentes: dormiuit, intelligebat magis. Galenus in Cõmentario huius Sextæ Diei, ait: Ex his, dormiuiſſe, & mente meliùs conſtâſſe, mitia ſunt: cætera verò, & ipſa praua. In fine hiſtoriæ refert Hippocrates, hunc ægrum integrè ſanatum quadrageſimo die, mediante alui fluxu, & ſudoribus Criticis. Libro 7. Epidem. Leophorbidæ hiſtoriam deſcribens, narrat, quemadmodum hic poſt Brumam acuta febre fuit correptus, veluti etiam hypochondriorum, & ventris dolore: deiectiones erant liquidæ, biliosæ, multæ. Duodecimo die nigra, pauca, & porracea (iuxta textum Græcum, Praſina dicendum) aluo deiecit. Decimoquarto febricula deſijſſe videbatur. Sub finē hiſtoriæ narrat, rigorem, & ſudorem ſuperueniſſe die vigeſimoprimo circa meridiem: febriculam quaſi deſijſſe, ſudaſſe iterum nocte proxima, & ſequenti die vigeſimaſecunda, caloremq; fuiſſe remiſſum. Libro 1. Epidem. Ægroto vltimo, ait: Melidia, quæ decumbebat iuxta Iunonis Templum, capitis, & colli, & pectoris dolor fortis cœpit. Statim autem eam febris acuta corripuit. Et quibuſdam interpoſitis, ait: Vrinæ perpetuò boni coloris, verùm tenues. Se-

Qui in Dealcis horto decumbebat æger, etſi prauas deiectiones, prauaſque vrinas habuerit, criticè 40. die ſanatus eſt. Leophorbidæ hiſtoria.

Criticus ſudor 21. & 22. die ſuperueniens ægrum à febre liberauit.

Melidia, ſiue Melida, ſiue Melidina, ægra.

Secessus tenues, biliosi, mordaces, valdè pauci, nigri, graueolentes prodibant. In vrinis subsidentia alba, leuis. Sudauit. Iudicata est perfectè vndecimo die.

Experientia confirmãtur, quę dicta sunt. Mihi sanè compertum est, plures ægros, grassante Pestilentia in Gallia, annis à me superiùs enumeratis, post prauos vomitus, aut deiectiones æquè prauas, præter spem, sanitati pristinæ restitutos. Nec in illa solùm contagiosa lue, dum pestiferos ægros, æquè familiariter, ac alios consuetis morbis correptos, curarem, sed in quamplurimis, ardenti malignaue febre laborantibus, deprehendi, quamplurimos sanari post prauas euacuationes, per os, aut secessum, aut vias vrinæ, factas. Hoc tamen semper obseruaui, quoties alui prauo fluxu aliquis laboraret, signa quædam spem salutis non rarò datura, in vrinis apparuisse: & vice versa: Et, non apparentibus coctionis signis, in aliqua excretione praua, mitigari ex sæuientibus symptomatibus aliqua, quotiescumque causam morbificam superare conabatur Natura. *Remissio symptomatis in excretione praua.* Non est quòd hîc ampliùs prauarum vrinarum exempla, quibus integra successit sanitas, proponam; cùm idem de vrina, quod de deiectione, pronunciandum sit.

Textus 23. *Si verò versicolores sunt, diuturniores quidem, sed nihilominùs exitiales sunt. Hæ strigmentosæ sunt, ac biliosæ, & cruentæ, & porraceæ, & nigræ, quæ nonnunquàm simul, interdum vicibus excernuntur.* *Diuersitas colorum in deiectionibus, diuersas arguit affectiones.* Galenus in commentario rem hac serie exponit: Quæ versicolores sunt deiectiones, multas adesse indicant affectiones, & ob eam rem tractu temporis egent ad coctionem. Si enim multæ existunt affectiones, aliquas earum diutinas esse verisimile est: si secùs, at prorsùs occurrunt naturæ, quæ tanquam cum multis pugnatura inimicis, multum temporis consumat necesse est. *Diuersitas colorum in vna sola deiectione, quandoque apparet; aliàs vnus color in vna, alius in altera.* Versicolores deiectiones, de quibus Hippocrates, & Galenus, agunt, sunt ipsæ in contextu enumeratæ strigmentosæ, biliosæ, cruentæ, porraceæ, & nigræ, vt ipse Breuiloquus Hippocrates significauit, inquiens: Hæ strigmentosæ sunt, ac biliosæ, & cruentæ, & porraceæ, & nigræ: quæ quidem deiectiones colore variæ, simul & vnica excretione apparere possunt, vel in vnica deiectione vnus color, in altera alter, & ita de reliquis. Quid strigmentosa deiectio sit, ex vocis significatione clariùs euadet. *Strigmentum quid.* Strigmentum enim nihil est aliud, quàm sordes, quæ ex corporibus raduntur. Cellus, Hip-

Hippocrates Latinus dictus lib. 2.cap.6. de alui ſtrigmentis, Hippocratem ſequutus, hac ſerie loquitur: Aluus quoq; varia (varias deiectiones intelligit) peſtifera eſt, quæ ſtrigmentum, ſanguinem, bilem viridem, aliquid modò diuerſis temporibus, modò ſimul & in miſtura quadam diſcreta tamen repræſentat. Vnde ſtrigmenta olei dicimus ceromata (κηρώματα, πάθος) id eſt, ſordes olei, quæ ex vnctorum Athletarum corporibus raduntur. Vnde Plinius libro 15. Naturalis Hiſtoriæ cap. 4. ait: Notum eſt, Magiſtratus honoris eius octogenis ſeſtertijs ſtrigmenta olei vendidiſſe.

Ex his liquidò conſtat, ſtrigmentum eſſe quoduis craſſamentum è ſuperficie abraſum, ſeu vi quadam ſeiunctum. Strigmentum ideò, ſiue ramentum, dicitur communiter Medicis id, quod ab interna inteſtinorum ſuperficie, vi acris, ſalſiue humoris, alteriuſue rei corrodentis violentiá ſeparatur. Ramentoſæ igitur, ſiue ſtrigmentoſæ deiectiones, ſunt illæ, in quibus, non mucus tantùm, aut pinguedo (vt loquitur alibi Galenus) inteſtinorum internæ ſuperficiei tenaciter hærens, ſed vlteriùs primæ ſuperficiei interioris tunicæ abraſa fragmenta conſpiciuntur. Igitur cùm talis abraſio ab humoreননbilioſo in acutis febribus communiter (aliàs tamen à ſalſo, aliàs ab atra bile, quandoque à veneno corrodente, aliaue re acri per os ingeſta) proueniat, rectè Hippocrates Strigmentoſam damnat deiectionem: quòd hæc cauſæ vehementiã prodat, & pernicioſi ſigni in malignis febribus vicem gerat. *Quid ſtrigmentum.*

Dubitare fortaſſis aliquis poſſet, cur Hippocrates, dum verſicolorum deiectionum prauitatem prænunciat, inter colorata excrementa, ſtrigmentoſa, ſiue ramentoſa enumerat, cùm potiùs ſubſtantiâ, ſeu conſiſtentiâ, à naturali ſtatu, quàm colore, declinare videantur. *Obiectio.*

Ego ſanè huic difficultati, à me excogitatæ, reſponderem, Ramenta præfata ſuum habere albicantem colorem pituitæ conſimilem, cùm ſint mucus pituitæ ſimilis, cui ſanguinis filamenta non rarò commixta ſunt: imò quædam laminæ interioris, ac ſuperficialis tunicæ inteſtinorum. Bilis enim in acutis febribus prædominãs, non ſolùm ad inteſtina cõfluens, mucosũ humorẽ, his ſemper in ſui tuitionem adhærentẽ, ab ijſdem ſeparat, ſed interiùs penetrans ab internis eorundem parietibus ſuperficialem tunicam mordet, abradit, laceratque, eiuſque fruſta quædam dilaniat, quæ vnà cum *Solutio.*

Dysenteriæ generatio. muco, tantilloque sanguine, è subiectis venulis ab eadem bile corrosis emanante, per podicem, sola, vel cum fæcibus excluduntur. Ita enim communiter Dysenteria legitima, quæ intestinorum vlcus est, introducitur.

Vitellina deiectio mala. Biliosas deiectiones synceras, flauas potissimùm, intellexit Hippocrates in contextu, eas damnando. Flaua enim bilis assata, & syncera, est prauum signum, quòd calorem intensissimum arguat: Rufa etiam æstum prodit.

Omnis crueta deiectio mala. Cruentæ deiectiones, quas etiam meritò repudiat, omnes malæ sunt. Cruenta scilicet deiectio loturæ carnis, animalis recenter mactati, similis; quia ab hepatis imbecillitate prouenit: Cruenta deiectio crassa, & splendescens (quam fortassis hîc intellexit Hippocrates); quia hæc insignem in corpore adustionem prodit, teste Galeno lib. 3. de Symptomat. causis cap. 2. Cruenta deiectio nigra, sed non splendescens; quia hepatis, aut lienis, aut vtriusq; vitium arguit; vti in superioribus fusè exposuimus.

Porraceæ, & nigræ pariter deiectionis prauitatem, abundè superiùs explicuimus.

Dictas ergo deiectiones versicolores, exitiales meritò vocauit Hippocrates; quia vnumquodque ex dictis excrementis à pessima pendet causa in acutis febribus, diuersasque arguunt in corpore affectiones, tam varia excrementa. Si tamen omnes præfati colores in excrementis appareant, appareantque signa coctionis in vrinis, & adest tolerantia, ita vt nimis sæua symptomata non vrgeant, adsitque aliqua spes salutis; hæc tamen, non nisi post longum tempus, restitui potest. Rationem in Commentario assignat Galenus, vti adhuc fecit lib. 1. de Crisib. cap. 11. in calce: Varium autem excrementum, inquit, varijs corpus affectibus detineri indicat: ab hoc igitur, & diuturnum, & malignum existit: Multi enim, varijq; affectus ad coctionem longiori indigent tempore, periculumque afferunt multitudini æquale. Nam simplex affectus faciliùs concoquitur, & minùs est, quàm multiformis, periculosus.

Rufa excrementa in declinatione salutaria, quià causa morbi integrè exit. Sic quidem de excrementis iudicare oportet. Dicto autem capite, de Coctione, & cruditate excrementorum alui agens Galenus; omnia comprehendit, quæ in Commentarijs transcriptorum Textuum Prognoscos dixit; imò quædam addidit, vt rufam deiectionem in morbi declinatione bonã esse, quæ tamen alijs præcedentibus morbi

bi temporibus mala censetur.

Cæterùm, rationem reddit longitudinis, & perniciei morbi, in quo excrementa varij coloris, variæque consistentiæ, deijciuntur. Pernicies ex ijsdem portenditur; quia causæ malignitatem, & robur indicant, tam variæ qualitates eorundem excrementorū: Longitudinem morbi, etiamsi ad salutem terminetur, præmonstrant; quoniam varij sunt affectus: id est, causæ dictorum colorum variæ sunt: Affectionis enim nomen, non pro morbo tantùm, sed pro humoribus, in contextu intellexit Galenus: nam causa morbi, & non morbus, nisi impropriè, concoquitur. Licèt enim ipsa caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis, dominantis alteratio, sub coctione Medica contineatur, secundarum tamen qualitatum, vt crassitiei, tenuitatis, acredinis, visciditatis, & consimilium, quæ humoribus conueniunt peccantibus, præparatio, coctio congruentiùs dicitur. Calor ergo natiuus in se vnicus, tot affectus, id est tot varios prauosque humores, malignasque causas, eosdem heterogeneos procreantes, vix domare potest: vnde modico, vtplurimùm, tempore à tam potentibus & diuersis hostibus victus, necessariò succumbit: quod si tam varios affectus superaturus sit, non reuera, nisi diuturno tempore, id efficere potest. Nam vt corpus à tot diuersis hostibus liberet, tempore eget longo, frequentiq; auxilio, vt vnumquemq; superet, & plenè conuincat. Vt enim faciliùs, & breuiori tempore, vnicus, quàm numerosus hostis, vincitur, ita vnicus affectus, quàm plures, à natiuo Calore citiùs faciliusque superatur. Quòd varij insint affectus, quoties in deiectionibus tot apparent colores, nemo est qui ambigit: Adsunt enim humores varij, prauique, obstructionem, & incendium efficientes: Estque in ijsdem humoribus quædam malignitas: quæ rursùs, ingrauescente morbo, augetur; Febrisque maligna inde nata humores heterogeneos partim adurit, partim attenuat, partim incrassat. Humores vicissim praui incendium febrile fouent: incrassatus adustione humor, obstruit, adurit, corrodit: attenuatus, & inflammatus humor, corpus accendit, & colliquat: colliquamenta rursùs incrassantur, & viscida, pinguia, aut oleosa, non raró apparent. Præter dictas affectiones, aliæ subnascuntur variæ, vt vigilia, inquietudo, sitis, aliaque symptomata, morbi, & causæ morbificæ vehementiam prodentia.

Causa morbi rectius, quàm morbus, concoqui dicitur.

Calor natiuus plures hostes vix domare potest.

Nomine affectionis, & causa, & morbus, imò symptomata, intelliguntur.

Tota hæc sententia de flatibus cum crepitu, & silẽtibus, qui ambo exeunt, ac de iisdem retentis agit. Flatus retenti incõmoda.

Sententia 24. Flatum sine sonitu, crepituque prodire, optimũ est. Melius verò est, ipsum exire cum sonitu, quàm condi, ac reuolui. Quòd si ita exierit, indicio est hominem vexari dolore, aut delirare: nisi spontè ita dimiserit flatum. Sententia hæc non est obscura: nam clarè refert, meliùs esse flatum sine strepitu, quàm cum strepitu per podicem exire: & vtilius esse eundem flatum cum strepitu exire, quàm si in corpore fuerit retentus: nam retentus, intestina distendit, doloremque idcircò parit. Si denique flatus vaporosus intùs coërcitus, fætidus, aut acris sit, eadem intestina pungit, nimiumque alterat; & sic etiam dolores inuehit acerbos, qui humores deinceps è vicinis partibus ad eadem intestina attrahere valent. Galenus in Commentario hac serie rem exponit. Flatus, nonnulli cum sonitu, deuorato pudore, excernunt: alij verò deligerent priùs mori, quàm aliquid tale committere. Hos igitur, quoties audientibus multis dimittunt flatum, scire oportet è duobus alterum, aut non satis intelligere, quæ gerant, aut propter vehementiam doloris agere aliquid contra arbitrium, & voluntatem. In alijs verò, qui præsentes paruipendant, nullum malum significare, flatum cum sonitu, censendum est. Sed salutarius in his est, vbi sine sonitu excernatur: Etenim flatus cum sonitu prorsùs indicat, aut flatuosi copiam spiritûs, aut angustiam opificiorum. At verò, quoties spiritus copia non admodum fuerit, & item opificia, per quæ excernitur, laxa planè sint, tunc sine sonitu in talibus flatus excernatur, oportet.

Deuorato pudore, nõnulli cũ sonitu flatus emittunt, alij mortẽ prius exoptarẽt, quã flatũ emittere.

Flatus cũ sonitu causa.

Flatus silẽtis causa.

Rectè omnia Galenus, qui flatûs generationem lib. 3. de Symptomat. caus. cap. 2. exponit. Flatus enim in ventris cauitatibus generatur ex pituitosis quibusdam succis inibi à deficiente calore in halitum solutis. Halitus autem hic, siue flatus cum sonitu emissus, caloris imbecillitatem arguit; aut viarum, per quas egreditur, angustiam: Et si copiosus fuerit flatus, copiosam arguit mineram, id est, humoris crassi, & pituitosi vberem prouentum. Quòd si flatus silens, id est sine sono, exit, argumento est, calorem natiuum esse ita vegetum, vt omnem domauerit superfluam materiam, liberosque ideo reddiderit alui ductus, siue intestina, quæ ex se ampla, angustiora reddebantur, ob lentum, copiosumq; humorem, intestinorum internis parietibus adhærentem, vniuersumque intestinorum meatum angustiorem reddentem.

Flatus generatio.

Quod

Quod dixere Hippocrates, & Galenus, melius esse flatum exire, quàm interiùs recondi, verissimum est. Quoniam retentus flatus malus est vt signum, simul & vt causa. Retentio quidem flatûs, est malum signum; quia facultatis expultricis imbecillitatem arguit: Si enim valida esset, flatus excluderet. Eadem etiam retentio flatûs quandoq; indicium est angustiæ viarum, quæ vel obstructæ sunt, vel compressæ. Quandoq; flatûs retentio vtrumque indicat, id est, facultatis expultricis debilitatem, simulque cauitatis intestinorum angustiam. Retentio etiam flatûs mala est, vt causa; quoniam, vt superiùs ostendimus, dolores, imò torsiones inuehunt retenti flatus. Galenus lib. 6. de locis affectis cap. 2. rem fusè exponit, vbi ab humoribus frigidis, crassis, ac viscosis, aut à flatuoso spiritu in corpore crasso densoque genito, & non exeunte, sed retento, dolorem, non solùm in intestino colo, sed etiam graciliori-bus generari ait Et duplici quidem de causa vehementem in his dolorem tunc excitari docet; & quia intemperiem introducunt humores, & quia flatus intestina distendunt. Dolor enim ex flatibus veluti circuire videtur; vt eodem capite loquitur Galenus. Flatum porrò non in amplioribus cauitatibus tantùm, sed etiam in occultis meatibus, à crassis, mucosisue humoribus nasci, satis luculenter ostendit Galenus Cōmentario 4. in librum Hippocratis de morb. acut. tex 21. hac serie: Verùm inflatio bifariàm fit, nempe collecto in quibusdam cauitatibus, vel sensui expositis, vel ratione contemplabilibus, flatuoso spiritu. Fuerunt sanè, qui aliquando tumores præter naturam in musculis secuerunt, tanquàm pus in imo reperturi; sed nihil aliud, præterquàm spiritum, qui totam per carnem minutatim disseminatus esset, inuenerunt. Præterea & thrombi soli (id est sanguis extrauasatus, & in grumos conuersus) aliquando ab ijs, qui ita secant, vel viscosa humiditas, vel mucosa est reperta. Verùm, in talibus tumor vel ex thrombo, vel mucore erat, carne ad hunc affici modum apparente, spiritus autem in ea per minuta est disseminatus. Orthopnœam ibidem à flatu retento in pulmonibus, aut pectore, non rarò oriri docet adhuc Galenus. In Coacis sequentia habentur: In febribus flatulentus venter malo est, si quidem inclusus flatus non excidit. Communiter flatus ventris, cruditatis soboles est, & intùs detentus, varios parit cruciatus, nouosque affectus. Detenti flatus intestina distendunt, &

Flatus retentus malus, vt signum, malus vt causa.

Retentio flatus, mala, vt causa.

Bifariàm dolorē excitant humores frigidi, & flatus.

Nō in manifestis cauitatibus tātùm, sed in occultis meatibus nascuntur flatus.

Varia incōmoda à retento flatu.

motus intestinorum peristalticus, & naturalis, impeditur. Intestina quidem ita distenta ob retentum flatum, ampliora vtplurimùm euadunt; vnde eorundem motus peristalticus, & naturalis, cohibetur. Motus enim peristalticus Antiquis dicebatur contractio, siue constrictio transuersarum fibrarum intestinorum: mediante quam constrictione intestina ex se, quidquid in ijs est, expellunt: dum verò dilatantur, in se aliquid admittunt. Hic peristalticus motus, vel est naturalis, vel præter naturam. Naturalis dicitur, quoties supernè deorsum fit: id est, quoties vi fibrarum transuersarum intestina in superiori parte priùs se colligunt, contrahuntq; & rursùs consequutiuè in omnibus subsequentibus partibus eadem constrictio fit, vt deorsùm, & fæces, & flatus, atq; superfluos humores, instar manûs, comprimendo exprimant. Hunc motum deorsùm iuuat potissimùm septum transuersum. Musculi abdominis æquè intestina sursum comprimunt, ac deorsùm. Motus peristalticus præter naturam est, quando infernè sursùm intestina à suis villis siue fibris contrahuntur. Et in tali motu ab infernis intestinorum partibus inchoato, sursùmq; procedente, flatus retenti, chylus ipse, & stercora, quandoq; per os euacuantur. Vulgò hic affectus, Ileus, siue Cordapsus dicitur.

Motus Peristalticus quid, & quotuplex.

Ileus dolor.

Reliqua pars Sententiæ Hippocratis non obscura est. Voluntariè enim aliqui flatum excernunt, etiam coram hominibus: quod communiter à malè morigeratis fit. Inscius etiam, siue desipiens, delirans'ue, aut mentem habens occupatam, flatum cum strepitu emittit, non intelligens quid agat. Dormientes quidem, etsi non delirent, flatus cum strepitu, etiam nescienter, sæpè deijciunt. Quoties denique dolor intestina occupat, hæc quandoq; contrahit, & ex hac contractione fit flatuum deorsùm expressio: quæ quidem quouis modo facta, retentioni eorundem flatuum longè anteponenda est.

Flatus voluntariè, vel inuoluntariè emittuntur.

Dolor causa crepitus.

Hactenus producta oratione de Alui varijs deiectionibus egi. Quoniam ex his potissimùm, & vrinis, facultatum naturalium statum, pleniùs, quàm aliundè, rimatur Medicus: Vnde parœmia emersit:

Stercus, & Vrina, Medici sunt fercula prima.

Verùm, si ea, quæ de alui deiectionibus in fine Coacarum Prænotionum, in Prorrheticis, & alibi sparsim apud Hippocratem

ha-

habentur, hùc transferre vellem, liber hic in immensum cresceret. Quare, cum ex ijs, quæ hactenùs de hoc argumenti genere dicta sunt, ad aliorum omnium plenam fortassis intelligentiam, sufficiant, ad aliarum Specierum Criticarum signa præcedentia, properandum.

SECTIO III.
De Signis Perirrhiæ.

SVperfluos Corporis vniuersi humores per vias vrinæ euacuari, non est quod dubitemus; cùm quotidiana experientia id demonstret, idque doceat Hippocrates Libro 1. Epidemior. Sectione 2. hac serie: Multis autem, & vrinæ fluxiones cum dolore biliosæ, aquosæ, ramentosæ, purulentæ, cum stillicidio, non renales, sed his alia pro alijs. Galenus in huius contextûs commentario, ait: Nam vult Hippocrates ipse (libro 2. Epidem. Sect. 1.) non solùm decumbendo, sed etiam effluendo fieri abscessum. Ita etiam per renes nonnunquàm, & vesicam, nullo illos laborantes suo affectu, repurgatur totum corpus: quemadmodùm in hoc accidit statu. Quamobrem in progressu sermonis dicit Hippocrates ad verbum. Solum verò, bonum, maximumq; inter signa, quæ fiebant, quodque multos maximis periculis liberauit, hoc fuit, quibus ad stranguriam diuerterent, & in hoc abscessus fierent. Atque id ipsum est, quod hîc commemorat Hippocrates, non nephriticæ quidem, sed his alia pro alijs: etenim totius corporis excrementa, in renes, & vesicam defluxerunt: atq; ita excretiones sunt nephriticis excretionibus assimiles consequutæ.

Per vias vrinæ totũ corpus expurgatur criticè.

Abscessus pro decubitu humoris in vnam partem, & pro fluxu extra corpus accipitur.

Difficilia sanè intellectu, sunt verba illa Hippocratis in contextu relata, sed his alia pro alijs. Sensus, vt reor, horum verborum est, stranguriam (siue parcum, sed frequens vrinæ profluuiũ) tempestate ab Hippocrate descripta, contingentem, vicem gerere doloris nephritici, ex proprio renum vitio orti, & stranguriæ pariter, vesicæ labe, natæ. Vnum enim pro alio tùnc fit: id est, dolor, strangaria, purulenta deiectio, & reliqua in contextu ab Hippocrate pronunciata, quæ omnia ex eluuione ad vias vrinæ criticè effluente, nascuntur, vicem subeunt consimilium affectuum, qui vtplurimùm

Exponuntur Hippocratis verba.

Instrumenta vrinæ.

mùm generantur à vitio iam antea introducto in vrinæ instrumenta, quæ communi Medicorum consensu, sunt renes, vreteres, vesica, & vrethra. In Critica enim illa eluuione ad vrinæ vias effluente, symptomata superueniunt consimilia symptomatibus, quæ viarum vrinæ vitia consequuntur. Rectè ideò Hippocrates inquit, has affectiones, ab acribus, putridisue humoribus, tempore Crisis ortas, vicem gerere affectuum instrumentorum vrinæ. Dolor enim, stranguria siue stillicidium, purulenta deiectio, & ramenta, ab vlcere vesicæ, vel saltem aliorum vrinæ instrumentorum, ordinariè nascuntur. In vrinæ Critico profluuio talia quidem symptomata ab acribus humoribus, naturæ pulsu, ad vias vrinæ deturbatis, emergunt. Nam in vrinæ vijs quædam fit ab humoribus acribus abrasio, denique excoriatio; in partibus excoriatis quædam suppuratio: interea in hac molitione, dolores non deficiunt, nec stranguria ab acrimonia materiæ, quæ humorum ichoribus, siue sero, quod vrinam præcipuè constituit, orta. Acris enim & mordax materia naturam semper ad sui exclusionem stimulat.

Etiã vrinæ malæ, criticæ esse possunt.

Testatus est, & clariùs, Hippocrates eadem Sectione 2. Libri 1. Epidem. molestum illud vrinæ profluuium multos à morbis criticè liberâsse: hæc sunt ipsius verba: Solum verò bonum, & maximum inter ea, quæ fiebant, signum, & quod plurimos in maximis periculis constitutos liberauit, quibus ad vrinæ stillicidium conuertebantur, & ad hoc abscessus (id est effluuia humorum superfluorum) fiebant. Accidit autem plerisque vrinæ stillicidium, maximè his ætatibus (id est Pueritia, & Pubertate præcipuè): fiebat & alijs multis, tum erectè obambulantibus, tum in morbis. Statim verò etiam magna quædam mutatio omnium his fiebat. Alui enim, etiamsi humectæ essent, maligno modo mox sistebantur, ciboſque omnes libenter sumebant. Et febres postea mites erant. Verùm vrinæ stillicidium his diuturnum, & laboriosum erat. Vrinæ verò his erant multæ, crassæ, variæ, rubræ, purulentæ cum dolore. Atq; hi omnes superstites manserunt, & nullum ex his mortuum noui.

Malo modo sistebãtur, quia intempestiuè, cũ corpus nõ erat satis. purgatum.

Galenus hunc textum hac serie exponit: Dixerat etiàm antea, stranguriosa his, & non nephritica, accidisse, etsi communitatem quandam habeant, sed alia pro alijs. Nosque diximus, vbi per renes excrementa purgantur totius corporis, vrinæ illos stillicidium corripere, cùm ob alia, tum præcipuè propter confluentium vrinarum acre-

Abscessus, nõ decubitum tantũ, sed effluuiũ humorum significat.

acredinem: quæ etiam nunc in causa fuit. Tenendumque rursùs memoriâ est, hîc quoq; abscessus dicere illum in stranguriam factos, licèt per effluxionem, non autem decubitum, de toto emanarent corpore infesti humores. Vt enim repurgatur non rarò per ventrem, vniuersum corpus, & item quoque per renes, & vesicam. Sed erat his stranguria diuturna, & cum dolore per stranguriam repurgabatur totum corpus. Has autem partes erat necessarium, per quas acres excernebantur vrinæ, affici: quia vellicabantur scilicet, continuaque excretione sollicitabantur: vnde etiam in ipso vrinarum transitu offendebantur. Eiusmodi autem symptomata, ob excrementorum, quæ expurgabantur, copiam, longiori tempore illis perdurabant.

Alui fluxu, & vrinæ profluuio totum corpus expurgatur.

Vrinæ verò erant copiosæ, crassæ, variæ, rubentes, purulentæ, cum dolore, quòd superfluitatem humorum vitiosorum totum corpus deponeret. Quo factum est, vt saluarentur omnes. Cùm autem varia ea essent, non mirum, si varietas quædam fuit vrinarum, vt hæ omnes similes non essent, sed alijs aliæ.

Cur autem copiosæ fuerint dictæ vrinæ, ratio in promptu est, quia vniuersi ichores, humoresque superflui ad vias vrinæ tunc confluebant; inde crassities; indeq; variæ vrinæ. Rubræ erant, quia sanguinis crudi aliquid cum vrinis emittebatur: purulentæ propter vlcus.

Vnde varietas vrinæ.

Hippocrates Crisim per vrinas fieri, experientiâ ductus, affirmauit; sed nec ipse, nec Galenus vllibi, certa indicia futuræ Perirrhiæ nobis reliquit. Prænoscitur tamen, quoties Criticâ turbatione superueniente, absunt aliarum specierum excretionis indicia, adsunt coctionis signa, & antecedentibus diebus vrinæ erant copiosæ, & crassæ. In hypogastrio, siue imo ventre, & in vesicæ regione, grauitas quædam propter vrinæ copiam in vesica contentam, persentitur, vnà cum quodam ardore, & pruritu extremitatis pudendi. Senili ætati, quàm cæteris, Perirrhæa est magis familiaris: Hyeme pariter, quàm Æstate, frequentiùs superuenit; quoniam ob cutis densitatem, in senibus, & tẽporibus frigidis, serum, quod est sudoris, & vrinæ præcipua materia, vix per sudores euacuatur. Vnde in venis serum veluti coercitum, per vias vrinæ cõmodissimè excernitur: Et per nullam aliam viam humores superflui in vasis contenti, quàm per vrinæ vias, commodiùs, euacuantur.

Signa futuræ Perirrhææ.

Cũcta vasa per vrinas, quam per alias vias, integriùs se exonerant.

tur. Vnde non solùm corpus vniuersum Perirrhæâ expurgatur quotidiè, sed variæ corporis partes; vt lien, qui humorem melancholicum in se quandoque superfluè accumulatum, per vias vrinæ abijcit: Materia item purulenta in Pleuritide, Peripneumonia, alijsue Thoracis affectibus, genita, & per os non euacuata, aliquãdo deorsum ad vias vrinæ relegatur, & rursùs euacuatur.

Pulmo & thorax per vrinæ vias & aluum se exonerant.

Certant inter se Medici, per quas vias pus in thorace collectũ, & Empyema cõstituens, deorsùm ad vias vrinæ deponatur. Quòd autem deorsùm euacuetur, id affirmauit Hippocrates lib. 3. Epidem. Sect. 3. Galenus lib. 6. de locis affect. cap. 4. Quorum hic conceptis verbis ait, pulmonis vomicam per vrinas, thoracis per intestina expurgari, vt ipse experientiâ comprobauit: imò in capitis citati fine ait: Quoniam autem Erasistratus putat solum spiritum in arterijs contineri, hæc quæstio eius Sectatores non parùm vrget: nobis verò nihil difficultatis affert, vtpote intelligentibus, quod læuis arteria (arteriam venosam intelligit) pulmonis, quantum puris ex erupta vomica suscipit, id in sinistrum cordis sinum deferre potest, quod inde in magnam ipsius arteriam incidens, per renes transit in vesicam: hoc tamen non ita crebrò euenire videtur, vtpotè pure priùs in asperas arterias magna ex parte transsumpto. Laurentius hanc opinionem quadam Hollerij experientiâ, & alterâ suâ, confirmat.

Verior opinio.

Aliorum tamen mens est, pus per cordis dextrum ventriculum, & rursùs per aortam euacuari non posse: quia spiritus vitalis in sinistro cordis ventriculo genitus, & in aortam effusus, puris fætorem, & impuritatem, nequaquàm ferre posset. Dicunt ergo, à vena azygos, siue sine pari, pus illud veluti sugi, & illinc per quendam eiusdem venæ ramum satis amplum, ad renes porrectum, transmitti. Cui sanè opinioni, quàm alteri (pace Galeni dixerim) libentiùs subscribo.

Partes quæ alui fluxu, & quæ perirrhæa purgãtur.

Galenus dicto Capite, iuxta suam opinionem, sequentia scripsit: Igitur cum vrina expurgantur gibbæ hepatis partes, atq; omnes quotquot sunt his superiores: per aluum verò pars iecinoris resima, intestina, ventriculus, lien. Præter has aliæ quædam fiunt purgationes, sed rarò, vt cùm thorax, & pulmo, per aluum purgatur: quæ infra septum transuersum positæ sunt partes, per vrinas. Rectè Galenus addidit particulam, rarò; quoniam reuera rarissi-

rissimè confert, aut fit alui fluxus in morbis thoracis, raròq; per vrinas quæ in thorace continentur superflua, euacuantur, & præsertim purulenta.

SECTIO IV.
De Signis instantis Sudoris.

IN superioribus de Sudoribus plura diximus, & Signum ab Hippocrate, Aphorismo 58. libri 4. Aphorismorum, relatum proposuimus. Tale enim signum, est rigor Febri ardenti superueniens; qui rigor morbum soluit, vt ille loquitur. Monuimus tamen, sudorem rigori succedentem, non autem ipsum rigorem, soluere morbum: Diximusque, rigorem ibidem cum sudore confundi, vel illum pro hoc, in aphorismo accipi. *Rigor morbum soluit.*

Nemo est, qui doctiùs, clariùsque, signa imminentis sudoris proposuit, quàm noster Galenus libro 3. de Crisib. cap. vltimo, hac serie: Si igitur præter rationem (id est præter consuetum morem) aluus comprimitur, vel vrina, iam propè crisi existente, rigorem sperare oportet. Si is adueniat, distinguendum est, nunquid sudor post ipsum sequatur, vel vomitus, vel subductio ventris, vel aliqua horum, vel omnia. Et primum quidem ad morbi ideam est inspiciendum. Si enim exquisitè incendens fuerit, statim certior erit, & rigoris præcognitio: quòd enim incendit, biliosum est. Dictum est autem in præcedentibus, quod humor iste, quando vehementiùs mouetur, rigorem facit. Post hæc autem & illud considerandum est, nunquid vrinis tantùm, vel etiam aluo compressâ, riguit: Si enim ambobus, necessariò sudor multus subsequitur. Si verò vrinis solis, considerare oportet, nunquid alui excrementa plura, quàm priora, vel pauciora, ante crisim exierint: si enim plura, manifestiùs motus naturæ ad hunc locum est agnoscendus: si pauciora, ad sudores. Si verò & vomitûs signa affuerint, per has ambas excretiones iudicabitur: & vel magis per earum alteram, quæ magis præualebit, vel æquè per vtramq;, quādo æqualia quodammodo indicia affuerint. Si verò signa vomitûs non affuerint, solos sudores expectare oportet: & magis, qnando ægrotantes delirauerint, increscente accessione, & partes exteriores calidiores, *Rigorē sequitur vomitus, aut alui fluxus aut sudor, aut omnes simul.* *Signa omnia sudoris.*

ac rubidiores extiterint,& vapor quidam calidus exeat,qualis antea non aderat. Quòd si pulsus vndosus fiat , & insigniter mollis, adhuc ampliùs sudores expectare oportet. Durus autem pulsus, vomitus magis,quàm sudores,præostendere solet: altus enim omnis excretionis indicium est, sicuti & vehemens. Si verò magnus fuerit, motûs ad exteriora potiùs, quàm ad interiora, signum existit. Cùm verò vterque duplex sit, hic quidem, qui ad exteriora, per fluxum sanguinis, atque sudores: alter autem ad interiora,per aluum, & stomachum: vndosus quidem pulsus, sudores, magnus autem simpliciter fluxum sanguinis præostendet. Motu verò ad interiora superante, cum non aderunt signa vomituum , per ventris excrementa crisis fiet: si verò affuerint, per vomitum potiùs: si verò ea affuerint, & venter insigniter subducatur , per vtraq; fiet crisis.

Pulsus vndosus. Pulsus durus. Altus, & vehemens.

Mirabilis est Laurentius,asserẽs signa à Galeno enumerata,esse à Recentioribus inuenta , & addita rigori. Galenus præter relata signa, libro de dignotione ex Insomnijs, addit aliud. Qui , scilicet, sudores habiturus est , somniat se lauari , & natare in lacu aquæ calidæ. Auicenna dictis addit signis , intensum vrinæ ruborem:qui color indicat serum esse bile valdè saturum. Bilis hæc ad cutem cum sero perueniens, pungit vellicatq; neruosas , membranosasq; partes, sed præsertim panniculum carnosum dictum. Hinc vniuersi corporis rigor. Sudor ergo commodè superuenit ardentibus, alijsque biliosis affectibus; hosque soluit. Bonos , malosq; sudores, fusè in superioribus exposuimus.

Signum ex insomnijs desumptũ. Vrina rubra.

SECTIO V.
De Signis imminentis Hæmorrhagiæ.

HÆmorrhagia , etsi in lata significatione , omnem comprehendat sanguinis per quamcunque viam excretionem,à Medicis plerisq; accipitur pro exitu sanguinis per nares. Hæc euacuatio multos à febribus ardentibus, alijsque quàmplurimis inflammationibus , capitisque doloribus , liberat. Vt verbo dicam , hæmorrhagia , plerisque inflammatione , siue biliosa, siue sanguinea, laborantibus prodest , siue hæc inflamma-

Hæmorrhagia verè critica omnibus inflammationibus prodest.

tio viſcera infeſtet, ſiue externas quaſdam partes; ſiue eadem inflammatio vnius fuerit partis, ſiue plurium. Hæmorrhagiæ imminentis Signa proponuntur ab Hippocrate lib. 1. Eepidem. Sect. 2. tex. 55. hac ſerie: In ardentibus autem, cæteriſque febribus, quos colli dolor, temporum grauitas, caligo oculorum, vel Hypochondrij etiam contentio, neq; cum dolore corripit, his è naribus ſanguis erumpit. Fusè eãdem ſcripſit doctrinam in Prognoſticis, Sect. 3. textu 33. hoc ordine. Quibus verò per talem febrem dolet caput, & pro tenebris ob oculos offuſis, hebetudines ſubeunt oculorum, ac ſplendor obuertitur: & pro oris ventriculi morſu circa hypochondrium, aut læuâ partè, aut dextra, aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione: ſanguinem de naribus in his fluere, pro vomitione expectandum eſt. Magis verò, & hîc in Iuuenibus ſanguinis fluorem expectari oportet: agentibus verò trigeſimum annum, aut etiam ſenioribus, minùs: ſed vomitionem in talibus expectare oportet.

Eãdem Sectione 3. Prognoſtic. textu 11. de Hæmorrhagia futura ſequentia ſcribit Hippocr. Capitis autem dolores vehementes, continui cum febre, ſiquod ex indicijs extiterit exitioſis, lethales admodum ſunt. Si verò ſine talibus indicijs dolor vigeſimum tranſeat diem, & febris detineat, expectari oportet ſanguinis è naribus eruptionem, aut alium quempiam abſceſſum ad inferas ſedes. Sed, quoad dolor fuerit recens, expectari oportet ſanguinis eruptionem è naribus: aut ſuppurationem, ſi dolor alioqui circa tempora, ac frontem ſit.

Continui dolores capitis lethales.

Galenus in Commentario rem hanc hac ſerie explicat: Inordinatiùs loquitur rem, quæ ad præſentiendum maximè conducit, ſed recto ordine texitur hunc in modum: Capitis dolores vehementes, & continui cum febre, ſiquod ex indicijs extiterit exitioſis, integrè lethales ſint: ſi verò ex ijs, quę didiciſti, de ægro tanquam conualituro quicquam ſperes, à principio quidem ad ſeptimum diem, ſanguinis è naribus fluorem expectato: procedente verò tempore, id etiam eueniet: Pus verò erumpet è naribus, aut auribus, in ſalutem ægri. Si verò ad vigeſimum extendatur diem, doloris accidens in capite, tunc etiam ſanguinis fluorẽ expectabis rariùs: magis verò ſuppurationem, aut abſceſſum ad inferas ſedes expectato. Sed per illud tempus, quo ſanguinis fluorem expectabis, au-

Tempus morbi, quo fit hæmorrhagia.

augebit tibi expectationem, si in temporibus, aut fronte, dolor vehemens perseueret.

Textu 12. consequutiuè sequenti serie loquitur: Magis autem expectari sanguinis oportet eruptionem in iunioribus trigintaquinque annis: in senioribus verò suppurationem. Galenus in commentario sequenti ordine loquitur. Finitio ducta ab ætate est, quo magis expectes sanguinis è naribus fluorem. Causa verò perspicua est, ac sæpenumerò prodita, quod ætas ad quintum, & trigesimum annum, plurimum gignat sanguinis. Accedit ad hoc, vt sanguis per hanc ætatem calidior, ac biliosior habeatur: at (vt antea dictum iam est) id quoque ad sanguinis eruptionem à natura factam idoneum est. In senioribus verò vltra trigesimumquintum annum expectanda magis suppuratio est.

Ad finem vsq; iuuentutis sanguis augetur, & calidus est, ac biliosus, adeoq; ad exitū prōptus.

Libro 3. de Crisib. cap. vltimo, Galenus adhuc clariori stylo futuræ hæmorrhagiæ signa exprimit, inquiens: Propria verò Signa profluuij sanguinis, quidam fulgoris motus oculis apparentes, quoniam humor est flauus: obtusiones autem, quoniam multus, & totus simul elatus ad superiora spiritus, meatus obserat. Ita autem, & oculi lachrymantur ob fluxûs multitudinem: quod etiam accidit in inflammationibus oculorū. Eodem modo rubidi aliquando videntur, cum malis nonnunquam, & naribus. Proprium verò signum sanguinis fluxûs è naribus, est etiam præcordiorum tensio sine dolore: nam, & hoc non paruum indicium est sanguinis ad superiora tendentis, sicuti etiam difficultas anhelitûs: nam, & hæc sanguine transeunte in thoracem fit. Si verò præcordia cum dolore extendantur, non fluxum sanguinis futurum, sed aliquam ibi adesse inflammationem, significant. Sed, & dolores capitis, quamuis commune signum existant vomituum, & fluxûs sanguinis: qui tamen velut mordaces sunt, vomituū: qui verò quodammodo grauantes, atq; extendentes, pulsantesque, & calidi, sanguinis fluxum propriè significant. Sic etiam viscerum in præcordijs existentium inflammationes, causæ sunt vnà, ac signa sanguinis fluxuum, quando morbus per excretionem debet terminari: Quòd si ad latus diuersum sanguinem fluere non est bonū: secundum directum verò est bonum: vt docet Hippocrates, & experientia monstrat: iam tibi facillimū, est narem, ex qua fluxurus est sanguis, prædicere, vbi causam iam fluxuri sanguinis inueneris. Dextra

Fulgoris motus oculis apparens, à bile prouenit.
Visionis obtusæ causa.
Lachrymæ.
Oculi, malæ, & nasus erubescunt.
Hypochondriorū tensio.
Dispnæa.
Dolor capitis mordax vomitū, grauans pulsansq; hæmorrhagiam præcedit.
Bona, malaq; hæmorrhagia.

tra enim præcordia ex dextra nare bonam crisim afferunt, sinistra verò ex sinistra. Didicisti verò priùs, & bonarum, & malarum crisium signa. Quid igitur difficile est, narem, ex quâ profluet sanguis, prænoscere, cùm membrum patiens possis exquisitè dignoscere: & crisis morem non ignores: & signa, quæ fluxum sanguinis indicant, sint euidenter manifesta? Præter hæc omnia, & ætas, & tempus anni, & regio, & ægrotantis natura, futurum sanguinis fluxum possunt manifestare. Sanguinis igitur fluxûs, & vomitûs propria, & manifesta sunt signa: post hæc verò sudorum.

Aetas iuuenilis hæmorrhagiæ apta.

Vix Textibus transcriptis quidpiam addi potest. Nam nullius excretionis criticæ præcedentia signa ita exactè Hippocrates, & Galenus recensuêre, sicuti futuri vomitûs, & hæmorrhagiæ. Et si quid breuitas Hippocratica hac in re habet obscuritatis, à Galeno luculenter inuestigatur. Primum signum futuræ Hæmorrhagiæ ab Hippocrate in Epidemijs recensitum, est colli dolor; qui quidem à sanguine cum impetu ad caput ascendente, & colli iugulares venas, tam interiores, quàm exteriores, aliasque minutiores, nimiùm distendente, & accendente, nascitur. Nec solùm venæ, & arteriæ tunc alterantur, & distenduntur, sed cæteræ partes, vt membranulæ musculorum, musculique ipsi, fibris, & venulis pleni quos vapores quidam ardentes fumantesq; è vasis, & exilioribus meatibus erumpentes, peruadunt, penetrant, infestant. Non mirum ergo, si à sanguine feruente, sursùm vehementi impetu conscendente, adurentibusque vaporibus, collum, suppositis partibus angustius, intumescat, doleatque. Vt enim maior fit agitatio, & æstus maris, in faucibus æstuarij, quàm in anteriori, citeriorique parte, ita pariter contingit, quoties è corpore lato per collum ad caput cum impetu confluit sanguis feruidissimus.

Primũ signũ instantis hæmorrhagiæ, est colli dolor.

Secundum signum hæmorrhagię, est temporum grauitas; quæ quidem à sanguine copioso, quo venæ temporum sunt refertæ, oritur. Nec tempora tunc grauatiuo dolore, sed insuper extendente, & pulsante siue lancinante, & calente (si ita loqui fas est) infestantur: grauamen enim, & tensio vasorum, ac membranarum, in febricitantibus, sanguinis copiam indicant: Pulsatio frequens fit in arterijs temporum, quæ tunc immodicè comprimuntur à venis, alijsque vicinis partibus repletione laborantibus.

Secundum signum est temporum grauitas.

Tertium signum, est oculorum caligo. Caligant quidem oculi,

quia

Tertiũ signum, est oculorũ caligo. quia copiosissimorum vaporum ad caput delatorum portio non exigua, per neruos, opticos dictos, exire tentat; hosque ita semiobstruens, spiritibus animalibus ad oculos liberum negat descensum. Obstructio ergo neruorum, visum hebetat; & pars vaporum, quæ in oculi corpus transcurrit, eundem visum nõ mediocriter conturbat; cũ vapores illi inclusi humori chrystallino obuersentur, eiusq; luciditatem obscurent. Hanc ob causam Hippocrates rectè pronũciauit, hæmorrhagiæ prænuncium esse oculorum caliginem. Quidam Interpretes rem variè exponunt: Nam nonnulli oculorum caliginem præcedere dicunt; vt videre licet in textu translato ex libro 1. Epidem. in quo oculorum caligo habetur: Alij autem loco caliginis oculorum, visûs habetudinem scribunt, vt habetur libro 3. de Crisib. cap. 11. & vltimo, vbi Galenus citatam Prognoseos Sententiam introducit. Sed hæc diuersitas dicendi modi-*Dubio occurritur.* ca est: Nam vox Græca αμβλυωγμὸς, idem est ac hebetudo, obtusio visûs, retusa oculorum acies, cæcutientia. Αμβλυς enim, idem est, ac obtusus, hebes; & propriè de ferro dicitur, cuius acies est obtusa: Transfertur ab acie ferri ad aciem oculorum. Potest dicta vox Græca etiam dici caligo. Libro autem 1. Epidem. Sententiâ à nobis translatâ habetur. Σκοτώδεα, id est caligo vertiginosa. Video tamen in hoc eodem textu cap. vltimo lib. 3. de Crisib. hæc haberi verba: Et tenebræ oculis oboriuntur. Qui sensus nõ est omninò repudiandus; nam visus hebes etiamsi à fuliginibus non procederet, tenebrosus dici potest.

Splendoris oculorum causa. Dixit in Sententia Prognos. Hippocrates, non semper apparere hebetudinem oculorum, sed hanc, aut splendorem. Splendoris causam, sanguinem biliosum statuit Galenus. Græcè enim habentur, ἢ μαρμαρυγαὶ προφαίνονται, id est, aut splendores ob oculos obuersantur: vel, vt habet Codex Foësij: vibrantesque splendores obuersari videntur.

Quartũ signum futuræ hæmorrhagiæ, est dolor capitis. Quartum Signum, est dolor Capitis, qui eandem cum colli dolore causam habet, id est sanguinem feruentem, vaporesque copiosissimos, capitis, tam internas, quàm externas partes, replentes, distendentesq;, simulq; suo feruore phlogosim concitantes, *Eiusdẽ doloris causa.* Menynges distenduntur præ nimia, repletione vasorum ijsdem insertorum: feruor sanguinis insuper easdem accendit; ita vt eædem exquisito præditæ sensu, illicò ex obiectis improportionatis

mo-

molestiam concipiant; quæ molestia dolor est, isque grauatiuus, lancinans tamen, siue pulsatilis; & absq; dubio pungitiuus. Nam menynges membranæ sunt, sicuti pleura: quare cùm in hac inflammata dolor punctorius percipiatur, similiter in menyngibus pari affectu infestatis. Nec solùm menynges, sed pericranium, duræ menyngis germen, tunc patitur: patiunturque, quæ idem contegunt, partes; cùm capitis vniuersæ partes sanguinem, & humores ab infernis partibus, pro cuiusq; natura, æquè suscipiant.

Menynges æquè ac Pleura, dolore pungitiuo afficiũtur.

Quintum signum hæmorrhagiæ mox futuræ, sunt lachrymæ, eæque inuoluntariè profusæ. Caput quidem in ardentibus febribus perpetuò vapores copiosissimos, vi nimij feruoris humorum vniuersi corporis, sursùm sublatos, humoresq; ipsos tenuiores, aut attenuatos, suscipit: quos susceptos, tanquàm superfluos, quoquouersum, facultatis expultricis ope, per consuetas vias, deturbat. Consueuit autem Cerebrum superfluitatibus refertum, aliquando per oculos sese exonerare. Lachrymæ ergo tunc, ob humoris ad oculos delabentis vbertatem, nobis nolentibus, emanant: imò humoris redundantia ophtalmiam, siue oculi inflammationem efficere videtur, pruritumque oculis, ratione caloris immodici, si non acredinis, infert. De lachrymis inuoluntarijs hæmorrhagiam præindicantibus hac serie loquitur Hippocrates lib. 1. Epidem. Sect. 2. Quibus inuitis per febres acutas, atq; adeò ardentes, lachrymæ effluunt, in his, dum cætera exitialiter se non habeant, sanguinis ex naribus profluuium expectandum est. In his siquidem, qui malè habent, non sanguinis eruptionem, verùm mortem portendunt.

Quintũ signum, sunt lachrymæ.

Cur lachrimæ præter voluntatẽ emanant.

Prognostica sententia Hippocratis.

Sextum imminentis Hæmorrhagiæ Signum, non semper, sed quandoque apparens, est quoddam delirij præludium. Nec mirum; cùm spiritus animalis, cerebrumq; principum facultatum sedes, ambientesq; partes, veluti incendio æstuent. Ex hac ergo intemperantia error in imaginatione saltem cõtingere potest; vti accidit ei, cuius historiam scripsit Galenus Libro de Præcognitione ad Posthumum cap. 13. & vltimo, hac serie: Quintum namque morbi diem iuuenis quidam agebat: ac licèt idoneum tempus sanguini detrahendo præterijsse videretur, quia tamen nec anni tempus, nec ægrotantis ætas, nec virtutis imbecillitas, nec denique victus, qui morbum antecesserat, aduersabatur, sed vno consensu omnia sanguinis missionem significabant, Medici venam incidere

Sextũ hæmorrhagiæ signum.

Historia Iuuenis, scitu, & obseruatione dignissima.

decreuerunt: idque tempestiuum fore cæteri arbitrabantur. Ego verò diligenter omnia contemplatus, quæcunque ab Hippocrate tradita sunt signa illorum, quibus fluxurus est sanguis, benè quidem eos in opinionem mittendi sanguinis venisse dixi, verùm Naturam id, quod se grauaret, expellere festinantem, breui admodum, etiam si nihil ipsi egerint, idem vltrà facturam. Dum Medicis hæc admiranda videntur, æger è lecto se sustulit tanquam prosiliturus, interrogatusque, cur exilire voluisset, cùm nihil adesset, ob quod id facere debuisset, rubri coloris serpentem per laquearia repentem à se visum expauisse respondit, ne, si aliquo modo aberrasset, supra se ferretur, atque idcirco se è lectulo aufugere velle. Reliquis nihil hoc ad futurum sanguinis fluxum conferre visum est: mihi verò cùm alia singula perpendenti, tum ruborem, qui priùs in dextra nasi parte ad malam vsque, obscurus fuerat, auctum valdè intuenti, sanguinis paulò post à dextra nare fluxuri manifestum id attulit indicium: atque ideò cuidam ex ægrotantis familiaribus summissa voce præcepi, vt vas aptum sanguini recipiendo sub veste promptum haberet: atque inde ad Medicos conuersus, alta voce dixi: Si parumper expectaueritis, sanguinem è dextra nare fluentem videbitis. Riserunt illi, quod antedictis, à dextra nare adiecissem. At, inquam, vel vtrumque eueniat, oportet, vel alterutrum me decipiat: nam, & quòd sanguis fluxurus sit, & quod è dextra nare venturus, arte Medica præsciri potest. His dictis, eum, qui vas sub veste occultum habebat, inter obseruandum admonui, mentem adhiberet, quid ægrotus ageret, ac, cùm sanguinem erumpentem videret, accurrens vas supponeret. Vix hæc dixeram, cùm ecce digitum è naso sanguinolentum Iuuenis extraxit: tum familiaris accurrens, vas subiecit: quod cũ fieret, magno (vt scis) clamore oborto, Medici quidem omnes dilapsi sunt. Ego verò tibi rerum mearum studioso, quo pacto id præsciuissem, idque ex Hippocratis monumentis, exposui: atque insuper illud etiam addidi, vehementem sanguinis fluxum expectandum, eò quòd Naturæ impetus vehemens, & morbus adhuc crudus esset: Consueuisse verò hisce de causis immoderatas exinanitiones fieri. Atq; ideo, cùm parumper adhuc morari vtilius esse laboranti cognoscerem, puerum, qui me sequebatur, ad accipiendam magnam cucurbitulam misi, idq; reliquis inscijs faceret, iussi.

Natura non interpellata à Medicis rectè sæpè agit.

Hæmorrhagia signa.

Morbo crudo, dũmodò vehemens sit, hæmorrhagia superuen.s copiosa.

Cele-

Celeriter itaque, cùm multum ſanguinis in vaſe collectum vidiſſem, altero vaſe poſtulato, ſanguinem, qui fluxerat, excepi: quem vt comperi, librarum quatuor & dimidiæ pondus æquare, ægrum capite in ſcapulas dimiſſo collocaui, ac naribus frigidam poſcam attraheret, præcepi: fronti ſpongiam aquâ mulsâ madentem impoſui: brachia, & crura vinculis obſtrinxi, quæ cùm minùs conferri viderentur, poſtremò cucurbitulam in præcordijs ad dextrum latus adegi: ſtatimque ſanguinis fluxum cohibui: quod remedium etiam ex Hippocratis arte ſumptum fuiſſe te docuimus. Atq; idcircò, & hæc, & alia omnia, quæcunque medicando peregi, literarum monumentis commiſimus. Nam, quomodo rigorem, alui profluuium, vomitum, immodicam vrinæ multitudinem, ſuppreſſionemue, ſudores, abſceſſus secùs aures, aut ad alia loca, delirium, dementiam, ac demùm alia omnia ægris obuenientia, præcognoſcere conueniat, ſcripſimus. Quædam verò, ſicuti priùs dicebam, is, qui priùs iſta nouerit, per ſeipſum excogitabit: quemadmodùm, & nos in filio Boëthi fecimus, Amante fœmina, & Atrienſi timente.

Remedia contra profuſam Hæmorrhagiam.

Flauius Boëthus Vir erat Conſularis Romæ, iſteq; Peripateticus, qui Galenum pro altero ſuo filio Cyrillo recidiuam patiente acciuit. Cyrillum hunc clàm comediſſe cibũ, dũ mater balneo vteretur, diuinauit Galenus. Qui ſolita perſpicacitate munitus, Iuſti vxorem mæſtitia tabeſcentem vocatus adiuit, & ex pulſu deprehendit, ipſam, Pyladis Hiſtrionis amore, torqueri: quòd nimirum mulieris pulſum varijs modis ſubſultáſſe agnouerit, vbi nunciatum eſſet, Pyladem eo die ſaltaſſe. Sed credibile eſt, Galenum ægræ libidinem ex eiuſdem ægræ ancilla expiſcatum eſſe: cùm ipſe Galenus fateatur, ſe varia de ægræ rebus ex ancilla audiuiſſe. Vt vt ſit, noſter Galenus Eraſiſtratum imitatus, ſuam diligentiam in Arcanis induſtriâ Medicâ ſcrutandis exhibet. Eraſiſtratus, vt cap. 6. libri de Præcognitione ad Poſthumum, refert Galenus, Nouercam à Priuigno amari cognouit ex pulſu. Atrienſis cuiuſdam meminit Galenus; qui Atrienſis famulus erat viri cuiuſdam diuitis: Herus huic ſeruo imperans, vt rationem redderet pecuniarum, quas adminiſtrauerat, Seruus pecuniarum ſummæ non parum deeſſe ſciens, mæſtitiâ afficitur, & præ mœrore vigilabat, animumque deſpondens tabeſcebat. Galenus accitus nouit per-

Flauius Boëthus.

Galenus in diuinando perſpicaciſſimus fuit. Qua ratione deprehenderit Galenus Iuſti vxorem amore torqueri.

Hiſtoria Atrienſis ſerui tabeſcentis.

optimè hunc febre vacantem, ſicuti Iuſti vxor erat, dum Pyladis amore capta eſſet, ex animi perturbatione malum omne emerſiſſe: &, cùm iuſſu Galeni, Herus Seruo indiceret, ſibi ſufficere ſuperſtites pecunias, tertio die ab hac benigna prolatione Heri, ſeruus conualuit. Et hæc de vltimis contextûs Galeni verbis.

Septimum ſignum hæmorrhagiæ mox futuræ.

Septimum Hæmorrhagiæ mox futuræ indicium, eſto aurium tinnitus, qui à nimia plenitudine oritur: Capite porrò ſanguine, & vaporibus referto, partes eius omnes dilatantur ab eodem ſanguine, aut vaporibus exitum quærentibus. Non mirum ergo, ſi tunc quandam perſentiant aures moleſtiam, cùm per has etiam Natura ſordes quotidiè excernere conſueuerit. Per has enim, per os, & nares, manifeſtè euacuantur Cerebri ſuperfluitates.

Octauum ſignum.

Octauum Signum, eſto nariũ titillatio. Sicuti enim in colis, ſiue membri virilis extremitate pruritus quidam, appetente vrinæ exitu, naſcitur, ita pariter naribus contingit, quando Natura per harum venulas ſeſe exoneratura eſt.

Nonũ ſignum, non tamẽ ſemper apparens.

Nonum Hæmorrhagiæ Signum, eſto naſi, & vniuerſi vultûs, rubicundus color, à copioſo ſanguine, eoque tenui, ſursùm ad caput ſublato, ortus. Galenus non ſemper, ſed quandoque hoc ſignum præcedere hæmorrhagiam Capite vltimo lib. 3. de Criſibus dictauit.

Decimum ſignum.

Decimum Signum Hæmorrhagiæ, eſt Hypochondrij tenſio, ſiue diſtenſio, cum fugaci difficultate reſpirandi. Hippocrates Libro 1. Epidem ait, præcordia intenduntur: vt habetur apud Galenum Libro 3. de Criſibus, cap. vltimo. Sed Hippocrates Venetijs impreſſus cum Annotationibus Mercurialis, habet, Præcordiorum diſtenſio. Codex Foëſij, Præcordiorumque contentio. Sanè, duos comittunt hi Interpretes errores. Primus eſt, quòd Præcordij voce, loco Hypochondrij vtantur; cùm Præcordium, & Septum transuerſum, ſiue Diaphragma, ſint idem, vt ex Galeno alibi intulimus: quò fit, vt malè præcordium pro Hypochondrio vſurpent: cum hoc ab illo diſcrepet. Secundus error eſt, quòd in plurali loquantur, cùm in ſingulari loquutus fuerit Hippocrates. Nam Libro 1. Epidem. ait: ἢ καὶ ὑποχονδρία ξυντάσις, id eſt, & hypochondrij contentio. Et libro Prænotionum, ſiue Prognoſticorum, ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ, id eſt, in hypochondrio. Multum enim refert hæc ſcire: quoniam non eſt neceſſe, vt in ambobus hypochondrijs fiat

Interpretũ Hippocratis errores. Præcordiũ, & Hypochondriũ, differunt. Præcordiũ, & ſeptum transuerſũ, ſiue diaphragma, ſunt idem.

con-

contentio, quoties sanguis criticè erupturus est; sed dextrum hypochondrium quandoq; , aliàs verò sinistrum, quoties ratione lienis potissimùm hæmorrhagia superuentura est. Hãc distinctionem posuit optimè Diuinus Senex textu citato Prognosticorum, determinans contentionem illam fieri in dextra parte, aut sinistrâ hypochondrij: pro dextra dextrum hypochondrium, pro sinistra sinistrum intelligens.

Sinistrum hypochondriũ distẽditur, dum ratione lienis hæmorrhagia superuenit.

Fit ergò distensio quædam subita hypochondrij, sed magis ordinariè dextri, quia sanguis in hepate, huiusque venis impensè feruet, & ob feruorem attenuatus maiorem acquirit locum: vasa ideò omnia magis, quàm antea, amplificantur, tenduntur que; tensa intumescunt, & hepar consequutiuè intumescere cogitur; tumidius profundiusq; factum, eleuatur, eleuatum maiorem acquirit locum. Vnde sursùm aliquantisper præ tumore extensum, diaphragma, vnum ex præcipuis respirationis instrumentis, attingens, eiusdem diaphragmatis liberum impedit motum: hinc respirandi difficultas, sed fugax, vt dixi, siue breuis; quoniam distensio, eius causa, etiam fugax est, & parùm durabilis. Motus autem impetuosus sanguinis in hepate, & venis, durat solummodò, quàmdiu è iecore, & vasis, feruidior tenuiorque sanguis sursùm ex his in thoracem, & rursùs ad caput transcendit: quod sanè permodico tempore perficitur. Distensio illa hypochondrij sine dolore fit; quia non ab Hypochondriorum inflammatione, sed solummodò à fugaci dilatatione vasorum, hepatisque, nascitur.

Hepar tumidũ, diaphragmatis liberũ motum impedit.

Respirandi difficultas fugax.

Motus impetuosus sãguinis in hepate, & venis, non diu durat.

Distensio hypochondrij, quando cum, aut sine dolore.

Prædictis omnibus signis addere licet signorum aliarum excretionum absentiam, veluti magnum pulsum.

Alia signa Hæmorrhagiæ.

Ad hæc omnia non parum conferunt, & ætas, & tempus anni, & Regio, & ægrotantis Natura: quæ omnia si calida fuerint, Crisim per Hæmorrhagiam breui fore præmonstrant, dummodò proposita hactenùs signa appareant.

Aetas, anni tempus, Regio, & ægri natura, etiã hæmorrhagiã præmonstrant.

Quasdam Sententias doctrinam expositam confirmantes, ex Hippocratis lib. 1. Prorrheticorum hùc transferre placet.

Textus 55. Sect. 3. hac serie scribitur: Hypochondrij tensio, cum capitis grauitate, & surditate, & quæ splendores perturbant, sanguinis denunciant profusionem. Galenus in huius textûs commentario ait, inter signa hæmorrhagica, reposita fuisse ab Hippocrate, in Prognosticis, tenebrosa, Verba hæc in hoc textu posita, & quæ

Variæ sentẽtiæ Hippocratis, de Hæmorrhagia futura.

quæ ſplendores perturbant, idem ſignificant, ac tenebroſa oculis opponi inſtante hæmorragia.

Textus 56. Vndecimo die ſanguinis, ſtillicidij inſtar, fluores difficiles. Galenus in commentario ait: Cùm autem omnes è naribus ſtillationes difficiles ſint, quoties craſſæ, & nigræ diſtillationes fuerint, maximè pernicioſas has reperies. Si verò tale quippiam diebus quibuſdam, vel indicatorijs, vel iudicatorijs, contingat, certius præoſtendiſſe licet.

Stillicidiũ ſanguinis nigri, & craſſi è naribus, pernicioſum.

Sgnũ hæmorrhagiæ.

Textus 57. Qui in horroribus ſimul iudicatoriè ſudant, poſtridiè verò, vbi inhorruerint, præter rationem vigilant, hos ſanguinis eruptionem incurſuros puto.

Textus 58. Quibus principio largum ſanguinis profluuium, rigor fluxionem ſiſtit. Galenus in commentario ait: Eſt, quando rigorem moderatum videmus prægreſſum ſanguinis profuſionem in corporis plenitudine: turbationem etenim in ipſo faciens, naturam ad excernendum, quod infeſtat, irritat. Magna igitur ex parte ſudores, vomituſq; bilioſorum, & deiectiones, ex rigore fiunt, contingit verò, & interdum, vt dixi, per ſanguinis profuſionem, copiam euacuari.

Rigor ſanguini fluxionem ſiſtit.

Textus 59. Sin copioſa ſuperuenerit ſanguinis profuſio, in contrarium reuellitur: Ex hæmorrhagia rigores longi. Sententia hæc obſcura eſt, nec Galeni interpretatio integram præbet claritatem. Vbi morbum non ſedauerit ſanguinis eruptio, exceperitque eam rigor, vtroque modo longus redditur; tum quia difficulter corpus recaleſcit, tum quia pluribus diebus perdurat, magna quidem ex parte per circuitum, quandoque verò, & vagabundè. Hic, iuxta Galeni mentem, ſenſus eſt verborum Hippocratis, ſed parùm perſpicuus: nam dubitatur, an de morbi longa duratione, eiuſdemq; periodica, aut erratica repetitione loquatur, an verò de rigoris lõgitudine, & repetitione regulari, aut erratica.

Ex ipſius ergo Hippocratis verbis claritas expiſcanda. Οἷσιν ἐξ ἀρχῆ αἱμοῤῥαγίαι λαῦραι, ῥίγος ἵστησι ῥύσιν: id eſt. Quibus ab initio, ſiue à principio hæmorrhagiæ copioſæ, ſiue multæ, rigor fluxionem ſiſtit. Et rurſùs ait: ἐξ αἱμοῤῥαγίας ῥίγεα μακρά: id eſt, ex hæmorrhagia rigores longi. Hinc patet, textum Hippocratis à nobis ex Galeno deſumptum, eſſe prorsùs truncatum: adeoq; perobſcurum.

Explicatur Hippocrates.

Tex-

Textus 60. iuxta ordinem à Galeno obſeruatum: Quibus capitis, ac ceruicis dolor, & totius corporis cum tremore infirmitas, ab ijs ſanguinis eruptio liberat. Quin etiam iſta tempore diſſoluuntur.

Sanguinis eruptio quos morbos ſanet.

Textus 53. Quibus è naribus copioſa, violenta, & multa fluũt, ad conuulſiones hi interdum deducuntur; venæ autem ſectio ſoluit. Nõ ſimpliciter, & abſolutè, in ſanguinis eruptionibus conuulſiones aſciſci aſſeruit Hippocrates, ſed interdum. Galenus in Commentario rem hac ſerie confirmat: nempe, & nos ſæpiùs vidimus in hæmorrhagijs huiuſmodi conuulſos aliquos, non ſolùm ob exuberantem vacuationẽ, quam ὑπερκένωσιν vocant, ſed etiam propter refrigerationem, ſi Medici caput refrigerauerint; ſanguinis profuſionem retinere volentes. Quod autem in dictionis calce dictum eſt, venæ ſectio ſoluit, ante ſanguinis profuſionem adhibita. Conſtat autem, quòd grauata ſanguinis multitudine Natura, excitata quidem ſit ad ipſius euacuationem, ſed modum obtinere non valens, vocatam à Recentioribus Medicis ὑπερκένωσιν, id eſt ſuperuacuationem, fecerit. Poteſt autem; & vehementius ipſius hæmorrhagiæ auxilium, ſectionem venæ dixiſſe: nempe, & nos ſæpiùs auxilium experti ſumus, perſpicuè immoderatam ſanguinis lationem ſiſtentes. Quòd autem manum recto tramite nari, vnde ſanguis abundè fluit, reſpondentem ſecare, manûſque eiuſdem humeralem venam ferire oporteat, liquidò conſtat omnibus. Si verò ex nare vtraquẽ fluxerit ſanguis, ſecare ambas nihil prohibebit: non enim per eas vacuationis, ſed reuulſionis gratiâ, ſectionem facimus. Hæc Galenus per ſe clarus. Ego ſanè non rarò vidi quoſdam ad Orci fauces reductos propter immodicam hæmorrhagiam, etiam Criticam; nec mirum, cùm magna ex ſanguinis, & ſpiritus euacuatione oriatur inanitio. Natura enim quandoque tanto cum impetu euacuationem materiæ morbificæ aggreditur, vt laxata ſemel lora ſine auxilio retrahere nequeat. Non ſolùm ergo parca hæmorrhagia malum eſt ſignum, ſed & copioſa malum ſignum, malaque cauſa, virium iacturam inuehens.

In hæmorrhagijs cur aliquando fiat conuulſio.

Sectio venæ hæmorrhagiam ſiſtit.

Hæmorrhagia immodica, etiam Critica, cur mortem ſæpè afferat

Textus 52. Ventris quoque palpitationes cum hypochondrij tenſione ſublonga, & tumente, ſanguinis indicant eruptionem; inhorreſcunt autem hi. Sectione 1. Prognoſticorum de pulſu in hypochondrijs loquens Hippocrates, ait: Si verò pulſus in hypo-

Signũ hæmorrhagiæ incertum.

po-

Pulsatio in hypochondrio, quid indicet.

pochondrio insit, perturbationem, aut dementiam indicat. Monet Galenus, pro pulsu ventris, palpitationẽ intelligi. Nonnulli verò, pulsum in contextu nominatum, accipi volunt pro motu Aortæ, siue magnæ arteriæ spinam perreptantis. Græcà vox, Παλμοὶ, in contextu habetur, & Latinè, Palpitationes sonat. Cæterùm siue in hoc sensu, siue pro pulsu accipiatur, non est futuræ hæmorrhagiæ certum indicium, quoties ventri inferiori superuenit. Nam palpitatio, aut pulsus in multis persentitur Hypochondriacis, quibus proinde nulla superuenit hæmorrhagia. Tenenda ergo solummodò Hippocratis electior sententia, Sectione 1. Prognosticor. posita, vbi de œdemate duro, & dolente, id est, de inflammatione, siue phlegmone hypochondriorum, loquitur: Accidit, inquit, his in prima circuitione, etiam sanguinis è naribus fluor, atque admodùm iuuat, sed requirendum est, num doleant caput, an hebetudines subeant oculorum: si quid enim horum fuerit, eò (id est hæmorrhagiam significat breui futuram) tendet. Magis tamen in Iunioribus quinto & trigesimo anno, sanguinis fluorem expectare oportet. Iuuenibus, qui trigesimumquintum annum nondum attigêre, hæmorrhagiam faciliùs, quàm Senioribus, superuenire ait, quia copioso præditi sunt sanguine Iuuenes, iuxta & Adolescentes; viribus insuper pollent, & calidiores cæteris sunt. Quæ omnia Criticam promouent hæmorrhagiam.

Iuuenes, & Adolescẽtes, cur proniores ad Hæmorrhagiam, quã Senes.

Textus 51. Et per nares sanguinem profundere sperandum est ea, quæ caput concutiunt; & quæ sonitum faciunt, sanguinem profundere, vel muliebria (siue menstrua) deducere, tùm aliàs, tum si in spina æstus insequetur: fortè verò, & Dysenteriam facere. Concutientia caput, secundùm quorundam opinionem, teste Gal. in Cõment. sunt omnia symptomata capitis: secundùm alios, sunt temporalium venarũ palpitationes, pulsationes vel tremulæ, vel vibrantes, quæ corpus quodammodo, sed maximè caput, concutientes, hæmorrhagiam aliquando, aliàs menstrua prouocant.

Hæmorrhagiæ signum.

Menstrua & Dysenteriã, quæ possint prouocare.

Concutientia caput, quæ.

Textus 60. Quibus ex rigore febres lassitudinariæ fuerint, muliebria his decurrunt: ceruix autem in his dolens, sanguinis indicat eruptionem. Rigor enim, de quo sæpè loquitur Hippocrates, hoc habet, vt totum corpus concutiat; vnde naturam ad superflui euacuationem excitat, adeòq; sanguine redundante, mulieribus menstruam purgationem, dummodò tempus adfuerit eiusdem

Menstruorũ futurorum signũ.

Rigoris vis.

pur-

purgationis, quæ per circuitum repetit. Purgatio quidem menstrua extra circuitum, debitamue periodum, superueniens, vix bona est, sed potiùs indicio est, Naturam præ molestia morbi, ad talem euacuationem cogi. Critica ergo vt sit, consueto tempore vt superueniat, est necesse. Si verò ceruix à rigore, vel rigoris tempore, doluerit, signum est vergentis sanguinis ad superas partes: quo tempore non menstrua purgatio, sed sanguinis per nares profusio expectanda.

Menstrua extra debitam periodū vix sunt bona.

Purgatio menstrua Critica, quæ.

Ceruix dolens à rigore, quid indicet.

Textus 49. Quæ ex naribus cum surditate, & ignauitate, siue torpore, parua est stillatio sanguinis, difficile quippiam habet: Vomitus his confert, ventrisque perturbatio. Sanguinis stillam, tanquàm irritatæ, & non vincentis Naturæ, indicium, vbique damnat Hippocrates: vt libro 1. Epidem. constitutione Temporis tertiâ, vbi de ardentibus febribus verba faciens, mox ait: Quibus quidem benè, ac largè sanguis per nares erupit, per hoc maximè seruabantur: & nullum noui, qui in hac constitutione mortuus esset, si rectè ipsi sanguis profluxisset. In Philisco enim, & Epaminone, ac Sileno, quarta, ac quinta die parum de naribus stillauit, & moriebantur. In Coacis Prænotionib. eadem de stillicidio habetur doctrina: Oculorum rectitudo in morbo acuto, & motus velox, & somnus turbulentus, & vigiliæ, & quandoque sanguinis è naribus stillationes, nihil boni. Et alibi in eodem opere, ait: Quæ in diuturnis exigua apparent sanguinis velut effluuia; mortifera. Et alibi in eodem opere: Vndecimum diem agentibus substilla sanguinis mala sunt: idque cùm aliàs, tum si bis fiat, & redeat. Item: Perexigua stillicidia, mala. Item: Exigua quædam superapparere, velut sanguinis substilla, vrinas, sudores, vomitus, deiectionesque eiusmodi; est quidem omninò malum, sed eò peius, quò frequentiùs reuerterint. Et alibi: Qui ab initio, & continenter sunt Comatosi, vnà cum Capitis, Lumborum, Ceruicis, Hypochondrij, dolore, somni expertes; etiamne Phrenitici? Substillum narium in his mortiferum; idque cùm aliàs, tum verò quartum diem agentibus, aut ineuntibus morbum. Mala etiam proluuies alui prærubra. Et alibi: Si quis in febre laboriosa, cùm perhorruerit, nonnihil criticè exudârit, indeque febris acuta exarserit, funestum: idq; cùm aliàs, tum si in hoc negotio sanguis stillârit. Et alibi: Si lateris morbo substillum incidat sanguinis è naribus; graue malum. Et alibi:

Stilla sanguinis pessimum Signum.

Larga sanguinis hæmorrhagia die critico superueniens, communiter bona.

Nulla parca euacuatio, bona.

alibi: Quæ cadunt in Peripneumoniam *prærubra* multùm stillicidia, mali sunt ominis.

Hæc de sanguinis stillicidio, occasione textûs traducti 49. dicere volui, quoniam res est non parui momenti. Eundem text. 49. repetit Hippocrates in Coacis Prænotionib. hac serie: Quibus ad surditatem, atque torporem, substillum accedit narium; aliquid præ se fert mali: Profuerit autem hos vomere, aluoque turbari. Eandem hanc sententiam in ijsdem adhuc Coacis præscripsit.

Sed scire par est, cur tam frequenter stillicidium sanguinis in febribus reprobauerit Hippocrates. Primo, parca hæmorrhagia (sicuti quæuis exigua euacuatio) damnatur; quia nihil paucum est Criticũ, vt cũ Galeno consentiũt pleriq; Medici: Secundo, exigua hæmorrhagia, mala est, aut mortifera, vt signum, mala denique aut mortifera, vt causa. Stillicidium mortiferum est, vt signum, prout experientiâ compertum est; ex qua experientia axioma modò propositum, nihil paucum est Criticum, emanauit. Ratio confirmat istiusmodi signi prauitatem: est porrò certum indicium, vel oppressæ præter modum, vel adhuc fatiscentis Naturæ. Substillum sanguinis, causæ etiam mortiferæ rationem obtinet, vt benè notat Duretus: quoniam ex irrita contentione naturæ, frustraque tentato sanguinis profluuio, maior infirmitas comparatur; ipse autem morbus vires acquirit eundo, vnde grauiorum symptomatum accessione natura iam effœta corrumpitur in totum, & ad interitum cum certa desperatione perducitur.

Nihil paucum criticum.

Stillicidiũ sanguinis malum vt signũ, malũ vt causa.

Vt hæc doctrina dilucidior videatur, sciendum est, τὰ ἐπιφαινόμενα, idest, superapparentia, signa scilicet de nouo contingentia, varias habere conditiones, vt bona, malaue dicantur. Non de omnibus Epiphænomenis, sed de Excretionibus tantummodò hîc loquor: cuiusmodi sunt in pleuritide sputa; pus è vomica siue Aposthemate excretum; deiectiones, in alui morbis: vrinæ in venosi generis incommodis, &c. Ex quorum qualitate, copiâ, & excernendi modo (vt Duretus optimè post Galenum refert) significatio fit rerum, aut benè, aut malè gestarum in partibus, vnde manant; & ex quibus argumenta ducuntur breuitatis, aut diuturnitatis, secundi, aut sinistri iudicij. Galenus, vt dixi, rem hanc declarans lib. 3. de symptomat. caus. cap. 4. ait: Siue namque ex naribus, siue auribus, siue palato, siue oculis, siue faucibus, siue vtero,

Quæ excernuntur statũ partium è quibus emouentur, indicant.

siue ex reliquorum quouis, excernatur quid: tum quantitas eius attendenda est, tum qualitas, itemque excernendi modus.

Quantitas, qualitas, & excernendi modus, in excretis obseruari debent.

Hoc posito, sanguinis è naribus stillicidium, pessimam excretionem esse constat, quoniam quantitate peccat deficiente; quæ ob sui exiguitatem debitæ atque necessariæ euacuationi minimè correspondet. Si autem parca excretio corresponderet causæ morbificæ magnitudini, eandem causam integrè, aut bona ex parte, è corpore eueheret, &, ratione sequelæ, morbum omninò supprimeret, vel eius vehementiam magna ex parte hebetaret adeò, vt natura morbo longè superior euaderet. Ratione ergo parcissimæ quantitatis excretæ, parca illa hæmorrhagia pessimi signi instar se habet.

Stillicidiũ, ratione quantitatis malũ.

Si denique qualitatem perpendamus, sanguis stillatim excretus prauus est, & colore, & consistentiâ: vt visum est in Philisco, qui sanguinem excreuit non solùm merum, sed crassum, & paucum quinto febris die, & sexto defunctus est, docente Hippocrate lib. 1. Epidem. Ægroto primo. Galenus in Commentario rem exponens, inquit: In stilla verò si accipiamus purum sanguinem, rubrum (quando eius hic est peculiaris color) falsi quippiam cogitemus. Rubri nam stilla haud est in morbo exitiali visa vnquam, sed atri semper. Proinde verisimile est, hunc ipsum atrum dicere Hippocratem, merum, intelligereq; vehementer atrum.

Stillicidium, ratione qualitatis malum.

Stilla verò sanguinis in morbo lethifero nunquam visa.

Dictum à nobis cum Galeno in superioribus est, mera, siue meraca, siue syncera excrementa, praua esse: Impermixta enim talia sunt: id est, aliorum humorum commixtione carent. Nec humores hîc accipimus pro quattuor humoribus communiter dictis, sed in ampliori sensu, pro quouis humore: Et ita humorum ichores, siue serositates, humoris nomen obtinent. Non solùm ergo syncerus, siue merus, siue meracus dicitur humor melancholicus atrabilarius, quòd sit expers commixtionis pituitæ, bilis, & sanguinis, sed adhuc sui ichoris siue seri. Fit enim plerumque talis humor ex bile multùm viridi, & æruginosa, tanquam ex materia: Efficiens eius causa, est intensus calor, non calefaciens modò, sed adurens, & exhauriens, siquid seri in eadem æruginosa bile superstes erat. Vnde inter humores præter naturam nullus inuenitur atra bile meracior: cùm hæc meracissima sit in vtraque meraci significatione, & quòd alterius humoris commixtione vacet,

Synceri humores, non illi tantum dicuntur, qui aliena mixtionis sunt expertes, sed ille etiam cuius serum vi caloris, aut frigoris est exhaustũ.

Materialis, & efficiens causa atra bilis.

Generatio synceroru humorum caloris ardore facta.

cet, & quòd omne eius serum sit exhaustum. Permodicum sanè serum in bile viridi, siue æruginosa, eius materiali causa, remansit. Vnde & eadem æruginosa, ex porracea, aut vitellina genita, mera est, meracaue, veluti porracea, & vitellina: imò flaua fermè ipsa. Pallida autem sola mixta est, quia sero multo diluta: Sero autem, febrili calore, exhausto, absumptoue, eadem pallida in flauam migrat: flaua, accedente intensiori calore, in vitellinam: vitellina adhuc superassata in porraceam, aut æruginosam: æruginosa verò immodicè torrefacta, in atram bilem, omnium maximè syncerã: Non est autẽ alterius humoris, aut proprij seri particeps.

Guttæ sanguinis nigricantis per nares stillantes, ardorẽ indicant internum.

Probè sic cognito humore syncero, vi caloris genito, ad stillicidium syncerum redeamus, quod prauum est, atq; mortiferum signum, ratione qualitatis. Niger enim sanguis in ardentibus febribus per nares stillatim excretus, indicium est summi ardoris, vel potiùs adustionis, & vniuersi incendij massæ sanguinariæ, Nectaris suauissimi. Stillicidij nigri pernicies hac inuestigatione detegitur: Sanguis, qui sursùm ad caput fertur, tenuior est sanguine ad infernas, lateralesq; corporis partes delato; quia quod sursum petit, quasi sponte, tenuius est ijs, quæ deorsùm vergunt. Si ergo sanguinis ad caput delati portio perexigua per nares exclusa, nigra est, & crassæ consistentiæ, à fortiori reliquus sanguis, inferiùs, partim spontè delabens, partim distributus, crassior nigriorq; caloris adurentis operâ, esse debet. Et consequenter guttæ synceræ adusti sanguinis è naribus stillantes, firmum lethiferi exitûs argumentum esse debent. Massa porrò sanguinaria tota flagrans, & in crassam substantiam, eamque nigricantem conuersa, naturam quandam atræ bilis æmulam consequitur. Vnde non indicium modò adustionis esse solet, sed causa perniciosissima naturam molestans, nimiumque exercens, proritansq; sua quadam acrimonia. Atra enim bilis, etsi sæpiùs ex bile adusta, eâq; æruginosa, nascatur, generatur tamen ex melancholico sanguine superassato. Sanguis ergò impensè adustus, naturæ atræ bilis est particeps.

Atræ bilis generatio.

Sanguis merus stillatim effluens, est sanguis adustus.

Concludendum ergo, sanguinem merum stillatim per nares emissum, & ab Hippocrate insinuatum, esse sanguinem adustum; vt idipsum testatur Galenus, & ratio facilè persuadet. Non est tamen negandum, quandoq; stillam sanguinis esse pessimum

signum,

signum, tametsi nondum sanguis fuerit superassatus. Primò enim morbi die, non rarò secundo, stilla sanguinis non multùm adusti superuenit: Et sæpè quidem veneni irritantis vehementia, qua Natura ad excretionem stimulatur. Vidi sæpissimè innumeros ægros Peste correptos, intempestiuo stillicidio laborantes, quibus profectò nullatenùs profuit. Sanguis, qui excernebatur, crassus erat, & in ipso exitu cócrescebat: imò dum multis venam propria manu secarem, animaduertebam per largam scissuram, nihil, aut permodicum sanguinis concreti exire. Quod sanè non à nimia adustione sanguinis prouenie bat, cùm ægros quàmplurimos non multum vrgeret febris, sed potius à veneno, calorem natiuum latè superante, & deuastante; sanguinisque concretionem, vi quadam occultâ, procurante. Fortassis propter maximam caloris natiui iacturam subitò factam frigus superuenit; cuius virtute sanguis concrescit, & sero, propter concretionem, destitutus, fluere, nisi lentè atque guttatim, nequit. Et cùm sero carere videatur sanguis ille, meritò iners dici potest. Et hæc de Excreti specie.

Pestiferis stillicidiū intempestiuum non profuit.

Sanguis à veneno concrescere potest: tum etiam ob frigus.

Tertium, quod in excretis obseruandum docuit Galenus, est modus excernendi; sub quo modo tempus excretionis comprehenditur, & pars, per quam ipsa excretio fit. Sanguinis autem stilla adhuc, quoad modū, praua est. Nam sanguinis stillicidium fit, quotiescúque idem sanguis guttatim, & pigro lapsu exit, quod accidit, vel quia malignis copiosisque humoribus Natura non dominatur; vel quia eadem Natura à malignis copiosisque humoribus diu multumq; oppressa, tandem fatiscit, & sub tam graui onere succumbit: quæ omnia ex corporis torpore siue segnitie sæpè dignoscimus. Segnities autē illa in principio morbi orta, est symptoma virium nimis oppressarum; quod accidit non rarò ex eo, quòd neruorum principium madefactum est, vt in Austrina tempestate contingere solet; vel quia in paroxismis febrium pestilentialium maligna miasmata Cor oppetunt, & Cerebrum, eaque non mediocriter labefactant. Prouecto autem morbo, segnities superueniens, symptoma est virium efœtarum, propter iam exhaustum spiritum, tàm vitalem, quàm animalem, & calorem natiuum prorsus ab hoste superatum. Natura ergo sic oppressa cùm suo dominatu humores malignos, copiososque, non teneat, dum irritatur, aut fatiscit, guttarum sanguinis exitum cohibere minimè

Modus excernēdi in excretis obseruandus.

Sanguinis stilla mala quoad modum.

Stillicidiū quid, & quas ob causas fiat.

Segnities corporis in principio morbi quale symptoma.

Segnitiei causa.

Hæmorrhagia vera, & salutaris. nimè potest. Sanguis ergo non cum delectu, nec copiosè, sicuti criticè fieri consueuit, sed guttatim, & consequenter prauo cum exitu excernitur; & cùm talis excretio, symptomatis, non Crisis, rationem habeat, Medicos, quoties apparet, primo intuitu non modicè deterret.

Stilla sanguinis cur mala. Non solùm ob prauum, indebitumque exeundi modum, sanguinis stilla mala est, sed præterea quia debito tempore nunquàm ferè accidit: Fit enim, quasi semper, in morbi principio, aut augmento; Critica verò euacuatio, vt salutaris sit, in morbi statu superuenire debet. Naturæ ergo irritatæ & oppressæ indicium, est stilla sanguinis, intempestiuo tempore apparens, veluti naturæ dominantis signum, sanguis liberaliter die critico effusus. Sed fateri cogimur, stillam sanguinis diebus indicibus, aut Criticis apparentem, esse certum mortis indicium; vt videre est in historia Philisci, cui stilla sanguinis superuenit die quinto, & die sexto interijt. Metoni die quarta bis sanguinis stilla superuenit: Sed Hippocrates die quinto caput calidâ aquâ fouendo liberaliter excitauit hæmorrhagiam, sine qua de Metone actum esset. Stillicidium die vndecima superueniens in Coacis damnauit. Damnatur diebus indicibus, & Criticis stillicidium, quia huiusmodi mortis certitudinem præmonstrat. In Coacis stillam quarto die superuenientem damnat Hippocrates, inquiens: Si cui ardenter febricitanti, & quartum morbi diem agenti, sanguis fluat è naribus; grauissimum habet malum: nisi quid aliud bonum accesserit. Idem si fiat quinto, minùs periculosum. Vt autem rectè intelligantur verba illa, nisi quid aliud bonum accesserit, ad memoriam reuocanda Metonis historia. In hoc enim, postquàm die quarto sanguinis stilla apparuit, die quinto liberalis hæmorrhagia visa est; veluti post hanc imperfectam Crisim crebra hæmorrhagia. Legenda denique alia Hippocratis Sententia in Coacis, quæ hac serie scribitur: Quibuscunq; febrium initijs, oborta sternutatione, sanguinis stillicidia sunt è naribus; si quidem vrina quarto die hypostasim habeat albam; vacationem morbi septimo fore ostendit.

Stilla sanguinis diebus indicibus, aut Criticis apparens, certum est indicium mortis.

Aqua calida hæmorrhagiã excitat.

Stillicidiũ damnat Hippocrates.

Explicatur Hippocrates.

Stillicidiũ sternutatione cõsequẽs vnà cum signis coctionis in vrinis, boni est ominis.

His demonstrat Hippocrates, in morbi principio nullam fieri fæliciter Crisim: omnia enim tunc cruda. Stillicidium tamen à superueniente sternutatione, boni successûs præludium esse potest, dummodò signa coctionis in vrinis quarto die appareant.

Stil-

Stillicidium enim per se mali est ominis, sed dum sternutamentum sequitur, & in vrinis extat album sedimentum, malignitatem, & omnem perniciem deponere videtur; quia hæc signa virium robur indicant. Sternutatio enim est Cerebri concussio, facta ad rei noxiæ exclusionem: quæ, quoties fit, argumento est, cerebrum non esse valdè oppressum, nec suo robore destitutum: cùm contraria inesse conijci liceat, quando ægri in principio febrium ardentium Comatosi decumbunt. Stillicidium ergo, quod sternutationem consequitur, & post quod signa coctionis in vrinis apparent, non est prauum, nec lethiferum, sed indicium Criticæ & salutaris hæmorrhagiæ die septimo futuræ. Signa enim coctionis semper bona sunt, teste Hippocrate lib. 1. Epidem. vbi, iuxta Galeni citationem, inquit: Maturationes excrementorum omnes vndique tempestiuæ, aut bonæ: Et decretorij abscessus considerandi sunt. Concoctiones, celeritatem portendunt iudicij, securitatemq; salubrem. Cruda verò, & incocta, atq; in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas.

Sternutatio, quid.
Sternutatio, quid indicet.
Signa coctionis sẽper bona sunt.
Concoctio quid indicet: quidq́ Cruditas.

Sub excretionis modo continetur euacuatio morbo congrua. Vnde non solùm stillicidium, sed hæmorrhagia, calamitosa est in hydrope, & morbis frigidis, ferè semper.

Hæmorrhagia in quibus morbis mala.
Conclusio.

Concludendum ergo denuò, stillicidia esse ex se formidabilia ratione quantitatis, &, vt plurimùm, ratione qualitatis, semper verò ratione modi excernendi.

Textus 45. sect. 3. Prorrhet. Ceruicis dolores, impensè rubri oculi, sanguinis eruptionem ostendunt.

Hæmorrhagiæ signa.

Textus 33. Sanguinis ad latus diuersum eruptiones, malæ: vt si cùm lienis magnus fuerit (tumor scilicet phlegmonosus) dextra ex nare fluat: atq; res in hypochondrijs ita habet. Cum sudore deterius id existit. In Coacis Prænotionibus eadem sententia hac serie habetur: Sanguinem è diuerso fluere; malum est: vt in Liene magno è dextris. Atque similiter in Hypochondrijs. Adiecit Hippocrates, hypochondrijs: quoniam situs ipse hypochondrij sinistri rectitudinem lienis in eo conclusi, cum nare sinistra clarè confirmat, sicuti situs recti hypochondrij, in quo maiori ex parte reconditum est hepar, huius rectitudinem ad narem dextram. Et hæc de Diagnosticis, Prognosticisque Signis mixtim ex Hippocrate transcribere volui.

Sanguinis fluxus è cõtraria parte, malus.
Rectitudo nariũ cum dextro & sinistro hypochõdrio.

SE-

SECTIO VI.
De Signis Excretionis Hæmorrhoidalis.

Euacuatio hæmorrhoidalis, inter Criticas euacuationes ponitur.

SAnguinis euacuatio per venas hæmorrhoidales dictas, inter Criticas euacuationes, quæ solis acutis morbis frequentiùs accidunt, locum concesſêre Medici, experientiâ ducti. Sed quia rarò Crisis acutis hâc viâ superuenit, Hippocrates ipse, & Galenus, præcipui, aut soli Medicinæ Principes, prænuncia hæmorrhoidum signa neglexerunt. Et meritò, quoniam, præter absentiam signorum aliarum euacuationum Criticarum, vix peculiari vllo signo hæmorrhoidalis euacuatio mox futura prænoscitur. Vnde inter solemnes euacuationes Criticas hanc non enumerauit Hippocrates in Coacis Prænotionibus, dum inquit: At verò morbi acuti iudicãtur sanguine prorupto è naribus in tempestiua Crisi: sudore item multo; atque purulentâ vrinâ, & vitreâ, laudabili prædita hypostasi, quæ cumulatè funditur: tum abscessu etiam commemorabili; nec non mucosa & cruenta aluo repentè citata (dysenteriam intelligit); Postremò vomitionibus minimè malis in Crisi. Verùm, vt dixi, experientiâ compertum est, Iuuenes, & multos in sequenti ætate constitutos, à febribus, alijsque malis liberatos fluxûs hæmorrhoidalis interuentu. In iuuenili autem, & consistenti potissimùm ætate, multis vtriusq; sexûs erumpit ex hæmorrhoidalibus venis menstruatim sanguis, quia in illis ætatibus multũ melancholici sanguinis generatur: qui præ suo pondere libentiùs deorsùm, quã sursùm, inclinat. Lib. 3. nostræ Physiologiæ, monuimus, venas hæmorrhoidales in internas, & externas dirimi: Et per internas cacochymiã, sed præcipuè melancholicum humorem, ex vena porta delatum, excerni: per externas verò, quæ sunt ramuli rami hypogastrici descendentis, corporis vniuersi plethoram commodissimè minui. Et ita non solùm melancholici affectus, sed omnes viscerum inflammationes, & febres, hæmorrhoidali fluxu, tempestiuè, & debitè superueniente, curantur. Hippocrates lib. 4. Aphorismorum aphor. 25. Sanguinis nigri, id est melancholici, per infernas vias, id est venas hæmorrhoidales, euacuationem laudat. Item lib. 6. Aphorism. 11. ait: Melancholicis, & Ne-

Fluxus hæmorrhoidũ vix peculiari signo prænoscitur.

Modi varij, quibus iudicantur; morbi acuti.

Fluxus hæmorrhoidalis, tum iuuenes, tũ alios, à varijs morbis liberat.

Venæ hæmorrhoidales aliæ externæ, aliæ internæ: per has cacochymia, per illas corporis totius plethora expurgatur.

Hæmorrhoidali fluxu tempestiuo, qui morbi curentur.

Nephriticis hæmorrhoides superuenientes; bono sunt. Aphorismo 21. eiusdem libri 6. sequentia etiam habentur: Insanis, si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio. In Coacis Prænotionibus sequentia habet: Quæ Apoplecticis veniunt hæmorrhoides, salutares: pestifera autem perfrictio, atque stupor. *Melancholicis. Nephriticis, & Insanis, & Apoplecticis, hæmorrhoides prosunt.*

Notandum hîc est, sicuti hæmorrhois pro hæmorrhagia, hac in latiori significatione acceptâ, accipitur ab Aristotele lib. 1. de Generat. animal. cap. 19. vbi hæc habet: Vt igitur in aluo diarrhæa ex cruditate est; sic in venis aliæ hæmorrhoides, ipsaque in primis menstruorum.

Ex Coacis Prænotionibus vnum colligere possumus signum, instantem fluxum hæmorrhoidum prodens: Estque lumborum dolor. Dolorifica in lumbis mala, sanguiflua. Græcè enim habetur vox, αἱμορ'ῥοϊκα, quæ licèt benè latinè sonet, sanguiflua, optimè tamen hæmorrhoidalis, vel hęmorrhagicus fluxus dici potest. Vult enim Hippoc. dolores in lumbis excitatos, esse prænuncios fluxus sanguinis per infernas vias, vel dolorifica illa lumborum mala sanguinis fluxum deorsùm excitare. Et quoniam nō per hæmorrhoidales solùm venas, sed etiam vteri, sanguis profunditur, ideò dolor lumborum, æquiuocum, & non peculiare signum fluxûs hæmorrhoidalis statuitur. Peculiare tamen fortassis euadet, si homini melancholico, & melancholicam agenti vitam, continget. *Hæmorrhois, & hæmorrhagia confunduntur ab Arist.*

Sententiam citatam, alterâ, quæ est trigesimaoctaua Sectionis 3. libri 1. Prorrhetic. confirmare videtur: Lumbis, inquit, dolentibus stomachi dolores accedentes, signa eruptionis sanguinis puto, notamque progressam. Galenus sententiam hanc exponens, inquit: In his igitur vacuationem per hæmorrhoidas expectare oportet. Posses autem non solùm id fore prædicere, sed & propter hæmorrhoidum retentionem ea fuisse conijcere, magisq; si eius, qui hæc patitur, temperaturam videas melancholicam, vt tibi ex dictis non solùm futuri, verùm & præteriti, & tertiò præsentis sit. Nempe cùm ab alijs distinctus fuerit lumborum dolor, & cardialgia, præteriti quidem erit prænotio, quòd & antea fuisse illi per hæmorrhoidas vacuationem noueris: futuri, quòd & nunc erit: præsentis autem affectionis perspicua sunt symptomata, nempè copia in venis aceruata, tenue quoddam serum in ventrem confluens, Cardialgias parit, in os ipsius ascendens, quod omnium ferè par- *Hæmorrhoidalis fluxus indicium.*

tium maximè ſentiendi facultate præſtat. Plurima autem abundantiæ portio ad infernum repens locum, in quem & primùm deferri conſueuerat, lumborum dolores efficiet.

Lumborum doloris cauſa.

Rectè Galenus Lumborum dolores hæmorrhoidibus dicauit, dummodò melancholiæ redundantis ſigna affuerint: Nam hæc ſigna, lumborum dolores, qui menſtruas pariter purgationes antecedunt, ad hæmorrhoidas contrahunt. Sed non futuras modò hæmorrhoidas nobis indicant iſti lumbares dolores, ſed inſuper ex ijſdem conijcimus copiam ſanguinis in lumbaribus æquè, ac alijs deſcendentibus venis tam magnis, quàm exiguis, contineri, quoties quadam Cardialgia laborat æger: Quæ quidem cardialgia, ſiue orificij ventriculi dolor, prouenit à ſeroſis quibuſdam humoribus ſursùm refluentibus, vtpotè regurgitantibus, infernis vaſis nimiùm refertis, id quod in ijs tenuius eſt, & maximè obediens facultati expultrici vaſorum ſuperfluo onere grauatorum. Verùm, quia lumborum dolores vnà cum Cardialgia, mulieribus etiam, quibus menſtrua deficiunt, aut mox futura ſunt, æquè benè, ac ijs, quibus erupturæ ſunt hæmorrhoides, familiares ſunt, ſemper obſeruanda in viris, hæmorrhoidarum capacibus, ſunt ſigna melancholiæ dominantis; quæ ſi adſint, vnà cum lumborum doloribus, & cardialgia, certiores nos faciunt de futuro hæmorrhoidali fluxu, deque repletione vaſorum inferiorum, imò quandoque venarum meſenterij, & lienis. Cardialgia deniq; vnà cum lumborũ doloribus, nobis indicare poteſt ægrum præteritis temporibus hæmorrhoidali fluxui fuiſſe aſſuetum.

Lumborum dolores quid indicent.

Cardialgia à quibus fiat.

Cardialgia, vnà cũ dolore lũborũ, quid indicare poſſit.

Sed vnde dolor ille lumborum hæmorrhoides præcedens, ortum habeat, paucis exponere par eſt. In iuuenili, & conſiſtenti ætate, cùm copioſus generetur humor melancholicus, Natura, quod inutile eſt, paulatim deponit deorſum ad venas, collectioni, & euacuationi talis humoris deſtinatas: quando in venis deſcendentibus versùs podicem, & in reliquis vicinarum partium, facta eſt non exigua ſanguinis collectio, venæ repletæ amplificantur, parteſque quæ intumeſcere poſſunt, vt lumbares muſculi interni, tunicæ inteſtini recti, & quandoq; ipſius meſenterij, tumidiores fiunt; ex hoc tumore naſcitur quædam contractio ligamentorum inteſtini recti, & aliarum omniũ partium. Hinc neruoſis, & membranoſis partibus dolor accedit: augetur multum dolor ex ipſorum

Dolor lũborum hæmorrhoides præcedens, quomodo fiat.

rum

rum vasorum distensione, simulque infestantis humoris praua qualitate. In lumbis porrò maximus persentitur dolor ex arteriarum micantium molesto appulsu, & oppressione musculorum interiùs lumbis adiacentium. Opprimuntur enim à distensione magnarum venarum lumbarium, quæ à nimia sanguinis copia oritur. Arteriæ præterea dolorem lumbaribus musculis, & valde tumefactis, inferunt: feriendo nimirum carnem, fibris, neruulis, membranulisque munitam; non secùs, ac partibus inflammatis accidit.

Quomodo partes inflammatæ ex arteriarum pulsu doleant, docet luculenter Galenus in Commentario Aphor. 21. libri 7. qui hac serie scribitur: A forti in vlceribus pulsu, profluuium sanguinis. Galenus in Commentario inquit: In vlceribus inflammatis pulsus fit, non ferente carne incumbente arterijs, illarum motum, sed dolente, quando se attollentes exciderint: Est enim huiusmodi pulsus, sensus quidam cum dolore ex arteriarum motione factus, quas neque ab initio sentiebamus, cùm membra se haberent secundùm naturam, tum quia eorum adhæsus non est molestus, tum quia in spatio laxiore mouentur. Membris verò inflammatis, & loci angustatio, & dispositio dolorifica, tristem afferunt laborantibus sensum, ex motu arteriarum: quem non solùm Medici, sed omnes homines pulsum appellant. Videntur autem, & hic arteriarum motus augeri in talibus dispositionibus. Ostensum siquidem est in Commentar. de potētijs naturalibus, quòd est quædam in ipsis etiam vis, aliena excernens, quæ & sudores iudicatorios facit, & profluuia sanguinis, & alui inferioris deiectiones, & quæcunq; alia huiuscemodi. Secundùm hanc igitur vim nonnunquàm vehementiùs Natura operans, magnum, & violentum arteriarum efficit motum, appetens illa, quæ molestant, expellere: atq; ita profluuium sanguinis facit.

Partes inflammatæ quomodo doleant ex arteriarū pulsu.

Expultrix facultas, quæ molestiam inferunt, excludit.

Quamuis lumbares interni musculi, cæteræque partes inferiores, quarum vasa sanguine referta sunt, formali phlegmone non laborent, phlogosi saltem infestantur non obscura: Nam tanta sanguinis copia in vasis consistens, diutinam moram, absque eo, quòd aliquem concipiat feruorem, & incendium, contrahere nequit: multi inde fiunt Lumbiqueruli. Et reuera, nisi intra modicum tempus sanguis erumpet, varias patietur æger ærumnas, tam in inferioribus partibus, quàm superioribus: In inferioribus quidem,

Lumbiqueruli.

Ob retentū sanguinem, cur

tam in inferioribus quàm superioribus partibus, multa mala fiãt melãcholicis, & hypochondriacis.

dem, quòd hæc nimio, eoque inutili grauentur onere, à quo cuncta vasa, præ sui copia, si non sui crassitie, obstruuntur. Superiores duplici modo; tum quia id quod deorsum affluxit, secundùm tenuiorem, saltem, sui partem, sursùm refluit ad vasa, ad intestina, ad ventriculum, aliquaque ex parte ad Cor, & Caput: Vnde multa melancholicis emergunt mala, prout quotidiè hypochondriacis, suo dispendio & maximo damno, euenire compertum est. Tum denique, quia sanguis melancholicus superfluus, qui ex hepatis cauitate per ramum mesentericum, aliquando splenicum, deorsùm transmitti, & denuo euacuari consueuit, non ampliùs, præcluso itinere, descendit, aut excernitur, sed in hepatis cauitate, & venis mesaraicis stabulatur, in ijsque pertinaces, & eradicatu difficiles efficit obstructiones: imò in venam cauam, eiusque propagines, irruit, totamque coinquinat massam sanguinariam. Ex ipso enim liene inflammato sanguis in vasa maiora, mediantibus anastomosibus, migrat, sursumque quandoq; ad sinistræ naris venulas cum impetu ascendit, & earundem venularum ora recludens, extra copiosè, dum criticè, erumpit. Non est ergo mirandum, si sanguis melancholicus ad lienem non delatus, ex vena porta, eiusque ramis, & radicibus, in venam cauam cum reliquo sanguine facilè tranat, suoque commercio sanguinem vniuersum coinquinat. Sed ab his omnibus angustijs ægrum liberat sanguinis per podicem liberalis excretio. Vnde in Coacis inquit Diuinus Senex: Quæ ex lumborum dolore cientur hæmorrhagiæ; largæ. Ideo enim, vrgente lumborum dolore, fit sanguinis copiosa profusio deorsùm, quia arteriæ lumbares magnæ sunt, adeoque magnum inibi edunt pulsum, licèt à partium lumbarium plenitudine quoquo modo opprimantur: à vehementi verò, & magno pulsu partes vicinæ repletione laborantes, pulsantur, comprimuntur, & excitantur ad expressionem copiosi sanguinis in proprijs vasis occlusi. Et cùm venæ hæmorrhoidales non multùm à lumbis distent, sanguinem superfluum, molestiam enutrientem, Natura eò propellit; & tandem reseratis ijsdem hæmorrhoidalibus venis, extra corpus excernit.

Via, per quam sanguis melãcholicus expurgari solet ex hepate.

Obstructionum pertinaciũ causa.

Copiosa fit hæmorrhagia vbi adest sanguinis copia, & magnus impetus.

Varia incommoda ex hæmorrhoidũ retentione orta.

Cæterùm, sanguis ille cacochymus inde non exclusus, sed ibidem sistens, necessariò impuram constituit lacunam, ex qua, tanquam ex corrupta minera, ad partes supernas, tam thoracis, quàm

capitis,fumus eleuatur prauus, varios, pro ſui varietate, excitans affectus: Nam caput replens, vel hæmorrhagiam excitat, vel paraphorica, vel cataphorica, vel cephalalgica, & catarrhoica generat ſymptomata, præter alia innumera in interpoſitis partibus, quæ mediæ ſunt inter ſaburræ loca malè affecta, & ipſum caput. In ventriculi enim orificio, vt diximus, cardialgiam excitat id,quod ſurſum capeſſit: Lien, & iecur, tumiditatem quandam acquirunt; diaphragma ob hypochondriorum tumiditatem,& vapores tetros ipſum ferientes, adhuc læditur: Vnde reſpirandi difficultas. Cor ob eoſdem vapores ex illa eluuione ſuſceptos, nũc palpitat, nunc deficit; & pulmones ipſi iſtis vaporibus pleni, thoracis motum non niſi ſegniter conſequuntur. Hippocrates in citima ſuperiori Sententiæ Coacæ, rem hanc iuſinuat, inquiens: Quibus ex dolore lumborum anadrome fit ad caput, torpidæ manus, cardialgiæ, auriumque flatus ſonori; hæmorrhagiæ largæ; tum alui profusè feruntur, ac mentes perturbatæ vtplurimùm. Duretus obſcuritate gaudens, ipſa voce Græca, ἀναδρομὴ, eſt vſus: Ille enim Græcaniſans, quamplurimas paſſim voces Græcas, latinè non expoſitas, vt, more quorundam,linguæ Græcæ peritus videatur,ſuis commiſcet latinis Phraſibus: cùm ſatiùs eſſet, interpretandi claritatem, quàm inanem auram affectare. Ἀναδρομὴ igitur latinè idem eſt ac excurſus, recurſus, ſublatio in altum, aſcenſus, ſeu aſcenſio. Vſus eſt denique voce, Paraphorica, Duretus, quam inexpoſitam reliquit,ſicuti vocem, Cataphorica. Paraphora enim eſt error mentis: Paraphoros, inſanus, cuius mens à ratione aberrat, vel animi impos, vel delirans. Παραφόρως, errabunda mente, inſanè, aut non ſatis ſana mente, vel titubanter. Cataphora idem eſt,ac veternoſa ad ſummum delatio (ex 1. Prorrhet.) qua ægris ſopori graui ſimile quid obuenit, fiuntq; tum omnis ſenſûs, tum vocis expertes, ex libro 1. de diebus decretor.cap.4. Cephalalgica, ſunt ſymptomata dolorifica capitis. Catarrhoica, ſunt ſymptomata in excretis, & præſertim excretiones humorum è cerebro ad palatum. Hæc omnia ſymptomata, aliaque varia, in capite generantur ob humores attenuatos in inferiori ventre, ſurſumq; rursùs in caput delatos. In Coacis, multa mala è lumborum doloribus emergere narrat Hippocrates; qui in textu vltimo à nobis tranſcripto, αἱμορροΐη᾽α vſurpat pro hæmorrhagia, ſicuti in alijs paſſim ſententijs fecit: à quo

Citima eſt mox conſequens ſententia.

Multi indocti, vt docti videantur, Græcis paſſim vtuntur voculis; etſi neque has, neque latinas rectè perpendãt.

Paraphora, & Paraphorus, quid.

Cataphora, quid.

Cephalalgica ſymptomata.

Catarrhoica.

Hæmorrhois pro hæmorrhagia accipitur ab Hippocrate.

quo proculdubio eundem loquendi modum mutuatus est Aristoteles, de quo supra loquuti sumus.

Signa instantium hæmorrhoidarũ.

Præter dolorem lumborum, multi, quibus hæmorrhoidæ mox sunt futuræ, quendam in ano persentiunt pruritum; imò pruriginoso dolore alium non rarò vehementiorem, veluti quoddam excernendi desiderium. His præsentibus, vnà cum communi turbatione critica, & vacuitate signorum aliarum excretionum, verisimile est, hæmorrhoides in foribus esse. Quarum securitatem, aut fraudem obseruandam docet Hippocr. lib. 1. Epid. sed expressiùs lib. 6. Epid. sect. 3. aiens: Qui sanguinem per ora venarum, quæ in ano sunt, profundere solent, neq; morbo laterali, neq; pulmonis inflammatione, neq; vlcere exedente (phagedænam dicunt,) neq; furunculis corripiuntur, neq; tuberculis, quæ à cicerum similitudine therminthi dicuntur, ac fortassis ne lepra quidem, forteque, neq; alijs id genus. Intempestiuè tamen curati multi, breui huiusmodi morbis correpti sunt, eamque ob causam perniciosè habuerunt. Quod & in reliquis abscessibus, velut fistulis contingit, qui aliorum medela sunt. Et in his quidem videndum est, quibus in morbis, quæ facta sunt liberant, eosdem si ante fiant prohibere. In fine libri de humoribus eadem habetur sententia: vbi tamen loco, qui, ponitur, quæ, post, fistulis.

SECTIO VII.

De Signis instantis Menstruæ Purgationis.

EXcretionem Criticam sanguinis per muliebria loca in hunc vltimum locum reseruauimus; quia mulieribus solis, & non viris, hæc euacuatio propria est. Hippocrates libro 1. Epidem. febres acutas, menstruis purgationibus tempestiuè aduenientibus, iudicatas refert. Constitutione temporis tertia, hac serie rem narrat. Mulieres porrò multæ quidem ægrotârunt, pauciores autem, quàm viri. Et pauciores etiam mortuæ sunt. Plurimæ verò ægrè pariebant, & post partus insuper ægrotabant, & hæ potissimùm peribant: velut Telebuli filia, quæ sexta à partu die mortua est. Plurimis itaque in febribus menses apparebant. Quibusdam verò ex naribus sanguis erupit: & virginibus multis id primùm factum est. Quibusdam & ex naribus sanguis, & menses proruperunt: velut Dætharsei filiæ virgini tunc primum apparuerunt,

& san-

& ſanguis largus è naribus fluxit. Neque vllam mortuam noui ex his, quibus aliquid probè factum eſſet. Et pluribus interpoſitis, inquit: Magnus itaq; fuit morborum numerus: atque ex ægris præcipuè interibant adoleſcentes, iuuenes, ætate florentes, quiq; erant glabro corpore, cute ſubalbida, extenſo, & nigro capillitio, & nigris oculis, ocioſè & ſegniter vitam degentes, voce alta, exili, aſpera, balbi, iræ præcipitis & acerbæ, plurimæque huiuſce generis mulieres peribant. At verò hoc in ſtatu ex quatuor maximè ſignis ſeruabantur ij, quibus aut ex naribus benè ſanguis profluxiſſet: aut vrina multa, in qua quod deſidebat, copioſum, & laudabile erat, per veſicam proceſſiſſet: quique aut per aluum turbulenta, biliosa, tempeſtiuè demitterent, aut in difficultatem inteſtinorum delaberentur. Multiſque vſu venit vt non ab vno ex deſcriptis ſignis iudicarentur, ſed vt plurimi per omnia percurrerent, & grauiùs habere viderentur. Sed hi omnes, quibus iſta contingerent, incolumes euaſerunt. Mulieribus item, & Virgunculis euenerunt paulò ante memorata ſigna omnia. Decernebat autem, ſi quibus aut horum quippiam optimè fieret, aut liberaliter muliebria apparerent, nullaque (quod ſciam) ex his quibus horum quid optimè factum eſſet, interijt. Philonis namque filia, cùm liberaliter ex naribus ſanguis effluxiſſet, quod ſeptimo die intempeſtiuiùs cænaſſet, mortem obijt.

Qui, quæq; interibant.

Multi ſeruabãtur aduentu hæmorrhagiæ, Perirrhææ, diarrhææ, aut dyſẽteriæ, ſiue difficultatis inteſtinorũ.

Purgatione menſtrua plures iudicabãtur.

Cœna larga criſim bonam euertit.

In prima parte Coacarum Prænotionum, quæ de febribus eſt, non diſſimilem doctrinam Diuinus Senex nobis reliquit, inquiẽs: Septimum diem morbi agentibus, aut nonum, aut decimumquartum, ſanguinis profluuia è naribus, vtplurimùm tollunt febres. Similiter etiam aluus biliosa liberaliter ducta, aut dyſenterica. Quin etiam genuum, coxarumue labores; aut benè cocta ſub Criſim, & craſſa, largaque vrina. Idem quoque facit in Fœmina profluuium menſtruale. Libro 5. Aphoriſm. 57. periculum innuit, quotieſcunque naturaliter ſanis mulieribus menſtrua non erumpunt, inquiens: Menſtruis abundantibus morbi eueniunt, & ſubſiſtentibus accidunt ab vtero morbi. Libro 3. Aphoriſmorum 28. de Criſi adueniente pueris intra dies quadraginta, intra ſeptem menſes, intra annos ſeptem, & circa pubertatem, verba faciens, quandoq; ſalutarem Criſim fœminis, dum menſtrua erumpere incipiunt, ſuperuenire docuit. Textibus verò libri 1. Epidem. à nobis

Eædem quinque euacuationes criticæ alibi laudantur.

Aphoriſ. 57. lib. 5.

Criſis fit 7. & 14. menſe, & anno.

bis transcriptis, de Critica, & salutari menstruorum profusione, fæminis acuto (non chronico, de quo lib. 3. Aphorism.) morbo laborantibus loquutus est. Libro 3. Epidem. habetur historia virginis in Larissa ardente febre correptæ, cui tunc menstrua erumpere cœperunt: Et licet sexto die larga sanguinis è naribus profusione, & sudore multo calido per totum corpus effuso, superuenientibus, esset iudicata, menses tamen, qui febris decursu, & post Crisim prodiere, absque dubio non exiguum inuexere leuamen. Nam sine his, sexta die absoluta, & perfecta crisis facta non fuisset. Mulier etiam morosa in Thaso acuta febre laborans, die tertia nocturno tempore, multum sudorem calidum per totum corpus exclusit, & iudicata est: circa iudicationem menses multi prodierunt. Virgini etiam in Abderis ardenti febre correptæ menses primùm descendebant. Decimaseptima die sanguis per nares fluxit multus. Vigesimaseptimâ sudauit multum, à febre libera.

Virgo Larissea. *Mulier Thasia.* *Virgo Abderitana.*

Plura de re hac dici possent, sed quoniam doctrina est non Medicis modò, sed plerisque, tam viris, quàm mulieribus, notissima, satiùs duxi, eam contrahere, quàm protrahere. Deueniendum ergo ad signa, quæ nobis menstrua mox erumpenda præindicant. Hippocrates lib. 1. Prorrhetic. sect. 3. tex. 50. à nobis superiùs, sectione de hæmorrhagia transcripto (pro quo 50. perperàm Typographus posuit 60.) Lassitudinem statuit præcedens Signum profusionis menstruæ. Quibus, inquit, ex rigore febres lassitudinariæ fuerint, muliebria (siue menstruæ purgationes) his decurrunt. Lassitudo, de qua hîc loquitur Hippocrates, est spontanea, quæ plenitudinis soboles est: diciturque quibusdam grauitas, siue grauamen, ob quod pigrius solito redditur corpus. Textu 51. eiusdem libri à nobis transcripto, rachitidis, siue spinæ æstum siue ardorem, mox futurorum menstruorum signum esse docet: monet tamen, hoc idem signum instantem dysenteriam prodere. In Coacis eandem sententiam hac serie repetit: Perculsum caput, aurium Echo, hæmorrhagiam cient; aut mulieribus muliebria deorsùm effunduntur: idque cùm aliàs, tum si inde rachis incandescat æstu: fortassis etiam dysenterica sunt hæc. In ijsdem Coacis Prænotionibus sequentia scripsit: Quibus à rigore febris est laboriosa; promouentur muliebria. His dolens Ceruix hæmorrhagiam ciet. Rigor enim prouenit mulieribus ex biliosa cacochymia, è venis vteri, & partium

Primum signũ menstruæ profusionis, est lassitudo spontanea. *Secundum signum est lumborum æstus, siue ardor.* *Tertium signum est rigor.* *Rigor mulieribus vnde fiat.*

tium

tium ambiẽtium expreſſa, quæ ad lumbares partes priùs tranſmittitur, in quibus ideò rigor incipit, & ſursùm ad dorſi partes, & Ceruicem prorepit, cacochymiam ad iſtas partes ſenſim tranſmiſſas, conſequens.

Vt hæc doctrina vlteriùs eniteat, ſciendum eſt, rigorem eſſe concuſſionem, & vibrationem quandam, vt teſtatur Galenus Libro de Tremore, Palpitatione, Conuulſione, & Rigore, cap. 6. Si quid rei inſpiciamus, Rigor eſt perfrictio dolorifica, cum quadam inæquali totius corporis concuſſione. Libro 4. de ſanit. tuenda cap. 2. eum, fermè, ſimiliter hoc modo deſcribit: Rigor eſt inæqualis totius corporis concuſſus, & turbatio. Libro cit. de Tremore, Palp. &c. cap. 6. à Galeno dicitur Rigor eſſe ſenſibilis, ſubita, vehemens, & violenta perfrictio, in ſtatum præter naturam deducens: Calorem enim natiuum tunc refrigerari docet: quod ſaltem verum eſt, ſi ambitûs corporis calor conſideretur: qui ſanè rigoris tempore nimium opprimitur. Quoties autem cacochymia è ſua minera ſuſcitatur, & quoquouerſum diffunditur, Calor natiuus habitûs exterioris corporis, vt ſuppetias internis partibus adferat, eaſque à ſuperfluitatum iniurijs vindicet, confeſtim confertimq; intus recurrit, & reliquo calori natiuo adiùnctus impetum in rem moleſtam faciens, partem eius non exiguam ad habitum corporis impellit; quandam non rarò portionem ad ventriculum, quæ hinc per vomitum excluditur; quandam quandoque partem ad inteſtina, quæ rursùs per podicem excernitur; alijs vicibus bilioſa materia plenitudini annexa ſursùm ad caput citiſſimè fertur, & venarum narium extremas reſerans oras, hæmorrhagiam excitat: Si autem in mulieribus menſtruæ purgationis periodus inſtet, menſtrua purgatio breui proruptura eſt. Rigor quidem, & vomitum, aluiq; fluxum, & ſudores, & hæmorrhagiam, ac menſtrua prouocat: dummodò tempus congruum inſtet, & ſigna appareãt coctionis. Qui Galeni doctrinam cap. citato Libri de Tremore, &c. prælibauit, huic doctrinæ minimè refragabitur: quoniam rigoris tempore calor natiuus per plures inſultus noxia extrorsùm propellere contendit, & viciſſim ab humoribus, vias omnes obſtruentibus, prohibitus, & vi in altum ſiue profunditatem corporis repulſus, ad proprium principium, Cor, refugit: inde rursùs in hoſtem violento cum impetu erumpens, ſeſe parumper explicat. Sed reniten-

Rigoris varia deſcriptiones ex Galeno.

Dum cacochymia e venis diffunditur, calor natiuus partiũ externarũ intùs pecurrit, vt hoſti occurrat; eumq; à corde propellat, & auertat.

Rigor vomitũ, diarrhæam, ſudorem, hæmorrhagiam, & menſtrua ciet.

Caloris natiui conatus tempore rigoris.

Res, cuius natura est perpetuò moueri, quiete moritur.

te causâ morbificâ repulsam accipiens, ad interiora recurrit. Sed ne quiete pereat, rursùs in hostem nouam molitur eruptionem: & ita vicissim calor natiuus, & causa morbifica, aduersis impetibus, & repulsibus pugnant, donec fortior aduersarium superet. Quamplurimos in febrilibus accessionibus ob acrem conflictum, tempore rigoris maximè initum, perijsse docet Galenus, & frequens confirmat experientia. Quotiescunque verò victrix natura morbi causam domuit, per sudores, aut aliter, eandem fæliciter excludit. Concludendum ergo, in rigore vehementes fieri motus, adeoque tunc commodè per aliquam conuenientem viam excerni quod molestiam Naturæ infert.

In rigore commodè per aliquã viã excernitur id, quod naturam molestat.

His præhabitis, ad Sententiam Coacam redeamus, quæ dictabat, febrem laboriosam (id est, lassitudinariam, seu lassitudinem comitem habentem) quam rigor præcessit, esse signum prorupturæ menstruæ purgationis, aut hæmorrhagiæ, quæ vicem supplet deficientium muliebrium; quæque salubriter cietur, quando factus est humorum impetus ad caput. Nam hæmorrhagia tunc non superueniente, multa de nouo mala in capite, & interpositis partibus, quæ videlicet inter vterum, & caput sitæ sunt, emergunt. Ex menstruorum equidem suppressione, effera, atque perhorrenda enascuntur symptomata, quæ numero inferiora non sunt ijs, quæ ex hæmorrhoidum suppressione oriri monuimus: imò mulieribus contingentia ex menstruorum intempestiua suppressione, mala, tàm ferina quandoque sunt, vt citissimè mortem inuehant, aut vitam ærumnis plenam foueant. Plurimorum accuratissimam descriptionem habet Hippocrates Libro 1. de Morbis Mulierum, vbi post sextum menstruæ suppressionis mensem, hanc eandem incurabilem esse refert.

Menstruorum proruptur orũ indicium.

Hæmorrhagia vicem supplet menstruorum deficientium.

Ex suppressione menstruorum, & hæmorrhoidũ, horrenda nascuntur symptomata.

Non febrilem modò rigorem, sed horrorem, eruptionis menstruæ prænuntium esse docet Diuinus Senex, diuersis in Sententijs Coacis. Quæ, inquit, in horrore, sunt lassitudine, & capitis grauitate; muliebria ijs prorumpunt. Et alibi post hæc: Crebri horrores, cum lassitudine, & capitis grauitate, & colli dolore, muliebria cient profusè. Atque id sub Crisim obortum, mouet tussiculam cum rigore. Etsi in horrore musculi, artusque, ac vniuersa corporis compago, non moueantur, sicuti in rigore fit, sed ipsa corporis superficialis pars, virtutem tamen habet ciendi menstrua, quia ha-

Suppressio mensium quando incurabilis.

Signa proruptura menstruæ purgationis.

Horror à rigore differt.

habitum exteriorem corporis commouens, vicinas consequenter commouet; & partes subinde omnes, ac venæ, nimia plenitudine, lassitudinem pariente, ob menstruorum retentionem, laborantes, contentos mouent humores; qui aliquantisper moti suum cursum ex instituto naturæ præscriptum ad vias euacuationi destinatas inflectunt, diriguntque. Antequàm tamen ita ad exitum per loca muliebria disponuntur humores, causa horroris ex venis exprimitur, & ad cutem delatâ, atque natiuo calore ad interiora recedente, horror accedit; qui non secùs ac rigor, à lumbis in mulieribus incipit. Rigorem à lumbis mulieribus exordiri docet Hippocrates lib. 6. Epidem. hac serie: Rigores incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis, & per dorsum, & tunc in caput: Verùm & Viris posteriùs, quàm à priori parte. Horrent exteriora magis, quàm interiora corporis, vt cubitorum, femorum. Sed etiam cutis rara: id verò pilus indicat. A quibus autem alijs rigent fortasse vlceribus, incipit ex vasculis; id est (vt in Commentario loquitur Galenus) ex humoribus prauis intra vascula contentis. Hanc doctrinam in Aphorismis, vbi maximè suam ipsius sententiam explicat, vt in Commentario loquitur Galenus, planiùs exposuisse videtur. Libro etenim 5. Aphorism. 69. hac serie loquitur: Rigores incipiunt mulieribus, ex lumbis magis, & per dorsum perueniunt ad caput: Viris verò parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, veluti ex femoribus, & cubitis: Sed & cutis ijs rara est, id quod pilus indicat. Galeni doctissima expositio hîc locum meretur: Rigores, inquit, omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore: paratiores autem non solùm ad suscipiendam, sed etiam sentiendam frigiditatem, sunt dorsi partes: quare non absque ratione hinc rigores inchoant, & hi citiùs fiunt Mulieribus, quoniam Fœmina est naturâ frigidior, atque imbecillior. Recurrit autem hinc rigor incipiēs, ad principium neruorum, scilicet caput, celerrimè facta per spinalem medullam compassione, quoniam & ipsa, naturâ frigida est, sicut & Cerebrum, & propter substantiæ mollitiem, vt Cerebrum, alterationem facilè suscipit. Ex partibus autem anterioribus rigores non inchoant, quoniam calidiorem habent, quàm partes posteriores, temperaturam: huiusque argumentum sumit ex cutis raritate: rursùsque raritatis ex pilorum multitudine. Dictum est autem à me de generatione pilorum sufficienter in Commentarijs de temperatutis.

Horroris causa.

Rigores in mulieribus à lūbis inchoantes, sursum ad caput prorepunt: in viris à coxis & cubitis.

Cur à dorsi parte rigor incipiat.

Rigor, cur fæminis citiùs fiat.

Rigor, cur nō inchoet à partibus anterioribus.

 Ar-

Argumentum caloris, est pilorum multitudo, qui in anterioribus corporis partibus multò feraciùs, quàm in posterioribus, crescunt: quia partes nobiles, & calidæ, Cor, & Hepar, ad anteriores, quàm posteriores partes corporis multò magis inclinant. Vnde posteriores, quàm anteriores partes, multò promptiùs refrigerantur, quoties calor natiuus (fluens scilicet) exteriora deserens, ad interiora recurrit: vel quoties ab externo frigore corpus alteratur. Præterea, partes posteriores magna, numerosaque continent ossa, ex sua natura frigida. Rachis enim instar carinæ retro sita est, quæ septem Ceruicis vertebris, duodecim dorsi, quinq; lumborum, quibus os sacrum, quinque aut sex ossibus coalescens, licet addere, constat. Posteriores ergo partes facilè frigoris impressiones suscipiunt.

Pili cur copiosiores in partibus anterioribus, quàm posterioribus.

Rachidis situs, & compositio.

Menstruæ purgationis signa compendiosè Galenus hac serie proposuit Lib. 3. de Crisib. cap. vlt. Grauitas enim lumborum effatu digna, & dolor, & tensio hîc menstrua antecedit. Grauitas lumborum à plenitudine oritur; lumborum quippe vertebris etiam vena caua descendens coëxtenditur, cuius inferior pars repletione, menstrua periodo appetente, laborat; veluti venæ spermaticæ, & hypogastrica propago, quæ in vteri corpus disseminantur. Ex eadem repletione dolor, & corporis vteri tensio nascuntur. Eodem quippe modo in menstruis prorupturis, ac hæmorrhoidibus, ratiocinandum.

Grauitas lumborum vnde proueniat.

Dolor, grauitas, & tensio, signa ordinaria menstruorũ aduenientium.

Vt rem definiam, dolor, & grauitas, ac tensio in lumbis, in vteri regione dolor pariter, & tensio, quam hypogastrij tensio consequitur, appetentibus menstruis, quasi ordinariè percipiuntur. Præter exposita signa, fæminis febre vexatis maior æstus in lumbis, vteriq; regione, doloresque acerbiores, Rigor, aut horror, instantibus menstruis, aut his suppressis, præterquàm in grauiditate, vt loquitur Hippocrates lib. 5. Aphorism. 61. superueniunt. Æstum alicuius notæ, aut dolorem, aut rigorem, horroremue, non semper menstruam eruptionem præcedunt, vt quotidiana docet experientia. Nam multæ mulieres sanguine puriori, & omni penè cacochymia vacuo, refertæ, nihil molestiæ ingruentibus menstruis percipiunt; & solummodò ex humiditate pudendum irrorante, & sensim in femora delabente, erumpentia menstrua animaduertunt. Sed de his satis.

Rigor, vel horror, dolor acerbior, & æstus, dum febricitant, adueniunt.

Signa mẽstruorum ordinaria nõ semper apparẽt ante eruptionem menstruorum in quibusdam fæminis.

Ap-

APPENDIX.

De quibuſdam rarò contingentibus Excretionibus Criticis.

IN ſuperioribus dictum à nobis fuit, præter ſeptem enumeratas Excretionis Criticæ ſpecies, octauam dari, quæ ſputatio dicitur. Sed nihil nos moratur hæc Excretio, quoniam nulla habet ſigna præcedentia certa, præter, fortaſſis, ſignorum aliarum excretionum vacuitatem, quæ menſtruis prorupturis, hæmorrhoidibus, & alijs fermè omnibus, cõgruit. Sufficit ergo ſolemniorum, & frequentiorum Euacationum Criticarum ſigna præcedentia propoſuiſſe. Verumtamen licèt quædam aliæ Euacuationes prænuncijs careant ſignis, non proinde deſinunt eſſe Criticæ: vt conſtat ex Hippocrate Libro de Criſib. ſiue Iudicijs, vbi ait: Capitis morbo vehementer affecto, ſi pus per aures, aut nares effluxerit, morbum ſoluit. Et in Coacis Prænotionib. ait: Ex capitis dolore liberat pus è naribus effluens, aut ſputa craſſa, & inodora. Liberat quoque & vlcerum eruptio: interdum verò, & ſomnus, ac alui fluxus. Per ſputa craſſa, & inodora, intellexit Hippocrates mucum, craſſamque pituitam coctione ſubactam. Mucus enim, vel pituita tenuis, coctione craſſeſcit, & per os, aut nares reiecta, dummodò inodora ſit, boni eſt ominis; quia omni caret putredine. Libro 6. Aphoriſm. 10. ſequentia leguntur. Caput dolenti & circumdolenti, pus, aut aqua, aut ſanguis fluens per nares, aut os, aut aures, ſoluit morbum. In Coacis, Criſim cruenta expuitione factam laudat, inquiens: Quibuſcunque mulieribus, oborta febre, dolor mammarum incidit; inde nata ſputi cruenti non fæculenti expurgatio, moleſtiam omnem exoluit. Licèt alibi ſputum cruentum damnet Hippocrates, hîc id criticum ſtatuit, & rationabiliter; quia ſputum cruentum cum dolore mammarum, indicat menſtruæ purgationis ſuppreſſionem, & conſequenter plenitudinem: Quam ob cauſam febres acutæ frequenter ſuperueniunt. Febrili ardore ſanguis attenuatur, & feruet, ſurſumque non ſegniter percurrit, & à febre ad curſum concitatur: & vbi ſubſiſtit, ibidem morbum efficit. Quoties ergo in mammis ſtabulatur, eas infeſtat, in ijſdemque do-

Sputatio, octaua Excretionis ſpecies.

Sputatio non habet ſigna certa.

Euacuationes Criticæ ignobiliores.

Pus per aures, aut nares effluens, capitis dolorẽ ſoluit.

Sputa craſſa, & inodora, quæ.

Sputum cruentum aliquando criticum.

Doloris mammarũ cauſa.

dolorem excitat: qui dolor mammarum à febre.i. febris, superueniens, memoriam renouat societatis thoracis, mammarum, vocis, & genitalium, vt loquitur Hippocrates lib. 2. Epidem. Mammis porrò, & vtero, per vasa iisdem communia, societas intercedit: & quoniam eædem mammæ cum thoracis partibus societatem habent, facilis ex iisdem mammis fit transitus sanguinis redundantis intra thoracem. Vicina quidem sunt mammarum, & partium thoracis vasa, & mutuam officiorum cōmunicationem præstant. Sanguis ergo ille copiosus commodè per os purè expuitur; dico purè, quia merus sanguis, nulli sputo, præsertim albo, permixtus, excernitur, isque fortassis concretus; quia, si è venis internis thoracis in thoracis cauitatem effunditur, concrescit, & à pulmonibus sugitur, vt per os deturbetur. Si tamen sanguis ille ad gutturis venas percurreret, aut ex pulmonibus immediatè excurreret, ante expuitionem non concresceret, sed rubicundus & purus eijceretur, & non obscurus, aut fæculentus, aut puniceus.

Mammæ, cum Vtero, & thoracis partibus, societatem habent.

Extat adhuc in Coacis hæc Sententia: Sterilibus vomitio sanguinis, ad concipiendum prodest. Vomitum verò sanguinis damnat absolutè Hippocrates alibi in iisdem Coacis, sed hoc in loco est Criticus. Quoniam is menstrui sanguinis retentioni superueniens, fœminam ab omnibus angustijs liberat, & ad integram sanitatem reuocat. Sanguis porrò tunc vomitu excretus, vel rubicundus est, vel niger; si rubicundus, ex pulmonibus, aut ipso ventriculi corpore effunditur. Sanguis enim copiosè ex pulmonibus ad guttur, & fauces, impetu reiectus, quandam vomitûs speciem parit: maximè verò, quoties gulam attingit. Ex corpore pariter ventriculi sanguis rubicundus reijci potest: Si tamen aliundè translatus sanguis in eius cauitate conquiescit, in grumos degenerat, & grumosus vomitu reijcitur. Serositas quidem à lumbaribus venis in menstruorum suppressione ad ventriculum transmissa, vomitum ciet, & Cardialgiam: similiter sanguine eò transmisso, sanguineus citatur vomitus. Facta quidem menstruorum cohibitorum anadrome, siue ascensu ad hepar, si in eo sanguis subsistit, hydropem parit: Si ad pulmonē, ibidemq; stabuletur, peripneumoniam, empyema, phthysimque excitare consueuit: ad Cor translatus, syncopen, & mortem. Sin altiùs ad caput rapiatur, recurratue sanguis, omne genus mali, quod capiti accedere solet, producit;

Vomitus sanguinis, sterilibus ad concipiendū prodest.

Quomodo dignoscatur, ex qua parte sanguis euomatur.

Cardialgiæ causa.

Ex menstruorū suppressorum anadrome ad varias partes, varij morbi fiunt.

ducit; aliaque varia in alijs partibus. Vnde Hippocrates in Coacis Prænotionibus ait: Salutare est, muliebria non cohiberi. Nam inde veniunt Epilepsiæ: quibusdam autem profluuia longa ventris, vt arbitror; nonnullis etiam hæmorrhoides. Et alibi in eodem opere: Lumborum tensio, atque pedum, ex muliebrium abundantia (id est suppressa) in suppurationem abit. Tum quæ ab aluo variè pigro lapsu exeunt ægrè, viscida, fædi odoris, strangulatoria præter illa iam dicta, suppurationem inducunt. Tales autem arbitror nonnihil delirare.

Suppressio mensium varia generat symptomata.

Excretio illa sanguinis per os, expuitione, aut vomitione, facta, vices completas suppressionis menstruorum, vt prosit, gerere debet: id est, quantitas excreti sanguinis, cohibitæ quantitati respondere debet. Sputum enim vnum, aut alterum cruoris, non est Criticum: & sputum cui stamina quædam sanguinis permixta sunt, quale est Peripneumonicorum, non est sputum sanguinis propriè. In Coacis, de sanguinis sputo loquitur hac serie Hippocrates: Quicunque sanguinem spumosum spuunt, dextrum hypochondrium dolentes, de hepate spuunt, & multi pereunt. Et paulò post, ait: Sanguinem spuentibus confert, vt sint sine febre, & tussiant, ac doleant leuiter, & vt sputũ tenue fiat ad dies bis septẽ. Febrire verò, & tussire, ac dolere pertinaciter, & sanguinem recentem semper spuere, incommodum est.

Sputum cruentum, vt sit Criticum, quid requiratur.

Sanguinẽ spuentibus, quæ conferant.

De sanguinis vomitu idem pronunciandum, de cuius bonis, malisq; conditionibus, in Coacis, vt sequitur, loquitur Hippocrates: Quibus est vomitus sanguinis, febris multa, & dolor circa mammam, thoracem, & dorsum: quibus hæc omnia fiunt, breui moriuntur. Quibus autem non omnia, neq; valdè, tardius. Inflammati autem sunt diebus quatuordecim, ad summum. Et paulò inferiùs, inquit: Qui spumosum sanguinem vomunt, dolore infra Septum transuersum non existente, de pulmone vomunt. Et quibus quidem magna in ipso vena rumpitur, multum vomunt, & in periculo versantur: Quibus verò minor, minus educunt, & securiores sunt. Hîc de sanguinis vomitu, qui ex ruptione vasorũ pulmonis oritur, verba fecit Hippocrates. Sanguinis verò Critica vomitio, venarum anastomosim, siue apertionem, consequitur. Multum ergo refert scire, an via excretionis sit idonea, nec ne: similiter an sanguis sit ruber, an nigricans, an liquidus, an crassus. In

Prognosis ex vomitu sanguinis.

Sãguinem è pulmonibus vomitu excerni quomodo dignoscatur.

mor-

Stillicidia sanguinis prærubra cur mala in calidis pulmonum morbis.

Hæmorrhagia in quartana, & morbis chronicis, mala.

Crisis interdum fit, dum copiosus sanguis fluit ex partibus vlceratis, Cancro, & Carbunculis.

morbis enim pulmonum calidis, Peripneumoniâ potissimum, prærubra stillicidia sanguinis in Coacis damnantur, non ratione exiguitatis euacuationis tantùm, sed præterea ratione coloris veluti punicei, qui oritur ex absumptione seri sanguinis ab ardore nimio. Scire adhuc refert naturam morbi: Nam: Quibus in febribus quartanis sanguis ex naribus fluxerit, malum est; vt habet Hippocrates Libro 6. Aphorismor. 82. Idem de morbis Chronicis, iuxta eiusdem Hippocratis mentem, pronunciandum.

Crisis quandoque fit, quoties sanguis satis copiosus ex quibusdam vlceratis partibus effluit: Salutare porrò est, sanguinem ex Cancro, & Carbunculis effluere. Hippocrates sanguinis fluxum in quibusdam vlceribus laudat. Galenus Lib. 14. Methodi Medendi cap. 9. fluxum sanguinis in Cancro abscisso probat. Libro autem 4. de Morbis, Crisim in vlceribus fieri præclarè docet Hippocrates, hac serie: Humoris enim agitatione corpus, & vlcera incalescunt, & tale quid immoderatus labor efficit. Vlcera autem quinto die inflammatione sedantur, & secundùm horum dierum rationem, pro vlcerum magnitudine, etiam tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo. Sanè quoties vlcera inflammatione laborant, per hæmorrhagiam commodissimè iudicantur; sicuti omnes inflammationes: Loquor enim de hæmorrhagia, quæ fit, non per nares, sed per ipsum vlcus apertum.

In Aposthematibus nonnunquam fit Crisis.

In ipsis Aposthematibus quandoque Crisis fit, quoties collectum in parte tumida sanguinem accensum, calor natiuus temperat, domat, concoquit, rursùsq; partem, vnà cum pure mordente & exitum quærente, suo perforat impulsu, vt rei molestæ detur exitus. Si totum hoc opus natiuo calori, nullâ factâ concoctricis, aut expultricis facultatis mentione, tribuendum dixi, non est, quòd quispiam ignarus hunc dicendi modum mihi vitio vertat, cùm Hippocrates natiuum calorem omnium operationum auctorem, & opificem in nobis statuerit; Galenus modò huic omnem agendi authoritatem, modò facultatibus naturalibus vim non exiguam regendi corpus, concesserit.

Excretio Lumbricorum, calculorum, aut arenæ, critica aliquando est.

Crisis aliquando fit, quoties fæliciter Lumbrici, corpus nimium vexantes, per anum deturbantur: imò, quoties calculi, aut sabulum, vel arena, extra vesicam tempestiuè excluduntur, æger inde conualescit.

Dy-

Dysenteriam criticè superuenire, superiùs cum Hippocrate monuimus. Præter ea, quæ Libro 1. Epid. & alibi, hac de re promulgauit, Libro de Iudicationibus hæc habet: Si tenuioris intestini morbus superueniat, vinum frigidum copiosum, meracum, paulatim propinato, quoad somnus, aut crurum dolor oboriatur, quem etiam febris, aut intestinorum difficultas (id est dysenteria) soluit. Sed de Criticis euacuationibus hæc sufficiant.

Dysenteria critica. Vini frigidi, copiosi, & meraci vis.

CAPVT VII.
De Signis aduenientis Abscessûs.

Crisim cum Hippocrate, & Galeno, bifariàm fieri diximus, vel materiam morbificam extra corpus effundẽdo excernendoue, vel eandem causam deponendo à parte, aut partibus, quas infestat, ad aliquam partem ignobiliorem. Et quoniam hic duplex iudicandi modus est valdè solemnis, Crisis ipsa propriè sumpta, congruè satis in Excretionem, & Abscessum, tanquàm in duas, easq; legitimas, species diuiditur.

Bifariam fit Crisis.

Crisis diuisio.

Abscessus duplici in sensu accipitur ab Hippocrate in Epidemijs: Libro enim 1. Sect. 2. nunc pro humorum effluuio extra corpus, nunc pro alicuius humoris delatione & decubitu ex vna parte in alteram, accipitur. Pro Excretione Abscessum sumi testantur hæc ipsius verba: Quum verò tempus produceretur, & dolores essent multi, ac colliquatio mala, his abscessus succedebant, aut maiores, quàm vt ferre possent, aut minores, quàm vt quicquam prodessent: sed statim recurrerent, & ad peius euaderent. Galenus in Commentario ait: Vbi multa est inconcoctorum humorum copia, abscessus fiunt: qui parui si sint, nihil conducunt: sin autem magni, vires ijs non sunt pares. Quod autem etiam hoc loco vacuationes per effluxum, abscessus vocet: proxima oratione clarè significat. Proxima oratio Hippocratis, de qua loquitur Galenus, sunt subsequentia verba: Quæ hos infestabant, hæc erant, Dysenteriæ, Tenesmi, Lienteriæ, & fluxiones alui: nonnullos etiam Aqua inter cutem, quæ vel hæc habebat adiuncta, vel non habebat. Et paulò inferiùs idem Hippocrates ait: Vnum verò bonum, maximumque inter signa, quæ fiebant, quodque multos à mani-

Abscessus duplex acceptio.

Abscessus quãdo fiat.

Abscessus parui, & magni damnantur à Galeno.

Euacuationes humorũ, abscessus dicũtur Hippocrati, & Galeno.

Vrinæ stillicidium, etiam dolorificum, criticum quandoque esse solet, & abscessus dicitur Hippocrati.

Diarrhœa, aut disenteria, aut vrinæ excretione, totum corpus expurgatur.

festis periculis vindicauit, hoc fuit, quibus ad stranguriam diuerterent, & in hoc abscessus fierent; accidit autem plerisque stranguria in his ætatibus potissimùm. Galenus in Commentario ait: Nosque diximus, vbi per renes excrementa purgantur totius corporis, vrinæ illos stillicidium corripere, cùm ob alia, tum præcipuè propter confluentium vrinarum acredinem: quæ etiam nunc in causa fuit. Tenendumque rursùs memoriâ est, hîc quoque abscessus dicere illum in stranguriam factos, licet per effluxionem, non autem decubitum, de toto emanarent corpore infesti humores. Vt enim repurgatur non raro per ventrem vniuersum corpus, & item non raro per renes, & vesicam. Sed erat his stranguria diuturna, & cum dolore per stranguriam repurgabatur totum corpus. Has autem partes erat necessarium, per quas acres excernebantur vrinæ, affici: quia vellicabantur scilicet, continuaque excretione sollicitabantur: vnde etiam in ipso vrinarum transitu offendebantur. Eiusmodi autem symptomata ob excrementorum, quæ expurgabantur, copiam, longiori tempore illis perdurabant. Et paulò post Galenus in Commentario horum verborum: (Maturationes excrementorum omnes vndique tempestiuæ, aut bonæ, & decretorij abscessus considerandi sunt) ait: Sed abscessus etiam ex effluxione, id quod in primis est elaborandum; aut abscessus ex decubitu in partes ignobiliores: nam alterum est hoc propositum, vbi abscessum per effluxionem assequi nequeamus. Libro 2. Epidem. de duplici illa abscessûs significatione loquitur, hac serie: Abscessus, aut per venas, aut per ossa, aut neruos, aut cutem, aut alias emotiones. Boni autem sunt, qui infra morbum fiunt, veluti varices, lumborum grauitates, si ex superioribus partibus ad infernas demittantur. Optimi verò potissimùm sunt inferni, & longissimè infra ventrem, & remotissimi à morbo; & qui per effluxionem fiunt, velut sanguis è naribus, pus ex aure, sputum, vrina, quæ per effluxionem fiunt.

Abscessus bifariam accipitur.

Boni abscessus.

Ecce sicuti Abscessus, Græcè, ἀποστάσις, tam de Excretione humoris extra corpus, quàm de decubitu, aut translatione humoris ab vna parte in alteram, in qua subsistit, dicitur. Et hæc est prima significatio ambigua abscessus. Vel dicamus, Abscessum primò pro decubitu humoris in aliquam partem, in qua sistit, tumoremque aliquem vtplurimùm excitat, accipi. Secundò, pro excretione hu-

Abscessus prima acceptio.

Secunda significatio abscessus.

humoris extra corpus. Tertiò, Abſceſſus pro migratione vnius morbi in alterum, ſumitur ab Hippocrate Libro 1. Epidem. Sect. 2. vbi hæc habet: Quibuſdam autem non paucis, ex alijs febribus ac degenerationes (alia verſio habet, ſeceſſus) in quartanas fiebant. Græcè enim habetur vocabulum, ἀποςάσιες, id eſt degenerationes, ſiue ſeceſſus, ſiue migrationes, ſiue tranſmutationes. Quartò, Abſceſſus idem eſt, ac Apoſthema, aut Tumor ſuppuratus; vt habetur Sect. 1. Prognoſtic. Sententiâ 37. Abſceſſus minùs faciunt illi tumores, qui in ventre ſunt, quàm qui in hypochondrijs. Minimè verò, qui ſubter Vmbilicum ſunt, in ſuppurationem vertuntur. In textu Græco extat vox, οἰδήματα, id eſt Oedemata. Oedema enim ſolet Hippocrates nominare omnem tumorem præter naturam, recentioribus Medicis vocantibus vnum tantummodò tumorem, qui, premendo, dolore vacat, & mollis eſt, inquit Galenus in Comment. tex. 29. Sect. 1. Prognoſtic. qui hac ſerie habetur: Oedema in hypochondrio durum & dolens, peſſimum eſt, ſi in vniuerſo ſit hypochondrio: ſi verò altera parte ſit, ſiniſtra minori cum periculo eſt. Hæc citaui, vt religioſè textûs verba obſeruarem. Oedema enim communiter hodie pro tumore laxo, molli, & albicante, doloreq; vacuo, accipitur, cuius cauſa eſt humor pituitoſus. Verùm apud Antiquiores Medicos pro omni tumore præter naturam accipiebatur. Et in hac laxiori ſignificatione loquutus eſt Hippocrates, quando inquit, tumores, qui in hypochondrijs fiunt, faciliùs ſuppurari, quàm hos, qui ſunt versùs vmbilicũ. & minimè ſuppurari tumores, qui ſunt ſub vmbilico; quia partes ſub vmbilico remotiores ſunt à partibus calidis, quàm ſuperiores ventris, & hypochondriorum partes. Tumores verò, qui verè ſuppurantur, ſunt Phlegmonoſi, ſiue à ſyncero ſanguine ortum ducant; ſiue à ſanguine, qui aliorum humorum commixtionem habet. Quoniam ergo partes tumoris à ſe inuicem auellũtur, ſeparantur, & abſcedunt, vt ingreſſui copioſi humoris ad eaſdem affluentis, neceſſariò cedant, & locum, vi oppreſſæ, & dilatatæ, tribuant, tumor inde natus, rectè abſceſſus nuncupatur. Suppuratio etiam non malè dicitur, cùm Galenus Commentario penultimi textûs à nobis citati, vtatur hac voce, ἐκπυήσεις, id eſt ſuppuratio, aut ſuppurationes, vt vocem ἀποςάσιας exponeret.

Tertia ſignificatio.

Quarta ſignificatio.

Oedema, quid Hippocrati.

Oedema, quid communiter.

Phlegmonoſi tumores ſoli ſuppurantur.

De Abſceſſu in prima ſignificatione accepto, nobis cum Hip-

pocrate sermo erit. Nam abscessu multi iudicantur, non secùs, ac Excretione. Abscessum tamen hoc in loco accipimus cum Hippocrate Libro 2. Epidem. sect. 1. pro quouis decubitu, siue depositione humoris ab vna parte in alteram; ita tamen, vt in hac altera moram contrahat, saltem aliquam. Postquàm ea quæ iam antea à nobis ex Lib. 2. Epidem. sect. 1. translata sunt, scripsit, subiunxit subsequentia: At Abscessus, quibus hæc non fiunt, sunt velut dentes, oculus, nasus, sudor. Sed & quæ sub cutem ascendunt foràs tubercula, velut putrescentia, & quæ suppurantur, aut vlcus, aut eiusmodi pustulæ, aut squamæ, aut defluuium capillorum, vitiligines, lepræ, aut eiusmodi, quæ abscessus sunt aceruatim, ac repentè fluentes, & non semi repentes, & quæcunque alia dicta sunt; etsi non pro rationis Excretionis morbi dignitate fiant; veluti Temeni Nepti, ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cùm non sufficeret ad suscipiendum morbum, recurrit; mortua est. Abscessus autem per venas, aut per aluum, aut per neruos, aut per cutem, aut iuxta ossa, aut secundùm spinalem medullam, aut secundùm alias effluxiones, os, pudendum, aures, nares. Hic Hippocratis contextus continuus est textui superiùs à nobis transcripto, qui hoc ordine incipit: Abscessus vel per venas, vel per neruos, vel per ossa, vel alia diuerticula (siue emotiones, vt alia versio habet.) Boni autem sunt, qui infra morbum fiunt, veluti varices; & reliqua à nobis transcripta.

Quid propriè abscessus.

Quoniam ambobus citatis textibus tota fermè abscessùs natura, licèt obscurè, exponitur, per capita, sed breuiter, singula examinare decet. Abscessum ergo per venas fieri sapiẽter dixit, & quidem primo loco; quia, siue abscessus accipiatur pro effluxu humoris extra corpus, siue pro decubitu siue depositione humoris à parte in partem, semper quasi per venas fit; id est humores per venas currunt, tranantue ab internis partibus ad externas; & vicissim ab externis ad internas; & per vtrasque ad cauitates manifestas, vt videre est in Diarrhæa, quæ nascitur ex humoribus effusis ex venis mesaraicis in intestinorum capacitatem: Pariter ex Cerebri, seu potiùs piæ matris vasis humor superfluus in Cerebri cauitates effunditur, & illinc ad varias partes. Transferuntur autem humores extra venas tripliciter. Primò, quando per venas rarefactas transudant, & transcolantur humores; & hæc translatio humoris, *δια-*

Abscessus, siue pro effluxu humoris, siue pro decubitu, sumatur, quasi semper fit per venas.

Tripliciter humores feruntur extra venas.

πή-

πήδησις Græcis dicitur. Secundò fit translatio, quoties venæ, ruptione, incisione, erosione, contusione, aut alio quouis modo, diuiduntur, & talis diuisio διαίρεσις appellatur. Tertiò fit humorum translatio, dum ora venarum reserantur, ita vt extra venas effluere queant humores inclusi; & talis translatio per ἀναστόμωσιν fieri dicitur.

Diapedesis, quid. *Diæresis, quid.*

Dixit etiam Hippocrates, Abscessum fieri per tonos. Τόνοι (ex Erotiano in Onomastico) sunt corpora extensa cum carnibus; vt venas, & neruos, & huiusmodi, τόνους appellat, ἀπὸ τοῦ περιτετάσθαι, quod est circumextendi; aliqúando autem neruos solùm, nonnulli autem membranas dixerunt. Hæc Erotianus. Existimant tamen nonnulli, è textu Hippocratis delendam esse vocem, τόνων; quia in eodem textu mentionem fecit neruorum. Toni, iuxta aliorum opinionem, sunt nerui recurrentes: Nam sect. 4. eiusdem Libri 2. Epidem. habentur hæc verba: Duo verò toni à Cerebro. Vallesio placet, etsi toni neruos significent, hîc tamen tonos accipi pro neruis motorijs, musculis insertis, ex quibus tendines tandem fiunt; quia mediantibus his partes continentur in tono. Per hos autem neruos, secundùm fibrarum rectitudinem, deriuantur succi, qui in ipsis neruis abscessum efficiunt, qui abscessus sæpissimè causa est resolutionis extremorum, id est Crurum, aut Brachiorum. Pro resolutione extremorum, Paralysim, quæ latinè resolutio dicitur, ego intelligo. Si verò corrumpantur nerui crurum, claudicatio inde emerget, modò in sinistro, modò in dextro pede (pedem intelligo crus vniuersum, non imum tantum) prout ex spinali medulla humor ex cerebro in eandem lapsus, per dextri, aut sinistri lateris, aut vtriusque, neruos diffunditur. Rei exemplum lib. 4. Epidem. habetur: Fullo collum, caput, septimâ manus stupida: nonâ, crus stupidum: Tussis cessauit.

Abscessus per τόνους fiunt. *Τόνοι, quid Erotiano.* *Varia de tonis sententia.* *Toni quid Vallesio.* *Resolutio extremorum, quid.* *Claudicationis causa.* *Fullonis casus.*

Mihi verò singulariter arridet Erotiani interpretatio; tonos videlicet accipi pro neruis, venisque, carnibus coëxtensis, aut pro membranis tantùm musculos circumambientibus. Hæc interpretatio rationi consona est; quoniam in membranis, neruis, & venis, ac arterijs musculorum simul, abscessus fieri potest; imò in solis membranis, veluti in Pleura, Menyngibus, & Periostio, cæterisq; membranis, & tunicis, abscessus fieri potest. In alterutro ergo sensu rectè toni interpretari possunt, nec superfluè in Hippocratis tex-

Erotiani interpretatio de tono, optima. *In solis etiam membranis abscessus fieri potest.*

textu vox hæc posita est, etsi postea in cōtextu neruorū meminerit.

Abscessus, quādo fiat in ossibus. Abscessum per ossa fieri docuit: quotiescunque autem per periostium, siue membranam ossa tegentem, humor aliquis superfluus ad eadem ossa penetrat, in ijsdem abscessum facit. Dum enim talis humor ossa subit, in ijsdemque diu stabulatur, denuò corrumpuntur. *Dentes inflammari possunt.* Dentem inflammari sui ipsius exemplo docet Galenus. Plinius rem admiratione dignam refert, dentes ab igne non consumi, cùm tamen à pituita consumantur. *Dentes nō consumuntur ab igne, ex Plinio.* Auicenna Fen. 2. 1. Tractat. 1. c. 4. in ossibus abscessum fieri affirmat. Serapio tamen contrariam sententiam amplectitur; in ossibus nimirum nullum fieri aposthema, nec consequenter abscessum; quia ossa præ duritie extendi nequeunt, aut in tumorem attolli; *Ratio cur Serapio neget in ossibus fieri abscessum.* tum quia, si aquæ immergantur ossa, aquam non imbibunt; Ergo nec in corpore nostro humores superfluos, à quibus abscessus fieri posset, absorbent. His addamus Aristotelis doctrinam sect. 13. Problematum, Problem. 9. vbi nec ossa, nec pilos fætere ait, quia humoribus excrementitijs carent. *Ossa, & pili cur non fœteant.*

Mercurialis opinio de ossiū abscessibus. Mercurialis hanc litem hoc pacto temperare nititur. Ossa puerorum muco plena, flexibilia sunt, & extensibilia, adeoq; abscessum pati possunt, per se, & secundùm totam sui substantiam: Ossa verò adultorum, quia multò duriora, propter periostia abscessus patiuntur.

Mercurialis refellitur. Meo sanè iudicio Mercurialis, mediâ incedere viâ cupiens, nihil dicit. Nam Puerorum ossa, propter humores ad ea per periostium translatos, abscessu tentantur, sicuti adultis contingit. Præterea, per se, & secundùm totam suam substantiam, abscessu tentari possunt adultorum ossa, vt visum fuit in milite illo, virulentâ lue Venereâ correpto; *Historia militis, lue Venerea laborantis.* & ita sæuiter, vt eius ossa, præ eorundem mollitie, in quamcumque partem flecti potuerint: & multò quidem faciliùs, quàm puerorum ossa. *Vera sententia de ossium abscessu.* Statuendum ergo, in ossibus abscessum fieri posse: nec de abscessuum essentia esse, vt in molem omnibus conspicuam, attollatur pars abscessu tentata. Sufficit enim, internas ossis partes putrefieri, & corrumpi ab humore eò transcurrente, vt idem humor locum sufficientem sibi acquirat, ad abscessum efformandum. Interiores enim, aut laterales ossis partes semel corruptæ, comminuuntur, & modicum comminutæ occupant locum.

Quod

Quod dictum est de ossibus aquâ immersis nihil aquæ haurire, difficultate caret. Nam hoc concesso, nihil contra nos concluditur. Ossa enim in corpore permeabilia sunt, quòd humore pingui nutriantur, calore fruantur, tam insito, quàm influente, & à circumpositis partibus foueantur. Mortuo autem animali, ossa, ex sua natura, dura, & sicca, frigidaque, iam omni fotu destituta, & frigori exposita, densiora redduntur, atque duriora. Vnde non multùm fætere solent aëri exposita, dummodò exhaustus sit omnis superstes humor.

Obiectioni satisfit.

Ossa mortuorũ densiora & duriora sunt; nec multùm fætent.

Dixit denique Hippocrates, abscessum fieri per neruos; quæ doctrina confirmatione non eget; cùm quotidiana experientia abundè manifestet, omne neruorum genus abscessibus laborare. Conuulsiones enim ex repletione natæ, & Paralyses, medietatem corporis, aut aliquam humanæ compaginis partem infestantes, neruorum abscessum, tanquàm causam, agnoscunt: quoties autem nerui immodicè propter humorem ad eos translatum, aut decumbentem, obstruuntur, tument, & contrahuntur: indeq; Conuulsio frequenter nascitur nimis sæua. Paralysis etiam, causam agnoscit, abscessum: Nerui enim porosi sunt; atque adeò humorũ bibaces.

Abscessus in neruis fiunt.

Causa Cõuulsionis ex repletione, & Paralyseos.

Nerui sunt porosi.

Per Cutem denuò abscessum fieri docuit Hippocrates, idque experientia comprobat; afficitur enim omni tumorum genere: proindeque eius actiones (præter has communes, nullas habet peculiares) attractio, retentio, coctio, & expulsio, frequentissimè læduntur. Abscessus etiam, pro euacuatione acceptus, per cutem fit: cuiusmodi sunt sudor, & insensibilis euaporatio, ac sordes crassiores, quibus camisiæ maculantur.

Per cutem fit abscessus.

Addidit in fine Sententiæ Hippocrates, vel alias emotiones, siue, vel alia diuerticula, vel alia emissaria; quasi diceret, per alias vias, à iam propositis distinctas, humorem noxium à parte affecta deferri, & abscessum procreare. Cùm autem operosum esset, omnes vias, per quas Natura sese à superuacaneis humoribus exonerat, liberatque, recensere, paucis eas complecti voluit. Viæ quidem, quibus Natura nostra ad expurgandos cunctos superuacaneos humores vtitur, in duplici sunt differentia: quædam sunt abditæ & secretæ, de quibus Hippocrates Lib. de Alimento, & Lib. 6. Epidem. Sect. 5. in quorum vltimo inquit: Adinuenit Natura sibi ipsi accessus non cogitatione, partim quidem,

Via duplex, per quã natura superfluos humores expurgat.

vt conniuere, partim verò, & lingua ſubminiſtrat, & id genus alia quæque. Ineruditа Natura, & indocta, quæ opus ſunt, efficit. Galenus in Commentario ait: Acceſſus Naturæ appellauit perinde, ac ſi & vias, aut impetus ad agendum dixiſſet, non vt nos priùs mente voluentes, & priùs, eligentes facimus, ita & ipsâ faciente. Conniuere igitur (ſic autem dicitur, cùm quis clauſas palpebras citò iterum aperit) ſtatim ortis animalibus, & à nullo edoctis illicò ineſt. Certum eſt autem, huiuſmodi actionem maximam oculis vtilitatem afferre: fatigarentur enim palpebræ, ſi toto vigiliæ tempore paterent: multaque exterius in oculos, ipſorum tunicas, violentia inciderent. Idem Galenus exponens reliqua textûs verba ait, bimum puerum, cui bis, aut ter panis oſtendebatur, panis ipſius nomen adijciendo, linguam ſolius naturæ ope dimouere, vt panem vócet corpus illud, quod panis coram eo dicebátur: ideò Hippocrates rectè inquit; partim verò & lingua ſubminiſtrat. Pręterea protulit, & id genus alia quæque: quaſi diceret, pariter animal mouere ſe, ſuaſq; partes ad nutum ope muſculorum; abſque eo, quod tales actiones à quopiam didicerit, aut muſculorum naturam, ſitumue cognouerit. Multa alia in nobis Natura facit abſque Magiſtro.

Conniuere, quid.

Conniuentia, oculis vtilis eſt.

Interpretatio textus.

Subtiliter ergo Hippocrates ſubiunxit verbis citatis Lib. 2. Epidem. vel alia diuerticula; ſolita breuitate plura paucis verbis comprehendens. Longum ſanè eſſet, omnes vias, etiam patentes, recenſere, ſimul & explicare: multò verò difficilius abditas vias inueſtigare, cùm hæ nobis incognitæ ſint, eaſque tunc Natura inueniat, ſibiq; paret, quotieſcunque res vrget: Non ſolùm ergo arcanas vias, ſed plures adhuc patentes, verbis iſtis (aut alia diuerticula) quaſi ſub quodam velamine complexus eſt Hippocrates. Libro quidem de ſtructura Hominis, circiter quatuordecim vias enumerat, ſicuti quatuordecim res quibus conſtamus. Libro de Glandulis, & Libro de locis in homine, ſeptem vias, per quas deorſùm ſuperfluitates Cerebrum deponit, ſtatuit, nares, aures, oculos, thoracem, Oeſophagum, ſpinalem medullam, & venas. Ad ſua denique emunctoria, glandulas retrò aures poſitas nonnihil oppreſſum relegat Cerebrum. Hippocrates Lib. de locis in homine, ait: Ducit itaque ſicca corporis pars humiditatem ex capite, & ſimul tranſitus, ſiue meatus, magis ducenti, ſiue ei quæ ducit, patent,

Expoſitio textus.

Septẽ viæ, inferiores, per quas Cerebrũ ſe expurgat.

rent, quàm ei, à qua ducitur. Cùm enim ipsi meatus, ſicci exiſtant, ex eo ſibi quæſtum parant, ſimulque humores naturâ deorſum ferri ſolent, ſi vel modica neceſſitas contingat. Hinc viæ innumeræ colliguntur. Per ſuperiores vias, cranij ſcilicet ſuturas, ſe adhuc Cerebrum exonerat. Prolixum ergo foret, hæc, & conſimilia, quæ de corde, hepate, liene, renibus, cæteriſque partibus corporis dici poſſent, recenſere. Græca verba, quibus vſus eſt Hippocrates, ſic accipite: ἀποςάσιες, ἢ διαφλέβων, ἢ τόνων, ἢ δ' οςέων, ἢ νευρῶν, ἢ δέρματος, ἢ ἐκτρόπιων ἑτέρον: id eſt: Abſceſſus, vel per venas, vel per tonos, vel per oſſa, vel neruos, vel cutem, vel alia diuerticula, ſiue alias emotiones.

Viæ ſuperiores cerebri.

Iuxta Hippocratis doctrinam, viarum occultarum, quas ſibi Natura quandoq; oppreſſa patentibus ductibus egens parat, memini. Aliæ viæ, per quas frequentiſſimè Natura rem moleſtam propellit, quoniam omnibus conſpicuæ, nos non morantur. Quis, quæſo, ignorat, inteſtina, Diarrhææ, & Dyſenteriæ vias; aut veſicam, & eius collum, vrinæ iter extremum, aut nares; per quas hæmorrhagia fit; aut Oeſophagum, per quem vomitus: aut trachæam arteriam, per quam ſputa excernuntur: aut venas, per quas ex locis muliebribus, & ano, ſicuti ex naribus, profluit ſanguis: imò ipſius cutis pori, per quos ſudor egreditur, multis conſpicui facti ſunt, ablata epidermide: maximè verò, dum abſtracta cutis igni apponitur. De Euacuationibus Criticis, quæ per has vias fieri ſolent, abundè in ſuperioribus dictum eſt.

Patentes viæ per quas fit euacuatio.

Poſtquàm compendiosè Hippocrates, vias, per quas abſceſſus fiunt, propoſuit, eorundem abſceſſuum bonas conditiones paucis explicat. Dicit itaque, Abſceſſus illos eſſe bonos, qui infra morbum, ſeu partem morbo præcipuè laborantem, fit. Secundò ſtatuit, Abſceſſus illos eſſe optimos, qui inferni ſunt, & longiſſimè infra ventrem apparent, ac remotiſſimi à morbo, ſiue parte, morbo principaliter affecta. Tertiò Abſceſſus laudat, qui per effluxionem fiunt. hîc, ſi vllibi, locum occupant, bonus, melior, optimus. Bonus enim abſceſſus eſt, qui fit infra morbum; quia faciliùs, & integriùs, copioſiùſque, humor morbum fouens, deorſùm, quàm ſurſùm, fertur: tum quia deorſum ſemel depoſitus humor ſuperuacaneus, difficulter ſurſùm recurrere poteſt, cuius contrarium ſæpè accidit, quoties ſurſùm, ſiue ſupra morbum, ſiue par-

Boni abſceſſus.

Optimi abſceſſus.

Abſceſſus qui fit per excretionē peroptimus.

tem morbo affectam, humor ascendit. Denuo abscessus ad superiores partes factus non est ita copiosus ac integer, sicuti ille, qui ad inferiores. Bonum abscessum exemplis Hippocrates illustrat, lumborum grauitatem, & varices in medium proferens. Ad lumbos sanè (siue pro quinque lumbaribus vertebris, siue pro musculis lumbaribus, siue pro vtrisq; simul accipiantur) faciliter deorsùm fertur humor quiuis crassus, cuiusmodi sunt pituitosus, & melancholicus; qui inibi sistentes grauitatem pariunt, & dolorem, tam in ipsis vertebrarum articulis, quàm in musculis: Et quandoque humor ille crassus ab articulis vertebrarum, dum motu præcipuè agitantur, in magnas lumborum venas per occultas vias transmittitur. Vel potiùs ex Galeno, Commentario 3. in lib. Hippocratis de Articulis tex. 4. humor crassus, & glutinosus in maximam lumbarem venam, id est in venam cauam descendentem, & lumbaribus vertebris coëxtensam, ex supernis partibus transmittitur, & prout viribus constant partes, illinc deorsùm vel ad inguinis venas, vel ad poplitis, vel ad crurum, propellitur, & venæ istæ talibus humoribus refertæ dilatantur, & fiunt varices. Vel si ijdem humores in lumbis manent, lumborum grauitas, & dolor inde emergunt.

Lumborũ varia acceptio.

Humor pituitosus crassus, & humor melãcholicus facilè deorsum ferũntur.

Quò pelluntur humores crassi.

Si humores illi ad partes infra ventres sitas, id est magnos pedes, ita è lumbis fæliciter deturbentur, ibique sistant, abscessus generabitur melior eo, qui in lumbis fit; imò optimus Hippocrati dicitur ille, qui in pedibus fit, vt varices, alijque consimiles: & eò melior censendus est abscessus, quò à ventre remotior est: ita vt ille, qui in cruribus fit, bonitate superet eum, qui in poplite, & hic eum qui in inguinibus, aut coxis, femoribusque: quoniam quò longiùs à ventre materia morbifica semouetur, deponiturque, eò magis naturæ robur elucet. Sicuti enim robustior censetur aliquis longè à se proijciens lapidem, aut quid simile manu comprehensum & proiectum, eo, qui vltra permodicam distantiam eundem lapidem proijcere non posset, ita Natura validior æstimanda, quo longius à parte præcipuè læsa causam morbificam depellit. Vnde bono abscessu, meliorique etiam abscessu, optimo ab Hippocrate nuncupato, longè præstantior est ille, qui per effluxum fit; id est, excretio humoris morbifici extra corpus: quia humor excretus longissimè à parte affecta promotus

Varices.

Similitudo rem benè exponens.

tus proiectusque conspicitur; nec amplius vllam corporis partem infestat.

Non est negligenter prætereundum, quod ab Hippocrate dictum est de ventre, quando statuit Abscessus illos optimos esse, qui infra ventrem fiunt, & remotissimè à morbo, siue parte malè affecta: Nam aliquis mediocri doctrinâ imbutus, illicò, ventris nomen audiens, inferiorem tantùm, communiter ita dictum, sub intelligeret: cùm tamen non solum hunc, sed insuper superiorem, id est thoracem, insinuauerit Diuinus Senex, prout ex eius libro de Articulis, Sect. 3. colligere possumus. *Spinæ autem (inquit) vertebræ, quibus ob morbos trahuntur, vt gibbum efficiant, plerumque solui nequeunt; præcipuè vbi spina supra septi transuersi coniunctionem gibba fiat. Infra verò quædam soluuntur, cùm varices in cruribus fiunt: illic autem magis gibbam spinam soluunt varices, qui in vena poplitis oriuntur: fiunt etiam & in venis inguinum.* Hîc Hippocrates ventrem superiorem insinuat, mentionem faciens spinæ supra septum transuersum sitæ: loquitur enim, teste Galeno in Comment. de gibbositate vertebrarum thoracis. Et in vltimæ Partis contextûs Hippocratis Commentario Galenus sequentia habet: Quædam (ait Hippocrates) vitia infra thoracem, nempe ad lumbos, à varicibus, vel torminibus soluuntur, cùm succi, qui ea faciunt, primò ferantur in venam maximam ipsius spinæ, deinde in eas, quæ ab eadem diductæ, ad crura intendunt. Huiusmodi autem in thorace nulla vena est, quæ possit vitiatos succos recipere, quandoquidem vtrinque octo costis vna alimentum subministrat: sed superioribus duæ aliæ tenues, scilicet ab vtroque latere vna: quæ omnes per thoracem distribuuntur, dissipanturque. Idcirco, si succus aliquis ad ipsas ex tuberculis transferatur, excerni non potest, præterquàm quòd ægrè etiam admittitur. Succi enim qui cruda, & dura tubercula faciunt, glutinosi sunt, & crassi, quare non facilè per tenues vias feruntur: sed vena, quæ ad lumbos est, latissima est, & sanguinem ad venas omnes transmittit. Ergo, cùm hos crassos ac glutinosos succos receperit, si affectæ partes viribus adeò valeant, vt, quod superat, expellant, ad venas hîc sitas transmittit: quo fit, vt latescant (id est, latiores fiant) & in varices assurgant: vbi quidem succi crassiores fuerint, id accidit in inguine protinùs: sin mediocriter crassi, in

Venter, & thoracem, & imum comprehēdit.

Vena poplitis quàm crurum, rectitudinem maiorem, cum spina seruat.

Varices, & tormina in intestinis, morbos superiorum partiū iudicant.

Cruda tubercula à glutinosis crassisque succis gignuntur.

Ex humoribus crassioribus fit varix in

inguine: ex minùs crassis in poplite.

poplite. Namq; vbi primùm, eò quòd crassi sint, & glutinosi, conferti subsistunt, ibi venam distendunt, dilatantque. Etenim, quibus citra causam hanc varices in cruribus oriuntur, videre licet venas pro portione succorum crassitudinis latescentes, vbi crassissimi sint, latissimas, cuiusmodi venæ sunt in inguine: vbi minùs crassi, minùs latas, quales in poplite. Interdum enim, quum maiores venas obstruunt, hunc affectum excitant: interdum ad inferiores concurrunt, quæ angustiores sunt. In vniuersum autem in varicibus crassus sanguis continetur, nam id vitium plerumque à succo melancholico, interdum etiam ab alijs crudis crassisque, concitatur.

Varix semper à crasso sanguine nascitur.

Rursùs Hippocrates inquit: Solutum quoque iam id vitium est à torminibus diuturnis. Galenus in Commentario ait: Vbi succi, qui præter naturam in corpore sunt, ad intestina transferuntur, tormina fiunt, quùm abradantur intestina ob succos acres, qui ad ipsa confluunt, nempe, vbi tubercula suppurant, neque enim aliter ob suam crassitudinem confluere ad intestina potuissent. Sed in suppurationibus crassi succi extenuantur, & naturam affectæ partis ad expellendum excitant id, quod in ea contentum iam molestum est.

Tormina intestinis accedũt ab humore acri: siue pure à tuberculo spinæ transmisso.

Nec ex his tantùm colligitur, Hippocratem nomine ventris thoracem comprehendisse, sed insuper ex ijs, quæ in Prognosticis de Abscessibus in Peripneumonia, siue Pulmonum inflammatione, hac serie habentur: Abscessus autem, qui ad crura fiunt in Pulmonijs vehementibus, ac periculosis, omnes vtiles sunt: optimi verò, qui, vbi screatio iam in mutatione est, fiunt. Si enim Oedema (.i. tumor) ac dolor fiat, & screatio, pro flaua, purulenta existat, ac foras excernatur, ita securissimè & homo superstiterit, & item abscessus ocyssimè citra dolorem desistet. At si screatio (.i. sputum) non rectè excernatur, nec vrina videatur bonum habere sedimentum, periculum clauditatis in articulo, vel multi negotij imminet. Galenus in huius textûs Comment. Hippocratis sententiam ex lib. 2. Epidem. à nobis transcriptam, in medium adfert, vt vnâ Sententiâ alteram roboret. Libro quidem 2. Epidem. abscessum optimum dixit, qui in partibus à morbo remotissimis, & infra ventrem fit: de nullo tamen morbo, abscessu iudicato, ibidem loquutus est, sed loco citato de Articulis, gibbositatis meminit, & in

Abscessus crurum Peripneumoniæ superueniẽs, bonus.

Sputũ purulẽtũ loco flaui bonũ.

Claudicatis causa.

mo-

modò traducto à nobis ex Prognosticis contextu, expresse de Peripneumonia, abscessu iudicatâ, loquitur, affirmatq; abscessum in cruribus factum vtilem esse Peripneumonicis; vtilissimum verò, si screationem coctam, siue sputum coctum subsequatur. Sputatio enim cocta & copiosa est optimum signum triumphantis naturæ, & quoties sputo cocto apparente fit abscessus ad crura, in tuto sunt ægri res: sed si nulla appareat screatio seu sputatio, abscessus in crure factus, etsi vtilis ratione Peripneumoniæ, claudicationem pariet; quia humor in articulum depositus est, isque crudus. Libro 1. Epidem. sect. 2. Abscessus in articulos maximè fieri docuit Hippocrates. At verò causa talium abscessuum est articulorum amplitudo, facilè suscipiens decumbentes fluxiones. Ad id quoque conducere quidquàm potest motio eorundem articulorum: omnes enim humores ad sedem commotam & calefactam faciliùs permeant, vt habet Galenus in Commentario.

Non excernere sputum in peripneumonia, malum.

Articuli, quia imbelles, & quia cauitates quasdã habent, currentes ad eos humores facilè suscipiunt.

Quòd de screatione, siue expuitione cocta loquutus fuerit Hippocrates, patet ex istis contextûs verbis, vbi screatio iam in mutatione est. Spuitio enim cruda esse potest, & non multum vtilis: Cocta ergo esse debet, & copiosa, vt bona censeatur. Nam screatio aliquando cocta non prodest, quando parca perseuerat. Parca enim esse potest, vel propter facultatis, quæ thoracem mouet, imbecillitatem; interdum propter crassitudinem & lentitiam screationis: quandoq; propter amborum concursum, tum virium debilitatis, tum etiam qualitatis puris. In contextu verò mentionem fecit Hippocrates vrinarum; quæ, si vnà cum screatione, crudæ fuerint, claudicationem confirmant.

Parca expuitio triplicem habet causã.

Post dictum textum Hippocrates sequentia profert. Si autem abscessus euanescunt, ac retrocedunt, nequaquàm egrediente screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est: periculum enim delirij, mortisque imminet. Vt periculum indicaret Hippocrates, non est contentus solo verbo, euanescunt, sed addidit, retrocedunt: Et optimo ductus genio; quia euanescere, quod idem est ac citò desistere, ac velut de repentè, bifariam accidit. Id enim interdum cõtingit propter humoris depositi tenuitatem, & partis, in qua humor subsistit, laxitatem raritatemque, & item circumuenientis nos aëris caliditatem, atque adhibiti parti laboranti resoluentis medicamenti potestatem, ac virium ægri firmitatem siue

Abscessus qui retrocedendo euanescunt prauæ.

Tumores bifariàm euanescũt.

Cur benè euanescũt tumores.

ro-

robur. Si enim omnia prædicta cōcurrant, moles præter naturam, siue tumor ex humoris decubitu ortus, citò discutietur, & salubriter euanescet. Sed magna ex parte tumores ex decubitu orti euanescunt, remeantibus humoribus, eosdem committentibus, aut in eandem sedem siue partem, vnde commoti sunt, quod est propriè retrocedere Hippocrati; aut ad aliquas alias sedes, siue partes, in profundo corporis positas. Tanquàm igitur ex causis maximè contrarijs moles præter naturam euanescant, finem habent maximè contrarium: nam causæ paulò ante allatæ, virium robur, partis raritas, & reliquæ, citissimè contristantium humorum resolutionem indicant: aut sanè deterrimam affectionem, eisdem humoribus in partes præcipuas remeantibus. Signa autem recessûs humoris, paucis exposuit Hippocrates, inquiens: Nequaquàm egrediente screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est. Constat enim quòd secesserint in profundum ad sedes præcipuas superflui humores: Si enim discussi essent, non insuper febricitarent ægri, ac facilè screarent. Itaque verisimile est, in pulmonem, omnem secessisse fluxionem; & ob hanc rem Peripneumonicos delirare contingit; quia ad caput ex pulmone multi tunc transmittuntur calidi, adustiq; vapores.

Cur mali tumores citò euanescunt.

Signa retrocedentis humoris.

Ante expositos iam Hippocratis textus, extant & aliæ de Abscessibus Sententiæ; quarum sequens vna est: Quibus autem abscessus fiunt ex Pulmonijs, aut circa aures, ac suppurantur, aut ad inferas sedes, ac fistulantur, ij supersunt (apud Galenum ita Hippocrates loquitur.) Apud Hippocratem textus sic habetur: Quibuscunque ex inflammati pulmonis morbis, abscessus circa aures fiunt, & suppurantur, aut ad infernas partes, ac fistulantur, hi superstites euadunt. Fistula enim, ob similitudinem fistulæ Musicalis, ita dicta, est longum & abditum, intusue reconditum vlcus callo vndique obductum. Cætera textus verba clara sunt.

Quid fistula.

Rursùs ait: Consideranda verò & talia sunt in hunc modum. Si febris detinet, & dolor non desijt, & screatio non excernitur ex ratione: neque biliosæ fuerint alui deiectiones, neque solutiores, ac synceriores fiant: nec vrina admodùm multa & crassa, ac multum obtinens sedimentum: promittitur verò salutaris ab omnibus alijs salutaribus signis: his tales fore abscessus sperandum est. Hippocratis textus apud Galenum sic habetur: Sed quoniam

quan-

quandam inuoluit obſcuritatem, textum eundem clariori modo ex Hippocrate ſic accipite: Verùm huiuſmodi ſic conſiderare oportet. Si, & febris detinuerit, & dolor non ſedatus fuerit, & ſputum pro ratione non prodierit, neque biliosæ, neque ſolutu faciles, & meracæ alui egeſtiones fuerint, neq; vrina valdè multa, & multam ſubſidentiam habens: indicatur autem ſuperſtes futurus (æger ſcilicet) ab omnibus reliquis ſalutaribus ſignis: tunc abſceſſus huiuſmodi fore ſperandum eſt.

Hippocratis textus.

In hac Sententia Hippocrates ſigna futuri abſceſsûs in morbis Peripneumonicis proponit. Galenus præclarè rem omnem exponit hac ſerie: Itaq; exordiamur, & nos à prima parte (id eſt, à textu iam tranſcripto; nam textum, ſiue ſententiam ſequentem, quam deinceps exponemus, ſecundam partem appellat) in qua ſumma eſt, morbum eſſe concoctu difficilem, non tamen exitioſum: non enim, ſi concoctu facilis ſit, per abſceſſum, ſed aut per excretionem, aut ſenſim ſoluetur concoctus: neq; ſi exitioſus exiſtat, aliquis abſceſſus bonus apparebit. Quocirca medius inter mitiores ſit, & exitioſos, oportet. Igitur Hippocrates meritò ex his indicijs, quædam mala, quædam bona, adſcripſit: quæ particulatim iam proſequor, incipiens à primo, de quo ſtatim inter initia dixit ita: Si febris detinet: id eſt, prehendit hominem, ita vt nunquàm intermittat: & dolor non deſijt; nam vbi deſierit, nihil ampliùs opus eſt abſceſſu ad ſolutionem, eò quòd morbus placidior habeatur: Et ſcreatio, dixit, non excernatur ex ratione, prorſus enim morbus non requiret abſceſſum, quoties ſcreationibus purgetur (his oſtendit Galenus, expuitione iudicari morbum); tum deinceps, ait: Neque bilioſæ fuerint alui deiectiones: antea enim dictum iam eſt, vt per morbos bilioſos abſceſſus nunquam fiant: oportet enim craſſam haberi, ac crudam humorum materiam, vt morbus plus temporis eduret (craſsi enim humores, vt alibi docet Galenus, morbos chronicos ſiue longos efficiunt) nec per excretionem, ſed aut per abſceſſum, aut ſolam concoctionem (& conſequenter paulatim) curetur.

Quoties humores facilè coquuntur à natura, morbus per excretionē iudicatur, aut ſenſim ſoluitur; ſi tamen non adſint ſigna lethalia, abſceſſus ſuperuenire poteſt. Si praua adſunt ſigna, mors in foribus eſt.

Morbi bilioſi abſceſſu non iudicātur.

Craſſus, & crudus humor chronicos cauſat morbos.

Quod deinceps in Sententia præſcripta poſitum eſt, non eſt nimis obſcurum. Vbi enim eſt alui deiectio copioſa, bilioſa, & ſyncera, non eſt expectandus abſceſſus, ſed potiùs iudicatio per excretionem. Galenus in eodem Commentario ſequentia habet:

Acuti morbi per excretionem, diutini per abscessum iudicātur. Acuti enim morbi per excretionem potiùs iudicari, diuturni per abscessum, adsolent. Et rursùs ait: Hoc loco totius compendium sermonis perstringam, vt ex ipso pateat vtilitas in Operibus Artis. Itaq; instituit Hippocrates scrutari de morbis euntibus ad abscessum. Hi verò morbi sint omninò ex crudis, crassisq; humoribus, oportet, non tamen exitiosis: tales enim vbi diutiùs immorantur, committunt abscessus, nisi per σύμπεψιν, id est concoctionem (ita enim nominare adsolent Hippocratici) eorum solutio præueniat. At verò indicia concoctionis erunt, si vrinæ copia excernatur, quæ multum obtineat sedimentum. Vbi verò sedimentum multū est, vrina quoq; ipsa crassior est, quàm soleat per naturam.

Morbi in quibus fiūt abscessus, à crudis crassisque humoribus nascuntur.

Vt rectè Galeni verba percipiantur, reuocanda in memoriam illa quæ alibi scripta sunt, videlicet, morbum omnem salutarem, & ab humoribus causatum, triplici viâ abigi: vel per excretionem Criticam, vel per abscessum, vel per paulatinam humoris concoctionem, & excretionem (qui modus, solutio simpliciter dicitur) vel coëuntibus abscessu, & excretione paulatim factâ.

Morbus humoralis salutaris, tripliciter abigitur.

Post supradictam Sententiam, aliam non minùs necessariam subsequenter Hippocrates hoc modo pronunciat: Abscessus autem fiunt, hi quidem ad infernas regiones, quibus aliquid Phlegmatis circa hypochondria adsit: illi verò ad supernas, quibus hypochondrium quidem flaccidum, ac doloris expers persistit. Difficultas autem spirandi aliquo tempore facta, desierit sine occasione alia.

Abscessus quando ad infernas, aut supernas partes fiant.

Postquàm superiori Sententia modum dignoscendi futurum abscessum dictauit Hippocrates, in hac sententia modum proponit dignoscendi, vtrum supra thoracem ad adenas, siue glandulas sub auriculis, an infra hypochondria futurus sit abscessus. Galenus præclarè hanc Hippocratis Sententiam hoc ordine exposuit. Occasiones Græcè προφάσεις consueuit Hippocrates nominare causas euidentes. Quoties igitur spirationis repentè eueniens difficultas per prædictas affectiones, rursùs de repentè desistat: habeatque id, vt & eueniat, & desinat sine euidenti causa; significat tendere humores ad caput: quemadmodum ad infernas sedes, calor quidam eueniens in hypochondrijs. Non enim pituitosum humorem existimari conuenit nunc intelligi ab eo per dictionem, in qua ait, quibus aliquid Phlegmatis circa hypochondria adsit, nam

Galeni expositio sentētiæ Hippocraticæ.

nam multò melius est intelligere, de calore præter naturam flammido proditum esse phlegma. Is euenit ob ignem sacrũ, aut phlegmonem, id est inflammationem propriè nominatam. Quod si fuerit è contrario, vt flaccidum quidem & doloris expers sit hypochondrium, humores verò tendere sursùm versùs prædicta spirationis difficultas indicet, abscessum erupturum supernis sedibus expectato.

Phlegma hic pro infãmatione accipitur.

Hæc promiscuè in medium proferre coactus sum, etsi de signis futuri abscessus deinceps fusiùs, & distinctiùs sim scripturus. Redeamus ergo ad expositionem textûs libri 2. Epidem. vt tandem cum Hippocrate varias abscessuum differentias absoluamus. Sed textus illius primi verbulum, nondum examinatum explicare par est. Postquàm autem de legitimo abscessu loquutus est Hippocrates, abscessus per effluxionem, id est per excretionem facti, quædam proposuit exempla, inquiens: Et qui per effluxionem fiunt, velut sanguis è naribus, pus ex aure, sputum, vrina, quæ per effluxionem fiunt. Nos antea diximus, abscessus per effluxionem factos, id est excretionem humorum extra corpus, bonitate excedere abscessus in corpore factos, siue decubitum humorum ad aliquam partem. Constat adhuc alijs abscessibus per decubitum factis anteponendos esse illos, qui ad infimiores partes fiunt: imò, qui extra corpus, vt videre licet in decubitu siue translatione humoris noxij à corde ad sua propria emunctoria, adenes siue glandulas in axillis sitas. Cæterùm Hippocrates in contextu abscessûs per effluxionem facti exempla, paulò ante allata proponens, in Sententiæ calce repetit hæc Græca verba, κατ' ἔκρουν, id est, per effluxionem, siue per excretionem, siue secundùm excretionem; quæ repetitio difficultatem parit non exiguam, cùm paulò ante easdem voces excretionibus per nares, aures, os, & vrinæ vias, factis, præposuerit. Doctissimus Vallesius rem hoc pacto intelligi vult; Certè illud, quæ per effluxionem fiunt, potest intelligi appositiuè, aut intelligi de sputo, & vrina. Hæc scilicet esse tales abscessus, cùm fiunt cum effluxione decretoria. Nam quotidiana mictio, & sputitio, non est abscessus. Mercurialis, qui quondam Primariam & Eminentem Cathedram, quam in hac Celeberrima Vniuersitate Bononiensi possideo, pridem occupauit, Vallesij interpretationem (suppresso eius nomine) reijciens, putat Hippo-

Non solùm abscessus infra vẽtres, sed etiam extra sunt boni.

Dubium.

Vallesij sententia.

Mercurialis sententia.

cratem per καὶ' ἔκρουν intellexiſſe ſolas vrinas, quæ morbos iudicant, ad diſtinctionem vrinarum copioſarum, quæ febricitantibus ſuperueniunt, quoties à febrili incendio pinguedo, adeps, & caro colliquantur. His enim colliquatis, oleoſum quid, aut pingue vrinis commiſcetur,quod vrinarum quantitatem auget:& vrinæ ita adauctæ, quandam veluti Perirrhæam æmulantur: mendacem tamen, atque omninò damnoſam.

Authoris ſententia. Exiſtimo tamen ego, Valleſium à ſcopo veritatis minùs recedere; Et Hippocratem intelligendum eſſe de ſola critica excretione ſputi, & vrinæ, naturâ vincente, molitâ, alijs quibuſcunque euacuationibus, vel ordinarijs, vel prauis, omninò ſecluſis.

Dixit in textu Hippocrates, abſceſſum, id eſt excretionem criticam per aures fieri; quod experientiâ frequenti compertum eſt. Nam Cerebro (eiuſue membranis) inflammato, aut aure inflammationem patiente, non raró fit ſuppuratio, poſt quam copioſum exiens pus, morbum iudicat. Hippocrates lib. 6. Epidem. Æſtate, & in ætate iuuenili, quàm in Senibus, & Hyeme, pus citius prodire docuit: imò lib. 3. Aphor. 24. Puris ab auribus exitum, inter proprios puerorum morbos recenſet. Libro demùm 4. Epidem. fertur cuidam pus ex auribus fæliciter exilijſſe. Hippocratis verba ſunt hæc: Emyris filius febricitabat, & ex aure fluebat purulentum, circa octauam non ſatis ſcio. Hippocrates incertus fuit an die octaua morbi, an ſeptima, incepit puris ex aure effluxio; quæ ægrum iudicauit, quòd Cerebri, & ipſius auris ſuccos exhauſerit.

Emyris filius puris exitu per aurem iudicatus.

Altera Pars Textûs.

QVibus hæc non fiunt, huiuſmodi abſceſſus ſunt, velut dentes, oculi, naſus, ſudor, &c.

Poſtquàm Hippocrates exempla abſceſsûs per effluxionem, ſiue per Criticam euacuationem propoſuit, ad exempla deſcendit abſceſsûs per decubitum ſiue depoſitionem facti. At abſceſſus, inquit, quibus hæc non fiunt: id eſt, abſceſſus, qui non per effluxionem fiunt, ſunt velut dentes; id eſt, vt qui ad dentes, oculos, naſum, aut ſudore fieri conſueuerunt. Decubitus enim humoris ſuperflui à parte malè affecta ad has partes, ſæpè morbos iudicat. Abſceſsus in dentem facti exemplum propoſuit

Abſceſſus quadam exempla.

Hip-

Hippocrates lib.4.Epidem.sequenti serie: Quibusdam etiam dens fuit corrosus, præcipuè tertius ex supernis. Præ omnibus autem hic reperitur corrosus, in hunc dolor, & quibusdam etiam circumsuppuratio; quibus autem in aures fortiter tussientes magis, quàm illi. Et subsequenter de exitu puris ex aure, sic loquitur: Quibus autem in suppurationem cum febribus, liberat septima dies.

Dens corrosus criticè.

Hiereronymus Mercurialis vir sanè doctus, prolixis discursibus præfata exempla examinat, & sudorem per depositionem, & per excretionem fieri concedit: Sed sudore excretorio, siue pro euacuatione, quantumuis copiosâ, accepto, ægros plenè iudicari negat. Quapropter, cùm plerumque morbos imperfectè iudicet; eum inter abscessus per depositionem siue decubitum factos, ab Hippocrate ritè recenseri autumat. Vt hanc opinionem pleniùs persuadeat, Petri Aponensis, & Aristotelis authoritate vtitur. Ad secundum autem, inquit Mercurialis, dicendum est, abscessus per sudorem posse dici per effluxionem; & non per effluxionem, si per effluxionem intelligamus perfectam illam effluxionem, quæ solet ex toto morbũ auferre: certè sudor non est huiusmodi; quia, etiamsi copiosissimus, interdum tamen, imò verò plerumq; fit, vt sudor nunquam perfectè finiat morbum, sed imperfectè, vel si soluat, redit. Nam inter alia exempla, Petrus Aponensis Commentario in 22. Problema Sectionis 2. narrat se habuisse quendam, qui in febre tertiana copiosissimè sudauit, sed non abstulit ex toto morbum: imò verò, inquit ille, hunc perdurâsse quatuor annis, in quibus singulo manè in aurora sudauit. Hoc dico, vt intelligatis, sudores, etiam copiosissimos, non esse veras effluxiones. Cur autem ita sit, audite Aristotelem Sect. 2. Problematum, Problemate 22. qui quærens rationem propter quam, cùm quotidiè, imò singulis momentis, in corpore nostro fiunt euacuationes, tamen grauitas corporis non adimitur, nisi per sudorem, inquit idcircò esse, quia per insensibiles, & quotidianas euacuationes non educitur humidum illud viscidum, quod facit grauitatem. Cur autem per has expurgationes non euacuetur hic humor, duas esse dicit causas; quarum vna est, quia vbi fiunt insensibiles euacuationes, meatus angustissimi sunt, vt per eos non possint penetrare succi crassi & viscidi: altera causa est, quia ex pauco humido viscido & crasso fit plurimum halitus; siquidem ex vna parte aquæ, fiunt decem

Mercurialis autumat sudorem non fieri per integram effluxionem.

Historia de tertiana.

Humor crassus, & viscidus parit grauitatem corporis.

aëris. Sic vult dicere Aristoteles, ex vna parte humoris viscidi fit copiosissimus halitus. Adeò vt licèt quotidie fiant insensibiles excretiones, nihilominùs parum est quod euacuatur illius materiæ, quæ facit grauitatem. Secùs autem est in sudore, primùm; quia sudor exit per vias latas & patētes. Vnde fit, vt per illum plus euacuetur illius materiæ, à qua fit grauitas. Eadem etiam ratione dicebat Aristoteles, vomitu multo magis tolli lassitudinem, quàm sudore: siquidem per vomitum euacuatur copiosus ille humor viscidus, & crassus, quia multò propior est hic succus ventriculo, quàm cuti. Quæ omnia eò tendunt, vt intelligatis sudorem non esse perfectam effluxionem: quia etsi euacuetur per sudorem materia morbosa, non tamen copiosè id fit, quemadmodum per vomitum. Vt iure hac ratione Auicenna postposuerit huiusmodi abscessus per sudorem, sanguinis fluxui, etiam alui fluori, & vomitui.

Nisi ex perantiquis, & Medicinæ Principibus, vix quidpiam meis scriptis adijcere soleo; quoniam solidæ Antiquorum doctrinæ, quàm plurimorum recentiorum Rapsodijs, & inani iactātiæ, multò lubentiùs hæreo. Ex Mercuriale tamen ad longum, præter solitum morem, antecedentia, ad verbum transcripsi; vt vobis plenè pateat, quantum à veritate Medica distet.

Mercurialis refutatur primò. Primò quidem à veritate ipse declinat; admittens, ante transcripta sua verba, sudorem esse totius corporis vniuersale excrementum, negans tamen postea, sudore iudicari vniuersum corpus: cùm constans sit apud Galenum, & sequaces, doctrina, alicuius regionis corporis excrementa per peculiares vias euacuari: vt thoracis excrementa per trachæam arteriam, & ita de reliquis, prout fusè superiùs dictum est. Si ergo sudor est totius corporis excrementum, vt Mercurialis apertè pronunciauit, & statuit, eo totius corporis morbus, febris nimirum, iudicari potest.

Secundò refutatur Mercurialis. Secundò, Hippocratem deserit, qui, vt superius deduximus, inquit, rigorem febri ardenti superuenientem, soluere morbum. Diximus cum Interpretum Torrente, sudore rigorem subsequente, non rigore, febrem solui. Ergo contra Hippocratem asseruit, plerumque copiosissimis sudoribus non iudicari morbum.

Tertiò reijcitur Mercurialis. Tertiò, aduersatur experientiæ, quæ non Medicos tantùm, sed plebeios quosuis, certos reddit de frequenti Crisi, eaq; salutari, & integra, sudoribus peractâ.

Quod

Quod in medium ex Petro Aponensi produxit, veritati prorsùs repugnat; quoniam impossibile est, Tertianã febrem ad quatriennium protrahi, cùm septem circuitibus, siue septem paroxismis, aut inuasionibus, terminetur, iuxta Diuini Senis pronunciatum: tum quia impossibile est, morbum à tenui humore bilioso ortum, tam diu durare: nam tenuis humor facilè quoquouersùm permeat, euacuatur, dissipaturque. Est ergo hæc falsa experientia, Petri Aponensis figmentum (cui, nullo præposito examine, Mercurialis fidem adhibuit) febrem tertianam ad quatriennium protractam fuisse. Fuit sanè hæc febris, vel tertiana notha siue spuria, vel semitertiana, vel quid simile, ab humoribus crassis suam accipiens prolixitatem. Febres quidem Chronicæ humorales (vt cæteri morbi Chronici consimiles) quasi semper, tales fiunt, quoniam ab humoribus crassis, aut viscidis, & pituitosis, aut melancholicis fouentur. Dixi, quasi, quia quandoque imbellis Natura causa est prorogationis morbi, quòd cibum non probè conficiat. Cibo namque malè concocto, crudi crassique humores generantur, qui nouum, etiam leui morbo, fomitem quotidiè contribuunt.

Petrus Aponensis perstringitur.

Petri Aponẽsis error notatur.

Diuturnorum morborũ causa.

Testimonium ex Aristotele à Mercuriale deductũ, eidem Mercuriali aduersatur: cùm Aristoteles, conceptis verbis, significauerit corpus sudoribus, non effluuijs, leuari. Quare (inquit Aristoteles) cùm corpus assiduè fluat, effluxusque ipse de excrementis proueniat, corpus leuari non possit, nisi sudauerit? An quia minus excernitur quàm satis sit? Cùm enim ex humore mutatur in aërem plus de minori existat, necesse est. Humor enim quicunque copiosiùs cùm se discernit, redundat, diutiùsque ob eam rem profectò excernitur. Lenta item, glutinosaque excrementa, vt cum humore propter mistionem excerni possunt, ita cum spiritu nequeunt: quæ quidem res maximè officere potest. Hinc etiam vomitus magis, quàm sudores, corpora leuant; quoniam ea ipsa excrementa educunt; vt qui crassiores corpulentioresque sint, vtque cùm carni quidem procul is locus sit, qui lentam illam, glutinosamque materiam continet. Itaque non sine magno negotio dimouendi datur facultas. Ventri autem è vicino est: aut enim in eo consistit, aut propè. Quo fit, vt difficilè queant aliter educi. Ex his Aristotelis verbis clarè constat, sudoribus corpus leuari: quod non aduenit ope continui effluuij, quia hoc continuum effluuium,

Non rectè Mercurialis Aristotelem citauit.

Corpus assiduè fluere, est aliquid tenuè per cutem semper euacuari.

Sudoribus corpus leuatur ex Philosopho.

siue insensibilis euaporatio materiæ prætenuis per cutis meatus facta extra corpus, sensim fit, & parcè:imò ex ipso Mercuriale per angustas vias fit, cùm per latas fiat sudor.

Exponitur Aristoteles.

Nec obstat, quod dicit in contextu Aristoteles, vomitu, quàm sudoribus, corpora magis leuari. Nam hoc verissimu n est, quoties crassi humores in ventriculo, & vicinis partibus, stabulantur, de quibus clarè loquitur ipse Aristoteles, dum ait, vt qui crassiores corpulentioresque sint. Verùm quoties humor biliosus in venis, & corpore redundat, commodissimè per sudores euacuatur. Sudores ergo inter abscessus per depositionem factos reposuit Hippocrates; quia supra cutem, vtplurimùm manent sudores, nisi abstergantur: quod non est necesse, vt fiat in hæmorrhagia, vomitu, alui profluuio, & perirrhæa, in quibus totaliter extra corpus, quod superfluum est depellitur, idq; affatim. Sed hoc non impedit, quò minùs inter abscessus, qui per effluxionem fiunt, enumerari queat sudor. Nec mirum est, Mercurialem abnegâsse, sudoribus iudicari ægros, cùm eandem vim vrinæ profluuio abstulerit:imò ausus est pro se Galenum citare; cùm tamen libro 3. de Crisib. cap. vlt. & alibi passim, morbos vrinæ profluuio iudicari idem Galenus asseruerit. Nonne præterea Hippocrates lib. 1. Epidem. clarè monuit, quàmplurimos vrinæ dolorifico stillicidio iudicari, seruarique?

Mercurialis notatur.

Dubium excitatum de sudoribus, circa reliqua adhuc versatur: videlicet, an rectè dictum sit, abscessus per depositionem ad oculos fieri, & ad nasum; cùm ex oculo effluant lachrymæ, & ex naso mucus, aliusue humor. Vnde his in partibus fieri abscessum per effluxionem constat.

Abscessum per effluxionem, & depositionẽ patiuntur oculi, nasus, aures.

Cui dubio occurrendum censeo, vtroque modo abscessum ad nasum, oculos, & aures fieri. Quòd per effluxionẽ, patet ex modò dictis experientiâ quotidianâ confirmatis: Patet deniq; ad easdem partes fieri abscessum per depositionem siue decubitũ: nam in naso sit Polypus, & Ozena: in oculis Ophthalmia: in auribus Inflãmatio: in dentibus corruptiones: quæ omnia mala, licèt partem, in qua sistunt, infestent, partẽ tamen, è qua humores feruntur, subleuant.

Ait postea Hippocrates; Sed & quæ sub cutem abscedunt forâs, tubercula, velut humentia, & quæ suppurantur; aut vlcus, aut eiusmodi exanthemata, aut squamæ, aut defluuium capillorum, vitiligines, lepræ; aut eiusmodi quæ sunt aceruatim fluentis, & non

ſemirepentis, & quæcunque alia dicta ſunt. Dixi ego antea, quæcunque ad cutem ex interno corpore tranſcurrunt, ſi ſub cute, aut in ea ſubſiſtant, abſceſsûs nomine comprehendi. Hoc Hippocrates clarè indicauit verbis his: Sed & quæ ſub cutem abſcedunt foras; id eſt, quæ ab internis partibus ad cutem vſque (ſub qua vtplurimùm continentur) transferuntur ſuperflua. Hæ nimirum redundantiæ, ſuperfluitateſue, cutaneos excitant affectus: qui ſanè varij ſunt; vt tubercula varia, quæ φύματα in Græco textu Hippocrati dicuntur: quæ quidem phymata, in ampliori ſignificato, omnes comprehendunt tumores: hoc tamen in loco humentes, id eſt, omnes tumores ad veram ſuppurationem, aut ad quid ſimile ſuppurationi, terminatos, præſertim apoſtemata, meliceribes, atheromata, ſteatomata, de quibus in noſtra Pathologia, achores, alioſue conſimiles, liquidum quid continentes. *Phyma generice ſumptũ tuberculũ generice acceptum ſignificat.*

Non negligenter verba Græca ab Hippocrate prolata, prætereunda ſunt: ἐς τὸ ἔξω φύματα ἰον ταγγαὶ καὶ τὰ ἐκπωνοῦντα, ἢ ἕλκος: id eſt: foras phymata, ſiue tubercula (abſcedentia) velut humentia, vel potiùs rancida, & quæ ſuppurantur, aut vlcus. Has etenim Græcas voces ideò examino, quoniam vox Græca ταγγαὶ idem latinè ſonat, ac rancores, quaſi quis diceret, res quædam rancidæ; ſicuti oleum dicitur Alexandro Aphrod. 2. Problematum, Problem. 70. qui voce ταγγὴ vtitur: & Paulus Ægineta voce τάγγος. Laridum etiam rancidum communiter dicitur, quoties putredo natiuum calorem ſuperat, ſed veluti lentè, & ſine vehementia. Vnde non immeritò ſteatoma, abſceſſus ita dictum ob ſimilitudinem ſeui, & fortaſſis rancidi, τάγγη dici poteſt; veluti meliceris, abſceſſus vel tumor, melleam ſubſtantiam, ſed rancidam continens: Sicuti atheroma, abſceſſus mollem quandam ſubſtantiam, pultis inſtar. Achores pariter hoc nomine comprehenduntur; veluti quiuis tumor rancidulum quid includens. Phymata verò, ſiue tubercula ſuppurantia dicta, ſunt phlegmonoſi tumores, qui ad ſuppurationem tendunt. *Tange, & tangos, rãcorem ſignificat.* *Steatoma.* *Meliceris.* *Atheroma.*

Et pariter ſub tuberculo latè ſumpto, alij tumores non ſuppurati, nec rancidam materiam includentes, continentur. Fecit Hippocrates mentionem vlceris, quod eſt continui ſolutio, à vitioſo humore, praua qualitate, præſertim acri, atque mordaci, ſalſaue prædito, facta: & in habitu corporis, ac alibi, ob humoris praui decubitum ſiue translationem fit. *Quid vlcus*

Exan-

Exanthemata Plinio, & reliquis latinis Papulæ dicuntur. Exanthematum in contextu meminit Hippocrates. Multi multa de exanthematibus hoc sæculo pronunciant. Plinio, exanthemata dicuntur papulæ, quas Manardus libro 7. suarum Epistolarum, Epistolâ 2. tumores, & affectus cutis sponte florentes dicit: quæ quidem descriptio non exanthematibus modò, sed alijs cutaneis tuberculis affectibusue conuenit. *Manardus perstringitur.* Fuchsius tamen Manardum sequutus est in sua Praxi. Valleriola lib. 1. Enarrationum Medicinalium, Enarratione 8. contra Manardum affirmat, Herpetes non esse exanthemata, de quibus est loquutus Galenus. *Exanthematum diuisio.* Communiter Exanthemata diuidunt nostri Doctores in Morbillos, & Variolas: has appellantes sublimes & conspicuos in cute prominentes tumores; qui reuerà, tubercula (si tuberculum instar diminutiui, non in laxiori sensu pro omni tumore præter naturam, accipere placet) rectè dici possunt. Morbillos, latos & humiles, imò planos tumores vocant, si Fuchsium excipiatis, qui contra omnes, variolas latas esse autumat, morbillos verò sublimes: *Fuchsius reprehenditur.* Cùm tamen variolæ, sensûs iudicio, eleuatæ conspiciantur in pueris: morbilli verò, tam in his, quàm in alijs, plani. *Manardus Galeno contrarius.* Herpetes, morbillos esse statuit Manardus, in quo longè à Galeno recedit. *Morbillorũ duplex genus.* Morbilli sunt in duplici differentia: quidam plani omninò sunt, qui pueris, post, aut ante variolas erumpunt: & variolarum vicem in quibusdam gerunt: quoniam impurum seminarium in vtero Matris à puero contractũ imbibitumque, vtrouis modo, Naturæ iudicio, ac impetu, ad cutem transmittitur; quandòque integrè, vt inde plena salus emergat; quandoq; non plenè ad cutem transmissâ virulentâ materiâ, mors, aut imperfecta sanitas. *Morbillorum subdiuisio.* Hos morbillos adhuc in duas dispescunt species: Vna est illa, in qua latæ, & circulares, orbicularesue maculæ, cutis partibus, in quibus conspiciuntur, quoad planitiem, penè coëquales videntur. Altera, media est inter hos morbillos, & variolas, in qua prominentiæ quædam exiguæ, & variolis minores, quibusdam in cutis partibus erumpunt, rursusque in planitiem desinunt; in alijs verò cutis partibus maculæ quædam videntur omninò planæ. Sed de his in Praxi fusiùs.

Morbilli in febribus ardẽtibus. Altera morbillorum differentia, est illa, quæ in febribus ardentibus (siue continentes hæ, siue continuæ fuerint) frequenter in cute conspicitur. De his pleniùs libro de Peste à nobis scripto ante vigintiduos annos, Anno videlicet 1629. In ordinaria

ſimiliter praxi res hæc abundè exponitur.

Compendio, exanthematum interpretationem, plurimorum iudicio congruam, deduximus. Sed quoniam vix relata doctrina fido Hippocratis interpreti, Galeno, cohæret, huius de exanthematibus doctrinam tranſcribere placet, vt vnuſquiſq; matura mente præditus planè intelligat, quãtum Galeni doctrina ab Arabum, Arabumq; ſequacibus, quorum fortaſſis opinionem breuiter expoſuimus, diſtet: Noſter ergo alter Hippocrates, Galenus, Lib. 5. Meth.med. cap. 12. in quo de vlceribus, quæ in aſpera arteria generantur, & lactis quod apud Tabias in Regno Neapolitano habetur, perfectione loquitur, de Exanthematibus ſequenti ſerie fatur: Cæterùm, qui ex Peſtilentia hoc vitio laborârunt, propterea mihi facilè ſanati videntur, quod præſiccatum ijs, præpurgatumq; totum corpus fuerit: quippe cùm & vomuerint ex ijs nonnulli, & omnibus venter profluxerit: Atque, cùm ita vacuati eſſent, qui euaſuri erant, ijs puſtulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt, vlceroſæ quidem plurimis, omnibus certè ſiccæ. Eratq; intuenti perſpicuum, reliquias eas eſſe ſanguinis, qui in febri putruerat: quas veluti cinerem quempiam natura ad cutem truſiſſet; ſicuti alia ex ſuperuacuis nonnulla trudit. Verùm medicamentis ad eiuſmodi exanthemata opus non fuit, cùm ſiderent ſua ſponte, ad hunc modum. Alijs quidem, quibus videlicet exulcerata ſumma pars fuit, decidit ipſa vlceris cruſtula, quam Ephelcida nominant, deincepſq; quod reliquum fuit, propinquum ſanitati erat, ac poſt vnum, duoſue dies, ad cicatricem peruenit: Alijs, quibus ſcilicet vlcerata ſummitas non eſt, exanthema quidem ipſum, & aſperum, & ſcabioſum erat, decidit verò veluti ſquamma quædam; ac dehinc omnes fuere ſani. Nihil itaque miri, ſi etiam ij, quibus eiuſmodi exanthemata in pulmone ſunt orta, propter vlcerum ſiccitatem ſunt ſanati. Quod namq; in cæteris vlceribus vniuerſis ſupra monſtrauimus curationis eſſe propoſitum, hoc iam ijs, quæ ex Peſtilentia ſunt orta, præſtò fuit. Omnia namque ſicca, & aſpera fuêre, plurima quidem ſcabiei, quædam verò etiam lepræ ſimilia. Ergo cùm experientia rationi atteſtetur vlcerum curationem hunc vnum habere finem, vt ſiccentur, poterit quiſpiam ex ijs, qui ſanguinem ex pulmone reijciunt, ſeruare permultos ita, vt nos fecimus. De exanthematibus adhuc loquitur

Qui in peſtilentia euaſerunt, benè purgati fuere ſurſum, & deorſum.

Materia exanthematum eſt ſanguis putrefactus in cinerem verſus.

Ephelcis quid.

Exanthemata pulmonis ſanata.

Scabiei, aut lepræ ſimilia exanthemata peſtis.

Galenus lib.6.Epidem.Comment.2.Hippocratis verba exponens. Hippocratis contextus hac serie inibi habetur: Latæ pustulæ non admodum pruriginosæ: quales Simon hyeme habebat; qui cùm ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, iuuabatur. Vomitus non iuuabant. Puto, si quis calida fomenta adhibuisset, vtilitatem percepisset. Alia versio sequenti ordine habetur: Lata exanthemata non valde pruriginosa, qualia Simon habebat hyeme, qui cùm ad ignem inungeretur, aut calida (aqua) lauaretur, iuuabatur. Vomitus non conferebant. Existimo, si quis calefaceret, iuuaret. Galenus in huius textûs commentario sequentia scripsit: Vt de tuberculis dicebamus, quæcunque ex calido humore nascuntur, celeris videlicet ea iudicationis, ac minimè lata: ex frigido verò, lata, atq; diuturna: eâdem ratione,& de pustulis differendum est; neq; enim toto genere, sed humoris ipsas generantis qualitate, à tuberculis differunt. Egerminant autem, naturâ corporis altiores sedes repurgante, vt nonnunquam per excretionem, ita & per depositionem ad cutaneas partes. Subtiliores siquidem, dilutioresque succos extenuans natura discutit: crassioribus autem cuti, sed potiùs pelliculæ, epidermis, quæ vocatur, vtpotè densiori inhærescentibus pustulæ exoriuntur: idque magis illis incidit, quicunque densiore, ac duriore cute sunt, difficilis est enim per ipsam pinguiorum tenaciorumque succorum transitus. In hunc modum igitur, & Simoni hyeme latas pustulas efflоruisse narrat, quo tempore corpus lauationibus vsum, aut propè ignem perunctum, insigniter calefactum fuit: alio tempore autem, succi id genus pustularum auctores interius latitabant. Deinde inquit Hippocrates, ipsum nullum ex vomitibus fructum percepisse. Vtrum verò ipse Hippocrates, an alius quispiam, vomitionibus vti consuluerit, non declarauit: verùm neq; id scire nobis necesse est: tantum illud nouisse satis sit, succos ad cutem vergentes, per eam esse euacuandos: nam iterum ad intima corporis reuulsio ipsis valdè longinqua est, vt per aluum, aut vomitum euacuentur. Sed forsan me dicere putabis, nunquam purgatione per aluum in talibus vtendum esse. Ego .v. non id dico: nam in libris de Arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia est, ijs vtiles esse purgationes didicisti: priusquàm enim ita redundantem materiam, aut venæ scissione, aut purgatione quis eduxerit, si fouens, hoc est calidis vtens, ipsam discutere

Latæ pustulæ exanthemata dicuntur.

Tubercula facilis, difficilisq́ iudicij.

Crassus humor, densaque cutis pustularum causa.

Succi ad cutem vergentes per eandem euacuandi.

Si succus prauus in corpore abũdet purgãdum, & sanguis mittendus.

cone-

conetur, plus attrahet, quàm per cutem euacuabit. Sed cuti inhærentium succorum curatio prorsùm per fotus, & calida medicamenta præstatur: ac præcipuè, si latæ pustulæ fuerint. Signum est enim earum succum non calidum, non tenuem, sed admodum crassum, ac frigidum esse. Iam verò & tuberculorum superiùs notitiam habuistis, quod videlicet in acutum fastigiata, & veluti turgentia, calidorum succorum germina sunt, contra sese habentia, frigidorum. Ipsa verò turgere ex pruritu, atq; dolore, dignoscere licet: moderatè enim calida pruritus solùm excitant, sed vehementiùs calefacientia statim mordent, atq; contristant.

Discutientia, & attenuantia pro pustulis cutis.

Calidorũ, & frigidorum tuberculorum nota, & causæ.

Pruritus simplicis, & dolorosi causæ.

Ex dictis, alijsq; Hippocratis, & Galeni contextibus colligere licet, quid nomine exanthematum intelligi debeat: quod vt distinctiùs percipiatur, ante omnia supponendum id, quod Græcis Phyma dicitur, latinis tuberculum nuncupari: adeoq; phyma, tuberculumue, pro notæ molis, siue magnis tumoribus præter naturam, tam in intimis corporis partibus, quàm in externa superficie natis, vt plurimum accipi: eademq; tubercula ab exanthematibus distingui. Vix est inter doctiores qui dubitat, tuberculum pro tumore præter naturam alicuius molis, propriè, & vt plurimùm sumi, licèt in laxiori significato minutiores complectatur tumores, quoties tuberculum tuberis diminutiuum constituere placet. Quòd deniq; tubercula ab exanthematibus distinguantur, colligitur ex Hippocratis doctrina, lib. 3. aphor. 20. qui hac serie habetur: Vere etenim insaniæ (siue maniæ, siue furores) melancholiæ, morbi comitiales, & sanguinis fluxiones (hæmorrhagiæ scilicet) & anginæ, & grauedines, & raucedines, & tusses, & lepræ, & impetigines (siue lichenes) & vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & morbus articularis (siue arthritis). Græco autem in contextu habentur: Ἐξανθήσιες, ἑλκώδεες, πλεῖσαι, καὶ φύματα: id est: Exanthemata vlcerosa multa, & tubercula. Si quis autem vocem, ἐξανθήσιες, pro pustulis tantùm accipere cupit, esto: Saltem huiuscemodi pustulæ inter exãthemata numerantur, vt deinceps clariùs exponam. Galenus lib. 6. Aphorism. Comment. 9. tubercula etiam ab exanthematibus distinguit: Aphorismus hac serie scribitur: Latæ pustulæ non admodùm pruriunt. Alter interpres hanc versionem amat: Latæ pustulæ non valdè pruriginosæ sunt. Galenus in Commentario sequenti serie loquitur: Sicuti tubercula omnia duplicem ha-

Phyma est tuberculũ.

Morbi Vere erũpentes.

Tubercula ab Exanthematibus discrepant.

habent differentiam: quoniam quædam tendunt in acumen, & altum petunt: quædam ad maiorem extenduntur locum, non tamen in altum attolluntur: sic & pustulæ nonnullæ sublimes, nonnullæ latæ fiunt. Sublimiores autem pustulæ, atq; tubercula, à calidiore humore generantur, humiliores autem à frigidiore. Quare ob duplicem causam latæ pustulæ non admodùm pruriunt: difflantur .n. in latitudinem extentæ, & facientem ipsas humorem minùs acrem habent. Ecce Galenus tubercula ab Exanthematibus distinguens. Sicuti enim in Aphorismo Hippocrates habet, πλατέα ἐξανθήματα, id est, latæ pustulæ; pariter & Galenus in textu Græco ἐξανθήμάτων, & deinceps, ἐξανθήματα, habet. Et Exanthemata, pustulæ Interpretibus dicuntur: veluti φύματα (quâ voce Galenus etiam in Commentario vtitur) tubercula.

Sublimes pustulæ à latis differunt.

Ex dicto Galeni Commentario constat, tubercula ab exanthematibus, non qualitate humoris, tam hæc, quàm illa generantis, nec figurâ, sed quantitate, siue mole, distingui; quòd tubercula, magna; exanthemata verò, parua semper notentur. Vnde æstimandũ in citato Galeni comment. in secundam Sectionem libri 6. Epidem. mendum irrepsisse, dum ποιότητος loco ποσότητος scribitur. Galenus siquidem tubercula ab exanthematibus toto genere non distingui affirmauit; quod nollem dictum, si sola qualitate humoris distinguerentur. Nam humorum diuersa qualitas est, quæ exiturarum (siue hæ tubercula, siue exanthemata fuerint) genericam discrepantiam potissimùm constituit. Legendus ergo Galeni contextus superiùs scriptus, vt sequitur: Eadẽ ratione & de pustulis differendũ est: neq; enim toto genere, sed humoris ipsas generantis quantitate, à tuberculis differunt. Rectè ergo ποσότητος, id est, quantitate, (scilicet differunt) loco ποιότητος. i. qualitate, collocari debet. Nam reuera tuberculorum imaginem sequuntur exanthemata, cùm inter exanthemata, more tuberculorum, quædam acuminata figura protuberent, quædam lata: Et sicuti inter calida tubercula, quædam sunt acuminata, vt phlegmones, quæ à sanguine promanant, & alia lata, vt erysipelata; similiter inter exanthemata, quæ sunt minuta tubercula, inueniuntur quædam sanguinea, quæ sunt exiguæ phlegmones, cuiusmodi sunt multæ saltem variolæ, scabiesq; sanguinea, & quædam lata, vti sunt morbilli, qui non raro erysipelata perexigua repræsentant. Sicuti etiam lata tubercula,

Tubercula quantitate, non qualitate humoris ab exãthematibus differunt.

cula, & non acuminata, ab humore frigido pituitoso, aut melancholico, nascuntur; ita similiter exanthemata lata ab humore frigido, quæ quidem exāthemata non nisi modicum pruritum excitant: quo genere exanthematum vexabatur hyeme Simon ille relatus ab Hippocrate. Hyeme siquidem pituita cæteris humoribus prædominari consueuit: Simoni ergo lata exanthemata pituitosa superuenêre; sed quia serositas quædam biliosa, vel fuligines in parte affecta detentæ, pituitæ commiscebantur, vel ipsius pituitæ portiuncula computruit, inde pruritus exiguus nascebatur; qui cessabat, quando vi caloris, cutis pori aperiebantur, & exanthematum causa attenuabatur, rursùsq; resolu ebatur. Quoties autem humor exanthemata procreans, calidior est, acriorq; salsiorue, pruritum excitat satis vehementem.

Pituitosa exanthemata hyeme cur pruritum excitant.

Cùm liquidò constet, tubercula (maiora scilicet) ab exanthematibus, siue perexiguis tuberculis, distingui, par est modò inuestigare, quid propriè exanthematis vox significat, & quo in sensu accipi debeat. Ἐξάνθημα porrò idem est, ac id, quod effloruit, aut efflorescentia: verbum enim ἀνθέω, idem est, ac floreo, ἄνθημα, florum emissio, vel productio, vel efflorescentia: Vnde per Metaphoram papulæ siue pustulæ per habitum corporis erumpentes, exanthemata siue efflorescentiæ, non incongruè Hippocrati, Galeno, & Paulo Æginetæ, lib. 4. cap. 8. dicuntur. Hippocrati etiam lib. 2. Epidem. ἐκθήματα dicuntur: Θηλάζουσαι εἶτα ἐκθήματα ἀνὰ τὸ σῶμα πάντη εἶχεν. ἐπεὶ ἐπαύσατο θηλάσουσα, κατέστη θέρεος: id est; Quædam lactans, pustulas per corpus vbiq; habebat. Postquam autem lactare cessauit, sedatæ sunt per æstatem. Libro adhuc 3. Epidem. sect. 3. Pestilentis constitutionis mala enarrans, idem Hippocrates, ait: Ἐκθήματα μεγάλα: id est, pustulæ magnæ: vel, vt alter interpres habet, papulæ magnæ. Galenus in horum verborum commentario, ἔκθημα sequenti serie exponit: Apertum est ab ἐκθεῖν, quod est ἐξορμᾶν, id est, erumpere deriuatum esse ἐκθήμασι, id est, papulis, nomen, in ijs, quæ sponte extuberant in cute. Hæc constant superfluis, scilicet humoribus. Atq; qualitatem etiam non iniuria subsequuntur, cùm tenues humores, exulcerationem potiùs, quàm tumores, creent: at crassi in tumorem pellem attollant. Liquet autem quæ nunc in cute spontè sunt genita, eiusdem esse generis, cum illis, quæ in genis, & vlceribus prædixit excrescere. Erotianus

Quid Exanthema.

Ecthima quid.

Tenues humores exulcerāt, crassi tumorem in cute excitant.

tianus in suo Onomastico eandem habet explicationem: Ἐκθύει, inquit, erumpit: ἐκθέωσιν, excurrunt. Nec interpretes Græcarum vocum ab hac expositione discedunt, apud quos ἐκθύω idem est, ac cum impetu erumpo: ἐκθῆμα, quod per cutem quasi erumpit, aut efferuescit, pustula, papula: Et tam verbum, quàm nomen, ita ab Hippocrate intelligi communi consensu asserunt. Et iuxta Hesych. ἐκθύσω idem esse, ac efferuesco, euomo, protinùs autumant. Nec hi solùm, sed præstantissimus Interpres Foësius ἐκθύματα, secundùm Hippocratem, pustulas esse ait in summam cutem erumpentes. Et Vallesius in sua versione, vt Hippocrati, & Galeno, ac plerisque Interpretibus consentiret, loco, Echtymata, posuit exanthemata.

Fernelius notatus. Cæterùm Fernelio placuit Medicinæ Principes deserere, dum Echtymata in angustissimo sensu accipit, aiens, ea ex sanguinis feruore prodire, & extuberare: ea tamen ab Epinictide, & terminthо distinguit: licèt tria hæc genera, tresue species, pustulas appellet sanguineas. Galenus veruntamen non à solo sanguine, sed insuper humoribus frigidis exanthemata, quæ cum echtymatibus confunduntur, nasci docuit in comment. Historię Simonis superiùs relatę. Lib. etiam 4. de sanit. tuen. cap. 4. ex varietate exanthematũ in cute apparentiùm, succorum in intimo corpore latitantiu n redundantiam colligit. Eius verba sic accipite: Si cum exanthematibus lassitudinis affectus consistat, ex his facilis inuentu erit excrementi species. Ecce Galenus exanthemata statuens redundantium interiùs humorum certa signa. Cùm ergo quatuor humores alternatim, aut simul, peccare queant, exanthemata cuiusuis humoris naturam ostendere poterunt, quia ex quouis humore nascuntur exanthemata. Cæteroquin enim humores varios non repræsentarent.

Perampla exanthematis significatio. Misso ergo Fernelio, perpendere par est vocis, exanthematis latitudinem. Si verò vocis significationi hærendum, omnia, quæ in cute, aliena progerminant, præter insignis magnitudinis tubercula, exanthemata, pustulæue dici possunt. Nam his in cute ortis ab humoribus ex interioribus partibus delatis, eadem cutis veluti nouis floribus onusta, conspicitur: quamquam ijdem flores corruptionis humorum soboles extent. Nec est necesse ad hoc, vt exanthematis nomen mereantur pustulæ, in cute promineant exiguorum tuberculorum instar; vt patet ex Galeni contextu superiùs transla-

to ex cap. 12. libri 5. meth. med. in quo quædam exanthemata, aspera tantùm fuisse, & instar squammarum decidisse docuit. Vnde libro de Medicinis facilè parabilibus, cap. 5. ait: Exanthemata verò sunt vlcerationes factæ in summa cutis, subrubicundæ, & asperæ. Hippocrates denique lib. 5. Epidem. mentionem facit exanthematum, pustularumue, quæ cum culicum morsibus comparauit. Textus hac serie habetur: Euphranoris filio exanthemata, velut morsus culicum, exiguum autem tempus, postridiè febricitauit. Foësiana versio sic habetur: Euphranoris filio pustulæ culicum morsibus non absimiles eruperunt; verùm pauco tempore durauerunt: postridiè febris inuasit. Lib. 7. Epidem. eiusdem historiæ fit hac serie repetitio: Euphranoris filio pustulæ, siue exanthemata, culicum morsibus non absimiles, eruperunt. Eodem lib. 7. fortassis de planis istis pustulis loquitur, dum sequentia scripsit: Timonactis infanti, ferè bimestri, pustulæ in cruribus, coxis, lumbis, & imo ventre, tumoresque admodum rubicundi extiterunt.

Culicum morsibus quædam exanthemata comparauit Hippocrates.

Hinc inferre licet, Exanthematum nomine, non prominentes solùm, sed planas pustulas, quæ Hispanis Tabardillo, Gallis Pourpre, Italis Petecchie, dicuntur, comprehendi. Maculas autem istas, modò rubras, modò flauescentes, modò violaceas, modò Pallidas, prout hic, aut ille humor, peccat, prædominaturue, non culicum, sed pulicum morsibus, aut puncturis, comparant, nec ineptè, nostri sæculi Medici. Vnde febri, cui hæc superueniunt, nomen ab Hispanis inditum, febris puncticularis: alijs, febris purpurea. Italis febris Petecchialis, aut peticularis. Puncturas autem illas, peticulas vulgò nuncupari testatur Diomedes Amicus, Medicus Placentinus suo in Tractatu de Variolis, in lucem Venetijs misso, Anno 1596. Hîc autem Bononiæ, à vulgo, & Medicis, Petecchie iam à decennio vocari audio, latinè verò à Medicis Petecchias. Dixi pustulas illas planas pulicum morsibus ritè assimilari; quoniam reuera pulicum morsus omninò similes sunt istis pustulis planis, quæ multis ardentibus, malignisque, pestilentibusue superueniunt febribus.

Pulicum morsibus exanthemata quædam assimilantur.

Præterea, ex Hippocratis, & Galeni doctrina abundè colligitur, solos morbillos, & variolas exanthematum nomen non meruisse; cùm præter eosdem morbillos, & variolas, alias innumeras pustulas exanthemata complectantur.

Exanthemata latius patēt, quàm morbilli, & variolæ.

Sed

Obiectio.

Sed fortassis nobis opponet aliquis, planarum pustularum, quas solas, morbillos hodie Medici nominant, nullam fieri in Hippocratis Operibus mentionem: cùm quintus, septimusq; Epidemiorum libri, ex quibus historiam de morbillis, deduximus, non sint genuini Hippocratis, asserente Galeno lib. 3. de difficultate respirandi, & in exordio primi Commentarij libri de humoribus.

Solutio.

Huic Galeni authoritati hoc pacto respondendum censeo. Supposito, quod non sint Hippocratis duo prædicti libri; sicuti nec quartus, perinde nobis est. Sufficit enim quòd sint alicuius Hippocratis Nepotis lucubrationes, ex Patris, & Aui scriptis collectæ: imò nobis modò sufficit, quòd fuerint compositi dicti libri ab aliquo antiquo Authore Græco; fit enim Athenarum mentio lib. 5. Epidem.; fitq; Abderitanæ Ciuitatis; quæ sanè operis vetustatem confirmat. Addamus & his quandam doctrinam, tanquam Hippocraticã, ex 7. Epidemiorum à Galeno citari, vt libro de Pulsibus abundè referam. Sanè vix credendum, dictas planas pustulas Hippocrati ignotas fuisse, cùm ille pestiferis morbis abigendis diligenter, Atheniensium precibus ad id coactus, incubuerit. Morbilli enim pestilentibus febribus, & malignis, saltem multis, superuenire consueuerunt. Deniq; liber 5. Epidem. vtilissimus est, quòd de Praxi Medica multò fusiùs, quàm reliqui libri Epidemici, pertractauerit. Demùm de exanthematibus expressè loquutus est Hippocrates libro 2. Epidem. alijsq; in locis à nobis citatis; quibus absq; vllo dubio, peticulas, petechiasue, culicum pulicumq; morsibus planè consimiles, exanthematum (vt vocis etymon infert) nomine, præter alia comprehendit.

Angustior exanthematis significatio.

Exanthèma in angustiori significato, solas pustulas extraordinarias, febribus vehementibus superuenientes, aut has immediatè precedentes, complectitur. Nã de his præcipuè loquitur Hippocrates in Epidemijs. Proinde à squammis, & vitiliginibus exanthemata distinguit lib. 2. Epidem. Imò alibi Herpetes proprio nomine indigetat, tumoresq; biliosos appellat Galenus. Dixi, post Hippocratem, in historia filij Euphranoris exanthemata quandoq; ob materiæ morbificæ malignitatem ante sensibilem, aut saltem vehementem febrem apparere; quibusdam etiam malignis superuenientia, mox disparent, quia retrocedunt.

Exanthemata quãdoque ante febrem.

Sed hæc modò de exanthematibus sufficiant, quorum examen adeò

adeò prolixum pigro non arridebit Lectori. Nos verumtamen, fauente Numine, in Praxi nonnulla proferemus omissa.

Examinatâ exanthematum naturâ, supersunt adhuc quædam Hippocratis verba, solito nostro more inuestiganda: squammarum in contextu ipse meminit; quæ quidem tali donantur nomine, quòd aliquo modo veras piscium squammas referant: sunt enim squammæ corpora quædam sicca laminarum instar, nascunturque in cute non rarò, quoties escharæ vlcerum nimiùm exiccantur, aut partes cutaneæ vlcere non infestantur, sed asperæ, & scabiosæ redduntur. Has meritò inter cutaneos affectus recensuit Hippocrates nam praui humoris ab internis partibus ad cutem transmissi, sunt soboles. In cute enim ab humoribus, ad eam ab internis partibus transmissis, nascuntur modò tubercula, modò pustulæ, aliàs vlcera; prout hic, aut ille humor quantitate, aut qualitate, aut vtroq; modo peccat. Galenus capite 12. citato libri 5. Methodi med. Exanthemata quædam instar squammarum decidisse refert. Vnde iuxta ipsius doctrinam in exanthematum censu locum habent squammæ.

Squamma quid.

Squammæ sunt exanthemata.

Inter abscessus adhuc numerauit Hippocrates non solùm sicca vlcera, & squammosa, in vniuerso corpore apparentia, sed insuper capillorum defluuium. Non quòd capilli propriè sint abscessus, sed quia humor prauus ab internis partibus deturbatus, & eorundem capillorum radicibus adiectus, quendam sub cute generat abscessum; qui, cùm prauus sit, capillos non nutrit, sed potiùs corrumpit, abscessumq; aliqualem in capitis exteriori parte procreat, & quodammodò quid vlceri arido consimile.

Defluuium capillorum cur abscessus dicitur Hippocrati.

De Vitiligine.

QVod attinet ad Vitiligines, non est dubitandum, quin abscessuum numero sint adscribendæ: earum in mea Pathologia memini. Vitiligo enim inter morbos in numero addito, sed toto genere præter naturam; veluti lapis in vesica; grando, & suffusio in oculo, lumbrici, pus, verrucæ, lepra, leuce (hypopiam inter hos morbos idem enumerat, quæ est oculi affectus, quasi subpus diceres; quando nimirum pus sub oculo nascitur, affectus Hypopia appellatur.) aliaq; consimilia, collocari debet, teste Galeno lib. de different. morb. cap. 8. Græcis hic affectus

Vitiligo quid. ἄλφος nuncupatur. In mea Pathologia protuli, vitiliginem esse affectum quendam habitûs corporis, ex deprauata alimenti assimilatione ortum; quæ descriptio perfectior euadet, addendo voci alimenti, melancholici, aut pituitosi. Nam ex alterutro alimento vitiligo fit. Vnde communiter eadem, in albam, & nigram, tanquam *Vitiliginis duplicis duplex causa.* in proprias species, dirimitur. Fit enim Vitiligo, quoties caro pituitoso, aut melancholico humore ita nutritur, vt suam fermè naturam amittat, alterutrius humoris colore in cute apparente. Caro autem rubicunda esse debet, ratione tamen praui humoris pituitosi, aut melancholici, in alienam degenerat naturam.

Modum, quo vitiligo producitur, plenè explicat Galenus lib. *Nutritio est coctionis species.* 3. de Symptomat. causis, cap. 2. sequenti serie: Naturalium actionum prima, ac propemodum omnium maximè necessaria, nutritio est, quæ alteratricis actionis quædam est species. Est enim & concoctio, quæ in ventre agitur, alteratio: non secùs autem, & quæ in venis: quibus accedit ea, quæ in quaq; est particula: post quam *Nutritio re est assimilatio.* quarta est, quam assimilationem vocant, nomine quidem à nutritione diffidens, re autem non diffidens. Frustratur autem & nutri- *Variè nutritio læditur.* tio, cùm vel prorsùs non fit, vel intra iustum modum, vitiosèue fit: idq; vel culpâ nutritiuæ virtutis, quæ alteratricis est species, vel materiæ defectu, vitioue: defectu quidem in atrophijs, quæque ob *Atrophiæ causæ.* defectum, quæq; ob priuationem nominantur: Vitio verò, vt in ele- *Praua nutritio.* phantiasi, & leucis, cæterisq; id genus: accidit enim dum agglutinatur carnibus nutrimentum, vbi pituitosior sanguis est, carnem quoq; effici magis pituitosam: neq; enim idem est, carni esse, & pituitosæ carni esse: sicuti nec carni esse, & melancholicæ carni esse: nec biliosæ, atq; temperatæ esse, & à primis qualitatibus nominanti, humidiori, & sicciori, & calidiori, & frigidiori. Certiorem fidem sermoni nostro adhibebis, si animalium carnes, tùm sanguine præditorum, tùm exanguium æstimabis: adhæc etiam reptilium, quæcunque veris tempore gigni cernuntur, maximèque ex ijs, quæcunque viridium herbarum colorem præferunt. Cæterùm horum caro simillima ipsis herbis est: aliorum alba, & exanguis, veluti locustæ, & polypodis, atque aliorum alia quædam: neque enim nominare facilè est eorum differẽtias; adeò infinitæ multitudinis sunt. *Leuces generatio.* Ergo, cùm (sicuti diximus) caro longo tempore, pituitoso simul ac glutinoso sanguine nutritur, caro quidem adhuc manet, mutatur

tamen

tamen eius forma, & in alteram speciem vertitur, fitq; media quædam inter sanguineam, exanguemq; carnem. Vbi autem talis est reddita, accidit ei, vt de cætero allatum sibi nutrimentum non magis, vel tentet in rubram carnis speciem mutare, quàm polypodes, & locustæ: ita fit, vt tum alba, tum pituitosa tota, quam citissimè euadat, cùm nec ipsa possit nutrimentum ad ruborem vertere, & simul pituitosum illud affluat. Ergo qualem ab initio locusta carnem habet, ferèq; omnes ostreæ, talem ex transmutatione habent, qui leucis fœdantur: ita enim carnis vitium nominant, à colore scilicet albo nomen imponentes: sicut nigræ, & callosæ carni ab Elephante nomen ferunt: fit itaq; eodem, quo leuce, modo, melancholico nutrimento ad carnem longo tempore confluente. Vitiliginum autem generatio cum prædictis vitijs similis est generis: non tamen sub ijs tota caro vitiatur, sed in summo corpore veluti squāmæ quæpiam, vitiligines infiguntur: albæ quidem, ex pituitoso, nigræ ex melancholico succo exortæ. Quàm magnam verò vim habeat nutrimentum ad carnis mutationem, etiam ab Aristotele est traditum, vbi meminit Regionum, in quibus pecora, tam colore, quàm cæteris differentijs sensibilibus, mutantur, atq; alterantur.

Elephantiasis generatio.

Vitiliginis generatio.

Galenus translato in contextu de affectibus agit præter naturam, nutrici facultati superuenientibus. Est enim nutritio re idem, ac assimilatio: Est videlicet assimilatio nutrimenti cum alito, seu actio, qua mediante alimentum in aliti substantiam transmutatur; quemadmodum in nostræ Physiologiæ lib. 2. cap. 4. & lib. 6. cap. 4. docuimus. Triplicis substantiæ nostri corporis, spirituosæ nimirum, humoralis, & solidæ iactura per cutis poros, aliasque patentiores vias, vt os, nares, podicem, &c. assiduè fieri consueuit. Nutrix Animæ facultas, Animaue ipsa, illatum viuenti damnum resarcire cupiens, medio alimento in deperditæ substantiæ locum aliquid sufficit. Namque Galenus lib. 4. de simplic. medicament. facult. cap. 10. nutritionem sequenti serie describit: Quippe nutritio est euacuati repletio. Ibi siquidem Galenus perquam optimè, æquè, ac appositè, nutritionem definiuit; quoniam nutrimenti naturam iuxta communem Philosophorum opinionem proposuit. Sanè verò fortassis (inquit in principio Capitis) & pingue ipsum dulce est; & quicquid nutrit, ex genere est dulcium. Euenit autem id illis non ab re; sed secundùm ipsam quantum fieri potest nutri-

Nutritio quid.

Nutritio quid.

Pingue quodāmodo dulce, & hoc est quod nutrit.

menti substantiam: quippe nutritio est euacuati repletio. Atqui quod euacuatum est familiare erat: quamobrem, & quod nutrit, familiare sit necesse est. Porrò, si familiare, necessariò iucundum amicumq; fuerit, protinus etiam, vt ad id, quod nutritur, moderatè calidum. Sed in hoc non parua est maioris, minorisq; ratio, quando nimirum nec ad cibos accedimus planè secundùm naturam affecti: solum enim corpus eorum, qui cibum desiderant, inanitum sit oportet, si exacti futuri sint familiaris ipsorum qualitatis cognitores. Nam, si præter id calidiores, quàm conueniat, aut frigidiores euaserint, seu toto corpore, seu pertinentibus ad linguam, ac ventrem, locis, non solùm quæ nutriant, verumetiam, quæ refrigerent, aut excalfaciant, postulabunt. Proinde sanè cibi quoq; illi aliàs alij videntur iucundiores. Nam cùm duplex sit genere iucundum, alterum quod impleat id quod euacuatum est, cuiusmodi est nutrimentum: alterum quod medeatur ei, quod alteratum est, id quod iam medicamentum est: euenit vtiq; cibis, vbi non modò vacuatis exhibentur corporibus, sed etiam qualitate aliqua mutatis, vt duobus nominibus delectent, vt cibi scilicet, & vt Medicinæ. Sed, vt medicamenta quidem refrigerando quædam, & excalfaciendo, & exiccando, & humectando, ex ratione iuuabunt, & proderunt: Vt nutrimenta verò sola ea, quæ cognata sunt, & familiaria totis nutriendorum substantijs. Protinùs verò istis adest, vt moderatè scilicet sint ad ea, quæ nutriuntur, calida. Quãobrem nec eduliorum, nec medicamentorum, vna est animantibus omnibus species: Siquidem pro sua vnaquæq; familiari substantia simul, & affectione delectantur, tum iuuantur ab vtrisque.

Inanito corpori solus cibus sufficit: alterato & inanito simul, cibus alterans.

Iucundum quod assumitur duplex.

Alimenta medicamentosa.

Hanc doctrinam ad longum scripsi, quia omninò necessaria, eiusq; in Praxi Medica vsus valdè frequens. Descripsit enim Galenus hoc in loco nutritionem in ordine ad contrariam inanitionem: ideòq; nõ expresè eam appellat assimilationem. Libro etiam 1. de facultat. natural. cap. 5. Eandem nutritionem facta comparatione ad Auctionem, hac serie descripsit: Nutritio autem ijsdem partibus appositio quædam est, sed sine ampliatione. Non enim nutritionem, simplicem alimenti appositionem, quæ eiusdem alimenti assimilationem præcedit, esse voluit Galenus, sed appositionem nouæ substantiæ partibus simillimæ: quæ tamen nouæ substantiæ appositio ampliores non reddit partes, sicuti facit auctio, de qua

Nutritio quid.

qua immediatè ante modò translata verba Galenus hac serie loquitur: Auctio verò solidarum animalis partium, quarum esse formationem iam diximus, augmentum, ampliatioq; in longum, latum, & profundum est. Non dixisset Galenus, efformatas partes mediante auctione ampliari extendiue in longum, latum, & profundum, nisi in aliti substantiam alimenti substantia fuisset conuersa, & consequenter partibus nutritis assimilata. Nam nutritio auctione naturâ prior est, etsi tempore simul celebrentur. Eodem lib. 1. de facult. naturalib. cap. 8. hanc nostram expositionem sequenti serie confirmare videtur Galenus. Quod enim in nutrimenti affluit specie, cum id corporis eius, quod nutritur, omni parti affigitur, actio ipsa nutritio est: causa verò huius ipsa facultas. Et alteratio quidem hîc quoq; ipsius actionis genus est, non tamen talis, qualis erat in generatione. Ibi namque, quod os non erat, postea factum est os: in nutritione verò ei, quod iam factum est, id quod affluit, efficitur simile. Ita non immeritò alterationem illam, nominamus generationem, hanc adsimilationem. Nutritionem hîc alterationem quandam appellat Galenus; sicuti & ipsam generationem: hoc tamen cum discrimine; quòd generatio alteratione constet, simul & efformatione; nutritio verò sit veluti quædam alteratio, quæ versatur circa partes iam efformatas effigiatasue. Siquidem, præludij instar, cit. cap. 5. libri 1. de facult. natural. tria naturæ perfecti animalis opera exponens, effigiatum nimirum in vtero animal, rursusq; in lucem editum, deindeq; sufficienter auctum, ac tertio loco nutritum, actiones, quibus hæc opera producuntur, enumerans, ait: Actiones, quæ tribus his operibus respondent, necessariò tres sunt, vna scilicet cuiq;, generatio, auctio, nutritio; verùm generatio simplex quædam actio naturæ non est, sed ex alteratione, formationeq; composita. Vt enim os fiat, item neruus, vena, & reliquarum quælibet, alteratam esse oportet subiectam, vnde animal fit, substantiam: vt verò congruentem figuram, & posituram, & cauitates quasdam, & vel enata, vel adnata, aliaq; id genus, habeat, effingi eam oportet, quæ alteratur, materiam: quam vtiq; animalis materiam appellans, veluti nauis ligna, & imaginis ceram, minimè errabis. Eodem lib. 1. de facult. natural. cap. 4. facultatis siue potentiæ mentionem faciens, eam ad aliquid dici, cùm sit actionis, veluti operis, siue effectûs producti causa,

Quid auctio.

Nutritionis causa est nutrix facultas.

Nutritio, & generatio discrepant ab inuicem.

Generationis, auctionis, & nutritionis opera, siue termini.

Generatio quid.

Facultas ad aliquid dicitur.

causa, affirmat. Primum enim, inquit, actionis ipsius, potentia est causa: deinde etiam operis ex accidenti quodam. At verò, si causa ad aliquid (est enim vnius eius, quod ab ea fit, reliquorum nullius) planum est potentiam quoq; in relatione ad aliquid dici. Ac, quod agentis causæ substantiam ignoramus, facultatem eam, siue potentiam appellamus, in venis quidem potentiam quandam sanguinis factricem dicentes, in ventriculo concoctricem, in corde pulsificam: ac in singulis reliquarum particularum propriam quandam eius, quam edunt, actionis. Actionem verò propriam potentiæ nutritiuæ, adsimilationem esse statuit Galenus libro 1. citato de facultatib. naturalib. cap. 10. Videor enim, inquit, monstraturus tum instrumenta ipsa, quæ ad naturalem nutrimẽti molitionẽ comparata sunt, tum eorũ facultates propter hanc esse conditas. Nam cùm actio huius facultatis adsimilatio sit, nec fieri possit, vt adsimilentur, mutenturq; inter se vlla, nisi societatem aliquam, cognationemq; in qualitatibus habeant; idcircò primùm quidem nec quodq; animal quocunq; cibo nutriri potest: deinde nec, quibus nutriri potest, ijs vtique protenùs. Atque huius necessitatis causâ pluribus alterationis nutrimenti instrumentis cuique animali est opus. Siquidem vt flauum rubrum fiat, & rubrum flauum, vnâ, & simplice alteratione est opus: vt verò album nigrum reddatur, vel nigrum album, omnes, quæ in medio horum sunt, alterationes requiruntur. Ita, quod mollissimum est, non potest vno statim impetu durum fieri, nec quod durissimum, illicò mollissimum: pari modo, nec quod grauissimè olet, odoratissimum: nec contra, quod odoratissimum est, grauissimè fieri olens extemplò potest. Quo pacto igitur ex sanguine os fiet, nisi is priùs & crassetur plurimum, & dealbetur: aut quomodo ex pane gignetur sanguis, nisi & paulatim deponat alborem, & sensim accipiat ruborem; quippe caro ex sanguine non magno negotio fit: si enim eatenùs naturæ operâ crassescat, vt constantem substantiam habeat, nec etiam sit fluidus, prima, & recens concreta caro iam existet: At verò, vt sanguis os fiat, longo huic tempore, multo etiam opere, ac mutatione est opus. Quòd autem, & pani, multò magis lactucæ, & betæ, & similibus, quo sanguis ex ijs fiat, permulta alteratio requiratur, satis id quoque patere arbitror. Atque hæc quidem vna causa est, cur multa sint ad alterationem nutrimenti instituta organa. Altera autem

Quia substantiam causæ agẽtis ignoramus, eam appellamus facultatem.

Actio nutricis est assimilatio.

Caro est crassefactus sanguis.

tem

tem est excrementorum natura. Sicut enim herbis planè nutriri non possumus, tametsi pecudes ijs nutriuntur; ita radicula quidem nutrimur, verùm non ita, vt carne: hanc enim totam natura nostra propemodum vincit, mutatque, & alterat, ac sanguinem salubrem ex ea creat: in radicula verò, quod quidem conueniens est, & trãsmutari potest, quanquàm ægrè planè, nec sine plurima concoctione, omninò minimum est: sed tota paulò minus excrementosa est: & pertransit quidem concoctionis instrumenta; cæterùm exiguus ex ea in venas assumitur sanguis, nec is in totum vtilis. Quare alteram rursùm secretionem, eorum scilicet, quæ in venis sunt, excrementorum, desiderauit natura: quibus etiam alijs opus erat vijs, per quas ducerentur ad exitum, quò scilicet salubribus succis minimè officerent: præterea, quibus exciperentur, veluti receptaculis quibusdam, in quibus postquàm satis magna collecta vis esset, mox excernerentur. Ergo hoc secundum particularum in corpore genus, quod nutrimenti excrementis sit destinatum, inuenimus. Est, & aliud tertium genus, pro bonis succis vndique per totum corpus deferendis institutum. Estque id veluti viæ quædam numerosæ per totum corpus sectæ: vnus namque omnibus cibis introitus per os est, at non vnum est quod nutritur, sed plurima, ac plurimùm inter se distantia. Ergo admirationi esse cuipiam non debebit instrumentorum numerus, quæ nutritionis gratiâ natura condidit. Alia namq; idoneum cuique particulæ nutrimentum alterando præparant, alia separant excrementa, alia transmittunt, alia suscipiunt, alia expellunt, alia salubrium succorum in omnem partem ferendorum sunt viæ. Quare si vniuersas naturæ facultates intelligere velis, singula iam dictorum organorum tibi sunt consideranda. Principium verò doctrinæ eorum, tum ea naturæ opera, quæ propinqua fini habentur, tum particulæ, particularumq; facultates sunt.

Caro probè nutrit, non ita olera.

Variorum instrumentorum corporis variæ functiones.

Sequenti cap. 11. eiusdem libri 2. de facultatib. naturalib. vitiliginis generationem plenè exposuit hac serie: Itaque denuò nobis reuocandus ad memoriam is finis est, cuius causa tot, ac tales particulas natura instituit. Et nomen quidem rei, ceu priùs diximus, nutritio est: ratio verò eius nominis est, ad id quod nutritur, eius quod nutrit, assimilatio. Porrò, hæc vt fiat, agglutinatio siue adhærentia præcedat, oportet: sicut etiam, vt illa fiat, appositio. Post-

Nutritio quid.

Assimilationẽ præ-

quàm

cedit adhærentia alimenti cum partibus nutriendis, adhærentiam appositio alimenti. Ros est id quod aspergitur partibus. Vt differũt Anasarca, & leuce.

quàm enim succus is, qui omnem animalis particulam nutriturus est, à vasis excidit, in totam eam primùm dispergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demum assimilatur. Porrò differre inter se assimilationem, atq; adhærentiam, docet vitiligo illa, quam Græci leucen dicunt; Sicuti etiam adiunctionis, atq; agglutinationis differentiam prodit genus illud hydropis, quod ἀνασάρκα vocant. Non enim affluentis humoris inopia, veluti quæ Græcè ἀτροφίαι dicuntur, & tabes, eiusmodi hydropis generatio prouenit (videtur enim tum caro his humida madensque esse, tum solidarum quæque partium similiter affecta) verùm affluentis nutrimenti appositio quædam fit: quod tamen propterea, quod aquosiùs adhuc est, nec ad succum sufficienter redactum, nec lentitiam, glutinisq; consistentiam, quæ naturalis caloris ope prouenit, adeptum, adhærentiam consequi non valet, defluente nimirum, ac delabente, ob tenuis, & crudi humoris exuberantiam, à solidis corporis particulis, nutrimento. In vitiligine autem, quæ λεύκη dicitur, adhærentia quidem nutrimenti facta cernitur, non tamen assimilatio. Pateq; obiter id, quod paulò supra proposuimus, rectè esse dictum, debere fieri primùm quidem appositionem, mox agglutinationem, deinde ei, quod nutriendum est, assimilationem. Ac propriè quidem nutrimentum est, quod nutrit: quod verò veluti nutriens est, nondum tamen nutriuit, cuiusmodi scilicet est, quod agglutinatur, vel quod apponitur, id propriè nutrimentum non est, sed æquiuocè. Quod autem in venis est, atq, hoc etiam magis (æquiuocè scilicet) quod in ventriculo est, id tanquàm nutriturum aliquando sit, si probè concoctum fuerit, nutrimentum appellatur. Ad hunc modum, edulia quæque, nutrimenta vocamus; non vtiq; quod iam animal nutriant, neq; quod talia sint, qualia sunt, quæ nutriunt: Sed quod nutritura sint, si probè sint concocta. Id nãq; est, quod ab Hippocrate dicitur (libro de Alimento, circa principium): Nutrimentum quòd nutrit (sunt Hippocratis verba): nutrimentum, quod veluti nutrimentum est; nutrimentum, quod nutriturum est. Siquidem, quod iam assimilatur, nutrimentum appellauit (Hippocrates): quod verò tale est, quale illud, nempè appositum agglutinatumue genus, veluti nutrimentũ: reliquum omne, siue id in venis continetur, seu ventre, futurum nutrimentum.

Quid propriè nutrimentum.

Nutrimẽtum, veluti nutrimentum, quod nutriturũ est.

Ideò hanc de nutritione doctrinam, quæ Physiologica est, huc trans-

transferre placuit, vt omnes abſceſſus, de quibus hactenus egimus, & reliqui, de quibus ſumus acturi, pleniùs intelligantur. Omnia porrò ſubcutanea, & cutanea vitia, ab improba materia non plenè coctioni, nutritioniq; ſubacta, vtplurimùm proueniunt. Vitiligo ergo à praua procedit partium nutritione, teſte Galeno, cit. cap. 2. lib. 3. de Sympt. cauſis, vbi inquit: Deprauatus verò cibus (ſic vertit Copus) facit Elephantem, leucas, id eſt, vitiligines, atque alios huiuſmodi morbos. Eodem capite poſt citatum textum, de vitiligine verba faciens Galenus, hac ſerie rem concludit: Igitur longè melius fuerit, vt dicamus, alimentum eſſe cauſam. Id enim pronunciauit intrepidè Galenus contra quoſdam, qui exiſtimabant, ipſam carnem eſſe leuces cauſam.

Vitiligo vnde procedit.

Non eſt negligenter omittenda Copi verſio, quæ hæc habet: leucas, id eſt, vitiligines: Quæ ſanè verſio nec Galeno, nec rationi congrua eſt. Nam textus Græcus vitiliginis non meminit, ſed ſolius leuces; vt ex his verbis conſtat: Μοχθηρίαν δὲ, ὡς ἐν ἐλέφασι τε καὶ λεύκαις, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα: id eſt, vitio verò, vt in Elephantiaſi, & leucis, cæteriſq; id genus. Perperàm ergo poſt Copum errat Segarra, dum inquit: leuce idem eſt, ac vitiligo: malè inquam Segarra leucen, & vitiliginem, tanquàm rem eandem, confundit; cùm leuces ſolius meminerit Galenus loco iam citato, & cap. 9. lib. 1. de facultatibus naturalibus, modò à nobis tranſcripto: Cumq; expreſsè leucen, & vitiliginem, tanquam res ſpecie diſtinctas propoſuerit Galenus cap. cit. 2. lib. 3. de Symptomat. cauſ. & lib. 14. Methodi med. cap. 17. hac ſerie: Quædam namq; ex mutatione conſiſtunt ſolidarum partium: ſicut myrmecia, & leuce, & vitiligo (Græcè enim habentur καὶ ἡ λεύκη, καὶ ὁ ἀλφὸς, id eſt, & leuce, & vitiligo) & oſſis caries, quam ſphacelon vocant, & elephas, & ſcabies, & lepra: Galenus autem, & meritò, hos affectus citato loco repoſuit inter res toto genere præter naturam.

Segarra cum Copo perſtringitur.

Vitiligo, & leuce differunt.

Libro Introductorij, qui Medicus dicitur, cap. 13. diſcrimen etiam inter vitiliginem, & leucem ponitur. Et quoniam doctrina ibi extans clarè quoſdam cutis affectus exponit, eam hùc transferre placuit: Morbus, quem Græci ἐλεφαντίασιν vocant, ab Elephanti ſimilitudine nomen ſortitus eſt. Nam, qui hoc vitio laborant, cutem craſſam, duram, Elephantorum modo aſperatam habent. Originem mali excitat pituita craſſa, & atra bilis, vel mucoſa maximè

Elephantiaſis vnde dicitur, & fit.

ximè disseminata. Hi enim humores ferinum ipsum denunciant. Quare solum veratrum, siue nigrum, siue album, præsentaneum elephantiasis est remedium. Impetiginis duæ species sunt, quæ cutem molestant: vna tolerabilis, mitiorq; est: altera effera, quæ difficiliùs tollitur. Squamulæ in his ex cute abscedunt, sub quibus locus rubicundior, ferèq; exulceratus apparet. Gignitur affectus à pituita salsa, & flaua bile, ceu in salsuginum vasis fictilibus, ex cute secedunt squamæ. Succurritur Medicamentis pituitam mouentibus, & quæ extrinsecùs corpori illinuntur. Lepra quoq; cutis vitium est, sed magis subalbidum, asperiusque apparet. Ea verò asperitas, est veluti psydraciorum erumpentium. Psora verò, id est, scabies, exulcerata magis est. Pituita salsa vtrumque malum propriè producit. Medicamenta pituitam cientia, tum quæ extrinsecùs illinuntur, quibus ad lepram, & scabiem titulus est, ijsdem succurrunt. Vitiligo, quam ἄλφοι vocant, duas habet species, albam, & nigram. Hæc ab atra bile generatur, ob quod magna ex parte medicamina melancholiæ dicata conueniunt. Alba à pituita non salsa. Leuce habet quiddam simile vitiligini albæ, sed magis colore terram albissimam refert: à lepra variat, quòd lenior hìc cutis, minusque aspera, quàm sit in illa. Omnia huiusmodi curant medicamenta pituitæ trahendæ idonea, tum smegmata foris adhibita.

Lichen duplex est. *Lepra.* *Psora.* *Vitiligo duplex.* *Leuce.*

Psydracium, de quo in hoc contextu fit mentio, à Galeno exponitur hac serie libro de Medicinis paratu facilibus, cap. 5. Psydracia sunt parua exanthemata facta in capite, similia vesicis eminentibus in superficie. Libro autem de Tumoribus præter naturam, cap. 15. postquam achores, & ceria, siue fauos descripsit, in hunc modum loquitur. Quinetiam his minores tumores præter naturam in cute fiunt, myrmeciæque, & acrochordones, & psydraces, & epinyctides, omnibus notæ affectiones. Libro qui Introductio siue Medicus dicitur, cap. 15. sequentia habentur: Psydracion communi vocabulo circa corpus totum, & circa album oculi fit. Est autem velut pustula in summo rubicundum.

Psydracia quæ. *Psydraciũ quid.*

Ex cap. 13. citato, libri Introductionis, clarum ponitur discrimen inter leucen, & vitiliginem. Quare Priscorum authoritatibus, Copi, & sequacium versio aduersatur; imò, & rationi, vt paulò ante diximus. Nam leuce rem albam significat. Vnde Critonis quoddam Emplastrum pro Achoribus, apud Galenum lib. 1. de medi-

Leuce à vitiligine differt.

cam. secundùm locos cap. 8. leuce, id est album nominatur. Et dum album colorem corpus acquirit, leuce laborat. Proinde vniuersum corpus albo colore atque tumore preditum, leucophlegmatiâ, hydropis specie, affici dicitur: quoniam humore pituitoso corpus enutritum albescit, pituitæ album colorem referens. Vnde libro Definition. Medic. leuce corporis in album colorem mutatio est præter naturam. *Leuce quid.*

Præterea vitiligo, vti diximus, quid commune est nigro, alboq; cutis, carnisq; subiectæ affectui; cùm leuce albidum quid semper significet. Leuce etiam, vtplurimùm, est vniuersalis toti corpori, vitiligo autem non ita, sed intermixtus est alijs coloribus naturalibus, aut alienis, aut vtrisque.

Si tamen alicui placet vti nomine leuces loco vitiliginis albæ, quoties sermo erit de albicante cutis colore, ex alimenti pituitosi agglutinatione, & adhærentia, ac conuersione orto, à Galeno fortassis non recedet. Nam in leucophlegmatia, quæ est quædam leuce, alimentum partibus non adhæret tenaciter, nec agglutinatur, sicuti in vitiligine: nec pituita in leucophlegmatia tenax est, & viscida, sicuti in eadem vitiligine, in qua nutrimentum illud glutinosũ partibus apponitur, adhæretque; in leucophlegmatia, pituita tenuis est, & fluida nimis; ideòq; partibus non adhæret. Vnde vniuersi corporis maxima mollities. Cæterùm, qui volet leucen cum vitiligine confundere, vti ego ipse in mea Pathologia post alios feci, per me licet, dummodò rerum discrimina obseruentur. *Leuce quandoque pro vitiligine sumitur.*

De Lepra, Lichene, & Psora.

IN citato, & transcripto textu lib. 2. Epidem. meminit Hippocrates lepræ, quam abscessibus ritè adiecit. Lepra ex libro Definition. Medicar. est cutis mutatio in habitum, qui præter naturám sit, cum asperitate, & pruritibus, doloribusque, nonnunquam & squamis decidentibus, interim secùs, plures etiam hæc corporis partes depascitur. Elephas est affectus, qui cutem crassam, atque inæquabilem reddit: liuor adest, tum cuti, tum oculorum albis, exeduntur partes manuum, ac pedum summæ, ex quibus sanies liuida, ac fætida emanat. Impetigo est summæ cutis asperitas cum multa prurigine. *Lepra quid.* *Elephantiasis quid.* *Impetigo quid.*

Galenus libro de different.morb.cap. 5. Eryſipelata, Phlegmonas, Oedemata, Phygethla, Phymata, Strumas, Elephantiaſes, Scabies, Lepras, Vitiligines, tumoreſq; duros, morbos eſſe partis ſimilaris, compoſitos nimirum ex intemperie, & humore fluxo, plenè docuit. Eodem lib.cap.8. inter morbos in numero addito, & toto quidem genere præter naturam, lepras reponit, veluti leucas, poros, vitiligines, ſteatomata, atheromata, fauos, acrochordonas ſiue verrucas penſiles, pus, hypopiam, ſuffuſionem, grandinem in oculo, calculum, lumbricos, minutos vermes, quos aſcarides vocant, & quidquid in abſceſsibus continetur. Commentario deniq; in librum de Alimento, ait: Præterea verò ſcito, quædam eſſe toto genere præter naturam, quorum omnium eſt triplex differentia: quædam ex ſolidarum partium mutatione fiunt; vt myrmecia, vitiligo, leuce, & alphos, elephas, ſcabies, & lepra.

Lepra eſt morbus cōpoſitus partis ſimilaris.

Lepra eſt morbus toto genere præter naturam.

Lepram in cute potiſsimùm naſci cap. 17. libri Iſagogici, ſiue Introductionis, affirmat author eiuſdem libri, ſiue is fuerit Galenus, ſiue Herodotus: Cutem, inquit, totiuſq; corporis partes, exagitant lepra, Pſora, Alphos albus, Alphos niger, leuce, Impetigo ſimplex, Impetigo agreſtis, Dracontiaſis (eſt vlcus, in quo dum corpus mouetur, neruus occultatur) Acrochordones, Thymi (Thymus eſt aſperæ carnis extuberatio, cuius ſimilis circa genitale, ac ſedem oritur. Ita accipitur hoc in loco, etſi quandoq; ſignificet tumorem præter naturam: aliquando glandulam, aliquando carneam excreſcentiam, ſiue in præputio, ſiue ſede ortam), Myrmeciæ (Myrmecia eſt exigua excreſcentia calloſa, & magna ex parte rotunda: & quia in ſcalpendo, & attritu, mordentis formicæ ſenſum efficit, à latinis formica nuncupatur), claui, calli. Libro de ſuccorum bonitate & vitio cap. 1. impetiginem, & pſoram, & lepram, inter cutaneos affectus recenſet. Eandem habet ſententiam lib. de Tumorib. præter naturam cap. 13.

Cutanei affectus.

Dracontiaſis quid.

Thymus.

Myrmecia.

Quod attinet ad cauſam lepræ, eam ſtatuit humorem melancholicum libro cit. de bonitate, & vitio ſuccorum cap. 14. inquiens: At, quorum alimentorum ſuccus malus melancholicus fuerit, cancri his, & lepræ, & pſoræ, & quartanæ febres, & melancholiæ, & decolorationes decidunt nigræ, vnà cum lienis tumore non diſsimili: quin & nigras pleriſque varices, & hæmorrhoidas, attulit huiuſcemodi ſuccus. Libro 3. de Alimentor. facult. cap. 2. idem refert.

Humor melancholicus lepræ cauſa.

Li-

Libro de Tumoribus præter naturā cap. 13. eiusdem lepræ causam, humorem melancholicum statuit. Postquam enim capite præcedenti 12. eiusdem libri docuit, atram bilem, dum in carnem decumbit, & mordax est, circumiectam cutem perrodere, vlcusq; efficere, modestiorem verò, siue minùs ferocem, cancrum sine exulceratione, subsequenti cap. 13. iam cit. sequentia scripsit: Quæ verò depascuntur, attinguntque, quæ circùm sunt, ipsum continens sanum corpus perrodentia, hæc omnia Phagedænica vocantur (vlcera). Ex ambobus autem composita, scilicet vlcere ipso, & circumiecto tumore, Phagedænam nominant. Depascitur herpes quoque, quæ circum sunt perrodens, sed solùm cutis exulceratio est. Phagedæna verò cum cute, quæ subiecta sunt, attingit quoq;. Chironia verò, & Telephia vocare vlcera superuacuum est. Sat enim est omnia communiter Caccöethe, id est, maligna, appellare. Scabies quoque, & lepra, melancholici affectus sunt solius cutis: vt, siquidem in venis quoque, & carne fiant, cancer nominatur. Libro etiam 7. Aphorismorum 20. inter affectus melancholicos lepram collocat, aiens: Si timor, & mæstitia longo tempore hominem habere perseuerent, tale est melancholicum. Aliter etiam melancholicas dicemus passiones, cancros, Elephantes; propterea etiam scabies, leprasq; & vitiligines nigras. Libro deniq; 2. de Symptomat. caus. cap. 6. Pruritûs causam exponens, dicit eundem pruritum esse prurituosorum humorum sensum. Pruriginosa autem excrementa, nitrosa, & salsa, vel amara nuncupare licet, vt ait; licetq; eadem excrementa nitrosa, & salsa, vel amara in corporibus genita, externis comparare rebus, quæ consimili sunt prædita facultate: cuiusmodi sunt vrtica, scilla, muria, & mare, aliaq; id genus, quæ in nobis molestum sensum parere valent. Exactè satis pruritûs, & molesti sensûs varios gradus, variasque causas, sequenti serie exponit: Quippe, inquit, illotos, & sordidos, & qui cruditate laborant, & qui nutrimenta mali succi comedunt, hos pruritus exercet: multòq; magis scabiosos, & leprosos, propterea quòd in his affectibus, & copiosior, & crassior est vitiosus succus: quo vtique & diutiùs, & magis scabiunt, quàm vlli alij, qui citra talem affectum pruriunt: nec tamen iuuantur, nec si seipsos immodicè scabendo excorient; propterea nimirum, quòd eiusmodi succus infixus in ijs manet, ac, (vt sic dicam) cuti impactus hæret: non enim

Phagedena quæ.

Herpes quid.

Chironia, & Telephia vlcera.

Cancer.

Metus, & mæstitia melancholiæ signa.

Pruritus causa, & natura.

adeò

adeò exiguus, & tenuis eſt, ſicut in illotis, aut ſorde affectis, ſed plurimus, & craſſus; interim verò & glutinoſus. Omnia igitur eiuſmodi ſymptomata (non de pruritu tantùm, qui ſymptoma eſt in deprauato ſenſu tactus, eſt enim ſenſatio dolorifica, ſed de alijs ſymptomatibus in motu, loquutus eſt dicto in Capite Galenus, vt de Tuſſi, Sternutatione, Singultu, & Rigore, quos vehementes motus expultricis facultatis appellat: pandiculationem, & oſcitationem, eiuſdem expultricis mediocres motus: horrorē verò eiuſdem virtutis expultricis, adhuc magis mediocrem motum) à vitioſo ſucco proueniunt. Diſſident inter ſe cauſæ tum qualitate, tum magnitudine, itemque quiete, & motu. Quippe tenuis, ſalſus, immotuſq; ſuccus, in ijs eſt, qui pruriunt (intelligit hos, qui ſimplici, & parùm diutino pruritu vexantur): Paucus, tenuis, mordens, & immotus, in vlceroſis affectibus: Multus, ſalſus, craſſus, & immotus in lepris, & ſcabie: Paucus, tenuis, & mordax, cum exiguo motu, in horroribus. Quod ſi vel vehementius mouetur, vel copioſior, mordaciorue eſt, concutientem rigorem infert, non horrorem: maximum quidem, qui plurimus eſt, & mordaciſſimus, & vehementiſſimè motus: minimùm verò, qui propter vnum aliquid horum, mediocriter auctum, ex horrore in rigorem tranſire facit. Sanè complures aliæ inter maximum, minimumq; rigorem differentiæ ſunt, exceſſu, & defectu inter ſe diſſidentes: propterea quòd cauſa magis, minùſue moueatur, itemq; quòd magis minùſue ſit mordens: ad hæc, quod in cauſæ quantitate ſit diuerſitas: his ampliùs, quòd cauſa, quæ rigorem facit, vel omnibus prædictis differentijs, vel aliquibus, vel aliqua ſit adaucta. Atque hæc quidem omnia ſymptomata, cauſa circa cutem, & quæ ſub eâ ſunt carnes, aceruata, incidere conſueuerunt. Tuſſes autem, & ſternutationes, & ſingultus, alibi: illæ quidem, in pulmone & faucibus conſiſtente cauſa: hæ verò, in naſo: ſingultus, cùm in ventriculi ore, ſiue orificio ſubſiſtit.

Pruritus eſt dolor. *Varij motus expultricis facultatis.* *Pruritus cauſa.* *Moleſtia vlceroſa.* *Cauſa lepræ, & ſcabiei* *Horroris cauſa.* *Rigoris cauſa.* *Tuſſis, ſternutationis, & ſingultus ſedes.*

Ex citatis contextibus ſatis conſtat, quid lepra ſit; quam corporis partem afficere conſueuit; & quæ eius cauſa. Cutis enim eſt, quæ maximè à lepra afficitur, etſi præter cutem ſubiecta caro, eâdem leprâ diu protractâ, inquinetur. Cauſam lepræ ſtatuit Galenus, humorem melancholicum, non naturalem, ſed eum, qui præter naturam eſt, quiq; propriè atra bilis nuncupatur, ortum ducens

Lepra cauſa.

ex nimio feruore, & veluti assatione humoris melancholici naturalis, aut humoris biliosi, vt in nostra Physiologia abundè docuimus.

Hîc non est prætereundum discrimen communiter admissum, inter Impetiginem, Psoram, & Lepram. Impetigo, vt libro Definitionum Medicarum habetur, est summę cutis asperitas cum multa prurigine. Galenus Commentario in librum Hippocratis de Alimento, Impetiginis duas ponit species. Impetigo quoque, inquit, affectio cutis est. Eius sunt duæ species, altera Cicur, & mitior; altera agrestis, & molestior: In his squamæ à cute abscedunt, & locus qui sub squamis est, rubicundior videtur, & propè ad vlceratum accedit: Morbus autem ipse à salsa pituita, flauaque bile exoritur. Agrestis adhuc impetiginis mentionem facit Galenus lib. 6. de compositione medicament. per genera, cap. 2. & libro de Theriaca ad Pisonem, cap. 18. & penultimo, vbi de Salis Theriacalis dotibus verba faciens, inquit: Præcipuum verò Sal iste habet, quod morbos cutem infestantes curat; albam dico vitiliginem, lepram, impetiginem, quam feram vocant: & demùm omnia sub cute posita excrementa resoluit. Libro de Medicam. facilè parandis, pro feris Impetiginibus remedia scribit. Vtrum fera impetigo à lepra differat, sub dubio est: Nam hîc feram à lepra distingui docet Galenus, cùm hos ambos affectus, tanquàm distinctos, proposuerit. Cornelius verò Celsus Galeno antiquior, Impetiginem absolutè cum lepra confundere videtur: Lichenem tamen, in mitiorem, & feram distinguit. λειχην, lichen autem vox Græca, apud Medicos latinè scribentes, Impetigo dicitur. Celsus vero lichenem vocat papulam: Et impetiginis descriptio ab ipso data, lepræ prorsùs congruit.

Impetigo quid. *Impetiginis duæ species.* *Impetiginis causa.* *Salis Theriacæ dotes.*

Ego sanè existimo, feram impetiginem, ferumue lichenem, parum à lepra distare; cùm in fero lichene cutis scabra sit ob pullulantes pustulas squammis obductas. Verùm, quia pustulæ quædam in summitate rubicundæ squammis obduci possunt, talis fortassis affectus fera impetigo non malè dicetur. Eiusmodi enim affectus ex tenuibus simul, & crassis nascitur humoribus; cùm lepra ex solis crassis fieri dicatur. Mitior verò impetigo, siue Lichen (cum torrente enim Medicorum latinè scribentium, & non cum Celso, etsi latino, loquor) annexos habet furfures potiùs, quàm squāmas.

Impetigo fera à lepra vix differt.

De impetiginis in lepram, & Psoram transmutatione, præclarè

loquitur Galenus lib. 5. de Compositione Pharmacorum secũdùm locos cap. 5. cui titulus: De Lichenosis, Impetiginosisue Tumoribus: Et hæc inquit affectio ex mixto quopiam generatur humore, serosis nimirum, ac tenuibus, & acribus succis, cum crassis permixtis; quapropter etiam facilè in Psoram, id est, scabiem, & lepram transit. Indigetque etiam ipsa Pharmacis fortiter resiccantibus. Postquàm verò in Psoram, aut lepram transierit; vltra hoc, quòd resiccantibus indiget pharmacis, etiam repurgantia, & extersoria expostulat: denotat .n. Galenus, Psoram, & lepram, esse affectus multò grauiores ipsâ Impetigine.

Impetigo in Psoram, & lepram, migrat.

Sub impetigine, scabiem lui venereæ accidentem comprehendi quibusdam placuit; sicuti Plinio Mentagram, in qua non squamis, sed fædo colore cum furfuribus, vultus, demptis oculis, rursùs collum, deinceps pectus, & manus afficiuntur. Huius Impetiginis meminit Galenus libro de Pharmacis facilè parabilib. cùm pro ea, seorsim à communi impetigine, remedia præscripserit.

Mẽtagra.

Ex dictis constat, Impetiginis à lepra, & Psora discrepantia: Assignanda ergo est illa, quæ inter has duas intercedit.

Id quod Græcis Ψώρα, Psora dicitur, latinis communiter scabies appellatur. Psora, quàm lepra, magis exulcerata est, referente Authore libri Isagogici. Volunt etiam aliqui, cutem solam in Psora affici, in lepra verò prætercutem, suppositam carnem inquinari; Addunt, cutem in Psora furfuraceam esse, in lepra verò, vtpotè grauiori morbo, squamosam. Ad hæc, Psora peculiarem non obseruat figuram, cùm lepra vtplurimùm circularem habeat figuram, dum cutem erodendo depascitur ferinus humor eius causa. Sed meo iudicio parùm discriminis intercedit inter hos affectus, cùm vtriq; communis sit cutis asperitas, pruritus, & squamæ, siue paruæ sint instar furfuris, siue magnæ, instar squamarum piscium. Galenus autem lib. 4. Aphorismor. Comment. 77. Aphorismum, in quo de vesicæ, & venarum scabie dignoscenda ex furfuribus vrinæ commixtis agit Hippocrates, exponens, sequentia scripsit: Sicuti .n. cutis superficies (quam cutem superiorẽ, siue epidermidem vocant) in scabie, lepra, atq; lichenibus tenue quid abijcit (quale quod serpentum senectus nominatur); Sic vbi in partibus interioribus ea, quæ est veluti cutis tale aliquid patitur, symptoma quoq; morbi erit simile. Hac ratione igitur & venæ ipsæ, atq; vesica, scabie labo-

Psora est ipsa scabies.

Discrepãtia inter Psoram, & lepram.

ran-

rantes, furfureos cortices vnà cum vrinis emittent. Ecce Galenus docens, furfures esse quid commune lepræ, scabiei, & lichenibus: quare vix in externis cutis excrementis distinguentur. Nam, vt ex lepræ descriptione superiùs allata ex libro Definitionum Medicarum, constat, non semper in ipsa lepra cutis squamis scatet, & squamæ quandoq; in ipsa Psora conspiciuntur; vel, si mauis, escaræ, quando exulcerata est cutis. Imò, sicuti pruritus adeò est in lepra vehemens, vt scalpendo non mitescat, sed potiùs exacerbetur, & ex tanto cutis, & carnis attritu supernascantur varia vlcera, & tumores quidam Phlegmonosi; ita pariter in Psora contingit, in qua cutis mutata est in statum toto genere præter naturam, non secùs ac in lepra. Vnde cùm lepra, & Psora morbi sint valdè congeneres, nonnulli Psoram, mitiorem lepram appellant. *Lepra, & Psora vix differunt.*

Psora quidem dupliciter accipi potest, vel genericè, vel specificè. In genere accepta, omnem complectitur scabiem, à quocunq; humore prouenientem; in quo fortassis sensu loquutus est Auicenna, Psoram diuidens in non excorticatam, & excorticatam; fœdam, & non fœdam; humidam, & siccam. Lepra sub Psora ita genericè accepta, tanquam species continetur: ideoq; eadem lepra nihil aliud erit, quàm fœda, & insignis, id est, agrestis, & mali moris Psora siue scabies, quæ in Elephantiasim migrare potest: quo in sensu lepram, Psoram in nostra Pathologia appellauimus. Psora specificè accepta, esto ad placitum quorundam mitior lepra. *Psora bifariam accipitur.*

Dum lepram sub Psora, siue scabie genericè accepta contineri dixi; lepram propriè dictam, & hactenùs à nobis examinatam, intellexi: nam lepra impropriè dicta, quæ ab humore pituitoso nascitur, non est scabies, sed vitiligo, aut quid vitiligini simile. Huius impropriæ fit mentio libro de Affectionibus, in quo sequentia habentur: Lepra, & Pruritus, & Scabies, & Impetigines, & Vitiligo, & Alopeciæ, à pituita fiunt. Sanè de lepra alba, quæ vitiliginosa est, Polybus author istius libri loquitur. Huius naturæ fuit lepra illa, quam Saluator Mundi in Euangelio miraculosè deleuit, vt testatur Arnobius de Christi miraculis verba faciens; qui quidem lepram illam, vitiliginem esse censet: quæ fortassis vitiligo insignis erat, vniuersalis, & scabiei pituitosæ soboles. Licèt enim vitiligo, sicuti diximus, à pituita viscida & lenta ortum ducat, eiusdem pituitæ vbertas tanta esse potest, vt prauum reddat corporis habitum, *Lepra in sacra pagina, cum vitiligine confunditur.*

imò ſcabioſum, ob portionem humoris putrefactam; fædam verò ſcabiem ſubſequuntur non rarò maculæ iſtæ vitiliginoſæ in cute. Vnde, cùm confirmata eſſet illa Euangelij vitiligo, non immeritò lepra dicta eſt, etſi ordinaria vitiligo tale nomen non ſortiatur. Lepra autem Græcorum alterius eſt naturæ: nam quanquam à pituita ſalſa in melancholicum fortaſſis humorem conuerſa, ex parte naſci queat (in quo ſenſu loquutus eſt Author Introductorij ſuperiùs citatus, ſalſam pituitam, lepræ, & Pſoræ cauſam ſtatuens); atrabilarium tamen humorem, craſſum, acrem, & tenacem, calidum ſiccumque, cauſam agnoſcit ordinariam. Præterquam quòd huius doctrinæ veritas ex hactenus dictis liquida euadat, lib. 2. Prorrheticon in calce, lepram ab atra bile fieri aſſeritur. Quia doctrina ibi habita ad prædicendum vtilis, in vſum noſtrum hùc transferre placet: Impetigines, inquit, & lepræ, albicanteſque vitiligines, ſi iuuenibus quidem, aut pueris horum aliquid contingat, aut ſenſim ſe prodens diuturnitate temporis augetur: in ijs quidem eæ puſtulæ abſceſſus eſſe minimè exiſtimandæ ſunt, ſed morbi. At quibus ex his aliquid ſubitò, multumq; contingit, id certè abſceſſus dici poſſit. Oriuntur autem albicantes vitiligines ex maximè quidem lethalibus morbis, velut quæ tabes dicitur. Lepræ verò, & Impetigines, ex ijs, qui ab atra bile fiunt. Ex quibus quæ valdè iuuenibus contingunt, & recentiſſima quæq; ſunt, ea faciliùs curationem recipiunt, tum quæ in ſummè mollibus & carnoſis corporis partibus naſcuntur.

Lepræ cauſa.

Ex hoc contextu plenè percipimus, quando lepra, & cæteri relati affectus cutanei, morbi nomen merentur, & quando præterea abſceſſus dicendi. Morbi enim maximè tunc appellandi, quoties paulatim, & ſponte, id eſt, nullo præcedente morbo, erumpunt; Abſceſſus verò, quoties copioſè, repentèq; in cute emergunt, quia ad hanc alicuius morbi cauſa confertim à natura ab internis corporis partibus ad ſuperficiem deturbatur. In prima præcipuè ſignificatione loquutus eſt Hippocr. lib. 3. Aphoriſ. aphor. 20. dum inquit: Vere etenim furores, & morbi melancholici, & comitiales, & profluuia ſanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tuſſes, & impetigines, & vitiligines, & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores. Hic aphoriſmus contrarius videtur aphoriſmo nono eiuſdem libri, qui, vt ſequitur, iacet:

Lepra, Pſora, Impetigo, & vitiligo quandoque morbi, quandoque ſymptomata dicũtur.

iacet: Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte. Ver verò saluberrimum, & minimè exitiale. Galenus verumtamen aphorismos hos concilians, ait, vigesimum confirmare nonum; præsertim quoties verè vernales vere contingunt. Nam, inquit, hoc ipso tempore profundum corporis expurgatur, vitiosis humoribus à partibus principalibus ad cutem peruenientibus. Sic igitur & lepræ, & vitiligines, & impetigines, & pustulæ quædam vlcerosæ multæ generantur, &c. Prædicti affectus, abscessus, & symptomata dici possunt, dum Criticè alijs superueniunt morbis. *Dubio occurrit Galen.*

Nobis opponet aliquis textū libri de Affectionib. siue passionibus, in quo manifestè habetur, relatos affectus non esse morbos. Textus hac serie scribitur: Lepra, & Pruritus, & Scabies, & Impetigines, & Vitiligo, & Alopeciæ, à pituita fiunt. Sunt autem talia, turpitudo magis, quàm morbi. *Obiectio.*

Responsio est, falsum esse, quod in textu habetur: Nam cuiuis apertum est, lepram esse pessimum morbum, qui facilè quandoq; in Elephantiasim transit, sicuti hæc in lepram, teste Galeno. Æquè falsum est, quod post translatum textum habetur: furunculos nimirum, & carbones à pituita fieri, cùm à crasso feruenteq; sanguine, omnium arbitrio, nascantur. *Solutio.*

Idem erit Responsum ad textum habitum libro de Alimento, qui idem asserere videtur: Sed Galenus in Commentario, cuius verba superiùs in medium protulimus, manifestè docet; lepram, Psoram, aliosq; affectus à nobis relatos, esse toto genere præter naturam.

Author Definitionum Medicarum visus est dictam doctrinam libri de affectionibus prælibâsse, dum vitiliginem à rebus præter naturam his verbis excludit. Secundùm naturam sanitas est. Præter naturam morbus. (Quod autem est natura, id nec secundùm naturam, nec præter naturam iam est: vt gracilis admodum, ac siccus: vel crassus iam, & præpinguis: vel qui naso est adunco, aut simo: vel cæsijs oculis: vel qui varus, aut vatia est. Nam, qui ita se habent, non sunt secundùm naturam affecti: nam symmetriam euasêre: Verùm nec præter naturam rursùs, non enim impediuntur functionibus administrandis. Esse autem non natura eiusmodi est, vt neq; secundùm naturam, neq; præter naturam, neque natura existat: tales sunt vitiliginosi, aut acrochordonibus, myrmecijs- *Obiectio.*

ue, ac ſimilibus præditi: hæc enim nec ſecundùm naturam ſunt mala, ſiquidem à naturali ſtatu exceſsêre: neq; verò præter naturam, cùm naturales minimè impediant actiones: Verùm neq; natura ſunt: non enim ea fuêre à principio genita; neq; à prima generatione conſtitêre: non natura ergo vt ſint, relinquitur. Enim verò, quod conſtat natura, ei, quod ſecundùm naturam: & quod non natura, ei, quod præter naturam habet, ratione proximum eſt.

Solutio. Sed hæc doctrina ſtare nequit; nam ſi in vitiligine ſuam natiuam diſpoſitionem caro ſub cute contenta mutauit, maniſeſtiſſimè in ſtatum præter naturam migrauit; neceſſariòq; ſtatus hic morboſus erit, & conſequenter vitiligo morbus cenſenda eſt. Caro autem naturaliter rubra, in vitiligine fit alba, ſuamque prorsùs naturam amittit. Exempla autem in textu allata authoris opinionem non confirmant, ſed eneruant. Qui enim immodicè craſſus eſt, morbo laborat in magnitudine, ſicut laborabat Nicomachus Smyrnæus. Immodicè gracilis & ſiccus, morbo in quantitate diminuta, & intemperiei. Moles ſanè corporea nimium excedens, motricis facultatis actionem lædit, motũ ſcilicet: qui ideò vix edebatur in Smyrnæo. Velle verò talem monſtroſam corporis molem, ad omnes motus ineptam, naturam appellare, aut ſecundùm naturam eſſe, idem eſt, ac naturæ ſymmetriam prorsùs ignorare. Quis obſecro in naturæ operibus vel modicè inſtructus, qui non vltrò admittet, naturam ſemper conari temperantiam, & mediocritatem, quoſuis ſemper exceſſus in corporibus noſtris, quâ poteſt prouidentiâ, declinando. Nec monſtroſam ergo corpoream molem, nec tabidum corpus, niſi labefactata & impedita, progignit natura. Reliqui affectus in iam allato contextu libri Finition. Medicar. eandem patiuntur cenſuram; vt ex noſtra Pathologia liquidò conſtat. Cùm autem eos non naturam, vocet author, idem eſt, ac eoſdem ſub ſtatu præter naturam contineri, cùm naturalem præterierint ſymmetriam, vt ipſe author præſupponit.

Qui dicti libri Definitionum Medicarum Authorem, Galenum eſſe volunt, citatum textum hoc pacto interpretari poſsunt: Galenum velle, vitiliginem, facta comparatione ad graues ægritudines, non multum lædere actiones vitales, & animales dictas, eſſe tamen rem quandam ad res præter naturam declinantem, cùm naturæ limites exceſſerit. Poſſumus vlterius dicere, Galenum loquutum

Galenus exponitur.

fuiſſe

fuisse de rarioribus maculis in sola cute apparentibus; quæ, si supposita caro sana est, vix morbus dicendæ.

Examinatis hactenùs ab Hippocrate propositis abscessibus libro 2. Epidem. concludendum eosdem quandoq; inutiles esse, quando nimirùm parcè erumpunt: aliquando tamen, dum videlicet copiosè, & naturæ iudicio apparent, profuturos, siue eos nullus præcedat morbus, siue morbos illi sequantur acutos. Sicuti autem inter Criticas euacuationes, nulla parca bona est, similiter nullus abscessus exiguus; cùm copiosæ causæ morbificæ permodica portio ab affectis præcipuè partibus ad viliores transmittatur. Nec solùm considerandus naturæ imperfectus motus, inutilem sarcinam ad superfluitatum receptacula, aut viliores partes transmittens, sed preterea partis recipientis capacitas. Quandoq; quidē, dum natura, à partibus aut parte affecta causam morbificam fæliciter propellit, humorem in angustam, & modicæ molis partem prolabi contingit. Pars, præ exiguitate, incapax est receptionis tanti humoris ad se fluentis: proinde in ipsis partibus affectis, & in via, manet maxima humoris morbifici pars, ad easdemq: recurrit, qui effluebat, & ob ingentē fluxum pars recipiens obruitur. Vnde Hippocrates libro 2. Epidem. inquit: Atque si non sint pro ratione excretionis morbi indigna, velut Temeni nepti, ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cùm non sufficeret ad suscipiendum morbum, recurrit. Mortua est.

Exigui abscessus, nisi fuerit numerosissimi, non decernunt vtiliter.

Dum criticè fit abscessus pars recipiens non debet esse exigua, sed magna, & capax receptionis fluētis humoris.

Hieronymus Mercurialis casum narrat non spernendum: Memini, inquit, me quondam Patauij aliquem curâsse, in quo factus erat in grauissimo morbo abscessus in digito: quem cùm ego maximè formidarem, iussi adhiberi ignem (ignitum scilicet ferrum pro igne intelligit) & sanatus fuit: Siquidem potētissimus fuit ille ignis, cùm ad attrahendam, tum ad consumendam materiam, quæ alioqui non poterat in eum locum decumbere. Hæc ille, & quidem rectè: nam vbi in grauissimis morbis abscessus non fiunt secundùm exigentiam morbi, huiuscemodi abscessus sunt formidandi. Vnde Medicus congruis medicamentis, ferro, & igne, materiam morbificam attrahere, atque consumere debet, cùm minima pars corporis tantæ materiæ suscipiendæ sit omninò incapax: imò verò, etiamsi capax fuerit pars recipiens, ne materia ad eam recumbens iterum recurrat, vel ad partem affectam à qua deferebatur, vel ad ali-

Mercurialis obseruatio.

aliquam aliam ex ijs, quæ sunt in itinere, aut alibi, attrahentibus remedijs vtendum. Bubonibus ideò pestilentibus, siue retrò aures, siue sub alis seu axillis, siue in inguinibus appareant, solebam sine mora cucurbitulas cum magna flamma, iterum, & tertiò apponere: Quod si non inde sufficiens incrementum susciperent, laxantibus, & attrahentibus vtebar remedijs: pars enim relaxata & emollita, facilè, & sine renitentia humores ad se currentes suscipit: & multò magis, quoties ijsdem emollientibus, aut laxantibus, aut suppurantibus, aliquid ex attrahentibus remedijs adijcitur. Quòd si nondum in maiorem molem prædictorum remediorum ope bubo apparens assurgeret, & metuendus esset humoris recursus ad partem nobilem, lanceola, vel ferro ignito, vel Caustico potentiali bubonem aperiri curaueram. Similiter, in pestilentibus, malignis, & ardentibus febribus procedendum, quoties exanthemata potissimùm, aut quid simile, in cute apparent; tunc autem laxantibus, aperientibus, rarefacientibus, & discutientibus vtendum. Galenus lib. 2. Meth. Med. cap. 13. mentionem faciens febris à crudis succis ortæ, quam ventriculi dolor aut offensa comitatur, phlebotomiam tunc prorsùs repudians, veluti purgationis (ob imparatos videlicet humores) vsum, ad solam pedum, & brachiorum frictionem supernè deorsùm factam, & deinde olei laxantis, quale est Sabinum, vsum, tantùm recurrit. Si verò hyems adfuerit, post frictionem, cutis litum ex oleo Chamomillæ factum laudat. Libro etiam 9. de Medicament. secundùm locos cap. 1. de morbo regio agēs, sequentia scripsit: Fiunt quidem Icterici ratione bonæ iudicationis in febribus; proruente nimirum ad cutem bilioso humore. Et facilè sanè hi curantur balneis aquarum potabilium, & olei discussorij affrictu, omniumq; rarefacientium cutem: quale est Anethinum oleum, & Chamæmelinum, ac Cicinum. Post hæc etiam, vnguenta faciunt, gleucinum, crocinum, deinde Irinum, & Amaracinum. Balneo enim aquæ dulcis siue communis, cutem laxandam, & humectandam optimè præcipit Galenus; vt sic omnes pori aperiātur, & materia in ijsdem inclusa humectetur, & fluidior reddatur. Rursùs, vt talis materia, vi balnei laxantis & humectantis, ad exitum disposita, insensibiliter discutiatur, & dissipetur, rarefacientibus, discutientibusq; vtitur, vt oleo Anethino, & Chamomillæ, ac oleo Cicino (quod apud Ægyptios parabatur, & apud nos in vsu non

Abscessus remediorū ope augendus, ni spōtè crescat.

Cutis vngi debet oleo, butiro, axūgia, aut medulla vrgentibus febribus.

Vice Phlebotomiæ, & purgationis, extremorum frictionem, & cutis vnctionē, vbi crudi humores febrem efficiūt, præscribit Galenus.

Ictcritia quid.

non est): Et quædam vnguenta, quia tenaciùs, quàm olea, cuti adhærent, ea adhuc præscribit: sed quia acria, & consequenter calida, vtplurimùm, sunt, ipso Galeno teste lib. 5. de simplic. medic. facult. cap. 14. ijs non vtendum, nec sunt in vsu: habent enim non solùm aperiendi, sed detergendi vim; quæ quandoq; ad abigendum cutaneum malum necessaria est, dummodò febris non adsit. Quoniam hodiè balnea in raro apud nos sunt vsu, cutem laxare oportebit Decocto Maluæ, aut Althææ, tepido: & rursùs, blandâ manu, oleum Chamomillæ, aut liliorum, aut anethinum, tepidè admouebitur. Decoctum tepidum cum ipsa manu, vel cum panno leni & suaui excipiendum, dum eo blandè cutis obducitur. Deficiente consimili decocto, aut aqua, litus fiet ex oleo Amygdalarum dulcium, aut Butiro recenti sine sale, aut oleo communi, sed maturo: Deinde rarefaciens oleum, aut aqua admouebitur. Rarefaciens autem medicamentum moderatæ est caliditatis, & siccitatis, consistentiæ verò tenuium partium, docente Galeno lib. 5. de Simplic. Medic. facult. cap. 14. Sed hæc obiter de Remedijs.

Balnei substitutũ in febribus, nullatenus negligẽdum.

Præsenti Capiti Titulum præposui de Signis abscessuum, antecedentibus; Itaq; tempestiuum erit de enumeratorum abscessuum signis aliquid dicere. Sed quoniam ipsi signa sunt interioris statûs, quæ oculis obijciuntur, vix signa habent præcedentia, præter suas causas. Declinans porrò ætas, & ipsa Senectus, in quibus magna humoris melancholici, in iuuentute geniti, copia colligitur, causæ erunt melancholicorum morborum, tam internorum, quàm externorum, quòd difficulter collectus in corpore frigidiore humor melancholicus dissipetur. Rem hanc præclarè exponit Galenus Comment. 3. Prognostic. tex. 28. vbi inquit: Vt enim per tempora calefactos æstate admodùm humores, & vt ita dicatur, feruefactos, siue bullientes necessè est gignere atrabiliarium humorem: quem excipiens collectum in corpore Autumnus, vtpote frigidus, nequaquàm patitur similiter extrorsùm difflari, neque facilè vacuari: ita per ætates ætas inclinans efficit. Nam, quantum in ætatis vigore ferbuit humorum, atq; in atram mutatum est bilem, id hæc difficulter discutiens, febres potiùs quartanas committit: opusque est tempore longiore per hanc ætatem, vt corpus tali repurgetur bile: ita fit, vt adusque senectutem in medio atrabiliarij omnes morbi in his magis exuperent, in illis minùs, Elephantes, Cancri, Lepræ, Melancholiæ, Febres quartanæ.

Declinans ætas, & senectus signa abscessuum.

Sicuti autumnus humorem atrabilarium in æstate genitum collectumque excipit, sic declinans ætas, & humores adustos in iuuentute genitos.

Tem-

Tempus est signum abscessuū.

Tempus præterea causa est, & signum, multorum abscessuum, vt constat ex aphorismo 20. libri 3. aphorism. in quo Hippocrates varios recenset morbos, qui Vere emergere consueuerunt. Ideò autem vernali tempore multos suscitari morbos dicimus, quòd natura conetur, quidquid in corpore collectum fuit superfluitatis, antecedenti hyeme, & præ cutis densitate, retentum, è visceribus extrorsùm deturbare. Aëris autem tepor verno tempore contingens, cutis poros dilatat, & internos humores attenuat. Vnde natura has suppetias tum sortita, facilè humores magis attenuatos ad motum concitat, & extra corpus, nisi dum immodicè aggrauatur, per aliquas transmittit vias. Et quidem (inquit Galenus in Commentario) verno tempore, calor aëris ambientis humores diffundens educit ad cutem; quæ res ipsis exercitationibus persimilis existit. Nō solùm autem exercitationum effectibus, sed etiam ipsius naturæ, Veris opera similia sunt. Huius .n. opera sunt tum occultam per totum corpus facere transpirationem, per quam excernuntur superfluitates, tum etiam corpus in morbis varijs modis expurgare.

Veris opera in corporibus nostris elucent.

Exercitium veri simile.

Natura in morbis varijs modis corpus expurgat.

Hîc Galenus aliud insinuat signū, & causam cutaneorum, aliorumque affectuum, exercitationem, quam Veri similem esse pronunciat: quoniam in exercitio calor augetur, pori, ductusq; omnes ideò dilatantur, humores funduntur, & à natura extra corpus, si potest, proijcere consueuit. Galenus in Commentario, rem, vt sequitur, exponit: Tale quid etiam Vere contingit, quale in exercitationibus videmus fieri. Etenim hæ quoq; sunt saluberrimæ. Verùm si hominem pituita plenum, vel flaua bile, vel atra, vel sanguine ipso, volueris exercere, ei morbum comitialem, aut apoplexiam exercitatione contrahes: aut si hæc mala non eueniunt, periculum imminet, ne rupto aliquo in pulmone vase, in morbum incidat insanabilem. Multi verò cùm febricitare cœpissent, propter exercitationes acutissimis morbis fuêre correpti. Quibus verò vicem purgationis humorum, qui sunt in profundo corporis, exercitatio suppleuerit, ad cutem euocans, malorum humorum abundantiam, vlcera, & scabies inde generat: & hoc innuens dicebat Hippocrates lib. 6. Epid. sec. 5. Si impurgatus laboraueris, vlcera erumpent.

Exercitiū est abscessuum, multorumque morborum causa, in corporibus impuris, aut plenis.

Hyemi signum abcessuum.

Galenus in dicti Aphorismi Commentario, lepram esse morbum familiarem hyemi refert: hyems ergo signum esse potest cutaneo-

neorum affectuum: nam quæ tunc ad cutem transmittuntur excrementa, circa eam diu quiescunt, propter exiguorum meatuum, siue pororum, conniuentiam, ratione frigoris externi ortam.

Signum similiter, & causæ cutaneorum affectuum, potest esse olerum, cibiq; praui succi, diuturnus vsus; vt testatur Galenus lib. de succorum bonitate, & vitio, cap. 1. imò & aquæ corruptæ frequens potus, succos præstantiores in corpore corrumpere quit, pestemque ipsam intro ducere. *Cibus, potusque praui cutaneos affectus excitant.*

Licet ex hactenùs dictis erui possint signa futuri abscessus, sequēti tamen Sectione de signis abscessuum, qui solis acutis superueniunt morbis, breuiter disserendum.

De Signis, quæ Abscessum acutis morbis superuenientem produnt.

HActenùs toto hoc Capite promiscuè de abscessibus, qui per excretionem, & per decubitum fiunt, peregimus; & nonnulla proposuimus signa, abscessum per decubitum prodentia. Sed quoniā de Abscessibus, qui chronicis longisue morbis, simul & acutis, communes sunt, loquuti sumus, paucis de solis ijs, qui acutis, etiam protractis siue prolongatis morbis superueniunt, modò agendum. Vt enim in merè acutis, vtplurimùm excretione Crisis fit, in diuturnis aut productis morbis, abscessu contingit. Febres enim acutæ cùm à tenui, calida, & consequenter mobili, fluidaq; materia foueantur, quoties natura constans est, & valida, talem materiam domat, & criticè excernit. Si autem natura imbellis est, aut humor crassus, morbus protrahitur, fitq; Chronicus, raròq; per excretionem criticam iudicatur, sed per abscessum, aut simplicem solutionem. Imò quoties natura valdè imbellis est, & humor morbum fouens crassus & tenax, vix paulatim coquitur, domaturue materia morbifica, nec abscessus salutaris expectandus, sed mors, aut transitus in grauiorem morbum. Qui enim Cacochymia laborant, & in Chronicam incidunt ægritudinem, alterutrum experiuntur: mortem scilicet, aut transitum in hydropem, aliumue lethalem morbum. *Humor tenuis Criticè euacuatur, constante natura. Natura imbellis, & crassus humor Chronicos morbos efficiunt. Natura valdè imbellis, & humor tenax, mortē adferunt.*

Signa autem abscessum in communi præindicantia proponuntur breuiter ab Hippocrate, libro Prognostic. Sect. 3. Textus 23.

hac ſerie habetur: Si qua verò febris prorogatur, ſaluè affecto homine, nec dolore detinente, aut ob inflammationem, aut ob aliquam aliam occaſionem euidentem, expectari oportet abſceſſum cum ædemate, ac dolore in aliquem articulum, maximèq; inferiorem. Antea in eodem Opere Prognoſtico, quædam pronunciauit Hippocrates de abſceſſibus, qui circa hypochondria, thoracem, ac pulmonem, imò crura, apparent, quique capitis perſeuerantem dolorem conſequuntur: modò autem eoſdem abſceſſus in vniuerſùm, nulla definita parte, in qua fiunt, aut à qua humor deriuatur, examinat. Primis enim his verbis (ſi qua verò febris prorogatur.) Primum indicat ſignum futuri abſceſſus: Vult enim dicere, quòd in febribus ſtatim, & primis diebus, non fit abſceſſus, ſed procedente tempore, & productis, ſiue protractis iiſdem febribus. Triplex enim cauſa prorogationis febrium à Galeno proponitur in Commentario. Prima, eſt aliqua peculiaris pars affecta, quæ curatu difficilis eſt. Si enim peculiares quædam partes inflammatione, aut dolore afficiantur, copioſum ſemper humorem, quem poſtea domare, aut conficere nequeunt, ex circumuicinis partibus attrahunt: attracti humores corrumpuntur, & corrupti vapores inde ad Cor elati, accenſam antea febrem continuò fouent. Pars ſimiliter, quæ ante inuaſionem febris, aliquo affectu laborabat, præ imbecillitate, tempore febrilis æſtûs facilè ſuperfluos humores in æſtuante corpore turgentes ſuſcipit, febremque rursùs refouet. Secunda cauſa prorogationis febrium, ſunt humores crudi, & craſſi, & incocti, qui coctionem, præparationemue non recipiunt, ſed naturam ipſam agentem labefactant, imbecilliaremq; in ſuis operibus reddunt. Magnas enim, in vaſis præſertim exilioribus, pariunt obſtructiones, adeòq; ſanguinis, & ſpiritus liberum tranſitum quoquouersùm impediunt, & ob impeditam trãſpirationem, putredo, quæ febrem excitat, generatur. Non ineptè his addi poteſt humorum etiam tenuium magna copia, quæ cùm non niſi per vices euacuari poteſt medicamentorum ope, febrem protrahere poteſt; maximè verò, quia eius aliqua pars præ nimio calore aſſatur, incraſſaturque. Tertia prorogationis febris cauſa, eſt error commiſſus, vel à Medico, vel ab Ægro, vel ab Aſtantibus, aut defectus ortus propter externa: v. g. propter tempus aduerſum, terram, conditionem, domicilium prauum, conflictationem, ſolicitudinem,

Protractio febris eſt abſceſſus indicium.

Triplex cauſa prorogationis febrium.

Prima.

Secunda.

Tertia.

dinem, angorem. Debet enim Medicus fungi suo officio, debent & astantes, debētq; externa esse ritè comparata, vt in primo aphorismo, libri 1. à Præceptore pronunciatum est. Multi sanè Medici intempestiuè phlebotomantes, aut pharmaca contra ordinem, & Methodum Medicam ægris propinantes, leues morbos, sanatuq; faciles, chronicos efficiunt. Æger ipse Medico semper reluctans, & suo appetitui proteruè addictus, leuem breuemq; morbum, grauem reddit, & chronicum. Ancilla Bauderoni Medici quartana laborans, viuendiq; rectam respuens normam, octennio quartanaria vixit, & tandem hydrope correpta miserè interijt. Non obscuros quotidiè errores committuut astantes in potulentis, & esculentis, quoties suo placito ægros reficiunt. Tempus anni febres quandoque protrahit, vt videre licet in autumnali, hyemaliq; tempore. Terra vliginosa & frigida eundem effectum quandoq; parit. Loci situs, siuè conditio terræ, vim etiam magnam habet. Domicilium verò Meridiem respiciens, sicut & Aquilonem, prorogationis ansam præbet: veluti domicilium impurum, opacumque, & vetustum, ac in humili loco situm. Animi pathemata non modò febres protrahunt, sed non rarògenerant, mortemque acciunt. Cæterùm, si Medicus rectè medetur, si adstantes nullum committunt errorem, sique circa externa nullus appareat defectus, nullaq; denuò pars in corpore affectu laborat curatu difficili, & febris prorogatur, prorogationis causa erunt necessariò humores crudi, crassique, & non raròvirium imbecillitas. Hos igitur humores crudos, dummodò naturales vires sint constantes, & firmæ, assolet natura in partem quandam ignobiliorem expellere, quoties per excretionem pellere iuxta corpus non queat; vt in Comment. loquitur Galenus. Sæpè enim (inquit idem Galenus) dictum iam est, quòd humores corporis calidiores, tenuioresque, paratissimi sint ad excretionem: crudis verò, & crassis, aut per abscessum, aut per sympepsin, id est, concoctionem, natura medeatur. Porrò idipsum, vt per concoctionem medeatur, excretio quædam est, quæ ex vrina, magna ex parte, raròper aluum, efficiatur.

Errores ægrorū damno sunt.

Virium imbecillitas febrem protrahit.

Crudi humores abscessū procreant, aut paulatim coquuntur.

Particula textûs (saluo affecto homine) idem significat, ac ægrum habere signa semper salutaria toto febris decursu. Reliqua ex dictis clara euadunt.

Textus 24. hac serie iacet: Talis autem abscessus magis, ac mi-

nori tempore euenit iunioribus, quàm trigesimum annum agentibus. Galenus in Commentario ait: Sæpenumerò dictum est, quòd morbi, quos humores committunt calidiores, cum ægri viribus valentioribus per excretionem iudicentur. His contrariæ sunt affectiones, in quibus facultas debilis est, & humores frigidi, quæ nec excretione, nec abscessu iudicantur, sed aut corrumpunt ægrũ, aut perquàm longo temporis spatio vix concoquuntur. Porrò inter has mediæ intercidunt affectiones, quæ per abscessum iudicantur. Has affectiones, in quibus abscessus fiunt, medias esse docet Galenus; quoniam, vt abscessus fiat, non sunt necessariæ vires validæ, & humores simul calidi tenuesque, vti in excretione critica, hæc ambo requiruntur. Neque, quando humores crassi sunt, & vires imbelles, abscessus fieri possunt. Sed abscessus non rarò nascuntur, quando humores sunt calidi tenuesque, & vires imbelles: calidi enim humores, qui ob virium imbecillitatem non extra corpus excernuntur, ad aliquam corporis partem seponi possunt à viribus etiam modicis. Si igitur humores calidi sint (inquit Galenus) non oportet facultatem validam haberi, si abscessus quispiam futurus est: Si verò frigidi fuerint humores, facultate opus est valida ad abscessum. Sic autem ex duobus extremis oppositis; virtute nimirum valida, & humore calido tenuique; nec non viribus imbellibus, & frigidis humoribus, resultat quid medium compositum ex extremis; ita vt bimembre medium, in quo abscessus fit, rectè statuatur. Abscessus enim fiunt, vel quando virtus imbellis est, & humor calidus ac tenuis, vt antea diximus; vel quando virtus est valida, & humor frigidus crassusque. Virium robur, aut imbecillitas, ex actionibus colligitur, quæ validæ sunt, aut imbelles. In præsenti sententia virium robur ab ætatibus colligit Hippocrates, qui doctissimè monet, abscessus in iunioribus, quàm senioribus, frequentiùs citiùsque fieri; quia iuniores senioribus robustiores sunt, & in iisdem, quàm in senioribus, humores sunt magis calidi, magisq; tenues, & ad motum aptiores. In ijs verò, qui senes propriè nominantur, abscessus non fiunt, ob virium scilicet imbecillitatem, humorumq; frigiditatem, crassitiemque. Qui autem annum excedunt trigesimum, seniores (Iuuenibus scilicet) non simpliciter & absolutè senes appellantur.

In quibusdam affectibus fit critica excretio.

In quibusdam affectibus mors superuenit, aut tādem humor coquitur.

In medijs affectibus fiunt abscessus.

Si hæc legisset Duretus, non dixisset Galenũ nolle abscessum a tenui humore fieri.

Duplex causa abscessus.

Indicium abscessus est iuuentus.

In senibus non fit abscessus.

Sententia 25. Considerandum verò statim de abscessu est, si vigesi-

gesimum diem detinens febris transcendat. Hîc loquitur Hippocrates de vigesimo morbi die, vt in morbo acuto, sed producto, indicet abscessum fieri; cùm sæpiùs crisis per excretionẽ fiat ad quartumdecimum morbi diem, qui terminus est acutorum morborum. Vnde Hippocrates lib. 2. aphorismor. 23. Acuti morbi quatuordecim diebus iudicantur. In hac autem Sententia indicat Hippocrates, primis diebus Criticis in morbo acuto non fieri Crisim per abscessum, sed circa, aut post vigesimum diem, morbo scilicet in longum protracto. Proinde in Coacis Prænotionib. ait: Quibus inueteratio est morbi, abscessum dolorificum imis in partibus expectare oportet, potissimùm verò iunioribus. Eodem in Opere sequentia etiam pronunciauit. In diuturnis febribus, aut phymata fundi solent, aut in articulis abscessus oriri. Libro 4. aphorism. 44. Quibus febres longæ, ijs tubercula ad articulos, vel dolores fiunt.

Protractis febris est abscessus indicium.

Sententia 26. Senioribus verò per febrem longiorem minùs fiunt abscessus. Galenus in Commentario ait, meritò hoc ab Hippocrate pronunciatum; quia in morbis iudicandis per abscessum, facultatem habere firmitatem quandam, nec prorsùs ad extremam concidisse infirmitatem oportet: & ob eam rem, in quantum processerint per ætatem, abscessus minùs fieri accidit: Senibus verò non minùs, sed minimè accidunt. Nunc verò non γέροντας, id est, senes, dixit Hippocrates simplici ratione (siue absolutè) sed cum ijs, qui trigesimum agant annum, conferens γεραιτέρους, id est, seniores nominauit eos, qui prouectiores, quàm hi, per ætatem existant; vt iam antea dictum est.

In senioribus rarò fiunt abscessus: in senibus nunquam.

Textus 27. Oportet autẽ talem expectari abscessum per febrem continuam: in quartanam verò discessuram esse, quoties intermittat, prehendatque errabilem modum, atq; ita agendo autumno propinquet. Febris continua (teste Galeno in Commentario) est illa quæ non desinit ad integritatem, id est, est illa quæ ad puram remissionem, siue ad infebricitationem non terminatur quotidiè, aut tertio, quartoue die, intermittentium febrium more. Si verò quandoq; continua intermittit, præsertim, sub æstatis finem, in quartanam, aut erraticam febrem transit. Causam, & modum generationis quartanæ, & erraticæ febris in Commentario plenè exposuit Galenus; nos verò in nostro de Febribus libro. Licèt quandoque in intermittentibus febribus abscessus fieri queat, in ijs

Febris continua quid.

Continua quandoque in fine æstatis in quartanã, aut erraticam degenerat.

Abscessus in cõtinuis nascitur febribus.

tamen quæ continuò vexant, frequentissimè, ideò hîc Hippocrates in continuis abscessum nasci docuit.

Iuuenibus abscessus fiunt, sequenti ætate quartanæ contingunt.

Textus 28. Quemadmodùm verò in iunioribus, quàm trigesimum agentibus annum, abscessus fiunt: ita quartanæ potiùs annum agentibus quadragesimum, aut etiam senioribus accidunt. Hic contextus intellectu facilis est, dummodò quæ antea à nobis exposita sunt, ritè percipiantur. Cùm verò de ætatum mutatione hîc agere videatur Hippocrates, supponendum, quod in nostra docuimus Physiologia, pueros ratione sui temperamenti multum sanguinis habere, veluti adolescentes rectè viuentes; tàm hos tamen, quàm illos, ratione voracitatis, & præposteri modi viuendi, crudorum succorum copiam non exiguam colligere. Adolescentiâ vero transactâ, homines, maximè verò ij, qui prauè viuunt, præter sanguinem, amarulentum colligunt humorem, qui pallida, flauaq; bilis appellatur; qui humor in nonnullis ad trigesimum annum, alijs ad trigesimum quintum vsque, generatur. Primus enim terminus conuersionis ad habitum frigidiorem, trigesimus est annus: nouissimus verò trigesimusquintus. Non enim vna est meta conuersionis calidi habitûs in frigidum, propter varietatem temperamentorum, & modi viuendi, ac casuum superuenientium. Vnde Hippocrates quandoq; (vt in his contextibus) iuuentutis terminum statuit trigesimum annum, sæpiùs tamen trigesimum quintum. Quoniam ergo humores cineritij siue melancholici, post iuuentutem, calidam & siccam ætatem, in corpore relinquuntur, & quotidiè colliguntur, doctissimè pronunciauit Præceptor, quartanâ infestari homines circa quadragesimum annum, & vltra.

Pueri, & adolescentes multũ sanguinis colligunt.

Ad 30. aut 35 annum bilis generatur.

Vltra iuuẽtutem frigidiora redduntur corpora.

Hyeme, quàm alijs temporibus frequẽtius fiunt abscessus.

Textus 29. Sciendum autem, quòd abscessus hyeme potiùs fiat, ac tardiùs desinant, & minùs retrocedant. Abscessus hyeme potiùs, quàm reliquis temporibus, euenire, ideò dixit; quia hyeme humor frigidus crassusue, quàm cæteris anni tempestatibus, copiosior est, nec per cutem, æquè, ac reliquis temporibus, humores euacuantur; quia hyeme cutis densior est, & minùs perspirabilis, minùsq; in ea humores superflui attenuantur, disponunturue ad exitum. Abscessus autem, etsi quandoq; ab humore nascantur tenui, vt iam antea dictum est, vtplurimùm tamen à crassis frigidisq; excitantur. Congruè ergo hyeme, in qua non exigua pituitæ vbertas emergit, apparere solent. Dixit præterea abscessus factos tardiùs desinere

siue

siue terminari hyeme, quàm cæteris anni temporibus: quia humor tunc abscessum causans, frigidior est, crassiorque, & ambientis aëris frigus intensius est. Vnde difficultas attenuandi, incidendi, & discutiendi superfluum humorem enascitur. Discutiatur enim omninò oportet, decumbens humor, vt abscessus curetur. Dixit tertiò Hipp. abscessus, hyeme, quàm reliquis anni temporibus, minùs retrocedere: & quidem propter relatas causas, frigiditatem videlicet, & crassitiem humoris, & aëris frigiditatem, quosuis meatus corporis condensantem, coarctantemque. Ad retrocessum verò, necessaria est mobilitas, siue facilitas ad motum; ad quam facilitatem tenuitas, aliqualis saltem, in humoribus prærequiritur. Humor verò frigidus crassusq; difficulter mouetur, adeòq; vix, aut nullo modo, nisi priùs attenuetur, retrocedit. Ob dictas causas hyeme, quàm cæteris temporibus, Podagrici, & Arthritici omnes, difficiliùs curantur, maioresque patiūtur cruciatus. Humor autem crassus articulis affixus, nec repelli, nec resolui potest.

Podagrici hyeme difficulter sanantur; quia humor crassus est, qui vix repercuti, aut resolui potest.

Præter ea, quæ in hac tertia Sectione Prognostic. de abscessibus pronunciauit Hippocrates, Sectione 2. eiusdem libri, textu 34. hæc habet: Qui tenues crudasq; diutiùs vrinas mingunt, si cætera, vt in conualituris, indicia fuerint, in ijs abscessum ad sedes infra præcordia expectare oportet. Morbi enim concoctu difficiliores (inquit Galenus in Commentario), vt qui ex crassioribus, frigidioribusque humoribus fiunt, per abscessum iudicari assolent: qui verò ex calidioribus tenuioribusque, excretione. Quoties ergo plus maneant temporis vrinæ nequaquam concoctæ, definiendum, vtrum nequaquam duraturus longitudine ægrotationis sit æger, an iudicandus per abscessum. Meritò sanè dubitat Galenus, an, apparentibus toto morbi decursu vrinis crudis, duraturus sit æger: nam continua cruditas vrinæ mortem minatur, & non crisim. Prudens verò Medicus mortem tunc prædicet, si facultates imbelles fuerint: si verò facultates fuerint validæ (quæ res ex actionibus dignoscetur) tunc spes salutis per abscessum habenda: & quoniam humores sunt frigidi crassiq;, deorsùm, quàm sursùm, faciliùs vergunt; adeoq; in inferioribus partibus abscessum procreant: contra quàm quandoq; in acutis contingit, in quibus humor calidus tenuisque, sursùm volans, parotides generat.

Vrinæ crudæ, sed cætera signa bona, abscessum minantur.

Crudæ vrinæ, & vires imbelles, mortem præsagiunt.

A tenui humore fit quandoque abscessus.

Ex libro 6. Epidem. Sect. 2. hùc etiam de Abscessu sententiam

trans-

transferre conuenit. Si eorum, quæ excernuntur, superſit pars aliqua, tunc in abſceſſum morbus eſt facilis. Vult Hippocrates, abſceſſum quandoq; fieri, quando excretio critica cohibetur: Cùm enim tota materia morbifica non fuerit critica excretione euacuata, rectè natura humorem reſiduum ad aliquam partem traijcit, in qua abſceſſus ideo naſcitur.

Imperfectam euacuationem ſubſequitur quandoque abſceſſus.

Libro 4. Aphoriſm. 31. futuri abſceſsûs indicium, ſpontaneam laſſitudinem eſſe aſſerit. Febricitantibus, inquit, laſſitudinem habentibus, in articulos, & circa maxillas potiſſimùm abſceſſus fiunt. Laſſitudinem veram ob multos motus naſci in Commentario docet Galenus; ſpontaneam verò laſſitudinem propter humorum aberrantium motum. Ambarum verò laſſitudinum locus affectus eſt communis: qui locus affectus non alius eſt, quàm totum genus muſculoſum in corporibus noſtris. Quæ verò, inquit Galenus, ex motibus multis laſſitudines accidunt, ijs propria & peculiaris eſt caliditas articulorum: quare in his nihil mirum, ad articulos abſceſſus decumbere: vt qui vnà cum muſculis laborauerint, atq; vltra modum concaluerint. Spontaneis autem laſſitudinibus, vna ſola ratione fluxiones, vt decumbant ad articulos, euenit, ſicuti & omnibus alijs ferè morbis, qui per abſceſſus iudicantur: quod ſcilicet ipſi ſpatia ampliora idonea habeant ad ſuperfluitates ſuſcipiendas. Rariores igitur in cæteris morbis fiunt abſceſſus; in laſſitudinibus verò plures, & præſertim ſpontaneis, & maximè omnium, quæ à plenitudine ſunt. Vera laſſitudo eſt ille calor moleſtus in articulis, & muſculorum tendinibus ad eoſdem articulos potiſſimùm terminatis, vnà cum dolore & moleſtia, à laborioſo motu accenſus. Talis affectus, qui frequens eſt in ijs qui ſua corpora immodicè exercent; vera laſſitudo, hîc, & alibi, Galeno dicitur. Et in hac quandoq; circa articulos abſceſſus fieri conſpicimus. Laſſitudo verò ſpontanea ab humoribus naſcitur ſuperfluis, qui quidem corpus aggrauantes, in articulos, tanquàm in loca capacia, ex muſculis, horumue vaſis facilè tranſcurrunt; cùm cæteri meatus repletione laborent, adeo vt tantam humorum ſuperfluitatem continere nequeant.

Spontanea laſſitudo in febribus, eſt indiciũ abſceſſus.

Genus muſculoſum, & articuli ſedes laſſitùdinis.

Cur in articulo facilè fiunt abſceſſus,

Laſſitudo quid.

Sequenti Aphoriſmo 32. adhuc futuri abſceſsûs indicium ponit, partem dolentem, in qua poſt Criſim abſceſſus fit, ſi humor ſuperfluus non integrè fuit deturbatus. Quibus autem, inquit, eua-

In parte dolente facilè abſceſſus naſcitur.

eualeſcentibus ex morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abſceſſus. Sæpiùs enim ſcripſimus, dolorem, & calorem vim habere attrahendi humores ad partem, quam afficiunt. Quando ergo humores morbum facientes non ſatis fuerint expurgati, ſed quaſdam reliquerint ſuperfluitates, non mirum, ſi ad partem aliquam dolentem eædem ſuperfluitates tranſmittantur, & abſceſſum faciant. Dolor enim partis, futuri abſceſſus ſignum eſt: Labor verò tempore Criſis ortus, cauſa. Labor enim vehementem ſignificat motum, & dolorem, & læſionem, vt in principio Commentarij huius Aphoriſmi loquitur Galenus: qui rursùs inquit: Nam in vehementioribus motibus vires fiunt imbecilliores, & caliditas maior accenditur, dolor autem iam fluxione decumbente perficitur. Hic igitur, id eſt, dolor, vti diximus, eſt ſignum abſceſſus qui fit. Caliditas autem, atq; imbecillitas ad locum affectum prouehit ſuperfluitates. Vult, vt exiſtimo, Galenus etiam in vehementi motu Critico vires labefactari, & calorem accendi, vti in quouis magno labore contingit. Et has ob cauſas, dum humor morbificus non integrè euacuatur, quidquid eius in corpore permanſit, ad aliquam propellitur partem, in qua ſi dolorem excitat, dolor, futuri abſceſsûs in eadem parte, indicium erit. Credo quidem, Hippocratem de dolore, qui de nouo in aliqua parte ſuſcitatur, non de dolore, qui morbum aliquem quandoq; præcedit, loquutum; quia huius vltimi doloris ſequenti Aphoriſmo meminit Hippocrates, hac ſerie: Sed ſi ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus ſtatuitur. Certum enim eſt, quod pars corporis continuis doloribus vexata, ſuperueniente corpori aliquo morbo, abſq; fermè renitentia, morbificum humorem, ſi non integrum, bona ex parte, recipit; dummodò receptionis tanti humoris capax fuerit. Facilè ergo in tali parte abſceſſus naſcitur.

Labor quid.

In labore, ſiue vehementioribus motibus, vires redduntur imbelles.

Galenus lib. 3. de Criſib. cap. vlt. abſceſsûs futuri ſigna hac ſerie ſcripſit: Si verò ad abſceſſus conuertantur morbi, communia quidem omnium indicia ſunt, ſalutariter ſe habente ægro, quòd neq; morbus ſoluatur, neq; vrina multa, & multam habens ſubſidentiam, ſed cruda, & tenuis appareat. Propria verò indicia (vbi morbus non fuerit valdè diuturnus) ſi ſubita difficultas anhelitûs laboranti ſuperueniens, mox quieſcat: eamq; grauitas capitis, ac dolor ſubſequatur, & grauis ſomnus, ac ſurditas, huic in glandi-

Signa futuri abſceſſus ex Galeno.

bus post aures necesse est abscessus fieri. Si verò morbus iamdiu durauerit, neque vllum ex his signis affuerit: sed in aliquo ex locis inferioribus, vel grauitas, vel tensio, vel inflamen, vel dolor apparuerit; huic abscessus ad partes inferiores est expectãdus. Exemplum verò vtriusq; abscessus ex vno morbo assumens Hippocrates in Prognostic. (Sect. 2. textu 67. quem nos exposuimus Cap. 7. huius libri, pagina 460.) qui possunt eius sermonem diligenter inspicere, edocuit, quo pacto oporteat de omnibus abscessibus ratiocinari.

Si quæ de abscessibus hîc desiderantur, habentur supra passim in huius Capitis prima parte, paginis 460. 461. 462. 463. 464.

CAPVT VIII.
De Signis Crisim per Excretionem concomitantibus.

TAle Caput à quibusdam proponitur, sed, meo iudicio, frustrà, quoniam ipsa excretio Critica, & Abscessus Criticus (quas solas Crisis causas statuunt) dum fiunt, nullo vlteriori egent signo ad sui dignotionem. Præterea in Capite, cui talem præfigunt Titulum, non tam de Signis agunt comitantibus Crisim, quàm de bonæ Crisis cõditionibus; quas conditiones (non illas quas superiùs hoc libro exhibuimus, sed quasi alias) nos etiam cum ipsis proponemus, expositâ priùs quâdam Sententiâ, quæ apud Hippocratem habetur libro 6. Epidem. Sect. 2. textu 33. Transitus, inquit, aperiri, vt nares, & alia, quibus opus est, & vt conuenit: & qualia, & vbi, & quando, & quantum oportet, vt sudores, & alia planè omnia.

Hic aureus Textus per capita examinandus. Sed priùs scire oportet id, quod Hippocratem mouit ad constituendas tam methodicas medendi regulas. In antecedenti quidem textu de Oculis fluxu lachrymali laborantibus, loquutus est, methodumque, tàm continuum ex oculo humoris fluxum curandi, proposuit. Antecedens Textus hic est: Sicut oculis fluxu laborantibus, si aliter videtur conducere, in fauces retrahere conuenit. Et vbi eructatio confert, & quæcunque alia eiusmodi. Pro oculis fluentibus intel-

ligit

ligit Galenus diuturnas oculorum fluxiones: quando nimirum ex ijs fluit extra tenuis quidam liquor. Sabinus verò, vt refert Galenus, Hippocratem de sola Rhyade loquutum censet. Rhyas autem est excauatio anguli maioris oculi. Monet ergo Hippocrates, si ita videtur, humores ad fauces reuellendos esse conuenientibus remedijs, vt masticatorijs, & consimilibus rebus calidis, habentibus vim attrahendi ex cerebro ad os, humores, ad oculos continuò decumbentes. Errhynis similiter vti possumus, vt ad nares trahatur humor. Abstinendum tamen ab Apophlegmatismis, quoties timetur descensus humoris ad pulmones: & tum aliò humor est reuellendus; vt ad spatulas, mediantibus Cucurbitulis, frictionibus, vesicatorijs, & similibus; imò sudoribus, & alijs euacuationibus vtendum, vt deinceps in expositione Textûs transcripti 33. dicetur.

Rhyas quid.

Medela pro lachrymantibus oculis.

Deriuatio ad spatulas fiat, quando masticatorijs nō vtendum.

Cæterùm, particula illa textûs (si aliter videatur expedire) videtur præsupponere aliquid aliud in Curatione. Licèt enim in omni fluxione humorum, quæ sistenda est, medicatio, sanatioue, si rectam medendi methodum amplecti volumus, à reuulsione inchoanda sit, quandoq; tamen peritiores Medici, pro leuioribus præsertim affectibus, Topica siue localia remedia partibus admouent. Hæc Topica varia sunt: nam quædam repercutiunt, siue retropellunt humorem fluentem ad partem; & frigida sunt, atq; adstringentia. Sunt & alia ab his diuersa Topica, quæ vim habent aperiendi poros, siue exiles meatus exteriores partis, & attenuandi fluxum siue impactum humorem, & denuò insensibiliter resoluendi, siue dissipandi; & hæc calida sunt, & rarefacientia, ac tenuium partium. Sunt adhuc nonnulla, quæ vim habent concoquendi humorem impactum; & calida modicè sunt, atq; humida. Visus est Hippocrates præsupposuisse ante omnia, huius vltimi remedij vsum, sicuti faciunt, quandoque, vt dixi, doctissimi Medici. Galenus alicubi lemmas (lippas vocant alij) circa palpebras congestas coctionis indicium esse docet; humores verò tenues à natura temperantur, & mediocriter incrassantur: hæc temperatio, & incrassatio, maturatio est, coctioue. Si verò coquentibus non cedit affectus, siccantibus, & resoluentibus vtendum. Si tamen aliter videatur, expedire, id est, si medicatio curatioue non videatur perfici posse vsu siue admotione istorum localium, ad alium curandi modum recurrendum, vt infestans affectus sedetur: tunc ergo ad

Varia remedia localia.

Resoluentia calida sunt, & sicca.

fauces, siue ad os, mediantibus apophlegmatismis reuellendum; & vbi eructatio conuenit, & quæcunque alia, celebranda. Quando autem flatus deorsum per podicem non erumpunt, per os prouocandi ijs præsertim qui cruditate laborant, & lienosis, & hypochondriacis, & mulieribus quæ ex vtero strangulantur, & colicis, ac volvulosis, & multis nephriticorum; qui omnes flatibus obnoxij sunt; vt inter alios doctè cum Schola vniuersa affirmat Vallesius. Quoniam multi eructatione, quæ est flatuum ex ventriculo ascendentium per os eruptio, subleuantur, Sabinus apud Galenum Commentatio in præsentem textum, ex vasculo angusti oris bibentem, ructus mouere iubet. Vnà enim cum liquore, qui ex tali vase in gulam effunditur, descendit adhuc aër, qui in locum effusi ex vase paulatim liquoris subibat, & aër vnà cum liquore haustus naturam ad sui exclusionem prouocat; & vnà cum eodem aëre, qui liquori hausto commixtus erat, natura præclusum in ventriculo flatum commodè eructat. Accedit & alia causa potior eructandi (vt non malè Vallesius refert), quòd qui ex tali vase tam strictæ ceruicis potant, sunt extenta ceruice, & hianti ore, & œsophago, ac tota gula vsq; ad ipsum ventriculum; & ventriculum totum inter deglutiendum sursùm tunc potantes commouent, quo motu flatus, qui inerat, ad os ventriculi trahitur: interim humor, qui hauritur per patulam gulam, ad fundum eiusdem ventriculi descendit, ac proinde cessante potu, & subsidente in sese ventriculo, expellitur flatus, qui ad eius os eruperat, & supernatabat. Paulus Ægineta Sabinum sequutus, flatuosos talibus vasis strictæ ceruicis in potu vti iubet, quòd non leue commodum inde recipiant: fuitque multorum opinio apud Galenum, eructationem non solùm flatuosis prodesse, sed etiam ventriculi orificio. Itaque, inquit Galenus, quicunq; Hippocratem istud solùm (sententiam de eructatione, non præcedentia verba intelligit) per se sibi ipsi notâsse aiunt, vbi eructatio confert, ipsum censere putant, vt interdum ructus mouendos esse consulamus: hosque illis, quorum venter inflatus est, conuenire affirmant; atq; illis potissimùm, in quibus flatuosus spiritus per inferna exhalare non potest. Quinetiam & os ventriculi infirmum, per eructationes, tanquam per propriam exercitationem, corroborari aiunt: eructationesq; citare consulunt non per medicamina, solùm, sed etiam ipsum assiduè ructare studentem, cùm quemlibet

Ructus, quibus prouocandus.

Ructus quid.

Sabinus vas angusti oris ad bibendum, vt prouocetur ructus, præscripsit.

Beneficiũ ex ructu emergens.

libet exiguum spiritum in orę ventriculi sentiat. At Sabinus ex vasculo angusti oris bibentem ructus mouere iubet. Quæ ructui conferunt medicamina, seu quæ ructum prouocant, flatumue discutiunt, sunt calida & extenuantia, vt Anisum, Fæniculus, Caruus, Cyminum, Rutha, Cinamomum, Vinum generosum, aut Aqua stillatitia ex Vino facta, quæ Aqua Vitæ, aut ardens, communiter dicitur; & consimilia.

Post eructationem, alia necessaria remedia pro oculis celebranda iubet Hippocrates, vt sequenti Sententia 33. à nobis transcripta, & nunc exponenda ampliùs exponit.

Transitus aperiri, vt nares, & alia quibus opus est, & vt opus est; & qualia, & vbi, & quando, & quantum expediet, velut Sudores, & alia planè omnia. Quoniam clarissimè & exactissimè hanc Sententiam exposuit Galenus, eius expositionem hùc transferre operæ pretium est: Id, inquit, per se quidem memoratu dignum est: conducit enim omnes superuacuorum excretorios meatus aperiri. Et cum superioribus verbis (id est, cum fine textûs 32. iam expositi) coniungi potest, duplicem sic vtilitatem præbens, propriam quidem in oculis rhyade morbo vexatis: communem verò omnium affectibus, in quibus retrahere (id est, reuellere) aut deriuare conuenit. Nam si reuulsione quidem opus sit, ipsam autem facere vereamur, deriuare sanguinem, ac totum corpus inanire conuenit. Sed quæ deinceps scripta sunt, persæpè iam ab ipso in omni euacuatione commoda esse didicimus. Oportet enim, cum euacuatio requiritur, non simpliciter ad ipsam accedere, sed priùs definientem, qua ratione facienda sit, & quæ debeat esse euacuanda materia, per quam regionem, quo tempore, & quâ mensurâ. Nunc verò etiam reminiscentiæ causâ de singulis breuiter agamus. Illud quidem, vt conuenit (siue vt opus est) tale quoddam significat. Transitus recludendi sunt, non simpliciter, quidem, ac vtcunque, sed vt conuenit: id verò modum significat, quo euacuationes facimus, vt in ijs quæ in ventre sunt, per Clysterem, per glandulam, per subducens medicamentum (id est, per medicamentum purgans, per os assumptum): & in horum singulis per quædam certa: nam & Clysteres, & glandulæ, & subducentia vocata medicamenta, multiformiter componuntur. Eæ igitur particulæ, vt conuenit, tale quiddam significant. Hæc verò, qualia, euacuandorum

Reuulsioni deriuatio substituitur.

Quæ ad euacuationem prærequiruntur.

Verba, vt conuenit, exponuntur.

Qualia.

rum qualitatem innuit, hoc est, nunquid aquosa, & tenuia euacuare meliùs sit, an pituitosum succum, an biliosum, an melancholicum: & horum, num aliquem, an & omnes. Ea vox, vbi, partem corporis, per quam euacuare oporteat, indicat. Etsi namque per inferiora faciendam esse euacuationem cognoscamus; nihilominùs, per quam ex inferioribus partibus facienda sit, definire opus est. Propterea & quidam loco huius vocis, vbi, quà, scripserunt, per quam partem significantes, vtrum per vesicam, an aluum, an vterum: item per superiora, vtrum per nares, aut os: & quædam etiam per omne corpus, euacuatio, & quæ per sudores, & quæ per latentem vocatam transpirationem. Ea vox, quando, euidenter tempus, quo sit euacuandum, declarat; vtrùm, scilicet ab initio, ante morbi concoctionem, quando, vt ipse inquit, materia turget, & natura animalia regens, ad humorum excretionem compellitur: an post vexantium humorum concoctionem: nam, & hoc ipse, quemadmodum & priùs dictum, in Aphorismis docuit. Illud verò, & quantum conuenit, in calce sermonis dictum, materiæ euacuandæ quantitatem ostendit, quam sibi proponere, & coniecturâ percipere, Medicum oportet. Deinde loco exempli illud ponitur, vt sudores. Quamuis enim ægrotantibus conducere sudor videatur, attamen & ipse modo eget: immodicus enim vires debilitat. Cùm in sudoribus verò excessus multitudinis noxius sit, multò sanè magis in ijs, quæ euomuntur, aut deijciuntur, aut per mariscas (id est, hæmorrhoides) aut vterum euacuantur.

Vbi. *Quando.* *Quantum.* *Omnis immodica euacuatio mala.*

Egregiè totum Hippocratis contextum ita exposuit Galenus. Suadet enim Hippocrates in prædicto oculi fluxu, veluti in cunctis alijs materialibus, siue humoralibus morbis (quoties euacuatione indigent corpora) exitus, siue transitus esse recludendos: exitus enim siue transitus aperire, est euacuationem moliri: & exitus siue transitus modò appellat ipsas vias euacuationi aptas: cuiusmodi sunt nares, os, narium venæ (fortassis aures, cùm per has natura sese quandoque exoneret); os vesicæ, & vreteres, os vteri, intestina, ac podex, hæmorrhoides, & cutis vniuersæ pori. Per has enim vias corporis superfluitates euacuari solent. Dum easdem aperire iubet Hippocrates, non omnes supponit aperiendas, sed has, quibus opus est, id est, quarum tantùm apertione opus est. Et ipsa apertio molienda, vt opus est: id est, modus apertionis eligendus est,

est, cùm varijs diuersisq; modis apertio fieri queat. Nam narium venæ aperiri possunt, dum nasus percutitur; vt contingere non rarò videmus, dum pugnis sese nonnulli percutiunt. Ex naribus etiam sanguis effunditur, facta punctione, aut scarificatione earundem. Per nares item pituita extrahitur vi variorum medicamentorum. Similiter aluus exoneratur, modò clystere, modò suppositorio, aliàs remedio purgante, quod per os sumitur. Vrina pariter prouocatur D ureticis, aut fomento facto supra vesicæ regionem; aut immisso cathetere in vesicæ collum atq; orificium, dummodò vreterum obstructione non impediatur vrinæ exitus. Sudor non vno modo elicitur, sed nunc potionis sudorificæ vsu, nunc hypocausto, nunc inunctione cutis facta cum rebus laxantibus, rarefacientibus, & aperientibus; aut morâ factâ sub Sole, aut iuxta ardentissimum ignem. Constat ergo, quodlibet euacuationis genus, non vno, sed diuersis modis fieri. Quare non vnico euacuandi modo in omnibus vtendum, sed eo solùm, qui huic, aut illi congruentior est: ita vt vni Clyster conueniat, alteri purgatio; vni potio sudorifica ad sudorem eliciendum; alteri motus violentus.

Quodlibet euacuationis genus varijs modis celebrari potest.

Non vnico euacuãdi modo in omnibus vtẽdum, vt faciunt Empirici.

Præter modum iam propositum ad debitam euacuationem a pharmaco, aut etiam sudorifico, aut diuretico moliendam, necessario prærequiritur humorum præparatio congrua, facienda cum Iulepis, Aquis, Decoctisq; idoneis.

Præparãtia remedia ante euacuationem propinanda.

Post hæc, qualitas humoris, qui euacuandus est, dignoscenda: vt si redundet bilis, hæc, & non pituita, expurganda. Via præterea, per quam materia euacuanda est, diligenter obseruanda. Praui enim humores in hepate geniti, per vterum non sunt expurgandi, sed per secessum, & vrinas. Multum ideò refert scire, quò deducendus humor. Scire rursùs debet Medicus, quando euacuatio celebranda. Et tandem quantitatem considerans, non vltra debitam euacuationem quidpiam moliri debet, sed solius quantitatis redundantis exclusionem. Nam, vt lib. 2. aphorism. 51. habetur, omne nimium naturæ inimicum. Immodica ideo euacuatio damnatur, sicuti parca ei aduersa, supposito quòd superstites adhuc in corpore sint superuacanei humores.

Qualitas humoris euacuandi consideranda.

Via, siue vbi.

Tempus siue quando.

Quantitas euacuationis.

Antequàm vlteriùs progrediar, hîc seduló obseruandum documentum practicum non contemnendum. Hîc enim Hippocrates in oculorum morbo euacuationem per nares æquè, ac per os, appro-

In oculorum malis, errhina præscribũt Hippocrates, & Galenus.

probat; quod etiam alibi suadet Galenus, dummodò Errhinum non è valde longinquo attrahat: quasi diceret, non vehementissimis vtendum errhinis. Hoc monere volui, quia inter Medicos Praxim exercentes nonnulli inueniuntur, qui in oculorum morbis errhina, & nasalia purgandi vim habentia statim repudiant. Sed hæc obiter.

Præfatas Hippocratis Sententias de normis obseruandis in euacuationibus, hìc expresè traduxi, quoniam visus est Laurentius Sententiam 33. adaptâsse euacuationi Criticæ; cum tamen Hippocrates de artificiosa euacuatione Medici industria celebranda, clarè loquutus fuerit. Est tamen tanta proportio inter hanc euacuationem, & Criticam, vt vnâ intellectâ, altera facilè percipiatur; quòd omnes propositæ conditiones in Critica euacuatione requirantur. Vt enim Crisis accidat, prosperæ euacuationi non absimilis, eam præcedere necessariò debet, humorum peccantium præparatio coctione, quæ fieri incipit in morbi augmento, & in Statu perficitur. Coctionis Signa præuidentur in vrinis, sputis, & alui excrementis. Præparationi humorum copulanda est transituum præparatio, id est, reclusio, & debita amplitudo, vt per eosdem, tanquam per vias congruas liberè noxius humor transeat: Quare euacuatio, quæ non præparatis humoribus, & non apertis meatibus superuenire consueuit, non est Critica, sed symptomatica. Vltra hæc, quatuor conditiones superiùs expositæ, qualitas, vbi, quàndo, & quantum, in bona euacuatione Critica apparere debent. Qualitas quidem humoris consideranda: nam si bilis peccat, hæc iam præparata, & non alius humor à triumphante natura deturbatur. Vnde Hippocrates libro 1. aphorismor. 2. In alui perturbationibus, & spontè factis vomitibus, si quidem talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ægri ferunt: sin minùs, contra. Hinc liquet oleosas, & meracas omnes excretiones, quæ nullum habent coctionis indicium, esse prauas. Licèt enim, quod prę ter naturam est, excerni debeat, vt tamen cum vtilitate excernatur, præparatum, tam in primis, quàm secundis qualitatibus esse debet. Proinde nigra, liuida, flaua, viridia, ferruginosa, crassa, & tenuia nimis, semper fermè damnanda. Scio tamen, aquarum excretionem, hydropicis sæpè, alijsque humidis, vtilem fuisse. Præter qualitatem, vbi, id est, pars, per quam euacuatio fit, obseruanda.

Ante bonam Crisim debent humores esse cocti.

Non humores tantùm, sed viæ ad euacuãdum præparantur.

Qualitas humoris, qui euacuatur in Crisi perpendenda.

Vbi, siue via per quam fit euacuatio obseruãda.

da. Non enim pars nobilis debet esse via, per quam humores educuntur, sed potiùs meatus, & sentinæ, aliæue partes, per quas humorum effluuium fieri consueuit: debetq; excretio fieri obseruata rectitudine, quæ inter partem transmittentem, & recipientem intercedit. Proinde in lienis tumore hæmorrhagiam è nare dextra factam damnat author libri 1. Prorrhetic. Euacuationes verò omnes per conferentia loca fieri debent: & quæ aliter fiunt, humoris ferocitatem, & naturæ impotentiam arguunt. Præter qualitatem, & vbi, quando, examinari debet in Critica euacuatione. Quando, tempus significat, quo Crisis accidit. Si die Critico contingit, benè sperandum, si non Critico, secùs. Præterea, si in principio morbi, aut ante humorum coctionem superuenit, mala. Si verò in statu, cum Signis coctionis bona. Superest exponenda particula, quantum; Expedit humorem peccantem solum, aceruatim, & integrè excerni. Excretio autem Critica, si parca fuerit, aut nimia, fermè lethifera. In superioribus cum Galeno Comment. 2. in librum 1. Prorrhetic. tex. 47. diximus, nihil paucum Criticum. Hippocratis Sententia iacet, vt sequitur: Si vomitus exigui, biliosiq; fuerint, malum, tum aliàs, tum si ægri superuigilauerint: narisque in his stillans, malum est. Galenus in Commentario ait: Excerni pauca in ægris vnum quoddam ex Signis est, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsùm per ventrem: siue per vomitus tale quippiam, quod superfluum sit, excernatur; idem & in sudoribus est, & ijs, quæ per vterum excernuntur: nihil etenim eorum, quæ decretoria existunt, exiguè secerni conuenit. Sed, quæ, ita vacuantur, omnia duorum alterum subeunt: nam vel, quod non queant tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus: vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit. His ostendit Galenus, parcam euacuationem esse vtplurimùm symptomaticam; quando scilicet natura pondere inutili grauatur, vel ratione quantitatis excedentis, vel ratione prauæ qualitatis materiæ morbificæ. Et quantumuis materia præparata fuerit, si natura imbellis est, eam non aceruatim, sed per partes eijcit: vnde relapsûs timor: Nam quæ relinquuntur in morbis post iudicationes, recidiuas facere consueuerunt, ex aphorismo 12. libri 2. Varijs præterea in locis parcam euacuationem damnat Hippocrates, vt sudores

Conferētia loca.

Quando siue tēpus Crisis.

Euacuationis Criticæ quantitas obseruanda.

Cur exiguæ euacuationes in morbis acutis factæ, prauæ dicuntur.

res miliares circa ceruicem, & clauiculas in Prognosticis. In Coacis sudatiunculam cum febre vituperat. In Coacis etiam, & lib. 1. Epidem. Sect. 3. & alibi, sanguinis exigua stillicidia prorsùs, tanquam exitiosa repudiat.

Copiosa euacuatio critica, mala.

Paulò ante, immodicam euacuationem tempore Crisis factam, exitiosam diximus; quia omne nimium naturæ inimicum. In maxima quidem euacuatione calor natiuus impensè dissipatur. Sectione 2. libri 1. Prorrhetic. tex. 23. Hippocrates multum sudorem damnat, inquiens: Sudor multus, si cum febribus acutis fiat, inutilis. Galenus in Commentario inquit: Ad nomen, Multus, mentem potissimùm conuerte: quoniam sæpiùs, qui in acutis morbis assiduè sudant mediocriter, quanquàm cunctentur quidam, trahantque, non tamen moriuntur. Si verò multus fuerit sudor, qui febrem non soluat, quòd ægri virtus citò exoluetur, liquidò ostendit.

Assiduus sudor in acutis non est reprobandus.

Nec de infælici sudore tantùm dicto in libro loquutus est Hippocrates, sed de vrinis etiam coctis, mirum dictu: dum ait: Et vrinæ coctæ, malæ. Vult dicere (iuxta quorundam Antiquorum opinionem) vrinas coctas, quæ morbū non soluunt, esse malas. Galenus verò in Comment. refert, in multis exemplaribus extare hęc verba, vrinæ etiamnum coctæ, non adiecto nomine, malæ; nempè paulò post, inquit, tum his, tum deinceps dictis vrinis adiectum est nomen, malæ. Imò Rufus Ephesius apud Galenum, in eiusdem textus Commentario, contra Zeuxim generosè ait, scripturam quidem esse vitiatam, qua scribuntur οὖρα πέπονα, id est, vrinæ coctæ, & sequentia verba dictis præferenda. οὖρα ἐπίπονα, id est, vrinæ quæ cum labore excernuntur. Quæ sanè lectio rationi congrua est: Nam in libris Epidemior. nullus eorum, qui mortem obierunt, coctas vrinas excreuit. Sectione etiam 2. Prognostic. coctam vrinam plurimùm laudat. Sed hæc de ijs, quæ in excretione Critica obseruanda sunt, modò sufficiant.

Exponitur mens Hippocratis.

Vrina cocta nunquam mala.

CAPVT IX.

De Signis Abscessum Criticum comitantibus.

QVi etiam hanc doctrinam efformârunt, non abscessus comitantia Signa, sed salutaris potiùs expiscantur. Hippocrates lib. 6. Epidemior. Sect. 2. paucis comprehendit ea, quæ

quæ in absceſſu conſideranda ſunt. Poſtquàm enim de euacuationibus, & abſceſſibus, nonnulla dixit, ſequentia ſcripſit textu 16. Conſideranda hæc, quò, & vnde, & propter quid. Galenus clariùs quam alij, hanc ſententiam, vt ſequitur, explicat: Soliſne vltimis, an omnibus antedictis de abſceſſibus è regione, & non è regione factis, hoc ſubiunctum ſit, in incerto eſt. Quod dicitur autem ipſum huiuſmodi eſt. Conſiderandum eſſe inquit, & locum, in quem abſceſſus decubuit: hoc enim ex ea voce, quò, ſignificatur: & membrum ex quo, & hoc ea vox, vnde, ſignificat: Præterea cauſam, propter quam abſceſſus oboritur, hoc rursùm duæ illæ dictiones, propter quid, oſtendunt. Scire namq; oportet, nunquid à natura concocto morbo, aut vexante âdhuc humore crudo ex vno membro in alterum delapſo, abſceſſus obortus ſit. Hæc ille. Minutiùs verò rem perpendens, exiſtimo cum Galeno Comment. 2. in lib. 6. Epidem. meliorem eſſe abſceſſum, qui in partibus inferioribus fit, eo, qui in partibus ſuperioribus; quia partes ſuperiùs poſitæ ſunt nobiles, aut his inſeruientes. Deniq; in Sect. 1. lib. 6. Epidem. tex. 17. ait: Qui quidem (tumores ſcilicet in articulis) ſi è ſuperioribus partibus infra vmbilicum in inferioribus articulis conſtiterint, probari debent: Sin ſupra, haud perinde morbum diſcutiunt, niſi ſuppurauerint œdemata. Vult. n. Hippocrates (inquit Galenus in Comment.) ex ſuperioribus locis in inferiora vmbilico factos abſceſſus ſalubres eſſe: non huiuſmodi autem, haud ſalubres; ſed eorum malignitas aliquantulum obtunditur, ſi œdemata ſuppurauerint. Vſus eſt autem & hóc loco œdematis appellatione in communi ſignificato omnium præter naturam tumorum, vt & antea dictum eſt. Hippocrates, & Galenus hoc modo intelligendi veniunt: Quoties partium ſuperiorum morbi abſceſſus faciunt ad articulos, qui infra vmbilicum ſunt, bonum eſt: Si autem abſceſſus ſupra cõſtiterint, non adeò bonum eſt, nec ſimiliter ſoluitur morbus, niſi ſuppurent. Porrò partes infra vmbilicum minimè (aut ſaltem tardè) ſuppurantur, ex eodem Hippocrate in Prognoſticis. Superiores verò partes, quia calidiores, faciliùs ſuppurantur, meliuſq; internas partes expurgant. Cæterùm ſi neutri abſceſſus, ſuperiores videlicet, & inferiores, non vertuntur in ſuppurationem, inferiores abſceſſus tutiùs liberant, quàm ſuperiores. Dicto iam contextu innuit Hippocrates, abſceſſum in inferioribus articulis factum, fieri in

Locus abſceſſus conſiderãdus.

Locus è quo humor abijcitur, ſimiliter.

Cauſa propter quam.

Abſceſſum in inferioribus partibus, quàm ſuperioribus fieri melius eſt.

Oedema ſignificat omnem tumorem.

Abſceſſus articulorũ pedis non abſolutè reſpectu partis obſeſſæ boni: ſed meliores ſunt dum ſuppurantur.

Bonus abscessus. in parte inferiori, ignobiliori, & procul à morbo; vti cap. 7. fusiùs cum eodem Hippocrate diximus. Præter hæc, pars in qua abscessus fit, debet esse totius humoris morbifici capax: ob quem defectum multi moriuntur. Vnde Parotides in Paraplecticis suspectæ habentur in Prorrheticis. Item libro 1. Epid. sect. 3. ægro nono, habetur, quod Crito abscessum habuit in magno pedis digito, nocte delirauit, postridie interijt. Lib. 3. Epidem. Sect. 3. Caluus larissæus femur dextrum doluit, quarto die circa meridiem mortuus est celerrimè, & acutissimè. Temeni neptis Cap. 7. memini. *Abscessus partis exiguæ, malus.*

Vnde quid. Particula, vnde, partem transmittentem humorem, vt dictum est, indicat. Dicunt nonnulli rectitudinem inter transmittentem partem, & illam, quæ humorem recipit, requiri: ita vt, si dextra pars affecta fuerit, ad dextram partem humor sit transmittendus. Vnde Herophon lienis tumore affectus, præter spem liberatus est, quòd in crure sinistro obortus fuerit abscessus. Hanc rectitudinem in euacuatione, non minùs, quàm in abscessu necessariam esse contendunt multi. De rectitudine hác aliquid subobscurè innuit Hippocrates lib. 6. Epidem. Sect. 2. Textu 12. Secundum rectum, & costarum dolor, & hypocondriorum contentiones, & lienis elationes, & ex naribus eruptiones, & aures secundùm rectum. Horum plurima huiusmodi & in oculos. Libro 2. Epidem. de re eadem paulò clariùs loquitur: secundùm rectum, inquit, & laterum intentio dolorosa, & intentiones hypochondriorum, & lienis eleuationes, ex naribus fluxiones. Rectitudinem obseruandam tam in euacuatione, quàm in abscessu docuit dictis in contextibus Hippocrates. Verùm textu 13. citatæ Sect. 2. libri 6. Epidem. dubitat, an rectitudo necessaria sit, inquiens: Vtrum igitur omnium, aut quæ quidem ab inferis sursùm, qualia quæ iuxta maxillas, aut etiam oculum, aut etiam aurem. Quæ verò à superis deorsum, non secundùm rectum. Atqui & in Angina rubores, & costarum dolores secundum rectum. Euidenter hîc Hippocrates docet, abscessus à superioribus partibus ad inferiores factos, non fieri semper secundùm rectitudinem, etsi boni sint. Galenus autem Commentario citati textûs 13. testatur Hippocratem dubitâsse de necessitate rectitudinis, inquiens: In secundo de Morbis Popularibus non est adiecta hæc dictio, per quam dubitat, vtrum ex inferioribus in superiora abscessu facto, semper membri rectitudo vtiliter serue-

Rectitudo in abscessu, & euacuatione obseruanda.

Non semper rectitudo seruatur dum deorsum fertur humor abscessum procreans.

tur:

tur: ex ſuperioribus autem in inferiora corrumpuntur, ac fiunt quidam non ſecundùm rectam rationem abſceſſus. Commentario ſequentis textûs 14. Galenus adhuc aſſerit, dubium fuiſſe in re eadem Hippocratem. Angina, inquit, laborantibus coſtarum dolores ſecundùm rectum fieri præfatus, deinceps quærit, an in abſceſſibus ad inferiora corporis depulſis ſemper ſitûs rectitudo ſeruetur, nec ne, quemadmodum im proximo ante hunc ſermone in dubium reuocauit. Et longè poſt in eodem Commentario, inquit: Quærere namq; videtur Hippocrates, vtrum quæ infra iecur ex ſuperioribus delabuntur, vt in teſtes, & varices è regione fieri melius ſit: aut, licèt non è regione fiant, ſuperiorum tamen partium vitijs, æquè auxiliari queant. In nonnullis planè, neq; an è regione facta ſint, dignoſci poteſt: vt quod varices è regione facto abſceſſu furorem curauerint: neq; enim perſpicere licet, in dextriſne Cerebri partibus, an in ſiniſtris, affectu oborto, in furorem acti fuerint: quemadmodùm neq; ſi diutiùs tuſſientibus ſine lateris dolore abſceſſus in teſticulum fiat. Atqui forſan, & in his loci recta oppoſitio ſeruatur, etſi vtra pulmonis, aut cerebri pars affecta ſit, haud certò ſciamus: quin & melancholiam, ſanguinis, per venas ſedis effuſio, plerumq; ſanare poteſt: neq; tunc nobis loci paſſi rectam oppoſitionem cognoſcentibus. Sanguinis quoq; ex vtero copioſum profluuium, multos curare morbos, omnibus in aperto eſt: Sed neq; hîc an ex dextri vteri venis, an ex ſiniſtri, an ex vtroque, excretio facta ſit, agnoſcere poſſumus. In his itaq; affectibus cognitu difficilis eſt, aut omninò ignota, membri languentis recta oppoſitio: in quibus verò ipſam dignoſcere licet, & in ijs Hippocrates, vt videtur, conſiderandum eſſe ait, num ſemper ex abſceſſibus ad inferiora tranſmutatis, meliores illi ſint, qui ſecundùm rectam oppoſitionem fiunt.

Non ſemper rectitudo inter partem recipientem, & tranſmittentem obſeruari debet.

Ex dictis liquet, quoſdam abſceſſus, & quaſdam euacuationes, vtiliter fieri, non ſeruata rectitudine partium. Nec mirandum; nam omnia in corpore ſunt confluxilia. Rectitudinem tamen ſeruari, melius eſſe puto, quàm omnimodam oppoſitionem: cùm ipſa natura eandem vt plurimùm obſeruet; vti Hippocrates clarè expreſſit lib. 2. citato Epidem. vbi rectitudinem lateris, in hepatis, & lienis affectibus obſeruari docet. Nam affecto hepate parotis dextra excitatur, aut hæmorrhagia, ſiue ſanguinis fluxus è nare dex-

tio. De lienis tumore idem pronunciandum.

Rectitudo quid. Rectitudo in corporibus nostris est correspondentia rectitudinis dextrarum partium cum dextris, sinistrarum cum sinistris: superiorum cum superioribus, inferiorum cum inferioribus. Superiorum terminus est hepar, quod à quibusdam, superioribus, saltem secundùm conuexam sui partem, adscribitur, estque inferiorum terminus à parte superiori, teste Galeno Comment. tex. 14. vltimò citati, qui, vt sequitur, iacet: An & ea, quæ infra iecur, aut supra distribuuntur, vt quando in testes, & varices. In Commentario, vt dixi, postquàm iuxta Hippocratis mentem, hepar statuit superiorum partium, æquè ac inferiorum, terminum, longè post in Commentarij corpore Galenus ait: Quin etiam iecoris ipsius deuexum concauo longè periculosius est: & nonnulli ipsum inter superiores corporis totius partes, quemadmodum & os ventriculi, reponunt.

Cõuexum hepatis, & os vẽtriculi inter partes superiores numerantur.

Exposuimus particulas, quò, & vnde: supersunt exponendæ aliæ textûs particulæ, & propter quid, quibus indicatur abscessus causa. Si enim apparentibus Signis coctionis, abscessus superueniat, benè sperandum, secùs verò, quando abscessus sine coctionis Signis in excrementis, apparet: irritatur enim à crudo humore ad sui exclusionem natura, proindeq; praui illi abscessus morbum perfectè non iudicant, suntq; è numero Signorum decretoriorum non decernentium. Parca quidem materiæ morbificæ portio è parte affecta, aut morbi fomite, transmittitur ad partem abscessu laborantem. Hippocrates propterea lib. 2. Epidem. ait: Varices caluorum nisi fuerint magni, maniaci. Non de caluicie agit, quæ ordinariè à siccitate nascitur, docente Aristotele lib. 3. de generat. animal. propè finem, & Hippocrate libro 6. Epidem. Sect. 3. statim in principio, vbi ait caluitiem fieri consumpto Cerebro, id est exiccato, vt in textûs commentario docet Galenus: Sed de Caluitie quæ à corruptis humoribus melancholicis oritur. Si denique irritata natura aliquid excernere, aut in aliam partem deponere conatur, & à conatu diuertitur, humore sistente in corpore, aut parte præcipuè affecta, aut eodem recurrente, pessimum Signum est, teste Galeno, comment. textûs primi, libri 1. Prorrheticorum. Cùm itaq; inquit, stillatio è naribus semper malum Signum sit, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto fiat die: videtur

Boni, & mali abscessus.

Caluities melancholica.

Stillatio sanguinis mala.

siqui-

ſiquidem natura collectam in cerebro abundantiam conata eſſe, vt expelleret, ſed nequiuiſſe. Talium autem Signorum genus deterrimum eſſe conſtat; nempe quæ vel tubercula, vel puſtulæ ex imo ad cutem enata recurrerunt, grauiſſima omnium exiſtunt: Sudores quoque, qui cæperunt quidem, ſed protinùs ceſſauerunt, praui ſunt: Deiectiones itẽ, & quæ per hæmorrhoidas ſanguinis eruptiones, vel in mulieribus per vterum vacuantur. Omnia ſiquidem hæc deteriora his ſunt, quæ nullo apparẽt pacto, ſi vbi cæperint, ceſſent. Contingit enim interdum coquentem adhuc contriſtantia naturam nondum ad horum expulſionem excitari, in illis verò, quæ cæperunt quidem, ſed protinùs deſierunt, apparet veluti excitatio quædam, conante natura excernere, quæ moleſta ſunt, atq; ita ob imbecillitatem, quod propoſuerat, perficere nequeunte. Hippocrates deniq; lib. de ratione victus in morb. acutis ſtillicidium ſanguinis damnat, inquiens. Æſtiuo, ac autumnali tempore in morbis acutis, ſanguinis deſtillatio repentina, vehementiam, ac multam inflammationem circa venas ſignificat, & in poſterum diem tenuium vrinarum apparitiones. Et paulò poſt. In iudicatione verò perniciosũm, ſi non multus aceruatim concitatus ſanguis, redundantiæ exitus faciat per nares, aut per ſedem: aut abſceſſus, aut hypocondriorum dolores, aut ad teſtes, aut ad crura dolores inducat. Quod alibi obſcurè, hîc clarè protulit Hippocrates; docens ſtillationẽ ſanguinis prouenire ab inflammatione ſiue Phlogoſi, ſiue vehementi ardore ſanguinariæ maſſæ in venis, & arterijs incluſæ: à cuius feruore vaſa irritata aliquid humoris pungentis, vrentiſque excludere conantur. Non enim ſtillationem illam præceſſit capitis grauitas, aut dolor: vnde repente ſuperueniens, intenſum ſanguinis æſtum ſignificat. Aduertendum tamen ſanguinis ſtillam non eſſe ſemper pernicioſam, cum nullum præindicauerit damnum in ægro ad quem Cynicus Hippocratem conduxit lib. 4. Epid. qui æger capite grauatus erat, ſed decimoquarto die iudicatus eſt ſalubriter.

Omnis excretio critica, cohibita, mal a.

Etſi Galeni doctrina de retroceſſu, æquè vera, ac clara ſit, aliquis tamen obijcere poſſet, quandoq; Signa decretoria ſine vllo ægrorum detrimento recurrere, vt ſudamina quædam, & papulas in cute, quæ ſubitò enaſcuntur, & quaſi ſubitò deliteſcunt. *Obiectio.*

Huius obiectionis ſolutio eruitur ex Galeno, cõment. 2. Prognoſtic. *Solutio.*

ſtic.in expoſitione textûs 68. vbi ſtatim docet, euaneſcere, & deſiſtere, inter ſe differre, quòd deſiſtere, ſit aliquid generalius, quod retroceſſum, & euaneſcētiam complectitur: Euaneſcere verò, citò deſiſtere, ac velut de repentè, ſignificat. Id igitur (id eſt ſubita humoris euaneſcentia) accidit interdum propter humoris tenuitatem, & partis laxitatem, & item circumuenientis nos aëris caliditatem, atque adhibiti medicamenti poteſtatem, ac virium ægri firmitatem. Si enim omnia prædicta concurrant, moles præter naturam citò diſcutietur. Sed magna ex parte talia euaneſcere accidit, tranſmeantibus, committentibus ea, humoribus, aut in eandem ſedem, vnde commota ſunt, quod propriè nominat Hippocrates retrocedere (Græcè παλινδρομέειν) aut ad aliquas alias ſedes in profundo corporis poſitas. Tanquam igitur ex cauſis maximè contrarijs moles præter naturam euaneſcant, finem habent maximè contrarium, quod indicat, aut citiſſimam contriſtantium humorum liberationem, aut deterrimam affectionem, eis in partes præcipuas remeantibus. Hæc igitur omnium abſceſſuum communia cenſentur.

Abſceſſus quandoque ſalutariter euaneſcũt. Hæc legenti indicant, quoſdam abſceſſus ſalutariter euaneſcere, propter cauſas à Galeno propoſitas; non propter humorum recurſum; cùm hic periculoſus ſit: euaneſcentia autem humorum ſubitò facta, ſalutaris. Cognoſcemus nos tumores, aut papulas non receſſiſſe, ſed ob humorum reſolutionem euanuiſſe ex ægri pręſtantiori, aut ſaltem non deteriori ſtatu.

Sicuti abſceſſus quandoque euaneſcunt propter humoris fluxi, & tenuis inſenſibilem reſolutionem; ita pariter quædam euacuationes ſubitò deſiſtentes, bonæ eſſe poſſunt; quia humores peccantes fluidi ſunt, tenues, pauci, & validæ vires. Humor quidem bilioſus quandoque in tam modica quantitate peccat, vt leui concitato fluxu facilè deturbetur.

Bonos, maloſque abſceſſus expoſuimus. Sed non omittendum, abſceſſus quandoq; bonos eſſe, quanquàm non ſuperueniant in partibus inferioribus, & valde remotis: ſufficit enim, quod fiant in partibus externis. Proinde Bubones ſub auribus, ſi non dolorifici fuerint, tenſi, & rubri, nec non ſub axillis, ſæpiſſimè proſunt; quoniam hi Cor liberant, illi quandoq; Cerebrum, aliàs Pulmones, nonnunquam alias partes.

Abſceſſus boni etſi à parte affecta non multum remoti.

Vt

Vt tota hæc de abſceſſibus doctrina claudatur, Sententia Hippocratis lib.2.Epidem. hùc transferenda eſt. Abſceſſus igitur horum, inquit, non fientes facere, fientes autem declinare. Hos autem excipere, ſi eant, quales oportet, qui verò non valdè, cooperari, eos .a. auertere, qui omninò inutiles fuerint, præcipuè autem hos futuros, ſin aliter, cùm nuper incæperint.

Hîc de abſceſſuum indicationibus loquitur Hippocrates; quorum quidam boni ſunt, quidam etiam mali, quidam fientes, quidam futuri. Fientes verò cum impetu, & aceruatim fiunt, aut lentè ſiue paulatim. Si ergo boni, id eſt, qui ſi fierent, ſalutares forent, nondum fiunt, faciendi ſiue prouocandi ſunt: fientes autem, aut futuros, ſi mali fuerint, declinare. Bonos autem abſceſſus fientes, vt conuenit, & opus eſt, excipere tantùm, id eſt, ſinere vt fiant, nullum adhibendo remedium: bonos verò abſceſſus fientes, ſed non valdè, id eſt, non ſatis celeriter, ſed lentè cooperari, id eſt iuuando ipſam naturam, conari, vt rectè, perfectèq; fiant. Abſceſſus prorsùs inutiles, aut fortaſſis noxios, omninò auertere, aut prohibere, ne fiant. Bonum autem fuerit futuros, antequam cæperint, auertere; quod ſi id fieri nequit, ſaltem prohibendi, quàm primùm cæperint. *Curatiuæ indicationes abſceſſuum.*

Hæ regulæ inter medendum diligenter obſeruandæ. Galenus lib.11.Meth.Med.cap.20. docet, ex vſu balnei non leue ſubleuamen febricitantibus, qui Podagra, aut Arthritide laborant, adferri. Maxima, inquit Gal. ſalutis pars ægro ex balneo comparabitur, ipſis infirmis partibus, quæ ſuperuacua ſunt, excipientibus. Aſſolent enim nonnunquam, & citra balneum ſuperuacanea in partes infirmas confluere: à balneo verò magis, vtpotè, tum ſuccis ipſis per id liquatis, tum vijs, per quas meent, patefactis: ambo.n. hæc ex moderato calore proueniant neceſſe eſt, vt tum humores liquentur, tum viæ dilatentur. Cùm ergo Podagra, & Arthritis ſuperuenientes febribus, his plurimum proſint, has eaſdem affectiones Medicus, vrgente neceſſitate, excitare debet remedijs laxantibus, vt balneo, aut fomento. Teſtatur Auerrhoës lib.7.Colliget, cap.31.ſe à grauiſſimo morbo liberatum fuiſſe, cùm humor ſuperfluus in articulos decubuiſſet. Refert Galenus in quadam Peſte, peſtiferam materiam ad pedes decumbere ſolere, eoſdemque pedes ab eadem materia conſumi, quibus conſumptis, ægri incolu- *Balneo, aut fomentis quandoque in febribus, vtendum, vt podagra, aut arthritis excitetur.*

Pedibus, & genitalibus ob abscessus in peste ortos, amissis, ægri superstites mansere.

mes euadebant. Thucidides, & Lucretius narrãt, in grauissima illa Atheniensium Peste, materiam pestiferam ad genitalia decubuisse, & ijs amputatis, & consumptis, ægros superstites euasisse. Poterimus ergo & nos vesicatorijs vti ad abscessuum prouocationem; possumus vtiq; Cucurbitulis, & ligaturis: Galenus lib. 3. de medicament. sec. loc. cap. 2. ad parotidum excitationem attrahentibus vtitur remedijs, quæ apposita ni suffecerint, cucurbitularum vsum suadet, veluti & fomenta. Annitimur enim, inquit, vt affligens humor ex profundo ad cutem attrahatur, præsertim si in capite affectio sit firmata, humoribus videlicet in ipso firmatis. Parotides verò med ocriter tumentes, salutares sunt. Vnde Cassius Problemate 20. & Author libri Definition. Medic. aiunt, Parotidas à veteribus appellatas fuisse, Castorem, & Pollucem, quia sicuti hæc duo Astra, dum apparent, aëris serenitatem pollicentur, sic Parotides sanitatem promittere solent, nisi recurrant: in quo casu mortem, non salutem, indicant. Sed ne in acutis retrocedant, cauendum. Aristoteles Sect. 1. Problem. 34. triplex remedij genus pro abscessibus proponit, Medicamenta, ferrum, & ignem. Medicamentis curandos abscessus, qui sub axillis, & in inguinibus fiunt, dictat. Ferro curandos vult abscessus, qui in parte solida non existunt, & sunt acuminati: Igne verò curandos docet abscessus ortos, non in carnosis, sed venosis partibus, quique latè sunt, processuq; multiplici eruperunt. Rectè sanè pro his vltimis ignem, id est, ignitum ferrum, præscribit; quoniam ignis, serpens malum radicitùs consumit, & escharam obducendo, hæmorrhagiam, quæ alioquin venarum diuisionem sequeretur, potenter cohibet. Sed de his satis.

Castor, & Pollux Parotidibus comparantur.

Triplex remedium Aristotelis pro abscessibus.

CAPVT X.

De Signis consequentibus Crisim.



QVi hoc Caput peculiariter scribunt, non alia habent Signa Crisim consequentia, quàm Signa salutaria, aut conditiones bonæ Crisis factæ, si Crisis fuerit salutaris; Signa insalubria, si Crisis facta fuit insalubris. Nos Capite septimo huius libri Salutaris Crisis cum Galeno bonas conditiones sufficienter exposuimus. Quare ijs hîc supersedendum puto. Vt tamen Crisis bonæ, iam celebratæ, indicia vnicuique aperta sint, in mentem re-

uocanda doctrina à nobis exhibita in nostræ Pathologiæ lib. 3. Docuimus etenim cum Galeno, Symptoma in tria dirimi genera, Actionem nimirum læsam, Affectum corporis, & ea, quæ vtrumque consequuntur, excreta, & retenta dicta. Hæc tria sunt morbi soboles, quæ quamdiù apparent, tamdiu corpus integra vacat salute. Ex aduerso, quocunq; tempore, facultatum omnium, animalium, vitalium, & naturalium, actiones liberæ sunt, & integræ, affectus Corporis natiuam referunt descriptionem; & quæ excerni debent, debitè, & naturali more excernuntur, retinenda retinentur, Signa sunt salutaria, vtpotè omnium facultatum integritatem demonstrantia. Critico igitur impetu transacto, Medicus actiones omnis generis examinare debet, & primo loco animales; quarum integritas facultatis animalis perfectum demonstrat statum. Integræ deprehenduntur, si mens pacata fuerit, & tranquilla, ita vt rectè ille, qui Crisim passus est, ratiocinetur. Vnde Hippocrates lib. 2. aphorism. 33. inquit: In quouis morbo mente constare; & benè se habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contra verò se habere, malum: Quasi diceret Hippocrates, bona Signa (quantum in se est) in ægris esse, mente constare, & appetitum permanere. Quod autem constare mente, bonum sit Signum, hinc cognosces: Quæ ad Cerebrum attinent, atq; membranas eius, piam, duramq; matrem, & spinalem medullam, nec non & septum transuersum, & omninò partes neruosas, quæ præsertim sunt iuxta Cerebrum, sana esse, omninò significantur ex mentis constantia: sicuti &, quæ ad ventrem, & hepar, & Cor ipsum, vbi adest promptitudo ad illa, quæ offeruntur alimenta, vt in Comment. loquitur Galenus, qui ratus est omnium facultatum animalium, vitalium, & naturalium integritatem paucis istis Hippocratis verbis comprehendi. Facit enim Ventriculi, Hepatis, & Cordis mentionem. Vtcunq; sit, si benè æger ratiocinatur; si imaginatio nullam patitur labem; si memoria à naturali statu non recedit; si motus & sensus perfectè à naturali statu non multum remoti videntur, prout in ægro exercentur, facultas animalis sua fruitur integritate. Verùm post Crisim quantumuis bonam, æger non ita currere potest, sicuti in statu sano. Sufficit enim quod ad vtramq; lecti spondam sine labore sese voluere queat, seque in lecto naturali decubitu extremitatibus modicè flexis contineat, placidèque, & sine labore dormiat. Nam ex

Triplex symptomatum genus.

Signa varia bonam Crisim consequentia.

aphorismo 1.lib.2.Aphorism. In quo morbo somnus laborem facit, mortale. Si verò iuuat, non mortale. In Coacis prænotionibus hac etiam serie de somno loquitur: Somni profundi, nec turbulenti, firmam, & stabilem Crisim significant: turbulenti verò, & cum dolore corporis, inconstantes sunt. Magna sanè boni somni vis, vt in Hygeine referam: Ideo Aphorismo adhuc 2. lib. 2. Aphor. Hippocrates inquit: Vbi somnus delirium sedat, bonum. Ad somnum porrò ineundum suauem, animi tranquillitas necessariò prærequiritur, Cerebri quædam moderata, & natiua temperies, suauis quædam materia, quæ ad ipsum Cerebrum benignos transmittat vapores; & denuò necessitas ipsa dormiendi, vt corpus somno reficiatur, spiritus deperditos reparando, & alimentum corpori necessarium perficiendo.

Somnus bonus, quid.

Si peracta Crisi, pulsus inuenitur æqualis, & in omnibus moderatus, corporis calor suauis, facilis respiratio, viuidus corporis color, & animi alacritas, argumento sunt, facultatem vitalem nulla præter naturam labe obrui. Si verò post Crisim Signa hæc bonitatis integritate careant, res ægri in tuto esse nequeunt.

Naturalis facultas suam acquisiuit perfectionem quoties appetitus vrget, & consueto more coctio alimentorum, ac distributio commodè celebrantur. Contraria relapsum minantur.

Quod attinet ad excreta, præsertim verò fæces, & vrinas, si similes fuerint ijs, quæ in statu sano redduntur, perfecta fuit facta Crisis; si verò aliquid alieni retinent, relapsum spondent.

Quoad corporis qualitatem, quam affectum appellauimus, optima erit post Crisim, si corporis color bonus fuerit, & figura eius integra, & moles mediocris. Hippocrates libro 6.Epidem. ait: In magnis malis facies si sit bona, Signum bonum, in paruis contraria significans bonæ significationi, malum. Bonam faciem appellat Hippocrates eam, quæ simillima est faciei beneualentium. Sed in memoriam reuocare oportet aphorismum 28.libri 2.aphor. Febricitantium non omninò leuiter permanere corpus, & nihil minui: vel etiam plus quàm ratio postulat, contabescere, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat. Optimè Hippocrates, teste Galeno in aphorismi Commentario, suo adiecit sermoni hæc verba (non omninò leuiter) vt paruam febrem à magna distingueret, & simul ostenderet, in qua ex his cor-

pus

pus comminuitur siue extenuatur: innuitq; extenuationem debere fieri non in corporibus leuiter, siue modicè febricitantibus, sed in ijs corporibus quæ non omninò leuiter, sed grauiter, aut grauissimè febricitant. Contingit enim, inquit Galenus, cùm in tempestate frigida quispiam ex plenitudine laborat, non collabi corpus, neq; extenuari, cùm febres paruæ sunt: Sed cùm maiores sunt febres, & corpus non collabitur, nec extenuatur, permultam quandam esse repletionem significatur. Cur autem corpus repletum maneat, sicuti in statu antecedente febrem, & non comminuatur, aut extenuetur vi superuenientis febris grauis, aut grauissimæ, in Commentarij calce à Galeno explicatur: duasq; permansionis corporis in sua repletione, quâ, ante febris accessum fruebatur, causas proposuit, cutis densitatem, & humorum crassitiem. Nam, inquit, permanere (id est, corpus in sua integritate molis, sicuti antea) ex cutis spissitudine accidit, & crassitudine humorum: & propterea longitudo morbi significatur. Contabescere (id est, extenuari, nam de vera Tabe non est loquutus in Aphorismo Hippocrates, Galeno ipso teste) autem nonnunquàm contingit, ob humorum tenuitatem, & cutis raritatem: nonnunquàm verò & ob solam virium imbecillitatem.

Corpora in magnis febribus non extenuantur propter cutis densitatem, & humorum crassitiem.

Causa extenuationis corporum.

Extenuationis corporis causas varias in Commentario proponit Galenus, hac serie: Nam maiores febres magis & citiùs corpora extenuant ægrotantium, sicuti & diuturnitas morbi, & ex ætatibus, puerilis, atq; decrepita, sed vtraq; diuersa ratione: in pueris enim propter caliditatem atque humiditatem, multum diffluunt atq; vacuantur corpora: in decrepita verò ætate hoc idem patiuntur propter virium imbecillitatem. Ex Regionibus autem, & anni temporibus, ac constitutionibus, calidæ quidem, ac siccæ, magis euacuant: humidæ verò ac frigidæ magis adstringunt, ac difflari corpora, atque euacuari non sinunt. De sensibilibus autem vacuationibus quid dicere oportet? Neminem enim ignorare arbitror, quòd ex profluuio sanguinis multo, atque sudoribus plurimis, & vrinæ multitudine, vel vomitu, vel alui excretione, citò corpus extenuetur. Accedit autem dictis causis & inedia: vigiliæque, & curæ sufficienter extenuant, vt & plures motiones: sed hæ rarò febricitantibus adsunt: nam magna ex parte iacent quiescentes. Verùm aliquando contingit moueri aliquos, qui in itinere cæperint febricitare,

Variæ causæ ex Galeno.

Febricitãtes quãdoque non decumbũt in lecto.

citare, vel vrgente necessitate, vel studio domum reuisendi. Quin etiam ex delirio quidam ægroti iugiter exurgentes, & decumbentes, aut continuò partem aliquam corporis commouentes, aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuantur. Hæc quidem omnia ægrotos reddunt macilentos, sicuti & contraria his corpus in maiori mole conseruant. Signum autem nullum ex his est virium imbecillium, sed singula sunt tantummodò causæ. Nam sicuti ab ijs corpus cum ratione extenuatur, sic & vires destruuntur. Absq; his autem corpus præter rationem extenuari, Signum esse virium imbecillitatis Hippocrates (in Aphorismo) inquit: Quam & in valdè senibus (siue decrepitis) pro causa assignantes, celerrimè ipsorum corpus extenuari dicebamus. Neq; mirum videri debet in ijs qui ita se habent, imbecillitatem quidem causam esse extenuationis: extenuationem verò esse Signum virium imbecillitatis. Hoc enim contingit in omnibus agentibus, & patientibus. Hæc quidem est Sententia Hippocratis, semper existimantis, eam, quæ est citra rationem, extenuationem, Signum esse imbecillitatis virium. Nos verò adijciamus eius sermoni, & aliam dispositionem, quæ causa est in febribus extenuationis. Est autem hæc humorum quidem tenuitas, corporis verò raritas. Cùm enim hæc ambo conuenerint, celerrimè corpora extenuantur per eam, quæ difflatio insensibilis nominatur: sicuti in dispositione contraria, crassitudine humorum, & corporis spissitudine, neq; fit humorum euacuatio, & permanere corpus, & nihil tunc minui de ipsius mole contingit. Hanc itaq; dispositionem ostendit Hippocrates in prima parte Aphorismi, per ea verba, longitudinem morbi significat.

Imbecillitas virium causa extenuationis.

Hippocrates exponitur.

Humorum tenuitas, & corporis raritas extenuationis causæ.

Hæc Galeni doctrina ad medendum, & prædicendum, omninò necessaria est; & conformis est ijs quæ apud Hippocratem extant de cadauerosa illa facie, deq; salutari, in principio Prognosticorum. Pro re certa habendum, quòd in acutis morbis debet corpus aliquantulùm extenuari, & extenuatum post euacuationem Criticam esse debet, vt ex faciei ægri, Medico, & Astantibus patente, dignoscitur: quæ si post euacuationem tumida, liuida, aut aliter malè colorata, appareat, Signum est, Crisim factam non fuisse completam. Vnde Hippocrates lib. 2. Epidem. Sect. 5. Si cui febricitanti facies die Critico extenuetur, sequenti die soluetur omninò morbus. In Coacis prænotionibus eadem fermè sententia habe-

Ex facie status ægri post Crisim dignoscitur.

habetur. Nam si facies ex tumescente residens facta fuerit, peracta Crisi, & vox ægri blandior, & respiratio rarior, & facilior, perfecta erit morbi solutio. Si tamen facies vltra modum extenuata fuerit post Crisim, huic minimè fidendum.

Prudenter ergo Medicus circumspectus post Crisim, huius eiusdem perfectionem, aut imperfectionem pronunciabit astantibus ægri parentibus. Nam quandoq; bona apparent Signa in vna facultate, alterâ remanente læsâ. Præterea, etsi æger bene se habere videatur, atq; à febre immunis, aliquid alieni in vrina, aut excrementis cæteris apparens, imperfectam, & non integram salutem indicat. In libris Epidem. varia huius doctrinæ exempla habentur.

Ex ijs quæ in commentario aphorismi pronunciauit Galenus de humorum crassitie, & cutis, aut corporis spissitudine, quæ morbi longitudinem fouent, confirmatur periculum ardentis febris hyemali tempore ortæ. Nam præterquàm quòd talis febris à fortissimis causis generetur, cum eius generationi obstet hyems frigida & humida, cutis spissitudo aut densitas fuliginum calidarum per habitum corporis, & poros eiusdem euacuatio, multum prohibetur. Sed hæc obiter. Et hic terminus esto Signorum Criticorum, tam antecedentium, quàm comitantium, & subsequentium.

Febris ardens hyeme, quàm alijs temporibus periculosior.

CAPVT XI.
De Diebus Decretorijs.

POstquàm Crisis naturam, species, & Signa inuestigauimus, operæ pretium est eiusdem Crisis causam, non minori sedulitate, expiscari. Communiter Scriptores, litis inter naturam, & morbum ortæ, Arbitrum, æquumq; Iudicem, adeòque causam, statuunt Diem Decretorium dictum; cuius diei rursùs causam laboriosè perquirunt. Nos Scholæ Medicæ consuetudinem obseruantes, eadem, quæ reliqui Scriptores, examinabimus.

SECTIO I.
An sit Dies Decretorius.

ANte omnia, diei varias significationes exponere par est. Dies igitur, Astrologorum Decreto, in naturalem, & artificialem di-

Diei duplex acceptio.

Dies naturalis. diuiditur. Dies naturalis, eſt Tempus comprehendens viginti-quatuor horas æquales; quæ Galeno ἰσημερινάς, id eſt, æquinoctiales, dicuntur. Dies hæc, diem communiter dictum, ſimulq; noctem, comprehendit: Nam eſt Solis circuitus, ſiue conuerſio, primi Mobilis raptu facta ad idem punctum, à quo exordita eſt: Seu eſt temporis ſpatium, quo Sol raptu primi Mobilis motus, circa terram conuertitur, & ad idem punctum notatum, à quo incæpit, recurrit. Integra hæc Solis conuerſio exordium ducit, vnde hominibus placet: non quod hominum arbitrio ſubiecta ſit Solis conuerſio, aut conuerſionis exordium, quod in ſe nullum eſt, cùm circulari motu, eoq; indeſinenti, à mundi creatione Sol conuertatur. Sed vt, reſpectu noſtri, aliquis in tali conuerſione ordo ſtatuatur, neceſſum eſt res ſublunares principio & fine potitas, Solis, & Lunæ conuerſionibus metiri. *Die Atheniẽſium vtuntur Itali in ſuis horologijs.* Quibuſdam ergo, vt Athenienſibus, placuit hunc diem naturalem à Solis occaſu incipere, & terminari ad ſimile punctum occasûs ſubſequentis diei artificialis. Et ſic dies naturalis erit conuerſio Solis ab Occaſu ad Occaſum. *Hebræorũ dies idem, ac Athenienſium.* Hebræi diem in eodem ſenſu obſeruabant; vt ex Geneſi liquet, vbi dicitur: Factum eſt Veſpere, & Manè dies vnus. A die autem, tanquàm digniori parte, totum illud tempus 24. horarum denominationem ſuſcipit. *Dies apud Babylonios.* Babylonij integram Solis conuerſionem ab Ortu ad Ortum, diem conſtituêre naturalem. *Dies apud Arabes.* Vmbri, & Arabes conuerſionem à Meridie ad Meridiem. *Dies apud Aegyptios quid.* Ægyptij, quos Germani, Belgæ, Angli, Galli, Hiſpani, in ſuis horologijs conficiendis imitantur, conuerſionem à media nocte ad mediam noctem. *Dies apud Romanos idem, ac apud Aegyptios.* Romani verò ſuum diem à media nocte ad mediam ſubſequentem conſtituebant: nec Ægyptiorum meminit Aulus Gellius lib. 3. Noctium Atticarum, cap. 2. ex quo hanc doctrinam de diebus variarum Nationum communiter eruunt Scriptores. *Dies apud Medicos.* Medici, horam, aut tempus illud, quo ſenſibiliter æger in ſua, aut ſuis actionibus læditur, ſiue lectum obſeruet, ſiue non, principium naturalis diei, quo ipſi in ſuis computis, & non artificiali vtuntur, ſtatuunt.

Cæterùm conuerſio illa Solis, qua terræ ambitum raptu primi mobilis circuit, ſerior eſt tardiorue ipſo primi mobilis circuitu, quod Sol tunc proprio motu motui raptûs, obliquè licèt, renitatur, & minuta in ſemicontrarium diſcurrat, perficiatque 59. & ſecundas octo; vti Fracaſtorio, & alijs quibuſdam placet.

Dies Artificialis, aut Ciuilis, est totum illud tempus, quo Sol supra nostrum Horizontem permanet. Nox pariter, est totum illud tempus, quo Sol in opposito nostri Horizontis sub terra latet. Artificialis dies dicitur, quòd Artifices præsente Sole sua obeant munera, & nocte vtplurimum dormiant. Vnde etiam fortassis ipsa nox artificialis dicitur. Dies hæc eadem, Ciuilis appellatur, quòd homines maximè tunc ciuili vtantur commercio: Noctem & homines Ciuili quiete consumunt. *Dies artificialis.*

Sed fortassis Fracastorius, & alij, parùm solerter ciuilem diem cum artificiali confundunt: cùm Ciuilis dies apud Aulum Gellium libro 3. Noctium Atticarum, dicatur tempus incipiens à media nocte, siue ab hora sexta noctis, & terminatum horâ sextâ subsequentis noctis. Macrobius libro 1. cap. 3. & alij, hunc ciuilem diem in partes varias distribuunt. Prima dicitur media nox, seu potiùs mediæ noctis inclinatio, seu tempus immediatè mediam noctem consequens. Sequitur Gallicinium, id est, galli cantus, siue tempus quo galli cantare solent. Post hoc, Conticinium, id est, tempus, quo galli conticescunt, siue à cantu cessare solent, & homines requiescunt. Sequitur Diluculum, siue tempus, quo dies cognosci à nobis incipit. Rursùs sequitur manè, quòd est tempus, quo dies clarus apparet. Postea Meridies, id est, diei medium. Sequitur tempus occiduum, siue serum diei, quo Sol ab Occidente non est multum remotus. Subsequitur suprema tempestas, id est, Solis Occasus. Inde Vespera, siue Vesper, tēpus à Stella post occasum apparente ita dictū. Catullus ideo lepidè de hac Stella cecinit: *Dies ciuilis est dies Romanorum 24. horis constans. Diei ciuilis, & naturalis distributio ex Macrobio.*

Vesper adest, Iuuenes, consurgite, Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

Sequitur Crepusculum Vespertinum, id est, dubia quædam lux inter tenebras, & lucem. Postea prima Fax noctis, id est, primum tempus noctis, quo primum faces, aut candelæ, claritatis gratiâ, accenduntur. Sequitur Nox Concubia, quæ talis à cubando nuncupatur. Demùm Intempesta, id est, pars noctis, quæ non est idonea, vt in ea negotia vlla perficiantur.

De Artificiali die Isidorus libro 3. de Origin. cap. 50. hac serie loquitur: Sol Oriens diem facit, Occidens noctem inducit: nam dies est Sol supra terras: nox est Sol sub terra. Ex ipso enim sunt horæ; ex ipso dies, cùm ascenderit, ex ipso etiam nox, cùm occide- *Dies artificialis ex Isidoro.*

rit. Libro 5. eiusdem Operis cap. 30. eandem doctrinam confirmat, inquiens: Dies est præsentia Solis, siue Sol super terras, sicut nox Sol sub terris: vt enim dies, aut lux sit, causa est, aut super terram Sol, aut sub terris. Vult, vti existimo, Isidorus, Solem sub terra, seu in altero Horizonte, nostro, opposito, Solem lucere: nam quamdiù ibi latet, in nostro Horizonte non lucet.

Quoniam nos deinceps de die Critico sumus acturi, artificialem tetigisse sufficit. Naturalem ergo diem Medici in quatuor dirimunt partes: tempus videlicet matutinum, meridianum, vespertinum, & nocturnum; quæ tempora cum anni temporibus analogiam habent. Vnde Galenus Comment. 1. in lib. 6. Epidem. inquit: Diem namque toti anno proportione respondere censet Hippocrates; vt matutino tempori Ver simile sit, Meridiei Æstas, Vesperi Autumnus, Nocti Hyems. Dictum est autem, & de his vberiùs, vbi secundi morborum Popularium voluminis eam partem declarauimus, cuius initium est, Ascarides Vesperi. Hæc Galenus in Comment. textûs 15. citatæ Sect. 1. lib. 6. Epidem. qui textus hac serie habetur: Ab initio exacerbationes considerandæ sunt, & in omni morbo: veluti vesperi exacerbari; & annus ad Vesperam, & Ascarides. Non solùm in hoc, sed textu lib. 2. à Galeno citato, & subsequenti tex. Autumno acutissimi morbi, & maximè lethales, &c. Hippocrates proportionẽ insinuat, quam partes diei cum anni temporibus obseruant; quam proportionem Galenus amplè sine dubio in Comm. cit. text. libri 2. Epid. explicauit: Sed Commentarius iste primus Galeni in dictum librum desideratur. Verùm, vt Vernali tempore sanguis dominatur, ita tempore matutino: vt in æstate bilis, ita in meridie; vt in Autumno melancholia, ita vesperi: vt hyeme pituita, ita nocturno tempore. Proinde morbi à sanguine manè exacerbantur: morbi à bile circa meridiẽ: morbi à melancholia, circa vespertinum tẽpus: morbi à pituita, nocturno tẽpore: quanquàm omnes exacerbationes vesperi, quàm reliquis diei partibus sæpiùs excitentur. Nam vt Autumnus inter Anni partes sanitati minùs fauet, magisq; nocet, morbos enutriens ferinos, & lethales, ita vespertinum tempus inter alias diei partes. Meritò ideò Hippocrates, tam lib. 2. Epidem. quàm libro 6. Autumno Vespertinum diei tempus comparat.

Diei naturalis, quo vtuntur Medici, diremptio in quatuor partes, quatuor anni temporibus correspondentes.

Exponitur proportio quatuor temporum diei cum quatuor anni temporibus.

His præhabitis, videndum, an sit admittendus dies Criticus,

siue

siue Decretorius. Ægrè fert Galenus lib. 1. de Diebus Decret. c. 3. proteruiam quorundam, qui dies decretorios repudiabant: Illi autem non alio argumento dies Criticos ab vsu Medico abigere conabantur, nisi quòd in virtute eorundem dierum non conuenirent Medici antiquiores. Futile sanè argumentum, multos in errorem præcipitans: Nam vix extat quidpiam, in cuius inuestigatione non fuerat inter Philosophos orta lis aliqua controuersiam inuoluens. Dicere propterea, quòd res illæ, circa quas tantæ suscitantur lites, admitti non debeant, non est ratiocinari, sed vehementer insanire. Galenus ergo dicto capite istorum nugatorum incuriam inscitiamq; damnat, Nam omnes Medici vnanimi consensu confirmant Diem septimum, vndecimum, decimumquartum, & consimiles, esse verè decretorios dies, vt ipse ab adolescentulo obseruauit in innumeris ægris, vtq; passim experientiâ obseruauit Diuinus Hippocrates, vt testantur Historiæ Epidemicæ, & doctrina eius selectissima in Aphorismis, & Prognosticis reposita. Fatetur verumtamen ingenuè Galenus, dubiam esse decretoriam virtutem quorundam dierum, vt constat ex ipso Hippocrate; qui quosdam dies, tanquàm decretorios, in Epidemijs proposuit, quos tamen in Prognostico, & Aphorismo circumcidere videtur, vt Galenus cit. cap. 3. libri 1. de diebus decretorijs loquitur. Cùm ergo experientiâ multorum cogniti fuerint plures dies decretorij, hi admittendi sunt, etsi quidam dies, non æquo omnium iudicio, decretorij dicantur.

Osores dierum Criticorum perstringũtur.

Contra hanc veritatem, Hippocratis, & aliorum, Censorem se exhibet Cornelius Celsus, Asclepiadis nugas, elegantiâ, non doctrinâ, defendens. In Lectoris gratiam eius verba subijcio. Libro igitur 3. sui opusculi Medici, cap. 4. ait: Est autem alia de diebus ipsis dubitatio; quoniam Antiqui potissimùm impares sequebantur, eosq; tanquam tunc de ægris iudicaretur, indicatorios nominabant. Hi erant dies tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, quartusdecimus, vnus & vigesimus: ita vt summa potentia septimo, deinde quartodecimo, deinde vni & vigesimo daretur. Igitur sic ægros nutriebant, vt dierum imparium accessiones expectarent, deinde postea cibum, quasi leuioribus accessionibus instantibus darent; adeò vt Hippocrates, si alio die febris desisset, recidiuam timere sit solitus. Id Asclepiades iure vt vanum repudiauit;

Cornelij Celsi nugæ.

 neq;

neq; in vllo die, quia par, aut impar esset, his vel maius, vel minus periculum esse dixit. Interdum enim peiores dies pares fiunt, & opportuniùs post earum accessiones cibus datur. Et paucis interpositis, idem Celsus ait: Atq; idem alio loco quartum quemq; diem, vt in vtrumq; efficacissimum, apprehendit, id est, quartum, septimum, vndecimum, quartumdecimum, decimumseptimum, in quo & ab impari ad paris numeri rationem transit: & ne hoc quidem propositum conseruauit, cùm à septimo die vndecimus, non quartus, sed quintus sit: adeò apparet, quacunque ratione ad numerum respeximus, nihil rationis sub illo quidem authore reperiri. Verùm in his quidem antiquos tunc celebres admodum, Pythagorici numeri fefellerunt: cùm hîc quoq; Medicus non numerare dies debeat, sed accessiones intueri, & ex his coniectare, quando dandus cibus sit. Hæc Celsus, & perperàm. Vt sanè mirum in modum sibi, dum hæc scripsisset, placuit, ita in recensendis Hippocratis sententijs aberrauit, vt Diuini Senis mentem nullatenus fuerit assequutus. Asclepiadem enim, quem paulò ante dixerat vicem exhibuisse tortoris, Hippocrati temerè antetulit. Fallitur deinde, cùm vigesimumprimum diem Criticum ex mente Hippocratis appellat; cùm hic expresse vigesimum constituerit diem Criticum. Ignorat ergo, quid in mente habuit Hippocrates, & multò magis, dum credit Hippocratem sequutum fuisse Pythagoram, concedendo vim agendi numero, cùm expresse Naturam, non numerum, morborum Medicum statuisset Diuinus Senex. Sed cùm natura certis diebus vehementiùs contra morbum insurgit, & pugnam indicit, meritò hi dies obseruandi sunt. Multi enim ex plebe obseruant, & Medico fideliter referunt, ordinariè tertiam, aut quartam accessionem in febribus tertianis, esse multò vehementiorem antecedentibus, & subsequentibus. Non solùm ergo accessiones (in quibus potissimùm Crises fiunt) sed accessionum numerus perpendi debet, vt rectè medeatur Medicus, alimenta præscribat, & futura prædicat. Hæc omnia latuêre Celsum; qui præterea finxit, Hippocratem, tribuisse imparibus potissimùm vim decretoriam, cùm tamen decimoquarto, & vigesimo, & alijs paribus, eandem concesserit virtutem, vt videre licet lib. 1. Epidem. Sect. 3. textu 13. hac serie: Quæ diebus paribus accedunt, paribus iudicantur; quorum verò sunt in imparibus accessiones, imparibus iudicantur. Denuò

Celsus perstringitur.

Crisis in accessionibus fit.

Paribus, & imparibus diebus fiunt accessiones, & Crises.

quàm erroneè vndecimum diem à ſeptimo numerandum aſſeruit, cuiuis Hippocratis aphoriſmũ hac de re legenti conſtabit; vbi vndecimum per quartum à ſeptimo compleri habetur.

Concludendum ergo contra proteruos, perutilem eſſe doctrinam de diebus decretorijs. Futuram enim Criſim, eamq; bonam, die ſeptimo, & non ſexto, pronunciabit ſcientificè Medicus, quoties coctionis Signa in vrinis quarto die viſa ſunt. Et Signa die Critico apparentia, ſiue bona fuerint, ſiue mala, nos certiores reddunt de futuro morbi euentu, quàm Signa alijs diebus contingentia. Deniq; Criſim factam die ſeptimo anteponimus Criſi factæ alijs diebus etiam decretorijs; quoniam in hoc, quàm in alijs, Criſes fiunt frequentiores, & perfectiores. Recidiuas etiam iuxta diei naturam, & euacuationis modum, ac quantitatem, dignoſcemus. Hæc autem omnia ad præſagiendum conferunt. *Vtiles ſunt dies Critici.* *Septimi magna vis.*

Ad curandum, multùm etiam confert ſcire dierum decretoriorum naturam: nam victus non debet eſſe adeò tenuis pro ijs, qui perfectam Criſim paſſi ſunt, ſicuti pro alijs, qui imperfectam, aut in quibus tardè Criſis expectanda eſt. Medicamenta etiam purgantia non danda diebus verè Criticis & imparibus, iuxta Hippocratem libro 4. de Morbis. *Die Critico nõ purgandum.*

Cùm ergo experientiâ conſtet, dies decretorios eſſe; ſcire modò oportet, quid Dies Decretorius? Is ſanè eſt, in quo de lite & pugna inter naturam, & morbum orta, decernitur; adeò vt ſi natura plures habeat ex ſua parte teſtes, ſiue bona validaq; Signa, quàm morbus mala, morbum in hoc conflictu ſit ſuperatura: Si autem morbus plura, & validiora Signa mala, teſtium inſtar, quàm natura bona, habuerit, naturam neceſſariò victurus ſit. Pugilum quidem inſtar ſe habent natura, & morbus. Dies enim decretorius, ſiue decernens, tanquàm arbiter & Iudex cenſetur à multis: decernere enim nihil eſt aliud, quàm iudicare, & ſententiam ferre: Vnde Senatuum, & Principum decreta. Dies etiam decretorios, iudiciales, ſiue iudiciarios appellare poſſumus; quia in his morborum iudicia, ſiue Criſes fiunt, non ſecùs ac Pragmatici, iudiciales, ſiue iudiciarios dies, vocant eos, in quibus iudicia fiunt; quos ideò dies faſtos appellant, ſicuti nefaſtos dies, illos, in quibus lege nihil ſancitur, qui dies, Iuſtitium, ſiue tempus à iudicandi munere vacuum, dicuntur. *Dies decretorius quid.* *Decernere quid.* *Dies faſti, & nefaſti.* *Iuſtitium.*

Diem

Dies Decretorius cōmuniter vigītiquatuor horis constat.

Diem verò Decretorium ex vigintiquatuor horis componi docet Galenus, libro, Ad eos qui de Typis scripserunt, cap. 7. non autem libro de Typis, vt perperàm nonnulli alios sequuti, & Galenum minimè legentes, citant; cùm liber de Typis, quinq; tantùm contineat capita. Citato ergo cap. 7. sequentia scripsit: Persuasum autem & tu quoq; habebis rem hanc sic se habere, si primùm memoriâ repetas, & horum recordationē in promptu semper habeas, nos in præsentiâ diem, tempus id vniuersum appellare, quod diem noctemq; comprehendit: idipsum quidam nycthemeram (quasi noctediem dicere velis) appellant: & ea ratione dicunt annum constare diebus trecentis, & sexagintaquinque, & quarta etiam parte vnius. Horæ itaque quatuor & viginti, diem vnum absoluunt: duos autem, octo & quadraginta: tres, duæ & septuaginta. Libro 9. Methodi cap. 1. vbi de Diaria, eiusq; causis loquitur, inquit: Dictum enim supra est, vigintiquatuor horas esse sic appellatæ diei spatium, vtique vt cum nomine diei nox quoq; vna comprehendatur. Libro 10. Methodi cap. 2. Diariam (ita dictam, quòd vno die duret) intra vigintiquatuor horas desinere, & terminari dicit. Libro 1. de Crisib. cap. 16. de primo die morbi verba faciens, in eo Signa bona apparere docet, aitq; deinceps: In primo quidem die (sic verò me vbique intelligas, totum ex die, & nocte tempus in viginti ac quatuor horas partitum accipientem) vrina quidem sit exquisitè aquea, febris verò debilis: hæc ergo in longum tempus protrahetur, &c. Libro 2. de Crisib. cap. 2. sequentia scripsit. Dicendum iam igitur, quo pacto quispiam in primo die morbi naturam exactè dignoscat. Diem autem per totum hunc sermonem nostrum in eo accipiemus significatu, vt non solùm lucem, sed noctem etiam complectatur: sicuti & mensem ex triginta diebus constare dicimus: non id tempus tantùm, quo Sol suprà terram fertur, appellantes: sic enim annum quodammodo dicimus trecentos, & sexagintaquinque dies complecti. Libro 7. de compositione Medicament. secundùm locos cap. 2. Titulo, Confectio ex capitibus Papaueris Galeni, is idem modum macerandi Papauerum capita docens, ait: Præmacero autem ea non ad triduum, velut Heras, sed neq, statim ablatas coquo, sed si quidem humidiora & molliora fuerint, ad vnum diem. Accipienda est autem in omnibus huiusmodi sermonibus etiam nox: quemadmodum etiam annum dierum

Anni dies quot.

Nox die comprehēditur.

Vrina aquea febris protractionem indicat.

Mensis, & anni dies, noctes etiam comprehēdunt.

Confectio ex capitibus papaueris Galeni.

rum

rum trecentorum sexagintaquinq; solemus dicere. Hîc enim, etsi de Crisibus nulla fuerit facta mentio, dies pro naturali accipitur à Galeno. Libro de Septimestri Partu, eundem obseruat loquendi modum Galenus, aiens: Quatuor autem & viginti horarum interuallum, diem appello: ita enim & annum trecentis, & sexagintaquinq; diebus, & quartâ insuper diei parte constare dicunt: menstruum tempus vigintinouem, & dimidio. Nam mensem nominari spatium, quod ab vno Lunæ coitu cum Sole vsq; ad alterum intercedit, nemo est qui nesciat. Huic autem dierum numero adijci etiam quandam particulam, quæ sit totius diei quingentesima septuagesima sexta, demonstrauit Hipparchus, quæ tamen adeo parua est, vt de ea considerare superuacaneum ad præsens propositum esse videatur. Postea exponens quendam Hippocratis textum de Septimestri partu, ait: Perspicuum enim est, nos æquinoctiales horas in huiusmodi omnibus sumere consueuisse, quarum vigintiquatuor, diei, ac noctis, spatium conficiunt, quod νυχθήμερον, hoc est, noctidiale, ab Astronomis nuncupatur. Hæ enim omnes horæ æquales inter se sunt, eò, quòd adeò exiguum est id, quod variationem affert, vt nonnulli ne esse quidem quicquam illud arbitrentur. Verùm Galenus libro 1. de Medicamentis per genera, cap. 2. de die artificiali, & distincta ab eo nocte loquitur. Itaque, inquit, sunt ex ijs, quæ propter caloris vim exulcerant: quemadmodum etiam ex illis, quæ exedentia, seu putrifica Latinè, Septica Græcè, nominantur, alia simul, atq; corpora contigerint, potestatem suam ostendunt: quædam duabus, tribusue, aut quatuor horis, opus habent: nonnulla diem totum, vel etiam post eum, noctem, vel maius deinde spatium requirunt.

Annus, & mensis.

Diei artificialis meminit Galen.

SECTIO II.

De Decretoriorum Dierum numero, & virtute.

GAlenus libro 1. de Diebus Decretorijs, cap. 2. docet, singulis diebus Crises fieri, licèt non æquè benè. De singulis ergo diebus singulatim nobis agendum. Galeni tamen verba priùs in mediũ deducenda: Iudicia .n., inquit, seu Crises ipsæ omnibus diebus accidunt, sed neq; pares numero, neq; ex æquali fide. Hoc intercedit discriminis inter illas, quòd aliæ bonæ,

Omnibus diebus Crisis superuenire potest.

næ, aliæ malæ eueniunt. Quædam cum pluribus, & difficilioribus symptomatis, & maiore certamine: nonnullæ statim ab initio tutò inuadunt. Quin etiam in hoc plurimùm differunt, quod hæ deficientes, illæ perfectæ sunt: nec minùs, quod aliæ certis, statutisque diebus indicatæ priùs, fiunt: aliæ repentè, & ex improuiso non idiotis modò, sed etiam artificibus eueniunt. Tot sunt iudiciorum differentiæ: tot etiam dierum decretoriorum. Hippocrates lib. 1. de Morbis Vulgarib. siue Popularibus, siue Epidemicis, Paribus, Imparibusq; diebus Crisim fieri docuit. Quæ, inquit, diebus paribus inuasiones (siue accessiones, siue exacerbationes, siue paroxysmos) habent, ea diebus paribus decernunt. Quorum verò accessiones imparibus diebus fiunt, ea imparibus iudicantur. In Prognosticis conformia dictis hoc ordine scripsit: Febres autem iudicantur iisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines, & ex quibus intereunt. Fit huius eiusdem sententiæ repetitio libro de Iudicationibus siue Crisibus: Febrium verò, inquit, iudicationes iisdem numero diebus contingunt, quibus homines moriũtur, & quibus superstites euadunt. Libro 2. Epidem. fit etiam eiusdem Sententiæ mentio.

Morbi, qui diebus paribus exacerbãtur, diebus paribus indicãtur: qui diebus imparibus accessiones habent, similiter imparibus iudicantur.

De Primo, & Secundo Die.

PRimus, & Secundus morbi dies, Critici sunt, in doctrina Dioclis, quem summoperè laudat Galenus. Sed idem Galenus distinctione vtitur, vt rei veritas plerisque aperta sit. Libro igitur 1. De Dieb. Decret. cap. 9. rem, vt sequitur, declarat. De primo die in morbis, & secundo, non diximus in superiore sermone, ètsi Diocli hi quoq; decernere de morbis visi sunt. Quomodo igitur de hoc intelligendum sit, distinctione docebimus. Nam si præceps, ac subita in ægrotantis corpore perturbatio, morbi solutionem præcedens, Crisis siue iudicium nominatur, neq; primum diem, neque secundum, decretorios esse censebimus; quia illa velut fluctuatio (siue perturbatio) quæ solutionem præcedit, nequaquàm in his diebus est conspicua: Si verò solutionem simpliciter, iudicium voces, hi quoq; erunt decretorij. Certè omnes febres diariæ solutionem partim in primo statim die, partim in secundo, nanciscuntur. De significatu igitur quæstio hîc magis est, quàm de re ipsa.

Cum distinctione, Diocli respõdet Gal.

ipsa. Hoc est peroptimum Galeni responsum ad Dioclis doctrinam. Alibi enim docuit Galenus, morbi solutionem, Crisim dici Hippocrati. Quodammodo ergo primus, & secundus dies morbi, Critici dici possunt. Et si de Crisi mala sermo sit, non est dubium, quin his diebus contingat, cùm in his vehementissimi morbi ad statum siue vigorem statim peruenientes, hominem iugulent. Salutares autem Crises vix primo, aut secundo die superueniunt; vt omnibus fermè placet: Sed meo iudicio, quandoque in his Crisim fieri non est impossibile. Nam quoties morbo vigente Signa coctionis adesse possunt, Crisis etiam salutaris superuenire potest: Sed primo, & secundo die morbus vigere potest, & coctionis Signa adesse possunt. Ergo primo, & secundo die Crisis, etiam salutaris, superuenire potest. Maior propositio est Galeni, qui passim Signa perfectæ coctionis, in statu maximè, non in principio, aut augmento, apparere docet; docetque simul, Crisim, vtplurimùm, in morbi vigore, siue statu, siue robore, siue vehementia fieri. Minor propositio, quæ duo continet, videlicet morbum primo die vigorem obtinere posse, & eodem die coctionis etiam perfectæ Signa apparere posse, probatur ex Hippocrate, & Galeno, quorum ille, loquẽdo de quibusdam febribus continuis, eas statim florere dicit: florere enim, est vigorem siue statum habere. Et Galenus Hippocratem exponens, ait, hunc non retulisse particulam, statim, ad primum inuasionis morbi punctum, quod principium est, sed ad primum diem, aut ad hunc, & alios, secundum, & tertium, ita vt primo die morbus vigere queat, & multo magis secundo. Libro 1. Epidem. Sect. 3. textu 10. ait: Continua quibusdam incipiens floret, & viget maximè, infestatq; grauius: circa iudicium verò, & in iudicio minuitur. Nonnullis molliter incipit, & submissim, sed increscit in dies, & exacerbatur: sub iudicium verò, & in iudicio abundè elucet. Quibusdam etiam leniter incipiens, augetur, & exacerbatur, & simul atq; aliquandiu viguerit vsque ad iudicium, & sub iudicium, rursùs se remittit. Vsu veniunt hæc omni in febre, & in omni morbo. In principio enim textûs de febribus, tam continuis, quàm intermittentibus, loquutus est Hippocrates; ideoque dictos mores omnibus febribus, imò omnibus morbis contingere refert. Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 7. hunc textum citans, & exponens, ait: Atque idcircò quædam statim, cùm incipiunt, statum

Primo, & secũdo die Crisis superuenire potest.

Florescere est statum habere.

Morbi quidã dum incipiunt florescunt.

accepisse dicuntur; quemadmodum in primo Epidem. vbi inquit Hippocrates: Statim enim continua est, quibus incipiens florescit, ac viget: Nam verbum id, incipiens, hoc loco non dicitur de vero morbi tempore, alioqui repugnaret ei florescere, atq; vigere, sed de eo, quod subsequitur principium exquisitè dictum, quod, vtplurimùm, ad tertium extenditur diem. Omninò enim febris hæc, vbi principium illud indiuisibile fecerit, deinde hoc pacto incremento quodam vsa fuerit, proprium recipit statum, quædam in prima statim die, quædam in secunda, quædam in tertia: non tamen in primo insultu primæ accessionis posset aliqua febris habere statum. Sed siue in primo die, siue in secundo, istum habeat; atq; hinc vsq; ad integram solutionem extendatur, nullum sensibilem alterius accessionis insultum accipiens, hæc statim ab initio proprium habuisse statum diceretur. Et hoc est, quod ab Hippocrate dicitur: Statim enim continua est, quæ incipiens florescit, ac viget. Tale igitur est; Si sputum in laterali morbo (sunt Hippocratis verba aphor. 12. lib. 1.) statim post apparuerit incipiente morbo, eum facit breuiorem, &c. Hîc enim obseruare debemus, quod alibi à nobis dictum est, principium aliquando accipi pro primo morbi insultu: secundò, pro tribus primis morbi diebus: tertiò, pro toto cruditatis tempore. Hippocrates verò, cui Galenus consentit, quando febris continua primâ die floret, principium pro primo insultu accipit: Potest ergo prima die statum habere. Quòd denique in primo dierum quaternione, id est, primis quatuor diebus, à morbis quibusdam homines liberentur, & ab alijs iugulentur, testatur Hippocrates in Prognostic. Sect. 3. tex. 2. inquiens: Simplicissimæ enim febres, ac Signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citiùs desinunt: maleficentissimæ verò, ac Signis affligentes difficillimis, quarto die, aut citiùs, interimunt. Galenus in Commentario per simplicissimas febres, intelligendas monet placidissimas, ac mitissimas, haudquaquàm maleficas. Propter consuetudinem loquendi Græcorum, Hippocratis dictionem, tametsi primo intuitu claram, explanauit Galen. Simplices, inquit, dicuntur homines (hoc est εὐηθεῖς) & qui malefici sint in quadam simulatione, quemadmodum est Simia callias, id est, formosa. Dicuntur etiam, & ij, qui sunt probis imbuti moribus. Sed enim primi frequens vsus apud authores Græcos, secundi verò rarior est. Itaq; dicunt interdum

Prĩcipium ad tertium morbi diẽ extẽditur.

Sputum.

Prĩcipium tripliciter accipitur.

Febres perperacutæ primis quatuor diebus iudicantur.

Simplices dicuntur callidi, atque etiam synceri.

& ita,

& ita, non solùm simplicem, sed etiam & simplicitatem, de affectione bonis moribus prædita. Dinarchus igitur in Daonem ita dixit: Gubernans adolescentius rem suam Cephalion, & naturâ probus erat, ac simplex. Demosthenes aduersùs Æschinem cum Iudicibus disputans, ait: nunc verò ob vestram simplicitatem, & indulgentiam pœnas dat, & hæc quoties libet. Plato libro de Republica tertio: Igitur rectus sermo, conuenientia, honestas, concinnitas, ac simplicitas comitatur: non inscitiam intelligens vocatam simplicitatem, sed reuera rectum, ac bonis moribus paratum intellectum. Itidem in Euthydemo simplicem dixit eum, qui simplices habeat mores, & honestos: Et, vt demiratus est, hic est adolescens, ac simplex.

Ex dictis paulò ante, satis liquet, quosdam morbos primis ipsis diebus à natura domari; multos autem morbos perimere ægros, cuiusmodi est Pestilentialis Febris, Apoplexia, & consimiles. Libro 7. Aphorismor. 50. sequentia habentur: Quibus Cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: Si verò hos euaserint, sani fiunt. Non enim sphacelum hîc pro corruptione partis intelligit Hippocrates, sicuti sæpiùs libro de fracturis, & articulis, fecit, sed pro sola gangræna, siue magna inflammatione sphacelum generante, vt in commentario monet Galenus. Libro 5. aphorism. 6. similiter de Tetano loquitur: Quicunq; Tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: Si verò hos effugerint, sani fiunt. Galenus in Commentario ait: Tetanus morbus peracutus est, vt qui compositus sit ex emprosthotono, id est, ad anteriora tensione, & opisthotono, id est, ad posteriora tensione, ita quòd citiùs in ipso fit iudicatio, non tolerante naturâ longiori tempore tensionis laborem. In primo igitur dierum iudicatoriorum passio iudicatur. Fortassis per (primo) hîc intelligit Galenus diem quartum: potest etiam intelligi tertius: nam quandoq; tertium, aliàs quartum diem, primum nominare consueuit decretorium.

Exempla morborum, qui quatuor diebus primis iudicantur.

Secunda minoris propositionis argumenti pars, est, quòd primâ die morbi Signa coctionis, etiam perfectæ, adesse possint: Quæ doctrina probatur authoritate Galeni, qui libro 1. de Crisib. cap. 16. sequentia scripsit: Quid enim si aliquis primo statim die nullum habens Signum periculosum, verùm insuper omnia salutaria, acutè quidem febricitet, vrinam autem mingat benè coloratam, ac me-

Primo morbi die Signa coctionis in vrinis adesse posũt.

 dio-

diocriter crassam? an non in propatulo est Medico, qui in artis operibus est exercitatus, hunc in primis quatuor diebus Crisim habiturum: & eò magis, si nebula aliqua, vel suspensio, ibi afforet: atque etiam tanto plus, si bona subsidentia? Nonne hæc sunt perfectæ coctionis Signa? Idem Galenus libro 2. de Crisibus cap. 3. probans febrem tertianam in prima accessione cognosci; sequentia scripsit: Si verò etiam ipso ægroto mingente, vrina subrufa, vel subflaua, & crassitudine mediocris apparet: ac paulò post, vel albam nebulam, vel suspensionem bonam fecerit: iam non etiam lapis simpliciter fores, sed is, qui molaris appellatur; si quidem hanc tertianam esse ignoraueris, & exquisitam tertianam, & quæ vltra quartum circuitum non progredietur; rufiore verò vrina existente, neq; suspensione aliqua, neq; nebulâ in primo circuitu apparente, ad septem circuitus extendetur. Inter omnes autem tertianas illa simplicissima est, quæ, cùm omnia illa nuper à me dicta exquisitæ tertianæ Signa commonstrauerit, in vrinis etiam subsidentiam albam, & læuem, & æqualem, statim fecerit in primo die (& hæc etiam perfectissimæ coctionis Signa ab omnibus æstimantur): neque enim hæc vltra tertium progredietur circuitum. Accedamus ad ipsum Hippocratem à Galeno citatum lib. 1. de Crisib. cap. 7. qui libro 1. aphorismor. 12. ait, quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat. Signa coctionis posse etiam primo die apparere, docuit in lib. 3. de Crisib. cap. 4.

Signa coctionis in sputis primis diebus.

Concludendum ergo, cum prima die quidam morbi ad statum peruenire, & Signa perfectæ coctionis apparere queant, posse eadem prima morbi die Crisim fieri. Diariæ etenim ipsæ vix terminantur, nisi facta quâdam euacuatione per cutem, aut alias vias. Cur igitur in febre tertiana exquisita, & continua salutari, apparentibus coctionis Signis, non æquè fiet Crisis? omnis autem velox mutatio, Crisis appellatur, vt loquitur Galenus libro 3. de Dieb. Decretorijs cap. 5. Sed apparentibus coctionis Signis prima die, velox mutatio fieri potest, vt apparet in Diaria. Ergo Crisis.

Prima morbi die fit Crisis.

At verò, quia rarò contingit, coctionis Signa in primo morbi die apparere, statutum est, euacuationes quasuis in principio morbi apparentes, non esse Criticas, sed potiùs symptomaticas. Vnde Hippocrates libro 4. Aphorism. 22. inquit: Morbis quibuslibet incipien-

Omnis euacuatio in morbi principio, mala.

cipientibus, si atra bilis vel supernè, vel infernè exierit, lethale. Galenus in Commentario, inquit: Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur ratione naturæ: sed sunt omnia symptomata earum, quæ præter naturam sunt in corpore, dispositionum. Quo enim in tempore à causis morbum facientibus natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari, est impossibile. Siquidem oportet coctionem, præire, subsequi verò discretionem: & postea euacuationem, vt bona sit crisis, siue iudicium. Hæc autem nos ipse docuit in primo lib. Epidem. ita inquiens: Coctiones iudicij celeritatem, salutis securitatem significant: cruda autem, & incocta, ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, vel labores, vel diuturnitatem, vel mortes, vel eorundem malorum reditus. Quando igitur post morbi coctionem aliquis humorum vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor, vbi Signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem. Si verò aliter excernatur sine Signis coctionis, exitialis est casus. Quare cùm in morbi principio quasi semper, sint Signa cruditatis, mala erit talium humorum euacuatio.

Coctio præ. requiritur ad bonam Crisim.

Coctio, & cruditas.

Licèt in Aphorismo solius euacuationis atræ bilis, acris, mordacis, & acidæ, ex humore melancholico putrefacto, aut bile superassata, genitæ, Hippocrates meminerit, Galenus, & optimè, sententiam ad quamcunq; cuiuscunque humoris crudi euacuationem, initio morbi factam, extendit.

Tempore Galeni non deerant ex Dioclis discipulis, qui primum diem Criticum ab Hippocrate dici lib. 1. Epidem. Sect. 3. tex. 14. asserebant, quia inibi Hippocrates inquit: Circuituum verò, qui iudicant imparibus diebus, primus, tertius, quintus, &c.

Obiectio.

Responsum in promptu est, Hippocratem non de primo die, sed de primo circuitu, secundo, & ita de reliquis, loquutum fuisse, vti ex Galeni Commentario, sed clariùs ex lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 8. colligitur. Quapropter, inquit, ab acutis denuò incipiamus, omnium consequenter decernentium dierum causas inuestigantes. Iam quidem in primo febres diarias solui contingit; non tamen iam cum certamine, & perturbatione effatu digna, quáquam nonnulli Hippocratem quoque dies decretorios in Epidemiων primo

Solutio.

enu-

enumerantem, & primi meminisse putant, duplici nomine errantes. Circuitus enim primus, & non dies primus, manifestò scriptus est in parium, impariumq; dierum Catalogo. Quemadmodum igitur in parium enumeratione, primum circuitum præfatus, quartum diem inducit: ita in mentione imparium, tertium. Adhuc verò magis ignorant, quod à fronte Operis Prognostici descriptum reliquerit de facie emortua, &c. Ex hac vltima parte textûs Galeni, constat Sectatores Dioclis voluisse Hippocratem introducere authorem Crisis factæ primo die. Quoniam inquiunt, ex Hippocrate vna die & nocte iudicatur facies quædam macilenta, Hippocraticæ faciei similis: id est, spatio vigintiquatuor horarum, ob magnum fluxum, vigilias, inediamue, & consequenter subitam mutationem, ægri facies veluti cadauerosa facta est. Galenus ergo dicit, per verbum, iudicatur, intelligendum verbum, probatur, & cognoscitur. Sed hæc de diebus, primo, & secundo morbi, quorum ille tertij fortassis diei index dici poterit, vt ex cap. cit. 3. libri 2. de Crisib. & aphorismo 12. libri 1. aphorism. colligi potest. Tribus enim accessionibus (id est, tribus diebus) tertiana terminatur, quoties primo die Signa coctionis in vrinis apparuere. In Pleuritide pariter, in qua prima die sputa apparent cocta, benè sperandum in secunda accessione, quæ vtplurimùm in Pleuritide fit tertia die, teste Galeno lib. 1. de Crisib. cap. 7. Galenus attamen videtur primum diem constituere indicem quarti, quando lib. 2. de Crisib. cap. 2. ait, quartum diem conari morbos soluere, qui primo die non cessârunt. Libro autem 3. de Dieb. Decret. cap. 8. vim decretoriam secundo diei, veluti primo, negat, videturque tamen in morbis paribus eum constituere, veluti quarti indicem, sicuti hunc sexti. Et in hoc Crisim contingere refert, quia intra peracutorum terminum continetur: quæ sanè ratio secundum diem, & primum, decretorios constituit; quoniam æquè ac sextus, & septimus, intra acutorum terminum continentur. His adde, quæ Galenus ibidem habet: Adeo autem violenti quid habet ad Crisim accessionis vehementia, vt omnibus ferè diebus peracutos morbos iudicatos esse videre liceat. Ex hac Galeni doctrina, primus, & secundus dies decretorij erunt; cùm in his æquè, ac alijs, accessiones fieri soleant, & in accessionibus Crises.

Primus dies tertij index.

Tertiana tribus accessionibus terminatur.

Primus dies quarti index.

Primus, & secundus dies decretorij.

De

De Die Tertio.

DIes Tertia morbi, in morbis qui imparibus diebus iudicantur, Critica est, teste Galeno, citato cap. 8. lib. 3. de Dieb. Decretorijs. Principium autem, inquit, dierum qui cum agitatione quadam acutè morbos mutant, tertium à principio statuere oportet, veluti priùs etiam dictum est: qui nullam iam cum prima septimana communionem habet, sed ex coincidentibus existit. Siquidem quaternio, quod septimana in duas partes secta, absoluitur, ideoq; permagnam facultatem obtinet, in priore sermone dictus est. Tertius verò, & quintus, licet alia nulla ratione, quàm quod iudicia cum accessionibus fiant, coincidant, non minùs quarto die decernunt: quoniam hoc ipsum & ab experientia testimonium habet: & ratione contemplantibus non obscura eius causa est. Nam perturbationis violentia, naturam ea quæ molestant, etiam ante tempus propulsare compellit: quippe virtus ipsa est alienorum expultrix. Quemadmodum in Opere de Naturalibus facultatibus antea demonstratum est. Tempus autem actionis (id est, expulsionis) post finem alteratoriæ (id est, concoctricis) facultatis est: tunc enim functionem (expulsionem intelligit) obire omnibus secundùm naturam absolutis, ostendebatur, cùm illa (id est concoctrix) ab actione destiterit. Verùm ante perfectam coctionem interim quæ offendunt, amoliri cogitur (expultrix scilicet facultas): vt interdum concoctione iam absoluta, moratur adhuc, & lentè propter imbecillitatem munus subit (expultrix scilicet). Vtrumq; autem in ventriculo clarè licet contemplari: instigatus enim, coctionis tempus non expectat, sed protinùs etiam idoneum cum eo, quod molestat, excernit: & vbi iam satis concoxerit, interdum lentè, ac cunctanter superfluum, imbecillitatis vitio, expellit. At, cùm naturali habitu fruitur, perfectæ concoctionis tempus, ipsius recrementorum expulsionis terminus est: quæ neque præuertit, neque præsentem adhuc moratur. Cæterùm, vt in ventriculo, sic in singulis totius corporis partibus alienorum expultrix facultas esse ostendebatur: quæ, meo sanè iudicio, & Crisim in morbis efficit: atq; propterea optimæ fiunt Crises, cùm iam omnia in animantis corpore concocta fuerint. Præuenire autem Crisim, quod Hippocrates

Tertius dies primus decretorius.

Vis quarti diei.

Tertius, & quintus sunt Coincidentes Critici.

Natura est, quæ aliena excernit.

Irritantur quandoque partes, vt ante tẽpus cogantur bonũ, cum malo promiscuè excernere.

Facultas expultrix est causa efficiens Crisis.

crates lib. de humorib. προεκρηγνυσθαι, quasi dicas prærumpere, appellare consueuit, malum est: nam idonea simul, cum ijs, quæ lædunt, excernuntur: Fitque hoc natura incitata, vel ab exteriore quodam, vel ab ijs, quæ in ipso corpore detinentur. Extrinsecus igitur est Medicus, qui parum rectè quippiam fecerit, æger, famuli, atque alia, quæ propriè exteriora nominantur. In ipso autem corpore sunt morbi ipsi, eorumq; causæ, & accessiones.

Septem causæ præcocem Crisim excitantes.

Quoniam difficile est, vnam Medicinæ partem completè describere, quin ei aliarum partium aliqua commisceantur; ideo hîc Galenus ex libris de Naturalibus facultatib. aliquid in medium trahit, vt ad vnguem percipiamus Crisis perfectæ, & imperfectæ discrepantias. Docet tamen ante omnia, sicuti in principio eiusdem Capitis, à nobis in fine præcedentis Discursûs, de primo morbi die, citati, fecit, Diem tertium morbi acuti, in quo diebus imparibus fiunt accessiones, esse Criticum; & quidem primum diem Criticum, sicuti quartum, primum diem Criticum in morbis, qui accessiones habent diebus paribus. Tertium verò coincidentem diem ipse appellat, veluti quintum. Diei intercidentis varijs in locis meminit. Libro autem 2. de Diebus Decretor. cap. 2. dies intercidentes considerandos esse ait. Doctissimus Lalamantius, Commentario dicti Capitis, intercidentes, vt sequitur, interpretatur: Παρεμπίπτουσας ἡμέρας, alij intercidentes, alij interrepentes, & intercalares latinè conuertunt. Sic autem dicti sunt, quòd inter indices, & iudicatorios intercidant, interrepant, & intercalentur; in eosq; Crisis incidat, aut propter aliquod erratum admissum circa ægrotum; aut quia materia, vtpote acris & maligna de se, & citra vim cælestem, ad excretionem parata est: eòq; naturam ante tempus ad sui excretionem stimulat. Nam aliàs, si materia non ita maligna naturam non vrgeat, & ad excretionem non satis parata vim cælestem expectare potuerit, Natura aliquo die, vel indice, vel iudicatorio, vi cælesti morbum iudicabit. Inde ergo quod legitimus dierum Criticorum ordo interrumpitur, & in eos Crisis vi morbi incidit, intercidentes, interrumpentes, & intercalares dicti sunt. Egregiè sanè omnia; sed meo iudicio Interpretes in Codice Veneto, meliùs Coincidentes, quàm intercidentes, dies illos pronunciant; quia tertius dies ex Galeno in horum dierum numero recensetur, is tamen inter diem indicem, & Criticum, non intercalatur, nec intercidit: cùm

Dies intercidentes qui.

ante

ante tertium nullum admittat diem indicem, aut Criticum Schola Galeni. Tertius verò coincidit cum primo die verè decretorio, qui quartus est. Rectiùs ergo Coincidentes vocantur illi dies, quàm intercidentes: & appositè à quibusdam Prouocatorij dicuntur; quia natura non rarò illis diebus intempestiuè ad euacuationem prouocatur.

Prouocatorij dies melius Coincidentes, quàm intercidentes nuncupantur.

Dies Coincidentes in prima septimana, sunt tertius, quintus, & sextus (hunc enim addit Galenus Comment. textûs 1. Sectionis 3. Prognosticor. & libro 2. de Dieb. Decret. cap. 2.): in secunda nonus, & fortassis decimustertius: in tertia fortassis decimusnonus. Verùm omnes ferè dies, præter verè Criticos, & Indices siue contemplabiles, Coincidentes, intercidentesue dici possunt. Nam Galenus lib. 2. de Diebus Decret. cap. 6. in decretorios, & Coincidentes dies distinguit omnes: Decretorios verò in Septenarios, & Indices, siue Contemplabiles. Et cap. 11. lib. 1. de Diebus Decret. octauo die Crisim, quæ sexto die in paribus diebus non fit, fieri refert. Libro etiam 2. de Diebus Decret. cap. 6. ait Crisim die nona factam præstantiorem esse eâ, quæ octauo die fit. Verba Galeni ex dicto capite 6. subijcere placet: Nam, inquit, cùm duplex sit dierum Decretoriorum, cùm vtilitas, tum natura, eorum quoque duplicem doctrinam instituit Hippocrates. In Aphorismis quidem, & Prognostico, eorum, qui secundùm quaterniones, & hebdomadas inuicem complexi sunt, mentionem faciens: in primo autem Epidemiorum, non horum modò, sed etiam aliorum omnium Coincidẽtium: quorum causam Coincidentiæ in sequentibus dicturi sumus. Nunc autem, quòd naturâ, & vsu, inter se differant, ostensuri sumus. Naturâ sanè inter se differunt, quòd omnibus ritè præstitis ad quaternionum circuitus, Crises maxima ex parte perueniunt (alia versio habet, omninò perueniunt). Erratis autem quibusdam admissis, in intercidentes transferuntur Crises. Vsu verò differunt, quòd ad futuræ Criseos cognitionem, circuitus per quaterniones sufficit. Cæterùm ad iudicandum de facta iam Crisi, omnium ferè etiam intercidentium vim, & facultatem cognitam habere oportet: ita vt tutiorem, v. g. Crisim esse quæ nono, quàm quæ octauo accidit die; minùs fidam quæ octauo die, quàm quæ nono contingit, iudicemus. Proinde fidæ Criseos, aut infidæ cognitio, ad probam victûs rationem instituendam ijs, qui iam iudi-

Naturâ, & vsu inter se differunt Coincidẽtes, & quaternarij.

cati sunt, confert. Lib. 2. de Dieb. Decret. cap. 2. sequentia de decretorijs scripsit. Nam si (vt ante dixi) ad experientiam deuenerit septimanas nimis quàm potentes inueniet: proximè his quaterniones: inspiciet autem dies intercalarios, tertium puta, quintum, sextum, nonum, qua ratione fiat, vt decernere possint.

Rectè discrimen statuit Galenus inter verè Decretorios dies, & coincidentes. Si enim nullus à Medico, aut ab astantibus, aut ab ægro, in morbi decursu fuerit commissus error, & omnia externa fuerint ritè præparata, sique morbi, aut causæ morbificæ vehementia non vrgeat, Crisis die conuenienti, vtplurimum continget: Verbi gratia, si coctionis Signa in vrinis, aut fæcibus, aut sputis, quarto die appareant, septimo Crisis superueniet: idem de vndecimo, die indice, in ordine ad decimumquartum, dicendum; & de decimoseptimo, in ordine ad vigesimum. At verò diebus intercidentibus (communiori more Intercidentis vocabulo vtor) nulla superueniet Crisis, nisi errore aliquo præcommisso: nec ad Crisis futuræ præcognitionem, diei intercidentis cognitio necessaria est; quaternionum verò pernecessaria. Ad factam verò Crisim omnium cognitio necessaria est: vt sciamus, tutiorem esse, quæ in quaternionibus fit Crisis, quàm quæ in intercidentibus: & tutiorem esse, quæ nono intercidenti, quàm quæ octauo intercidenti: & eam quæ quinto, quàm quæ tertio.

Crisis in quaternionibus contingens tutior est Crisi intercidentiũ dierum.

Redeamus modò ad expositionem eorum, quæ superiùs ex capite 8. lib. 3. de Dieb. Decret. traduximus. Docuit enim inibi Galenus, sicuti & alijs in locis iam antea à nobis citatis, diem tertium esse decretorium, non absolutè, sed Coincidentem decretorium: non enim cum prima septimana vllam habet communionem societatemue, vt dicit Galenus. Nam qui in prima septimana, sicuti in alia quauis ad vigesimum vsque diem, vim habent Criticam, est dies medius, qui quartus dicitur, & dies septimanam terminans, qui septimus appellatur. Coincidunt ergo aliqui dies, in quibus quædam fit euacuatio Critica, aut Criticæ similis, non aliam ob causam, nisi quòd Crises in accessionibus, siue exacerbationibus, fieri soleant. Cùm ergo in his intercidentibus perturbationes quædam, quæ in accessionibus fieri solent, aut quæ accessiones quædam sunt, sæpissimè fiant, Critici dicuntur. Cur autem sæpè perturbationes vehementes, quandoq; etiam Crises, dictis diebus interciden-

Quartus, & septimus in qualibet septimanã sunt verè Critici.

dentibus accidant, duplex statuitur à Galeno in contextu causa: Interna vna, externa altera. Externa quadruplex est; vt habetur non solùm hîc, sed Aphorismo 1. libri 1. Aphorismor. Medicus videlicet, æger, Astantes, & externa. Interna triplex est: morbus, morbi causa, & accessiones. Error Medici ignorantis futuram Crisim sæpè præuertit. Æger pariter parùm obediens. Astantes similiter contra Medicinæ regulas sæpissimè peccant. Multa tamen contingunt aliundè errata, quæ externa dicuntur. Exactissimè errores circa has quatuor causas externas contingentes; exponit Galenus lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 11. hac serie: Hæc itaque ipsa (fusè antea de erroribus Medicorum, & extrinsecùs aduenientibus, propter contingentia externa, egit) Hippocrates in ipso statim Aphorismorum initio complectitur his verbis: Oportet autem non solùm se præstare opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora. Si placet, inquit, (.i. Hippocrates) nostrorum scriptorum explorare, & examinare veritatem, Tu primùm, Medice, omnia ritè gere; deinde ægrotus in omnibus se tibi præbeat morigerum: nihilq; præ intemperantia peccet. Ad hæc, Adstantes nihil ipsi ei delinquant: vt ne vel iram, hoc ipso, quòd errant, ægroto concitent: vel mœrorem, eò quòd intempestiuè quid nuntient; vel etiam noxam, siue offensam, eò quòd minùs inculpatè & accuratè in apparatu se gerant, inferant. Quin apparatus omnis ante Criseos tempus promptè & expeditè fiat; obsonia pulchrè parentur; quæ ministerij sunt, ritè præstentur & inculpatè. Est insuper & quartum genus eorum, quorum rationem habendam esse præcipit Hippocrates. Nominat autem ipsum vno complexus nomine, exteriora: Ac licèt id nomen multiplex sit, ipsum tamen omni culpa vacare decet. Etenim pluuiæ, tonitrua, fulgura, vicinorum tumultus, canum latratus, insultus latronum, ruina domûs, defluens desuper aqua, fluuius inundans & irruens, incendia, plagæ inflictæ, atque eius generis omnia, exteriorum nomine comprehenduntur. Paulò ante exactiùs de externis egit: & multò ante copiosiùs errores Medici Crisis eruptionem impedientes narrat. Erratorum, inquit, autem quædam admittuntur ab ipso ægroto, quædam ab ijs admirandis Medicis, qui putant, nihil ab eo arte dignum gestum esse, qui ad ægrotum accedens, & sese succingens, non vel cataplasma apposuerit, vel vnxerit, fouerit, clystere indiderit, venam inci-

Septē causæ accessionum, & Crisis diebus intercidentibus.

Errores externi varij.

Errat Medicus præscribēdo singulis in visitationibus varia remedia.

inciderit, cucurbitulas admouerit, confricuerit, cibum exhibuerit, enutrierit, vel quid aliud eiusmodi fecerit. Hi enim quotiescunq; ad ægrum accedunt, toties peccant. Fieri igitur non potest, tot interea erroribus admissis, vt Crisis septimo die, ad quem parata tendebat, eueniat: quandoquidem naturæ motus statutis periodis pro sui ratione contingit: interim ab exterioribus peccatis circuitus seruare prohibetur. Sic itaque Hippocrates vndequàq; admirabilis (libro de Alimento) inquit: Natura omninò sufficit. Peccatur in hanc extrinsecùs cataplasmate, inunctione & totius, & partis inspersione. Sic etiam Medicum naturæ ministrum appellat (Hippocr. lib. 1. Epidem. Sect. 2. tex. 51.); reuera Medicum quendam, non Pharmacopolam quendam ex triuio: tantum enim hic à iusta naturæ ministri appellatione abest, vt etiam maximè contrarium nomen ipsi magis conueniat; inimico videlicet, & naturæ ipsius, & ægrotantium hosti iure appellato. Postquam eodem cap. Galenus exposuit, vti vidimus, quatuor illas externas causas errorum, qui Crisim impedire, aut tardare, aut accelerare possunt, sequentia in confirmationem eorum, quæ modò dixit, scripsit: Hæc igitur genera quatuor (causarum scilicet) quæ particulatim etiam multiplicia sunt, dum naturæ motus impediunt, frequenter circuituum ordinem interturbant, & interrumpunt. Nam vbi quartus dies manifestum & euidens Signum decretorium attulerit; si neq; Medicus quid peccauerit, neq; æger, neq; ministrorum quispiam: imò si neque extrinsecus error vllus admissus sit; septimo die necessariò Crisis occurret.

Naturæ motus regulares sunt; nam natura est, quæ medetur.

Medicus i remedijs præscribendis copiosus, Pharmacopola est, & non minister, sed naturæ inimicus.

Errata à Medico præcipuè, & ægro commissa, periculo plena esse docuit Galen. lib. 3. de Crisib. cap. 5. vbi apertè ipse ait, neminem vnquam vi morbi in declinatione perijsse; sed si periere aliqui, ob errores ab ægris, aut à Medicis commissos, eosdem obijsse, propter experientiam, & rationes à Galeno ibidem allatas. Propter quorundam autem Medicorum doctissimorum intempestiuum curandi modum, Hippocrates lib. 1. Epidem. constitutione 1. inquit: Circa hæc te exerceas oportet, vt morbis auxilieris, & non noceas. Alia versio habet: Exerceto circa morbos duo, vt prosis, aut ne quid noceas. Idem Hippocrates sequenti sententia 51. Sect. 2. lib. 1. Epidem. sequentia de ægro, & Medico, ac morbo, appositè scripsit. Ars his tribus constat, Morbo, Ægro, & Medico Artis (in-

In declinatione vi morbi nemo moritur.

Ars morbo, ægro, & Medico constat.

qui-

quibusdam Exemplaribus, inquit Gal. reperitur, Medicus, Naturæ, non Artis, Minister) administro: Ægri est vnà cum Medico morbo reluctari. Tria esse (inquit Galen. in comment.) vniuersa inquit, in quibus, & per quæ curatio conficitur. Primus, morbus: deinde Medicus. Oppugnant sese mutuò, &, vt ita dicam, inter sese depugnant, ac dimicant, Medicus, & morbus: Morbum enim studet Medicus euertere: ille contra, vt ne sit inferior, propositum est. Tertius est præter illos, æger: qui si quidem Medico sit audiens, & faciat imperata, socius in certamine efficitur huic, morbo hostis. Qui ab eo si desciuerit, ac quæ dictat morbus, exequatur, duobus nominibus Medico facit iniuriam, vno quidem, quòd destituerit solum, altero, quòd duos fecerit, qui erat ante vnus; enimuerò duo necesse est, vno præstet. Porrò apertè imperata facit morbi, deserto Medico æger, vbi cum ei interdicat Medicus frigidæ potione, ille à febris ardore adducitur, vt istud committat; itidem si lauet, aut vinum bibat, aut eiusmodi aliud; à quibus abstinere eum volebat Medicus. Næ morbum ille scilicet augebit, faciundis ijs, quæ illi placent: atq; Medicum prodet, faciundo quæ non vult. Multa alia de erroribus in ægro commissis habet Galenus cap.cit.11. lib.1. de Dieb.Decret.ex quo sequentia deduco. Itaq; morbi, qui prorsus sine periculo sunt, ob delicta diuturni esse solent. Qui morbi incolumitatem pollicentur, non tamen sine periculosis symptomatis, ob errata lethales fiunt. Quin etiam illi morbi, qui omni periculo vacant, multis magnisq; deinceps erroribus commissis, in lethalium naturam incidunt. Nec mirum esse puto. Cùm enim in sanis delicta grandia morborum lethalium causæ fiant, quid in ægrotis expectandum est?

Aeger morbo fauens, & Medici imperium respuens, sibimet nocet.

Verùm, quod paulò ante cum Galeno de quadruplici causarum externarum genere ex dicto capite traduximus, breuiter notãdum. Hæc igitur genera quatuor, inquit, quæ particulatim etiam multiplicia sunt &c. Vult enim dicere, Medicum esse multiplicem (idem de ægro, & assidentibus, ac externis dicendum): & quidem ita res est. Nam multi reperiuntur ignari, qui ideò theoriam morbi cum ipsa curatione copulare nequeunt: Nonnulli Scientiam & Præcepta quæuis spernunt, seque multum præstare credunt, si posthabita omni ratione, soli incumbant praxi. Alij ex aduerso soli theoriæ operam nauant, parùm, aut nihil obseruantes in ijs, quæ sanam

Varietas Medicorum.

inte-

integramq; praxim contingunt, perficiuntque. Multi verò, vel leuissimè prælibârunt quippiam in Theoria & Praxi. Nonnulli medicamentorum farraginem inerudita Methodo, Pharmacopolarum ritu, præscribere solent. Quidam denuò docti inueniuntur, & in Praxi celebranda valdè Methodici. Sed horum est minor numerus. Vnde non mirandum, si indocti, inexperti, audaces, impudentesque, qui non re, sed nomine Doctores nuncupantur, mille committant errores inter medendum, vt qui quadam imbuti inerudita medendi consuetudine, negligenter intacta omittunt, quæ toties Hippocrates, & Galenus obseruanda commendant, Sexum, Naturam, Ætatem, Consuetudinem, Anni tempus, Cæli statum, loci situm, & Regionem. Inter ægros pariter pauci inueniuntur benè morigerati, & Medico integrè obtemperantes: Sed multi suo prauo indulgentes genio. De assidentibus non est quod loquar, cùm hi maiori ex parte sint parùm officiosi, & ad integrum ministerium minimè proni. Externi denuò casus innumeri sunt. Quare raræ contingunt Crises, & siquæ superueniunt, imperfectæ vtplurimùm visuntur propter errorum cumulum in qualibet classe dictarum quatuor causarum coaceruatum. Sed hæc de externis causis, quæ Crisim impediunt, aut naturæ ordinatos motus interturbant.

Accessio est causa interna pugnā naturæ indicens.

Modò exponendæ sunt internæ causæ interruptionis Criseos, quæ vnà cum dictis propositæ sunt à Galeno, lib. 3. de Diebus Decret. cap. 8. vbi solemniter de accessionibus loquitur: Cæterùm (inquit) accessio vnum est de numero eorum, quæ naturam stimulant, & veluti prouocant, eam nec consistere, nec conquiescere permittens, verùm concitans irritansque, &, quasi dixeris, pugnam indicens. Vnde in acutis morbis diebus imparibus Crisis. In his etenim accessiones sunt. Quæ igitur causa sit, quamobrem in acutis tertio quoq; die, vtplurimùm fiant accessiones, in diuturnis autem, vel quotidie, vel quarto quoque, neque inuenire facile est, neq; necessarium in præsentia disquirere. Quod verò ita eueniat, perspicitur. Si enim eo, quo & deprehenduntur, ordine ipsos collocauerimus, secunda ab initio accessio in tertium diem recidet: Tertia accessio ad quintum diem: quarta accessio ad septimum diem: quinta ad nonum; omnes accessiones in imparibus. Cùm ergo Natura non semper rato, & stato tempore insurgat, morbosque iudicet,

cet, sed concitata plerumq; aliàs ab alijs causis, à quibus, in acutis morbis, accesio maximè cōtinua efficitur (ostensum verò est, ipsam in impares incidere) meritò in imparibus diebus permultæ Crises acutorum morborum cōtingunt; non quòd hi dies primariam vim decernendi habeant (semper enim hùc oportet animum adhibere) sed per accidens quoddam sic euenit. Prædictum verò, opinor, iam est manifestò illud accidens. Nam quia in morborum accessionibus Crises vtplurimùm fiunt, hæ autem in impares dies incidunt; ideò in acutis morbis in imparibus diebus Crises eueniunt. *Cur diebus imparibus fiunt Crises.*

Post hæc, Galenus docet, numerum imparem non habere decernendi facultatem, alioquin diebus paribus nunquam Crisis contingeret. Motui autem Lunæ omnem vim decernendi tribuit Galenus. Ideòq; in septimanis magnas mutationes causari ait: post deinde in quaternionibus exiguis fieri docet mutationes. Ad hæc etiam, inquit, Crisim accessione vtplurimùm indigere, ad hoc vt fiat: Item accessiones tertio quoque die in acutis fieri. His etenim positis, acutos morbos in imparibus diebus potissimùm iudicari erit necesse. Propter hanc igitur causam, tertius, & quintus, meritò decernunt, non quòd ex Lunari circuitu decernendi vim & facultatem sortiantur, sed quòd vel tertius dies accessionis violentia Crisim quarto die futuram præuertat; vel profectò, quòd dum natura quarto die lassa, nec vsquam concitata conquiescit, quinto tandem ad Crisim commouetur. Nam ipse quintus vero decretorio (id est quarto) tardiùs iudicare, tertius verò paulò magis anticipare deprehenditur. Ambo autem idcircò vim iudicandi habuisse, quòd cùm sint vero decretorio vicini, accessiones eius ipsi exceperunt. Iam verò & nonus etiam in medio duorum decretoriorum, septimi dico, & vndecimi, collocatus, vel non factam iam septimo Crisim, vel in vndecimo futuram sibi vindicat, sed rariùs quidem septimi, frequenter verò vndecimi. Etenim peculiaris & propria septimi diei Crisis nunquam ad nonum, nisi fortè multi errores commissi sint, perueniet. Hoc autem ipsum in Commentarijs de Crisibus demonstrabitur. At vndecimi diei Crisis contra se habet: ipso enim eodem vndecimo fit Crisis, etiam cùm omnia ritè facta fuerint, & violenta noni diei fuerit accessio. Porrò verò quòd eiusmodi dies propter vehementissimas accesiones intercidant, euidenti demonstratione hinc colligas, quòd in productis prolonga-

Numerus non indicat, sed Luna ex Galeno.

Cur diebus Coincidentibus non rarò Crises eueniunt.

tisque

In longis morbis accessionum vehementia hebetatur, adeoq; intercidentium vis Critica corruit.

Accessio in peracutis, singulis diebus Crisim efficit.

Synocha febris vnica constat accessione à principio ad finem.

Hemitritæus est peracutus morbus.

Cur die sexto Crisis fit.

tisque morbis non similiter eueniat. Nam in productis, siue diuturnis, vt accessionum vehementia soluitur, & languescit, ita & dierum quoque coincidentium numerus, in illis exoluitur. Adeò autem violenti quid habet ad Crisim accessionis vehementia, vt omnibus ferè diebus peracutos morbos iudicatos esse videre liceat. Vltimus enim ipsorum dies decernere natus, septimus existit:& ante hunc non quartus modò, sed etiam tertius, quintus, & sextus, Crises aliquando excipiunt. Quin, & de primo,an decerneret, inter Medicos, vt dicebatur, quæsitum est. Reliquus itaq; secundus ab ordine decretorio indubiè elapsus est: Sit autem, si vis, elapsus & primus. At tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, omnes decernunt. Ac omnes dies post morbi principium in peracutis, propter accessionum vehementiam decernere videntur. Ergo sextus etiam, etsi nec inter decretorios, qui circuitu (siue certa periodo) constant, nec impari numero ascribatur, tamen & ipse persæpè decernit; quoniam intra peracutorum terminum continetur. Vniuersi autem tales morbi alterum è duobus habent, aut Synochon, id est, continentem febrem (ita enim eā appellant, quæ à primo insultu & inuasione eundem tenorem sine manifesta declinatione, ad Crisim vsque, vt dictum est, seruat); vel febrem aliam, quæ etsi manifestas habeat declinationes, & accessiones, non tamen tertio quoq; die manifestas tantùm habet, verùm in ipsorum quoque dierum medijs, siue interpositis diebus, qualis est hemitritæus, id est, semitertiana. Proinde prima peracutorum morborum differentia, velut vna quædam est accessio. Quamobrem nihil, quantum ad accessionem pertinet, impares paribus præstabunt, cùm febris singulis diebus æqualis existat. Secunda verò, quæ modò dicta est, peracutorum differentia, etsi tertio quoque die magnas habeat accessiones, & veluti principia circuituum, tum qui intermedius dies est, tum & ipse plerumq; (de peracutis, inquam, loquor) adfert paroxysmum, vt etiam magnis aliorum quorundam morborum accessionibus nihilo sit inferior. Cum igitur morbus ad septimum, v. g. diem ruit, eòq; cursum suum destinat, & pro sui ratione in eodem iudicari debet; mediæ verò accessionis (de accessione quæ die intermedio infestat, loquitur) magnitudo, naturam ad Crisim ante suum tempus venire, siue insurgere, compellit, vel etiam quippiam eorum, quæ extrinsecùs adueniunt, ipsam irritat:

Sic

Sic vtique Crisis sexto die prærumpet: Sed hęc profectò tanto peior est eâ, quæ in septimo futura erat, quò magis ipsam præuertit. Pessima verò etiam est sexti diei Crisis; sed alia quapiam ratione, quam nos pluribus in libris de Crisibus persequemur. Nam illius Operis proprium est bonas Crises à malis interstinguere. Hîc tantùm de Diebus Decretorijs tractare consilium est. Sed quoniam constitui semel de sexto die omnia percurrere, hoc quoque adhuc summatim adiungam. Quidam morbi inuadunt secundum diem primo grauiorem habentes, quartum tertio, & totas siue vniuersas accessiones in diebus paribus: qui longorum quidem morborum naturam sapiunt, vt in Commentarijs de Crisibus demonstrabitur: iudicium tamen præuertunt, vt acuti, propter accessionis vehementiam. Hi etiam secundo die interficiunt, & quarto, sed sexto plurimos: Etenim in secundo die natura quodammodo valida adhuc est; item in quarto valida adhuc magis, quàm in sexto, sed nōdum in certamen venire audet: At in sexto accessionis vehementia frequenter eam ad certationem prouocat. Quare alterum è duobus natura sustinet: vel in ea concidit, & priùs quàm, quæ offendunt, excreuerit, extinguitur: vel plurimum ex eis (humoribus scilicet superfluis) propulsat, reliquum verò adhuc non potest, verùm imbecilla, & defatigata prorsùs cadit, & languida iacet. Deinde, si quo modo postero tempore recreari, ac refici potuerit, paulatim morbum concoquit: quòd si morbi reliquiæ eiusdem naturæ robore maiores sint, tamdiu æger superuiuet, quamdiu natura adhuc sufficere potest: morietur tamen postea. Iàm verò de diebus Coincidentibus abundè dictum est. Hactenùs Galenus.

Accessiones paribus diebus adueniunt.

Secundo, & sexto die multi moriūtur.

Modus dignoscendi an æger morietur, necne.

Præclarè, vt solet, Galenus hoc Capite 8. libri 3. de Dieb. Decretor. dierum coincidentium, siue intercidentium, vt cum vulgo loquar, naturam enucleauit, pulchrèq; irritamentum naturæ ab accessionibus, siue exacerbationibus illatum, explicauit. Licèt autem textus per se clarus sit, clariora tamen reddemus nonnulla, quæ aliquam alicui parerent difficultatem. Dixit Galenus, accessionem esse vnam causarum, quæ præcocem excitat Crisim diebus Coincidentibus. Sciendum ergo, quid accessio? Galenus libro 1. Aphorism. Comment. 12. eam, vt sequitur, describit: Per accessionem autem te oportet nunc intelligere deteriùs tempus totius circuitùs, quod est à primo insultu, vsq; ad tempus consistendi, siue status;

Accessio, siue paroxysmus quid.

ſicuti reliquum tempus declinationis melius. Eſt igitur, vt ex hac Galeni doctrina colligitur, Acceſſio, morbi exacerbatio, quæ quidem quatuor conſtat temporibus partibuſue, principio, augmento, ſtatu, & declinatione, non ſecùs ac ipſi morbi: quod Galenus ſubinnuit docens, acceſsionem comprehendere vigorem, & quandam declinationem. Dixit præterea Galenus, acceſsionem eſſe partem circuitûs, quod quidem verum eſt; quoniam eſt illa pars, quâ de nouo morbus infeſtat. Eodem Commentario Galenus circuitum ex Hippocrate hâc ſerie deſcribit: Quod autem circuitum (Græcè periodum) vocet ſimilem ad idem reditum, neminem puto dubitare. Libro de totius morbi temporib. cap. 8. & vltimo; circuitũ in acceſsionem & remiſsionem diuidit. Remiſsio enim eſt ſecunda pars circuitûs, qua non ampliùs vexatur æger, vti in acceſsione fiebat. Libro de Typis cap. 2. Typum, & circuitum, vt ſequitur, deſcribit: Typus eſt ordo intenſionum & remiſſionum: Periodus, ſeu circuitus eſt tempus intenſionum & remiſſionum in morbis factum. Acceſsio cauſam habet, humorem intùs latentem, & infeſtantem naturam, ſua quantitate, aut qualitate, aut quantitate, & qualitate ſimul, qui ideò eandem naturam, ſi valida fuerit, ad ſui expulſionem prouocat. Si natura ſuccumbit, etſi centies ſtimuletur, inſurgere nequit ad excludendum id, quod eam moleſtat. Acceſsiones quibuſdam in morbis non apparent; cuius naturæ ſunt Atrophia, id eſt nutrimenti ceſſatio, reſolutio ſiue Paralyſis, Elephantiaſis, & alij morbi his proportione reſpondentes. Acceſſiones & remiſſiones, infrequentiùs licèt, habent multi morbi; maximè verò inflammationes, ſed humorales potiſsimùm febres, exceptis ijs, quæ Synochæ dicuntur, quæ vnica conſtant acceſsione. De febrium acceſsionibus ſolùm in præſentiarum nobis cum Galeno agendum.

Acceſſio eſt circuitus pars.

Periodus, ſiue circuitus quid. Eius partes.

Typus quid. Periodus quid.

Acceſſionis cauſa.

Criſes in contextu, diebus imparibus Coincidentibus erumpere docuit Galenus; quia in morbis acutis acceſsiones diebus imparibus superueniunt. Sed quoniam diebus paribus, vt ſexto, & octauo, quos inter coincidentes collocauit Galenus, acceſsiones ſiue perturbationes, & Criſes fieri ſolent, aliam addit rationem, cur diebus coincidentibus Criſes ſuperueniunt; eſtque hæc, quia coincidentes Diebus verè Criticis vicini ſunt. Criſes etiam diebus imparibus fieri docuit Hippocrates libro 4. de Morbis. Sed libro 1.

de

de Morbis Popularibus, siue Vulgaribus, siue Epidemicis Sect. 3. Crises diebus paribus, a què, ac in imparibus fieri monuit, & quidem tempore accessionum, vt ex his eius verbis apud Galenum liquidò constat: Quæ diebus paribus accedunt, paribus iudicantur: quorum verò sunt in imparibus accessiones, imparibus iudicantur. Alia versio, hac multò melior, vtpotè textui Græco magis conformis, extat, vt sequitur, in Operibus Hippocratis: Quæ diebus paribus inuasiones siue exacerbationes habent, ea diebus paribus iudicantur: quorum verò accessiones imparibus diebus fiunt, ea imparibus iudicantur. Galenus in Commentario ait: Sæpiùs diximus, fieri in accessionibus iudicia, tum quòd in ijs (accessionibus scilicet) humores vehementer moueãtur, & veluti ebullientes erumpant sanguinis eruptione, siue hæmorrhagiâ, vel sudoribus, vel vomitibus, vel deiectionibus, vel hæmorrhoidibus, vel menstruo muliebribus: tum propterea, quòd id temporis ad excernenda illa (id est superflua) impellatur natura: simul, quòd grauata est, & afflicta, ad excernendum irritetur: simul, quòd illis magis fusis (siue attenuatis) & discretio noxiorum humorum promptior, & iudicium fiat procliuius. His satis exposuit Galenus rationes, propter quas Crisis in accessionibus contingit. Sed cur diebus imparibus fiant accessiones & Crises, non dixit, tribuens vim omnem Criticam Lunari motui. Ad Hippocratem ergo recurrendum, qui huius doctrinæ causam refert libro 4. de Morbis, hac serie: Imparibus autem diebus illam ob causam febris dimittit, quòd paribus diebus corpus ex ventriculo attrahit, imparibus verò dimittit. Ventriculus autem in homine sano foras transmittit. Ac propterea necessariò diebus imparibus morbi iudicantur, istâq; ratione cùm quis febre detinetur, sanus euadit. Istamque ob causam ægrotos assero diebus imparibus maximè affligi, idq; ex ratione quadam. Conturbatur equidem homo cùm febricitat, istiusq; rei indicium est horror, qui subinde per totum corpus impetu quodam fertur. Quod sanè minimè contingeret, nisi humor conturbaretur, & ab ipso copiosior, aut parcior secerneretur, & alius alium superaret. Maximè verò etiam conturbatur diebus imparibus cùm ægrotat, tuncq; horror præcipuè contingit. Hippocrates naturæ regulares circuitus tempore incolumitatis diligenter obseruans, rem deinceps statui ægro adaptat. Statuit ergo, in statu sano assumpta alimenta

Crises paribus, & imparibus diebus fiunt.

Accessio, & natura sunt Crisis causa.

Cur diebus imparibus Crises, & Accessiones superueniunt iuxta Hippocratis doctrinam.

Horroris causa.

toto die in ventre contineri, ibidemq; concoqui, primò scilicet in ventriculo, in quo chylus generatur: secundò in hepate, in quo sanguinis massa conficitur. Die verò sequenti, quæ est secunda, digeritur, siue distribuitur per corpus vniuersum, & quatuor fontes nominatos (Cerebrum, pituitæ fontem; Cor, sanguinis; Folliculum fellis, bilis; Lienem, aquæ, dicto in libro constituit; sicuti quatuor humores, sanguinem, pituitam, bilem, & aquam, omissa melancholiâ) quidquid vtile in ingestis cibis erat: quod verò crassum, & inutile supererat, eodem secundo die per secessum deturbatur. Cibus secundo die ingestus, similiter moram toto die in ventre contrahens, præparatur; & die sequenti, qui tertius est, in corpus vniuersum, & fontes secundùm tenuiores, vtilioresque sui partes, euehitur. Humiditas cum hoc cibo, de nouo superueniens, humiditatem præexistentem in corporis partibus, quæ alimentum primo die præassumptum, & in corpus secundo die digestum, diluebat, & instar vehiculi ad partes omnes vehebat, veluti trudit, & in ventriculum ex corpore, & fontibus remeare cogit, & quidem tertio die: (quo tertio pari progressu cibus assumptus in ventre cōmoratur, & ex ventre postridiè, vti præcedentibus diebus fiebat, à corpore, & fontibus attrahitur; exclusis per podicem fæcibus: cibus hoc secundo die assumptus, tertio sequenti in corpus mittitur, indeque tenuia excrementa ad ventrem pellit): Hic ergo liquor aqueus, & partibus ampliùs inutilis, cùm alimentum in ijsdem incrassetur, apponatur, hæreatque vt assimiletur, in ventriculum bona ex parte remeans, vnà cum crassis stercoribus per secessum protruditur. Secundùm verò aliam sui partem humor ille serosus per vias vrinæ euacuatur. Humor autem aqueus in liene (qui ex fontibus vnus est) contentus, partim per ventrem, partim per vias vrinæ euacuatur: Bilis pariter portio è suo fonte abigitur, ad aluum, vt per eam excludatur: similiter ex Cerebro, quod pituitæ fontem esse dixit Author, liquor ille inutilis, vnà cum tenui quadam saliua, per os, & nares, aut per alterutram viam ex parte euacuatur, & os ipsum ac amygdalas irrorat; quandoque totus fermè in ventriculum delabitur, vt vnà cum reliquis alui excrementis propellatur: imò portio quædam tenuis residui alimenti in tertia coctione elaborati, præter aqueam serositatem, in ventriculum amandatur, vt ingerendorum mox alimentorum coctionem, præpara-

Quatuor fontes, & quatuor humores ex Hippocrate.

Alimentū primo die coquitur: secundo ad partes alēdas transmittitur: cibus secūdo die assumptus tertio ad partes præparatus mittitur, & tunc tenuia excrementa à partibus propellit ad ventriculum, & vesicam. Vnde tertio die accessio, & Crisis.

Saliua præparationem alimenti in ore, eiusq; coctionem in ventriculo iuuat.

parationemq; iuuet, non aliter, ac fermentum, massæ commixtum, panis absolutionem iuuat: Vacuus enim ventriculus ex corpore attrahit, sicut ex hoc vicissim corpus egestate laborans. Compertum enim cuiuis est, saliuã, quæ tertię coctionis in cerebro factæ quædam est soboles, alimentis, quæ cum voluptate assumuntur, cõmisceri, & sine hac alimenta ab hominibus nõ desiderari appetiue.

Hic est ordo, qui à natura in statu salubri obseruatur circa ingesta alimenta, & potulenta. Si ergo alimenta, & potulenta irregulariter ingerantur, in tertia coctione, si non in secunda, multum inutilis & superflui liquoris procreabunt, qui non euacuatus febrem accendet; & si tertio die, aut alijs imparibus à natura extra corpus euelletur, benè cum ægro agetur; secùs autem si intus occlusus putredinem concipiet, & accendetur. Hanc verò ob causam Hippocrates rectè ea, quę ex ipso antea transtulimus, pronunciauit, veluti ante illa, quæ sequuntur. Quæcunq; febris de corpore hominem corripuerit, necesse est tertia die humorem affligẽtem exire de corpore, aut in alio quopiã impari die, iuxta rationẽ antea relatam.

Diebus imparibus fit euacuatio.

Hîc obseruanda Hippocratis dictio: nam citato lib. 4. de morbis, absolutè pronunciauit, Crises diebus imparibus, in quibus accessiones fieri consueuerunt, contingere. Libro tamen 1. Epidem. docuit, Crises diebus paribus, æquè ac imparibus, fieri.

Obiectio.

Hæc apparens contradictio facilè diluetur, si dixeris, Hippocratem lib. 4. de Morbis pronunciasse absolutè id, quod vtplurimùm, siue frequentissimè accidit. Crisim verò frequentiùs diebus imparibus, quàm paribus superuenire, nulli dubium est; maximè verò vbi febres continuæ sunt, in quibus tertio, & quinto die Crises frequentissimè fieri conspicimus; die verò quarto rarissimè; vt videatur bis tantùm Archigenes in toto tempore vitæ suæ Crisim quarto die obseruâsse; Galenus vsq; ad horam, qua libros de Crisibus scribebat, semel tantùm, vt ipse testatur libro 3. de Crisib. cap. 4. vbi sanè quarta die Crisim superuenire ijs, qui Synocho laborant, ingenuè fatetur. Peracutas enim febres, in Synochas, & continuas, quæ per tertium diem exacerbantur, ille diuisit capite iam cit. & cap. 8. libri 3. de Dieb. Decretor. Et Synocham quidem febrem, vnicam esse accessionem, loco vltimo citato docuit. Sed Synochi rarò eueniunt, vt ille loco iam citato de Crisibus monet. Cùm ergo hæ sint febres peracutæ, in quibus circa primum circuitum Cri-

Solutio.

In continuis febribus die quarta bis Crisis visa fuit ab Archigene, semel à Galeno.

ſes videntur, ſed rarò in Synocho, frequentiſsimè in continua, quæ tertio quoq; exacerbatur, quæq; frequentiſſimè accidit, non malè Hippocrates, quaſi abſolutè diebus imparibus Criſim fieri dixit, etſi quandoq; in paribus videatur; vt lib. 1. Epidem. docuit, & Galenus inſinuat lib. 3. de Criſibus, cap. 4.

Galenus, vt vidimus, docuit, Criſes fieri in acceſſionibus, quod intelligendum, vtplurimùm, & frequenter: Nam die leniori, id eſt, quarta, in peracutis continuis, quæ tertio die exacerbantur, vidit ille ſemel, Archigenes bis, Criſim contigiſſe.

Quòd ſi denique Criſim febri Synochæ denegare quis vellet, quòd in hac acceſſiones non videantur, longè deciperetur. Quoniam, vt lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 8. & alibi paſsim docuit Galenus, Synochi vnica conſtant acceſsione, & ſtatum habent, ſiue vigorem valdè longum, vt cap. 4. lib. 3. de Criſib. & alibi ipſe adhuc monuit. Ergo in iis Criſes fieri poſſunt, & quidem quarta die. Non enim à ſolis acceſsionibus intermittentibus natura concitatur ad excluſionem rei noxiæ, ſed à morbi quandoq; vehementia, ſiue magnitudine, aut à malignitate, aut acrimonia, aut magna copia eiuſdem rei noxiæ, ſiue cauſæ morbificæ, vt docuit Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 8. Sufficit ergo ſola morbi magnitudo, ſiue vehementia, aut cauſæ morbificæ malignitas, aut acrimonia, aut immodica copia, ad excitandam euacuationem, quam, ſi coctionis Signa non præceſsêre, timere debemus; quia, licèt ea æger quodammodo ſubleuetur, ægro nocet, quòd promiſcuè bonus maluſque ſuccus euacuentur, & priuentur conſequenter corporis partes congruo alimento, quo reficerentur. Ventriculus ſanè aliquo prauo humore infeſtatus, cogitur non ſolùm hunc, ſed vtiles ſimul, ſursùm aut deorsùm eijcere: ſimile quid omnes corporis partes, prauis humoribus vexatæ, moliuntur: bonum autem ſuccum cum malo reijciunt. Si autem euacuationem præcedant coctionis Signa, certum erit, bonum ſuccum ab inutili fuiſſe ſecretum. Talem ideò euacuationem facilè fert æger; quia, præterquàm quòd ab inutili ſarcina fuerit liberatus, ſucco bono in corpore retento, vires recreantur, refocillanturque.

In Synocha febre Criſis fit.

Cauſæ naturam ad euacuationem prouocantes.

Hùc vſq; cum Galeno aſſeruimus, diem tertium eſſe Criticum, modò ex Præceptoris monumentis quędam adferamus teſtimonia, præter ea, quæ ex libro 4. de Morbis paulò ante traduximus. Libro

bro 4. Aphorism. 36. sequentia scripsit: Sudores febricitanti si incæperint, boni tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & decimoseptimo, & vigesimoprimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoprimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam. Galenus in Commentario hæc habet: Non sudores tantùm, sed Alui deiectiones magnæ, & vrinæ multæ, & iuxta aurem abscessus, vel aliquem alium articulum, in dictis optimè apparent. Notat insuper Galenus, Hippocratem loquutum tantùm de diebus iudicatorijs, qui sunt infra quadragesimum; quia morbi ad quadragesimum diem, & vltra, protracti, adeòq; longiores facti, non admodum solent per sudores iudicari, sicuti neq; omninò per excretiones; sed vel per concoctionem, vel per abscessus. Si denique, inquit Galenus, fuit Hippocrates, qui diem quartum (quem primum decretorium diem Gal. appellat) præterijt, hanc ob causam existimo illud fecisse; quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum sudore iudicantur, tertio, & quinto die magis, quàm quarto, iudicium suscipiunt. Rariores enim sunt, qui die quarto iudicantur: & hoc à me fuit inuentum per experientiam, ob hoc ipsum plurimum quærente, quoniam dies quartus fuerat ab Hippocrate in aphorismo prætermissus. Hoc autem videtur accidere, quoniam morbi peracuti primam accesionem vehementissimam habent, & ipsi proportionalem diem tertium. Didicimus autem, quòd in vehementioribus accessionibus iudicia fiunt, & quòd morbi, qui in diebus imparibus accessionem habent, citiùs iudicantur; qui paribus, tardant.

Boni sudores quibus diebus fiūt.

Vltra quadragesimum rara est Critica euacuatio.

Libro 1. Epidem. Sect. 3. pares, imparesque dies Criticos sequenti serie proponit: Est autem primus decretorius circuituum, qui diebus paribus iudicant quartus, sextus, octauus, decimus, decimus & quartus, vigesimusoctauus, trigesimus, quadragesimusoctauus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus. Circuituum verò, qui iudicant imparibus diebus, primus, tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, septimusdecimus, vigesimusprimus, & vigesimusseptimus, & trigesimusprimus. Porrò sciendum est, vt si aliter iudicentur extra hos præscriptos, significent recidiuas fore, fiantque perniciales. Insuper est animaduertendum, & cognoscendum, quæ sint his temporibus futura iudicia ad salutem,

Dies Critici tàm pares, quàm impares.

Febres intermittentes Criticè quãdoque soluuntur.

vel ad perniciem: aut momenta ad melius, vel peius. Præterea errantes febres, quartanæ, quintanæ, septimanæ, & nonanæ, quibus iudicentur circuitibus, considerandum. In quibusdam Exemplaribus inquit Galenus, post sextum scriptus est decimusquartus, deinde vigesimus: in aliquibus post hunc vigesimusquartus: in nonnullis trigesimusquartus, ab hoc quadragesimus, sub quem sexagesimus, octogesimus, centesimus. Galenus in Commentario docet, impares dies rectè recenseri, pares verò nequaquàm, quia vigesimusoctauus, & decimus, nequaquàm decretorij sunt. Pythion tamen apud Hippocratem in principio libri 3. Epidem. dicitur iudicari die decimo.

Cæterùm plures Crises tertio die fieri habetur lib. 4. Epidem. frequentiùs tamen ęgros tertio die mori, quàm liberari docuit. Tymachares lib. 5. Epidem. iudicari dicitur. Tertio è contra die perijt Crito, vt habetur lib. 1. Epidem. Sect. 3. veluti famula Onesidemi, vt habetur lib. 5. Epid. Harpalus etiam, vt habetur lib. 7. Epidem.

Ad prædicendum vtile erit animum adhibere ad ea, quæ habet Galenus lib. 1. Epidem. Comment. 3. tex. 18. in historia Philisci. In Philisco verò, inquit, Signum accidit lethale, quòd ad sudorem non discutientem febrem, tertio die nigræ vrinæ, & sitis accesserint, linguaq; insuper inaruerit, & implacidus fuerit tota nocte, vigilauerit, delirauerit. Hæc cum ita essent facta, quarto ait die exacerbata fuisse, & vrinas iterum nigras fuisse. Quare fac memineris, vbi quartus, perinde, vt tertius, grauia habeat symptomata, & Signa in morbo acuto, breui expectandum iudicium esse: si paribus diebus inuadebat, potiùs in paribus: si verò imparibus, in his. Atque, vbi iudicium, illic scilicet & mors, in morbis quidem exitialibus. Et verò ad sextum diem Philiscus perijt, quòd accessiones paribus diebus haberet.

Philiscus sudores frigidos, & stillã sanguinis habuit, veluti extremorũ frigiditatem.

Docet autem Galenus, obseruanda esse symptomata, quæ tertio die, & quarto superueniunt; quæ si grauia fuerint, timendum: si bona, benè sperandum. Cæterùm his ambobus diebus melius est à magnis abstinere remedijs, quàm eadem celebrare: vt indicauit Hippocrates libro de Fracturis Sect. 3. tex. 33. vbi fractum membrum extendendum, & ligandum primo die iubet: Tertio autem, & quarto die ab omni arcta ligatura, alioque vexante remedio, abstinendum. In vniuersum, inquit, enim omnia vulnera tertio, &

quarto

quarto die minimè vexanda sunt, omnisque opera scalpelli fugienda est his diebus, omniaque alia, quibus vulnera irritantur. In summâ enim vulnera pleraq; tertio, aut quarto die recrudescunt, tum quæ ad inflammationem & sordes tendunt: aut febrem inferunt: quo præcepto nullum aliud tradi potest vtilius. Nam quæ sunt in medendi arte grauissima, quibus id non sit commune? Non enim pertinet ad vlcera tantùm, sed ad alios quoq; morbos quàmplures, Libro de Articulis Sect. 4. tex. 32. consimilem scripsit doctrinam. Eodem autem die, inquit, restituendi sunt (articuli scilicet dislocati) vel certè posteriori, tertio, aut quarto minimè; siquidem quarto die malum recrudescere maximè videmus. Vbi ergo non protinùs recondantur, his diebus supersedendum est.

Dies tertius, & quartus Critici sunt: & diebus imparibus humores cõturbantur, etiam in vlceribus, ex lib. 4. de morbis.

Propter tertium ergo, & quartum diem, in quibus ab irritantibus quibusuis remedijs abstinendum, remedia magna duobus primis diebus adhibenda esse docet Hippocrates Aphorismo 29. lib. 2. Cùm morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: cùm verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere. Et aphor. 10. lib. 4. Purgandum in valdè acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum est. Aphorismo 24. libri 1. ab his non recedit: In acutis morbis rarò & in principijs, medicamentis purgantibus vti decet: & hoc cum præmeditatione faciendum. Hæc Diei tertij occasione dixi: Nam in acutis, primis duobus diebus magna remedia celebrari debent, diebus tertio, & quarto, in quibus non rarò morbi recrudescunt, quies habenda. Si hoc in dislocationibus articulorum, & fracturis, ac vulneribus obseruandum præscribit Hippocrates, multò sanè magis in acutis obseruari debet, vt ipse innuit, dum ait: Sed ad alios quoq; morbos cõplures.

Die 1. & 2. morbi euacuandum: & aliud quodque opus celebrandum.

De Die Quarto.

GAlenus Commentario citati textûs 14. lib. 1. Epidem. in quo pares, iuxta & impares dies decretorios recensuit, sequentia scripsit: Ostendimus verò in lucubrationibus de Diebus Decretorijs, omnium esse decretoriorum dierum validissimos, qui quaterno, aut septeno circuitu fiunt: Moderatiores his esse, qui intercalantur. De his vltimis nos occasione tertij diei, abundè egimus: nunc verò occasione quarti de quaternionibus, & septenarijs.

Dies in decretorios, & non decretorios diuiditur.

Secundùm Galeni doctrinam dies in vniuersum diuidere possumus in decretorios, & non decretorios. Non decretorios vocat lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 4. dies illos, qui nullam decernendi siue iudicandi notam habent. Hos non decretorios, aliqui appellant vacuos; quia carent omni decernendi virtute, quâ septenarij, indices, & intercidentes pollent: Medicinales præterea, quia in his purgare corpus absque periculo licet, dummodò omnia ad purgandum prærequisita appareant; vt coctionis signa, virium robur, & reliqua. Hos dies vult Laurentius esse sextum, octauum, decimum, duodecimum, decimumoctauum. Sed contra Galeni mentem, qui capite 4. citato libri 1. de Dieb. Decret. diem sextum, medium inter septimum, & dies non decretorios collocat: imò libro 1. de Dieb. Decret. cap. 5. diem sextum, & septimum, à quarto indicari docet. Præterea, vt vidimus in die tertio, idem Galenus sextum inter coincidentes decretorios reposuit. Denuò si decimum, qui vndecimo præest, & sextum, qui septimo, vacuos, & Medicinales, nominat, cur non decimumtertium, decimumsextum, & decimumnonum?

Laurētius notatur.

Dies decretorius in tres classes diuiditur.

Septimus dies omnium fortissimus.

Quartus dies Criticus est, & index septimi.

Vndecimus Criticus, & index decimiquarti.

Decimusseptimus Criticus, & vigesimi index.

9. 5. & 3. ac 6. soli Coincidentes Galeno dicuntur.

Decimitertij vis.

Dies decretorios, siue hos, in quibus morbi iudicantur, vt in die tertio diximus, diuisit Galenus in tres classes, septenarios scilicet, quaternarios, & coincidentes; quos epilogicè cap. 8. lib. 2. de Dieb. Decret. hac serie enarrat: Quin magis ad dictorum cohærentiam denuò reuertor, priùs vniuersis, quæ prædiximus, in summam vnam redactis. Decretorius itaque fortissimus omnium, est dies septimus; prænunciat eum dies quartus, hæc duo habens, vt decretorius minor sit, & septimi index. Deinde vndecimus, & decimusquartus eandem proportionem, & naturam, ad inuicem conseruant, quam cum septimo quartus. Deinde frequenter quidem decimusseptimus ad vigesimum, raró autem decimusoctauus, ad vigesimumprimum eandem rationem habet, quam cum septimo quartus, & vndecimus cum decimoquarto. Hi ergo, vt Hippocrates dixit in Prognosticis, per quatuor aucti ad viginti perueniunt. Coincidunt eis nonus, quintus, & tertius. Plurimos quidem nonus iudicat: secundam vim obtinet quintus: & post hunc tertius. De sexto priùs diximus, vt malo decretorio. Decimustertius certè omnium decretoriorum imbecillimus: omnium verò, qui non decernunt, fortissimus, tanquàm in medio quodam vtrorumque

vir-

virtutis situs. Cum vehementissima itaque pugna sunt Crises, sicuti etiam antea diximus, quæ vsque ad diem decimumquartum veniunt, cum minori, quæ ad vigesimum vsque pertingunt. Inde vsq; ad quadragesimum adhuc etiam magis earum vehementia exoluitur: ab illo autem die perfectè exoluta redditur dicta vehementia. Codex Basiliensis, quàm Venetus, clariùs vltimas lineas retulit, vt sequitur: vehementissimæ itaque sunt Crises, sicut etiam antea diximus, quæ vsque ad diem decimumquartum veniunt: minùs ijs, quæ ad vigesimum vsque pertingunt: inde ad quadragesimum productæ, adhuc etiam minùs vehementes euadunt: in illo autem perfectè soluuntur.

Crises procedente morbo languescunt.

Præclarè & distinctè, suo more, Galenus tres ordines dierum decretoriorum proposuit: Decretorios videlicet maiores, minores, & Prouocatorios, siue Coincidentes dictos. Hos tamen vltimos, neque hoc capite octauo, neq; capite 6. præfati libri 2. de Dieb. Decret. propriè decretorios appellat, sed vtrobiq; Coincidentes. Verè ergo decretorios in duas classes distribuens, primos, appellat maiores decretorios; secundos, minores decretorios. Dies decretorij maiores sunt illi, in quibus frequentissimæ, & perfectissimæ (sicuti etiam malæ) Crises visæ sunt: cuiusmodi sunt septimus dies, decimusquartus, & vigesimus, qui principes, & dignitate primi inter decretorios ideò censentur. Decretorij minores dicuntur illi, in quibus minùs frequenter Crises contingunt. Huius naturæ est quartus quiuis dies, principem decretorium antecedens: vt quartus in prima septimana, quartus in secunda septimana, & quartus in tertia septimana. Quartus in prima septimana est omnibus notus: quartus in secunda septimana est ille, qui communiter vndecimus morbi dies nuncupatur: quartus in tertia septimana est ille, qui decimusseptimus morbi dies vocatur. Hi tres dies, sicuti tres principes, à Luna suam decernendi virtutem, in Galeni doctrina, suscipiunt, multò tamen minorem, quàm principes; quoniam hi Lunæ quadris, in quibus notabiles fiunt mutationes, correspondere videntur; quartus verò dies, quia in septimanæ medio suum obtinet locum, non nisi mediocrem à Luna acquisiuit virtutem.

Dies Decretorij maiores, & minores.

Dies Decretorij suã à Luna accipiũt virtutem.

Quartus dies cuiusuis septimanæ, præter Criticam siue decretoriam, quam possidet, virtutem, alio in ægris fungitur officio. Nam futurum morbi euentum die septimo (ni præpediat eundem euen-

Dies index, & cõtẽplabilis.

tum error aliquis, die ſeptimo, aut antecedentibus, commiſſus) nobis præindicat: vnde dies Index dicitur: diciturq; Contemplabilis; quia diligenter contemplando cuncta Signa in morbo apparentia die quarto, Criſim futuram iri, aut non futuram die ſeptimo, pronunciare poterimus. Si autem in vrinis acutè febricitantium nullum appareat coctionis Signum quarta die, nullumq; prauum ſuperuenerit Signum, conſtanter Medicus prædicere poteſt, nullam die ſeptimo fore Criſim, ſed morbum futurum longiorem, dummodò non fuerit morbus perperacutus, ſiue extremè peracutus. qui primo circuitu, ſiue primis quatuor diebus, aut circiter, terminari conſueuit; cuius naturæ ſunt Tetanus, Apoplexia, Cholera Morbus, Cerebri Sphacelon, Angina, Peſtis, Conuoluulus. Præterea obſeruando ea, quæ quandoque die quarto contingunt, Criſim die ſeptimo futuram indubiè prædicere valemus. Nam ſi Signa coctionis in vrinis v.g. apparuerint die quarta, bona Criſis die ſeptimo expectanda, vt teſtatur Hippocrates lib. 4. Aphoriſm. 71. Quibus ſeptimo die fit Criſis, ijs nubecula rubra quarto die in vrina apparet, & alia ex ratione. In Commentario Galenus aduerſatur quibuſdam Interpretibus, qui aſſerebant, vltima illa Aphoriſmi verba, & alia ex ratione, intelligenda eſſe de alijs bonis Signis, quæ vnà cum vrinâ bona adeſſe poſſunt, quæq; vnà cum bona vrina firmam Criſim die ſeptimo fore ſpondent: cuiuſmodi ſunt ſomnus mediocris, & ſuauis, libera reſpiratio, naturalis in lecto accubitus, vultus ſerenus, & reliqua, de quibus Hippocrates in Prognoſtico. Hanc interpretationem reijcit Galenus; quia ægri magna ex parte vigilant, & grauiter ſe habent, ac febriunt vehemẽtiùs, quanto magis iudicatio appropinquat. Plures verò eorum propè iudicationem ſpirant difficulter. Non igitur Signum quod ex vrinis apparet talibus indiget caſibus ſiue ſymptomatibus, ad firmiorem futuræ iudicationis ſpem, ſed multis alijs, quæ frequentiùs, quàm iſtud ex vrina deſumptum Signum, apparent. Vult ergo Hippocrates, inquit Galenus, vnà cum Signo bono in vrina, alia ex ratione intelligamus, quæcunque futuras iudicationes ſiue Criſes oſtendunt. Sunt autem hæc, quæ in diebus ab ipſo vocatis indicibus, & contemplabilibus fieri conſueuêre, vel in vrinis, vel in excrementis alui inferioris, vel ſputis. Semper enim omnia talia iudicationes ſignificant, non tamen bonas ſemper. Solis enim coctionis Si-

Signum productionis morbi.

Extremè peracuti.

Signa coctionis in vrinis die quarto Criſim futuram die ſeptimo indicant.

gnis, in diebus contemplabilibus, apparentibus, bonæ futuræ iudicationes indicantur. Præter hæc, docet Galenus, nubem albam in vrinis quarto die apparentem, multò magis futuram Crisim significare, quàm significet nubes rubra, eodem die quarto apparens, & antea non visa: multò adhuc melius futuram Crisim bonam prænunciat, suspensum album, æquale, atque consistens, quàm nubes alba. Et bona prædictio completa erit, si vrina, quæ tenuis erat, mediocriter crassa efficiatur, & quæ alba fuit, pallida reddatur. Rubeæ verò nubeculæ, de quibus loquutus est Hippocrates, rarò fiunt, & color rubeus, tam in vrina, quàm in sedimento apparens, etsi salubre signum sit, morbi tamen diuturnitatem significat, teste Hippocrate in Prognostico, vbi de subrubeo vrinæ, & sedimenti colore agit.

Sola coctionis Signa diebus indicibus apparẽtia bonã Crisim futurã indicant.

Proponitur à Galeno in Commentario dubium, vtrum vrina in alio die indice apparens, cum nube rubea, vt loquutus est Hippocrates, Crisim futuram significabit die proximè Critico, sicuti dies quartus, in quo incepit talis vrina apparere, Crisim die septimo futuram prænunciat. Dubij solutionem ex practica obseruatione potiùs, quàm rationibus petendam docet Galenus: Nam, inquit, quantum, ad rationes attinet, sunt ad vtramq; partem argumenta, & magis ad alteram, quòd non significabit, nisi morbus valde vehementer moueatur. Nam, si quarto die fiat, æquale tempus priori, id, quod sequetur, assumens, non est impossibile, vt iudicationem ostendat. In vndecimò autem apparens, non mihi admodùm videtur tribus solis egere diebus, sed etiam pluribus. Verissimum siquidem est, colorem talem aliquid suffragarì solutionibus. Ego quidem rarò Signum tale in alijs diebus vidi, præterquam in quarto. Cui igitur in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit iudicatus: cui autem in quartodecimo, hic in vigesimo. Apparuit etiam cuidam alteri in vndecimo, qui in decimoseptimo iudicatus est: rursùs cuidam alij in eodem vndecimo, qui vigesimo die fuit iudicatus. Si verò vrinæ color die vndecimo fuerit factus melior, & alba apparuerit nubecula, decimoquarto Crisim fore non negat Galenus lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 7. vbi ait: Vndecimo verò die coloratiores simul vrinæ reddantur (quæ scilicet antea erant albicantes, aut aqueæ), & quasi albæ nubeculæ in ijs innatent, priùs non visæ: hîc non mediocris spes est verè Medicis, morbum in decimo-

Dubium.

Solutio.

Nubecula rubra in vrina apparens die septimo, Crisim die 14. futuram iri significauit.

quarto

quarto discussum iri: euenit tamen subinde, solutionem in dierum quendam sequentium incidere. Galeni experientia nobis persuadet, dies indices posteriores suam indicandi virtutem paulatim amittere; sicuti dies indicati siue Radicales, & Principes dicti, in quibus frequentissimè Crises fieri solent, pariter amittunt. Vt ergo dies septimus maiorem habet decernendi vim, quàm decimusquartus, ita dies quartus morbi, qui est septimi index, fortior est die morbi vndecimo, qui est decimiquarti index. Et sicuti decimusquartus fortior est vigesimo, ita vndecimus, qui est decimiquarti index, fortior est decimoseptimo, qui est index vigesimi. Post vigesimum diem, indices videntur suam amittere indicandi virtutem. Decrementum virtutis Criticæ dierum Radicalium, simulq; virtutis indicandi dierum indicum, enunciat Galenus lib. 1. de Crisibus cap. 18. vbi hæc habet: Age iam hoc die (id est, decimoseptimo) supponamus expuere pauca quidem, sed cocta; huic in die vigesimo possibile est aliquam aduenire Crisim, non tamen perfectam, ob talem causam, quoniam non eandem vim habent, neq; inter indices primi cum posterioribus, neq; primi decretorij dies cum vltimis decretorijs: at valentiores quidem primi sunt, in longum autem iam protracta ægritudine, imbecilliores redduntur.

Priores dies Indices securius, quàm posteriores Crisim prænidicant.

Post vigesimũ diem Indices euanescunt.

Quod futurum euentum, bonum, malumue, septimo die, quartus dies, instar speculatoris prænunciet, multis in locis docet Galenus. Libro autem 1. de Dieb. Decret. cap. 4. loquendo de septimo, ait: Et vtplurimum quartus eum (id est septimum) prænũciat: Nam, si vrinæ in illo planè, vel sputi, vel deiectionis, vel appetitûs, vel mentis, vel sensûs, vel alterius cuiusdam similis, manifesta contingit mutatio, illam (mutationem) vt non similis in septimo iudicatio comitatur, quomodo fieri possit? bona (scilicet iudicatio) si ad salutem; mala, si ad peiora portendat (id est, mutatio quarta die facta). Et paulò post idem Galenus ait: Etenim, qui in quarto die ad peiorem statum recidunt, pleriq; sexto moriuntur. Vnde cap. 5. sequenti libri 1. de Dieb. Decretor. quartum diem indicem statuit sexti, & septimi diei. Sextus autem Crisim, potissimùm malam, vtpotè malis Signis quarto die præindicatam, sibi non rarò arripit, nec ad septimum diem peruenire permittit. Sæua enim symptomata quarto die suscitata, mortem minantur, aut summum saltem vitæ periculum, die sexto, aut septimo. Eodem libro

Quartus id, quod septimo die futurum est prænũciat.

Quartus sexti index.

1. de

1. de Dieb. Decret.cap.8.quartum diem Contemplatorium in prima septimana, sicuti vndecimum in secunda, esse docet: Iterum ergo, inquit, protrahentes eundem ægrotum, quarto die Signum Decretorium habuisse ponamus, quemadmodum paulò supra de vndecimo statuimus, huic septimo die Crisis expectanda est. Contemplatorius enim in secunda septimana, vndecimus; in prima quartus: & indicare natus est, sicut vndecimus quartumdecimum, ita quartus septimum, qualisnam erit. Eodem lib.cap. 13. in quo de modo prædicendi futurum morbi euentum loquitur, etiam ait: Vt enim quartus septimi, sic vndecimus decimiquarti index est. Lib.1.de Cris. cap.18. vndecimũ decimiquarti, & decimumseptimum vigesimi diei indicem nominat. Libro 2. de Diebus Decretorijs cap.2. eandem doctrinam repetit. Libro 1. cit. de Dieb. Decret.cap.11.de quarto sequentia refert: Vbi siquidem morbus acutus nullum periculosum Signum referat, & quarto die euidens quædam concoctionis nota comparuerit, septimo Crisis futura est. Et paulò post ait: Nam periculosis symptomatis præsentibus, vnà cum aliqua concoctionis nota quarto die apparente, iudicium, si paribus diebus accessio fiat, sexto expectandum est, quòd si hunc excesserit, octauo: Si in imparibus, septimo: bonis Signis apparentibus, die septimo morbus discutietur: Etenim lethalia Signa cum notis concoctionis nunquam euenerint. Hæc autem non minùs, quàm periculosa, & salutaria, inspicienda sunt: quia, si quarto apparuerint, septimo aderit mors. Dictum autem est, hoc nominari Crisim malam. Animum hîc aduertas necesse est, lethalium Signorum, tum magnitudini, cùm copiæ. Si namque multa, magnaq; die quarto euenerint lethalia Signa, accessionibus distinguendum erit de morte futura: ad hæc, cognoscendum hominem sexto die moriturum esse, modò accessio diebus paribus facta sit: Si imparibus, septimo. Interdum sextus hominem iugulat, etiamsi accessio contigerit in imparibus propter morbi celeritatem, & magnitudinem, & symptomatum quarto die euenientium copiam. Quamobrem accidentium magnitudo, quæ ex potentia sumitur, exactè dignoscenda est. Verùm, quomodo hæc ab illa, quæ ab imaginatione æstimatur, distinguenda veniat, in libris de Cris. narratur. Omnia in omnibus confundere, & conturbare non oportet, sed, quantum ad dies tantùm decretorios propriè pertinet, huc

Vndecimus decimiquarti, & decimusseptimus vigesimi est Index.

Lethalia Signa, & Signa coctionis, simul esse nequeunt.

Quæ futuram mortem praeindicant.

transferendum est. Cùm enim accuratè admodum acutos morbos obseruassemus, quartum diem septimi esse indicem ex sua natura deprehendimus. Ex sua natura, inquam, hoc est, si nullum rarum, & magnum incidat, vel extrinsecùs, vel ex ipsa morbi conditione, vel etiam ægrotantis habitu, quartus omninò septimum indicat. Cæterùm, si quid extrinsecùs præter opinionem accidat, quo de postea mentionem facturi sumus: vel morbus vehementer, vel obscurè ad iudicium propellatur; & ægrotantis vires, aut validæ, aut imbelles extiterint: attendendum est, distinguendumque, æger periturusne sit ante diem septimum, an post hunc de ipso decernetur. Siquidem, vbi malum aliquod extrinsecùs præter spem euenerit, & morbus non simpliciter acutus, verùm peracutus sit: ad hæc vires ægri imbecillæ: Signum malum, quod in quarto die apparuit, septimum diem non expectat, verùm sexto æger huiusmodi morietur, præsertim si paribus diebus accessiones acceperit. Quòd si nihil extrinsecùs erratum sit, & morbi motus haud ita præceps, ac velox, & æger validus, si quidem manifestum in quarto die malum indicium fuit, septimo interitus comitabitur: Si verò obscurum, excedet hunc quoque. Iam verò, si accessiones, siue paroxysmi, paribus diebus cõtigerint, octauo; Si imparibus, nono æger decedet. Quæ porrò manifesta, quæ obscura iudicia vocitem, in libris de Crisibus exactiùs monstratum est: quinetiam in hoc libro, sermone procedente, indicaturi sumus: priùs autem ad reliquas distinctiones reuertor. Appareat enim euidenter bonum aliquod in quarto die Signum: & nullius periculi circa ægrotum sit suspicio: fieri non potest, quò minùs septimo die fiat iudicium, si nihil extrinsecùs peccatum fuerit. Quænam igitur sunt, quæ committuntur peccata? quædam sanè ab ipso ægroto videlicet, quædam à Medicis his admirandis, putantibus, si quis introgressus ad ægrum, deinde succingens se, vel cataplasma imposuerit; & reliqua, quæ in die tertio transtulimus, dum errores Crisim diebus verè Criticis impedientes exponeremus.

Quartus ex sua natura est septimi index.

Signa mortis futura die sexto.

Signa mortis futura die septimo.

Octauo, quandoque nono æger moritur.

Crisis salutaris Signa.

Quædam hoc 11. capite lib. 1. de Dieb. Decret. continentur, obscuritatem quandam inuoluentia; quæ ideò claritatem expolcunt. Nam, inquit Galenus, periculosis symptomatis præsentibus, vnà cum (aliqua) concoctionis nota, quarto die apparente, iudicium, si paribus diebus accessio fiat, sexto expectandum est; quòd si hunc exces-

excesserit, octauo: si in imparibus, septimo. Bonis Signis apparentibus, septimo die morbus discutietur: etenim lethalia Signa cum notis concoctionis nunquàm euenerint, &c. Sanè mirandum est, Galenum statuisse, Signa coctionis copulari periculosis symptomatibus, quæ mortem minantur: cùm tamen postea docuerit, lethalia Signa cum coctionis Signis nunquam coniungi: Et summa cum ratione: nam vbi in acutis febribus coctionis Signa in vrinis elucent, argumento sunt, naturam vicisse & superâsse morbum, morbique causam: in quo casu nulla ampliùs infestant periculosa symptomata, sed, si quæ præfuêre, mox deficiunt, atque euanescunt. Vnde Galenus libro 1. de Crisib. cap. 8. Signa coctionis à Signis decretorijs dirimens, inquit: Coctionis igitur Signa (sæpiùs enim quæ vtilia sunt, repetere conuenit) nunquam malè apparent: Decretoria autem, est, vbi malè apparent. Neq; enim in augmentis, neq; in principijs, sed in statibus illa apparere conuenit. Libro 3. de Crisibus cap. 5. de optima agens Crisi, ait: Cùm enim post Signa optima, atque exquisitam concoctionem factæ fuerint (Crises), necesse est, vt optimæ sint: quoniam & sola coctio Crisis celeritatem, & salubrem securitatem ostendit: neque enim vel animo concipi potest, quod post morbi exquisitam coctionem, Crisis mala sequatur. Ex Hippocratis libro 1. Epidem. transtulit verba illa, Coctio, Crisis celeritatem, & salubrem securitatem ostendit: secundùm quam sententiam lib. 3. de Crisib. cap. 3. sequentia scripsit: Primum quidem, & maximum inter omnia, est considerare coctiones ex vrinis, & alui excrementis, & sputaminibus: Siquidem ego millies, cùm, dum Crises fierent, interessem, neminem vnquàm vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus Crisim habuisset; & reliqua quæ sequuntur.

Signa coctionis nũquam malè apparẽt.

Signa decretoria, nisi in statu, malè apparent.

Nũquam Crisim malam vidit Galenus quoties præuisa sũt coctionis Signa.

Cùm experientiâ compertum fuerit, Signa coctionis salutem semper, atq; morbi breuitatem, portendere, vt post Hippocratem confirmat Galenus, quomodò vnà compatiuntur Signa coctionis, & Signa periculosa; atq; consequenter mala? Vt hanc difficultatem plenè diluamus, in memoriam reuocandus malorum Signorum census, de quo in Prognosticis, Prorrheticis, & Coacis Prænotionibus, ac Aphorismis Hippocrates. Galenus libro 1. de Crisib. cap. 14. triplicem constituit ordinem Signorum ad Prognosim manuducentium. Quorum quædam bona sunt, alia quidem mala.

Signa Prognostica triplicia.

Signa coctionis, & cruditatis. Primus Signorum Prognosticorum ordo est ille, qui Signa coctionis, & cruditatis comprehendit. Coctionis verò, & cruditatis Signa, sunt alui excrementa, sputamina, & vrinæ, prout hæc omnia vel cruda sunt, vel cocta. *Signa salutis, & mortis.* Secundus ordo, Signa complectitur Salutis, & Mortis dicta. Mortem autem, inquit Galenus, atq; salutem portendentia sunt, quæ vnà cum istis excernuntur, & quæ per totum apparent corpus, de quibus latiùs in libro Prognosticorum Hippocrates scribit. Tertius ordo continet Signa illa, quæ Critica, siue Decretoria communiter nuncupantur. *Signa decretoria.* Quod attinet ad Signa Coctionis, semper bona esse censentur. *Signa coctionis bona sunt, cruditatis mala.* Signa verò cruditatis, mala, quia vel longitudinem morbi, vel mortem, perseuerantia portendunt. Signa salutis, & mortis, sunt ea, quæ vnà cum Signis coctionis, & cruditatis excernuntur, & quæ in corporis habitu apparent. *Signa salutis.* Signa verò salutis in excrementis, sunt omnia coctionis indicia in ijsdem apparentia, debita quantitas, congruusq; excernendi modus, omni dolore, & molestiâ vacans; quibus tempestiuum tempus excernendi adijcere licet. *Signa mortis.* Lethalia verò, vel saltem mala in excretis Signa, sunt, in sputis viriditas, liuiditas, nigrities, flauities intensa, fætor, crassities, &c. In vrinis, fætor, albedo & splendor, ac tenuitas maxima: Nubecula nigra, aut suspensum, sedimentumue nigrum, liuidum, viride, farinæ crassiori hordei, aut furfuribus simile: In alui excrementis, viscidítas, liuiditas, nigrities, intensa flauities, candor intensus, colorum varietas: mala etiam sunt acria, adurentia, & vlcerantia excrementa, veluti pinguia: Spumosa similiter improbantur, veluti aquea. In habitu corporis, sudores frigidi, fætidiue, aut glutinosi, erumpentes, mali; sicuti parci, aut nimis liberales. Color croceus, aut niger, aut liuidus. Hæmorrhagia parca, aut multùm liberalis. Extremorum, vt manuum, pedumque, frigiditas. Facies Hippocratica. *Pessimum Signorum est virium imbecillitas.* Exitiosum tamen Signum, omniumq; pessimum, est virium imbecillitas, teste Galeno lib. 3. de Crisibus, cap. 10. Si enim relatas euacuationes prauas comitetur virium prostratio, de ægro actum est. Expiratio similiter frigida, lethalis semper est.

Decretoria nō decernentia aut mortalia, aut difficulter decernunt. Dictis Signis malis addere possumus Signa decretoria, non decernentia Hippocrati dicta lib. 2. Epidem. vbi de ijs sequentia pronunciauit: Decretoria, quæ non decernunt, quædam mortalia sunt, quædam verò difficulter decernunt. Signa porrò decretoria in vni-

uersum

uersum indifferentia sunt ad bonum, malumue exitum prænunciandum: nam modò vtiliter superuenire possunt, aliàs inutiliter. At cruditatis, & coctionis Signa semper stabilem habent propriam potestatem, siue statim in primo die, siue in sequentibus, apparuerint: vnumquodq; enim horum Signorum, vnum, atq; idem semper significat: vt, v.g. vrina, quæ benè colorata est, & albam, & læuem, & æqualem habet subsidentiam, coctionis est Signum: tenuis autem vrina, & quæ nullam subsidentiam habet, semper est cruditatis Signum. Et, quæ quidem coctionem significat, bona est semper; quæ verò cruditatem, non bona. Si tamen capitis dolorem, aut delirium, aut vertiginem tenebricosam, aut difficilem anhelitum, aut anxietatem, aut grauem somnum inspexeris, aut vigilias, aut temporum grauitatem, aut hallucinationes, aut faciei, & oculorum ruborem, aut lachrymarum inuoluntarium fluxum, aut inferioris labri agitationem, aut stomachi fastidium, aut nauseam, aut æstum, sitimue vehementem, aut oris ventriculi dolorem, aut difficilem decubitûs tolerantiam, aut hypochōdriorum retractum, siue potiùs tensionem citra dolorem; quæ omnia sunt solummodò Crisis Signa, nihil in his stabile, neque malum, neq; bonum poteris præcognoscere. Pari modo vomitus, ventris profluuium, vrinæ profluuium, sudores, hæmorrhagia, menstruæ purgationes, hæmorrhoidalis fluxus, parotis cæteriq; abscessus, quæ omnia sunt Signa decretoria, simul & causæ, boni quandoq; ominis sunt, quandoque mali. Omnia sanè hæc Signa, vt bona censeantur, debent apparere Signa coctionis in vrinis, aut sputis simul & vrinis, si malum possideat regionem pectoris, vti faciunt Peripneumonia, & Pleuritis; aut in alui excrementis & vrinis, si ventrem inferiorem malum occupet. Primum quidem, & maximum instantis bonæ Crisis indicium, sunt coctiones. Secundum autem, quod ab aliqua die indicatoria antea indicetur, cui annexa est diei iudicantis potentia; inquit Galenus lib. 3. de Crisib. cap. 3. Sine ergo Signis coctionis, Signa quæuis decretoria in ægris apparentia, bona non censenda, sed mala potiùs. Vnde Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 8. de ijs decretorijs Signis sequentia pronunciat: Etenim hæc, si absq; coctionis Signis apparuerint, sunt pessimarum dispositionum indicia. Eodem enim capite eadem decretoria Signa, quæ Signa simul sunt, & causæ, & quæ Signa tantùm causarum sunt, in statu superuenire

In vniuersum decretoria Signa, nec bona, nec mala.

Signum coctionis, & cruditatis certum quid indicat.

Signa decretoria simul, & causæ.

Maximũ instantis bonæ Crisis indicium sunt coctiones.

Secundum quod prædicetur.

Signa decretoria sine Signis coctionis mala.

 docet,

Signa decretoria in principio, & statu mala.

docet, quoties bonam spondent Crisim. Neque enim in augmentis, neq; in principijs, sed in statibus illa apparere conuenit, inquit Galenus. In principio autem vt appareant, non est proficuum; quia in principio morbi, humores morbum efficientes sunt crudi, nequaquam verò cocti. Signa verò coctionis, ne ipsa quidem inuadunt vnquam in primo statim morbi principio, inquit Galenus lib. 1. aphorism. Comment. 12. quam etiam sententiam ipse confirmat cap. 8. iam citato libri 1. de Crisibus. Signa ergo decretoria intempestiuè apparentia, causæ morbificæ acrimoniam, aut malignitatem, morbiue malum morem plenè patefaciunt.

Signa decretoria intempestiua, quid indicant.

Signum malum triplex.

His omnibus prænotis, aliquid ampliùs exponendum, vt rectè intelligatur Galeni textus aliquantisper obscurus. Signa ergo mala possunt esse simpliciter talia, & alia possunt esse his peiora, & in supremo gradu alia pessima. Simili modo coctionis Signa possunt esse bona, aut meliora, aut optima. Varia bonorum, malorumque Signorum, gradibus distinctorum, exempla, apud Hippocratem, & Galenum extant. Hic lib. 1. de Crisib. cap. 12. postquàm bonæ vrinæ conditiones exhibuit, de quibusdam à bonitate ad defectum declinantibus loquens, docet turbatam vrinam esse triplicem. Prima, est illa, quæ turbida redditur siue mingitur, paulò post tamen residet: id est, humores, qui cum vrina confusi erant, turbationemque causabant, modico tempore post mictionem, à liquore, siue ipsâ vrinâ, separantur, & ad matulæ fundum, vbi rursus quiescunt, præcipitantur: Inde vrina claritatem acquirit in sua substantia. Secunda species vrinæ turbidæ, est illa, quæ turbida redditur, siue mingitur, & turbida semper in matula permanet. Tertia species vrinæ perturbatæ, est illa, quæ clara, & pura mingitur, postea verò conturbatur. Praua quidem ex dictis (inquit Galenus) tertia: mitis autem prima: media verò inter vtramq; secunda. Quoniam quæ statim residet vrina, id est, quæ statim confusos humores ad fundum deposuit, parum aliquid inæqualis turbulentiæ in sanguine superesse demonstrat: quæ verò vrina turbida semper manet sibi similis, vigere adhuc, quæ est in sanguine, agitationem à feruore nimio ortam, ostendit: quæ verò vrina extra corpus conturbatur, cùm clara redderetur, debet incipere concoqui (vel, vt alia versio habet; nondum concoqui incæpit) quare optimo iure ea pessima est; nam & longiori tempore, & virtute, siue facultate concoctrice

Turbata vrina triplex.

Quæ inter tres turbidas pessima, & quæ minus mala.

forti

forti indiget ad coctionem. Sed quæ turbulenta mingitur, statimq; subsidentiam bonam habet, morbum, seu potiùs morbificam causam, haud ita multò post concoquendum significat; atq; idcircò mitior est. Medio autem loco se habet secunda vrina, quæ nimirum turbida mingitur, & turbida perseuerat: nam eadem, vt quæ vigente fit conturbatione humorum in vasis à febrili calore orta, quantum malitiâ superatur ab ea, quæ clara micta rursùs conturbatur, tantum superat eam, quæ turbida micta paulò post clarescit, propter confusorum humorum ad matulæ fundum depositionem. Quæ verò vrina ad summum incocta est, id est, quæ summè cruda est, modò dictas omnes vrinæ differentias malitiâ longè vincit: Est autem hæc exquisitè aquosa; nam non incipit concoqui, sicuti inchoat turbulenta vrina; neque est in spe, vt concoqui debeat, sicuti est vrina, quæ clara redditur, & paulò post perturbatur: sed est velut desperatæ coctionis. Huiusmodi aquosa vrina venosi generis imbecillitatem arguit. Venæ enim, sed præcipuè hepatis, adeo cruditate laborant, vt earum affectus, dum vrina præfata aquea excernitur, talis censeatur, qualis est in ventriculo extrema ipsa cruditas. Quoties verò statim à potu istiusmodi vrina ad vesicam vsque transcurrit, & extemplò extra corpus effluit, affectum parit, qui hydrops in matellam à quibusdam, ab alijs Diabete, à quodam alio antiquo Medico, inquit Galenus, Profluuium in vrinas, appellatur. Hæc igitur passio (id est Diabete) inquit Galenus, talis est, qualis circa aluum læuitas intestinorum, mortificatio (vt diceret quispiam) vtriusq; virtutis, & retentricis, & alteratricis, siue concoctricis: & hæc inter omnes vrinas crudas pessima est. Est & alia vrina tenuis, eaq; aquosa, sed vino albo prætenui similis, quæ non ita citò excernitur ac præcedens: & quoniam tantillum ichoris à rufa bile suscipit, non ita mala est, ac modò descripta. Concoctricis enim, sed non retentricis imbecillitatem arguit: modò autem descripta vrina vtriusq; facultatis imbecillitatem.

Vrina exquisitè aquosa summè cruda est.

Vt alimenta cruda deiecta ventriculi magnam indicant cruditatẽ, sic vrina extremè cruda in Diabete vasorũ imbecillitatẽ indicat.

Vrina tenuis duplex est.

Ex his habemus, dari varios Signorum malorum gradus, quorum quidam malitiâ longè alios excedunt. Idem, quod de his, statuendum de Signis coctionis: Nam quædam sunt leuis coctionis indicia, quædam mediocris, & quædam perfectæ; vt apud Galenum varijs in locis videre licet. Libro autem 1. de Crisibus, cap. 17. sequentia scripsit: Perfecta igitur coctio est, quando in vrinis

Tres gradus coctionis in vrinis.

Vrina perfectè cocta.

sub-

Vrina leuiter cocta. subſederit aliquid album, & læue, æquale, & continuum. Debilis autem coctio eſt, quando ex aquoſa, mediocriter ſubpallida facta fuerit. Et quidem ſi turbulenta apparuerit, & talis permanſerit, hæc quoq; obſcuræ, & debilis coctionis eſt Signum: & rufa etiam, ac tenuis, ex eodem genere eſt. Sed nihil horum iam principium morbi eſſe finitum oſtendit. Vt enim vrinæ nobis demonſtrent principium morbi tranſijſſe, eundemque morbum in augmento eſſe, manifeſtiora coctionis Signa habere debent: vt ſolam nebulam albam, aut ſuſpenſum ſiue ſublimamentum, æquale, continuum, & album: aut ſaltem nebula rubea apparere debet, vel ſubſidentia, ſiue ſedimentum rubeum; vel ſi nullum adfuerit contentum in vrinis, vrina ipſa debet eſſe benè colorata, & mediocris craſſitici. Quod de vrinis dictum eſt, idem proportione ſeruatâ, de ſputo, & ijs, quæ per aluum excernuntur, dicendum. Tuſſire autem, & nihil expuere in Pleuritide v. g. aſſimilatur vrinæ extremè crudæ, quam aqueam Galenus appellauit. Liuidum verò, & crudum ſputum rursùs excretum, imbellis coctionis rudimentum eſt, & morbi principium nondum præterijſſe ſignificat. Sputum paucum, & coctum (quod videlicet eſt album, & mediocris conſiſtentiæ) morbi augmentum indicat: copioſum & coctum, ſtatum.

Vrina mediocriter cocta.

Tuſſis cruda quid.

Sputum leuiter coctum.

Sputum.

Modò reuertamur ad expoſitionem textûs Capitis 11. lib. 1. de Dieb. Decret. in quo Galenus dixit, ſi quarto die periculoſa ſymptomata, ſimul & coctionis nota, appareant, Criſim ſuperuenturam ſexto die, ſi acceſſiones paribus diebus fiât: vel ſi ſextum diem præterierit, futuram iri die octauo: Si autem imparibus diebus acceſſiones fiant, die ſeptimo Criſim expectandam. Dicendum, exiſtimo, Galeni doctrinam eſſe veriſſimam; Signa nimirum coctionis, & periculoſa ſymptomata, quarto die ſimul coire poſſe. Sed cùm periculoſa ſymptomata poſſint eſſe ſimpliciter talia, aut magis periculoſa, aut periculoſiſſima, ſciendum eſt, Signa coctionis, & ſymptomata ſimpliciter mala, poſſe eſſe ſimul. Verùm Signa coctionis, vt cum Galeno diximus, vel ſunt leuia & ſimpliciter talia, vel meliora, vel optima. Ex his, leuia coctionis Signa ſunt, quæ vnà cum periculoſis ſymptomatibus quarto die conuenire poſſunt. Recentiores Interpretes hæc expoſitio non latuit. Nam in Codice Veneto Galeni contextus continet per parentheſim, particulam (aliqua) quæ in Codice Baſilienſi non reperitur: Textus enim ſic ſcri-

Leuia coctionis rudimenta, cũ periculoſis ſymptomatibus eſſe poſſũt: Perfecta coctionis Signa nunquam.

ſcribitur: Nam periculoſis ſymptomatis præſentibus vnà cum (aliqua) coctionis nota, &c. Poteſt ergo vrina tenuis, & tantiſper pallida, comitari periculoſa ſymptomata: poteſt pariter vrina, quæ turbida redditur, & turbida manet, ſimul cum prauis ſymptomatibus die indice apparere. Dictæ autem vrinæ obſcurum coctionis rudimentum habent; vt Galenus paulò ante citatus, docuit cap. 17. lib. 1. de Criſibus. Et ſanè, multorum damno, millies obſeruauimus, turbidam vrinam, ita perſeuerantem cum exitioſis copulari ſymptomatibus in ardentibus febribus. *Vrina turbida.*

Dixit ergo Galenus, quoties aliqua coctionis nota, & periculoſa apparent ſymptomata die quarto, Criſim expectandam die ſexto, ſi diebus paribus fiant paroxyſmi ſiue acceſſiones; quia die ſexto acceſſio de nouo superuenire debet, cùm par ſit: vel ſi non ſexto die, ſaltem octauo, quia etiam dies par eſt. Criſes verò in ipſis morbi acceſſionibus fieri conſueuerunt, vt docuit Hippocrates lib. 1. Epidem. inquiens, eodem die, quo acceſſiones ſiue exacerbationes accedunt, Criſes fieri; quod ſcripſit etiam Galenus lib. 3. de Criſib. cap. 3. & alibi, vti in ſuperioribus nos amplè expoſuimus. Hippocrates idipſum indicauit lib. 3. Epid. ſect. 3. vbi de ijs, qui ardente febre laborabant, agens, ait: Acceſſiones plerique diebus paribus habebant; quod ſanè rarum eſſe docet Galenus in Commentario; quia, inquit, febres ardentes, adeòq; omnes alij morbi acuti, vt hæ, diebus imparibus exacerbantur. Et quamquàm Galenus nihil præterea inibi dixit, ratio in promptu eſt, cur ardentes diebus imparibus potiùs, quàm paribus, exacerbentur; quia ſcilicet ab humore bilioſo vera ardens generatur, qui humor tertio quoq; die commouetur, & paroxyſmum efficit. Dixit præterea Galenus, die ſeptimo Criſim ſuperuenturam, ſi diebus imparibus exacerbationes repetere ſolent: quæ doctrina nulla eget inueſtigatione. *Diebus paribus in ardentibus fiebat acceſſio.* *Humor bilioſus tertio quoque die mouetur, & paroxyſmum facit.*

Monuit Galenus in contextu, Criſim ſalutarem ſeptimo expectandam, ſi ſalutaria adfuerint Signa: quæ doctrina de ſexto, & octauo pariter die intelligenda venit. At quomodò ſeptimo die (idem de ſexto, & octauo dicendum) per Criſim morbus diſcuti, aut ſolui poteſt, ſi periculoſa ſymptomata die quarto apparuêre? Reſponſum antea dedi Signa illa nō fuiſſe valdè periculoſa; adeoque ea potuiſſe deſijſſe à quarto die ad ſeptimum, & coctionem interea auctam fuiſſe ſuperante naturâ morbificam cauſam. Quòd ſi *Dubio occurritur.*

ex aduerso coctionis rudimentum, quod die quarto apparere incæpit, euanuerit, & periculosa symptomata, in valdè periculosa, siue ad.nodum periculosa, siue ὀλέθρια, id est, lethalia, & exitiosa ac copiosa degenerent, æger dubio procul morietur die septimo, aut ante, id est die sexto, qui septimi diei Crisim, etiam in morbis, qui imparibus diebus exacerbantur, præripit: Rectè autem Galenus inquit, lethalia Signa, quæ κινδυνώδη, & ὀλέθρια, appellantur, nunquam cum Signis coctionis concurrere: benè tamen Signa periculosa simpliciter; in quo casu, si leuia fuerint coctionis Signa, morbus vtplurimùm præualet, & die critico, vt quarto, aut septimo, aut reliquis dum apparent, adesse dicuntur Signa decretoria non decernentia. Si verò probæ coctionis Signa cum istis simpliciter periculosis adfuerint, salutaris expectanda Crisis: Nam Signum vnum forte multis debilibus fidelius est; vt docet Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 13. Signum verò optimæ coctionis salutarem spondet Crisim, quidquid minentur delirium, anxietas, aliaq; Signa decretoria, quæ tunc non aliam, quàm apparentem induunt malitiam.

Signa bonæ coctionis, & lethalia nūquam simul esse possunt.

Signum vnum forte multis debilibus præualet.

Dubium.

Sed in admirationem prouocabit aliquem, id, quod à Galeno in contextu prolatum est, non minori sedulitate perpendenda esse concoctionis Signa, quàm periculosa, & salutaria: quia, inquit, si quarto die apparuerint, septimo mors aderit. Hæc, inquam, doctrina mira est, cùm Hippocrates contrarium docuerit lib. 4. aphorism. 71. inquiens, spem esse futuræ Crisis die septimo, quoties die quarto nubecula rubea in vrina præapparuit. Et Galenus ipse in Comment. scripsit: Solis enim coctionis Signis in diebus contemplabilibus apparentibus, bonæ futuræ iudicationes indicantur.

Solutio.

Respondendum, Galenum Hippocrati nō esse aduersum: Nam quando Hippocrates dixit, Crisim expectādam die septimo, quando die quarto nubecula rubra in vrina præuisa est, non intellexit, vnà cum tali vrina periculosa adesse symptomata, sed salutaria potiùs, siue mitia Signa. Si verò coctionis debilia rudimenta quarto die inchoant, cùm præcedentibus diebus nulla coctionis vmbra visa fuerit, & vnà consurgant lethalia symptomata, aut perseuerent, quæ ante quartum diem superuenere exitiosa Signa, eaque copiosa, in foribus, id est, die quinto, sexto, vel septimo, mors est. Et hoc, inquit Galenus, malum iudicium dicitur.

Optimè autem in contextu docuit Galenus, non minoris considera-

derationis esse Signa coctionis, quàm Signa periculosa, & salutaria. Nam sicuti Signa periculosa, & salutaria, in varios gradus distinguuntur, ita & coctionis Signa. Vires autem, siue potentiam, siue virtutem, cuiusuis Signi, tam periculosi, quàm salutaris, & concoctionis præcipuè, minutim, & exactissimè Medicus prædicere cupiens, tam salutarem, quàm lethalem, morbi exitum, ac statūs, aliorumq; morbi temporum durationem, examinare debet. Id non solùm Galenus commendauit, cùm hoc capite 11. lib. 1. de Dieb. Decret. tùm cap. 13. libri 1. de Crisib. sed diligenter obseruauit; vt constat ex doctrina modò allata, quando dixit, debilia Signa concoctionis, quarto die, & non ante, apparentia vnà cum copiosis & lethalibus Signis, mortem die septimo prænunciare.

Vis, siue potestas Signorum minutim perpendi debet.

Prudenter præterea commendat obseruandam diligenter esse, cùm magnitudinem, tum copiam siue numerum lethalium Signorum: nam si multa, & magna Signa lethalia die quarto apparuerint, & morbus celeriter moueatur, die sexto Crisis superueniet, aut saltem septimo; si in minori fuerint numero, si non adeò magna, si motus morbi non sit adeo celer, vlteriùs protrahetur morbus, & non tam citò hominem iugulabit.

Signorum magnitudo, numerus & morbi motus minutim considerari debent.

Plurimùm ergo refert, accidẽtium siue symptomatum magnitudinem, quæ ex potentia sumitur, exactè dignoscere, vt in contextu monuit Galenus. Magnitudo symptomatum, quæ ex potẽtia sumitur, nihil aliud est, quàm potentiam, seu vires, seu naturam, cuiuscunque symptomatis accuratè perpendere, & intelligere. Nã potẽtia, siue vis, siue virtus, siue robur, aut natura vniuscuiusq; symptomatis, est id, vnde vnũquodq; symptoma, aut leue, aut graue, aut grauissimũ nuncupatur, & consequẽter magnũ, maius, & maximũ.

Potentia, siue robur symptomatum examinari debet.

Magnitudo symptomatum antequàm sensu à nobis in morbis percipiatur, per modum Theorici præcepti, in gradus varios operâ imaginationis & intellectûs, diuidi debet. Hos gradus mente conceptos, gradibus symptomatum sensu ipso comprehensis, facilè adaptamus. Incidimus enim quandoque in ægros quosdam, in quibus maxima elucent symptomata, qualia antea mente concipiebamus. Necessitatem accuratè examinandi vim cuiusq; Signi, aut symptomatis, latè narrat Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 13. (sicuti lib. 3. cap. 10.) hac serie: Idcirco necessarium est Signi cuiusq; naturam exquisitè considerare, si quis rectè vult præcognoscere, vt ex

vi vniuscuiusq; praecognitionem faciat. Neque enim quæ plurima sunt, illa omninò paucioribus sunt potentiora: sæpè .n. Signum vnum forte multis debilibus fidelius existit. Hæc igitur etiam admirabilis dicebat Hippocrates in libro Prognosticorum Sect. 3. tex. 37. Signa oportet ediscentem omnia, iudicare vires eorum inuicem comparantem. Quare & rationabiliter secundùm vires eorum tradit disciplinam, non simpliciter, deinceps bona Signa connumerans: deinde rursùs mala, annotans autem in appellationibus vniuscuiusque naturam, perniciosum & graue nominans, & grauius, & grauissimum, & minus graue, & magis graue: sic & prauum, & prauius, & prauissimum, & mortiferum quoque, per Iouem, & malum simpliciter, nonnunquàm verò, valdè, adijciens vtriq; Signorum generi, & ijs quæ nunc dicta sunt praua, & ijs, quæ bonum aliquod ostendunt. Nam & in illis hoc quidem optimum dicit, hoc verò minus. Tale verò est & quod dicit (bonum) valdè (&) magnam habere vim ad salutem. Nonnunquam verò nihil ex his addens, quod temporis indiciū erit, & longæ solutionis meminit, nobis, vt arbitror, de hisce omnibus ratiocinādum relinquens, quæ neq; omninò praua sunt, neq; penitùs extra periculum, sed cum quidem forti salutaria: cum debili autem periculosa. Hæc igitur non solùm legenda sunt in Hippocratis libris, sed & memoranda sæpius, atq; obseruanda in ægrotantibus. Nam ex continua inspectione exquisitam eorum potestatis habemus notitiam. Semper autem mente reuoluere oportet, ac considerare, quænam sunt Signa optima, quæ pessima, & quæ in medio confinio horum veluti gradus quosdam habentia, nonnulla quidem optimis, nonnulla verò deterrimis proximiora: & quæ quidem minùs, quæ verò magis sint proximiora, vel remotiora (Codex Basiliensis non Leonicenum, nec manuscriptos Codices sequitur: Vnde post particulam, magis, habet sequentia: eò quòd alternatim modò propè illa, modò procul reperta sunt.): & quænam exquisitè media ponenda sint, inter bona, & mala Signa. Deinde considerandum, quænam semper mala sint, & quæ continuò bona: & quænam in totius morbi temporibus permutentur, cùm aliquando bona fiant, aliquando mala, & nonnunquàm fida, nonnunquàm verò infida. Etenim hoc ab Hippocrate dictum est admiratione dignum (lib. 2. aphorism. 27.): Quod ijs, quæ non secundùm rationem leuant, non opor-

Signi cuiusuis natura exactè examinanda.

Varij gradus Signorum.

Signa neutra.

oportet credere, neq; vereri valde mala, quæ venerunt contra rationem. Quod nisi quis nouerit, nequaquàm poterit manifestè præcognoscere: sed aliquando instante Crisi nihil à vulgari quopiam differre videbitur, sed simul perturbabitur, ac compauescet de futuris: nonnunquàm verò existimans liberatum esse à morbo ægrotantem, atq; ei victûs libertatem permittens, magni alicuius mali occasionem afferet: Omninò autem malè victum instituet, futurum morbi statum non præcognoscens. Nisi quis enim ad hunc respiciens statum, ab initio victûs modum adhibuerit, fieri non potest, quin magnum malum aliquod ægrotanti afferat.

Status morbi prænoscendus, vt rectè victus statuatur.

Ex Hippocrate hanc de Signis animaduersionem sedulò exhausit Galenus; quia, vt ipse versùs principium citati cap. 13. docuit, nullum datur vnicum Signum ita fidele, quod possit exquisitè ostendere futura morborum tempora: In dicto autem Capite Galeni scopus est, Signorum naturam exactè examinare, vt vigorem siue statum morbi, simul & reliqua eiusdem morbi tempora, præsentiamus prænoscamusque. Nam ex præcognitione futuri statûs morbi pendet rectus modus præscribendi victum, vt varijs in locis, sed potissimùm lib. 1. aphorismor. cum Hippocrate, docet Galenus. Libro 10. Methodi, cap. 5. Galenus sequentia scripsit: Sunto igitur tibi à primo statim die in omni ægro spectanda duo illa, quæ Hippocrates iussit, à quibus cibandi consilia petas, morbi summus vigor, & ægrotantis vires. Postea si transiri summum incrementum sine omni cibo potest, in cibi abstinentia hominem seruabis: Sin exiguum adminiculum requirat, abundè erit sola mulsa: quod si maius desiderat, quàm sit ex mulsa, ptisanæ cremor satis erit. At si fas non est summum morbi incrementum, aut tenui victu, aut inediâ, transmitti, id agendum, vt homo statim in primæ accessionis inclinatione cibetur. Aliquos verò (sicco & calido temperamento præditos, qui ex Solis ardore, inediâ, & laboribus, febrem contraxerunt), vt dictum est, & cùm inuasura adhuc est, & cùm incipit accessio, cibabis. Sint porrò hi sicco temperamento, ac calido, aut à primo ortu, aut certè illo tempore, oportet: tum viribus necessariò imbecillis: neq; enim fieri potest, vt abundè siccum calidumq; corpus, cùm febricitet, viribus sit valentibus.

Cur Signorum symptomatumue vires sedulò inuestigātur.

Duo capita ex quibus ordo cibādi desumitur.

In declinatione accessionis, imò ī principio, quādoque cibandum.

Sicuti igitur, vt ad rem redeam, non reperitur vnum Signum adeò fidum & certum, quod nobis morbi tempora, & varios casus

in ijſdem contingentes temporibus, præoſtendit, ſimiliter nec inueniri poteſt vna congeries, aut concurſus Signorum ab experientia deſumptus, quem Empirici συνδρομὴν appellant, qui valeat nobis rem futuram præmonſtrare: quia ſi ad hunc concurſum recurreretur, tot fierent Signorum concurſus, vt Empiricorum nemo eos numerare, aut obſeruare, aut memoria complecti poſſet. Quòd autem non detur vnum Signum adeò fidum, quod nobis futura morbi tempora, eorundemq; temporum ſymptomata varia prænunciare poſſit, patet ex eo, quòd nondum à quopiam tale Signum inuentum fuerit, propterea, quòd Signum nullum tam diuerſa prędicare valeat. Si verò conſimile ab Antiquis repertum eſſet, non dixiſſet ſtatim in principio libri 1. Aphoriſmorum, Hippocrates, Artem eſſe longam. Quæ quidem propter dignoſcendi, & prænoſcendi difficultatem potiſſimùm longa eſt. Debet ergo ille, qui futura prænoſcere cupit, Signorum vires, ſiue potentiam, aut naturam, diligenter ſcrutari, vti in Prognoſticis fecit, & docuit Hippocrates; qui quidem non ſimpliciter Signorum doctrinam ibidem inſtituit, quaſi ordine quodam, & diſtincta ſerie, primùm bona Signa, & deinde his oppoſita mala Signa enumerans, ſed vtrorumque potiùs Signorum, tam bonorum ſcilicet, quàm malorum vires inter ſe exactiſſimè confert, eaſdemq; vires congruis dimetiens vocabulis, hoc Signum pernicioſum, illud Signum graue, alterum grauius, aliud grauiſſimum appellat, vti in contextu latè Galenus enarrat. Interdum verò vtrique generi Signorum, tam bonorum ſcilicet, quàm malorum, adijcit particulam, valdè; hoc ſcilicet Signum valde bonum appellans, illud Signum valdè malum nuncupans. Exemplum manifeſtum extat Sect. 1. Prognoſtic. tex. 28. vbi ſpirationis facilitatem, valdè magnam ad ſalutem vim habere dixit. Interdum verò, inquit Galenus, nihil horum adijciens Hippocrates: id eſt, neq; bonum, aut malum, neq; valdè bonum, aut valdè malum, quod temporis, id eſt diuturnitatis, & longæ ſolutionis morbi Signum ſit, meminit etiam in ijſdem Prognoſticis Sect. 2. tex. 27. inquiens: *Si vrina fuerit ſubrubra, ac ſubſidentiam ſubrubram & læuem habuerit, diuturnior morbus, quàm prior, ſed admodùm ſalutaris.* Quando itaq; nullam Signi notam, vt bonum, malum, valdè bonum, valdè malum, aut quid ſimile, ſuæ dictioni addit Hippocrates, nobis indicare videtur, dicta Signa quæ diu-

Syndrome.

Signum vnum iam varia indicare nequit: Ergo plura examinanda ſunt.

Cur ars longa.

In acutis febribus reſpiratio libera, eſt valde bonũ Signũ.

Vrina ſubrubra, aut ſubrubram habens ſubſidentiam ſalutaris.

Signa neutra, quandò bona, quandò mala.

diuturnitatem solutionis morbi significant, absolutè non prænunciare bonum, neq; malum: sed quoties vnà cum facultate valida, siue viribus robustis, adfuerint, bona Signa æstimanda: cum viribus verò imbellibus, mala Signa.

Post hæc hortatur Galenus Medicos, vt quæ de Signis dicta sunt, frequenter legant, imò memoriæ mandent, & in ægris sæpè obseruent, vt ex frequenti, siue crebra inspectione exquisitam virium eorundem Signorum notitiam adipiscantur. Semper verò animo reuoluere, ac considerare oportet, quænam sint optima Signa, quæ verò pessima, & quæ in horum medio sita sunt: quoniam ex hoc triplici Signorum genere, tanquàm ex præcipuis fontibus, futura prædicere solemus. Optima autem, & pessima Signa, clariùs, quàm intermedia, prænunciant futura: Intermedia ergo attento studio semper contemplanda: quia hæc varios constituunt gradus, siue ordines, inter optima, & pessima Signa. Vnde quædam horum intermediorum optimis Signis proxima sunt adeò, vt bona Signa dici mereantur: alia verò paulò remotiora ab optimis, minùs bona censenda: & his remotiora, multò minùs bona. Similiter alij Signorum ordines iuxta aliud extremum, id est propè pessima Signa constituendi: nam quæ Signa pessimis proximiora sunt, mala sanè dici debent, vel minùs pessima: quæ verò his remotiora sunt à pessimis, adhuc mala sunt, sed minùs mala quàm præcedentia, quæ pessimis proxima collocauimus. Quæ verò à pessimis magis remota sunt, quàm quę iam vltimo loco retulimus, multò minùs mala sunt. Nonnulla verò Signa visuntur, quæ media exquisitè censentur inter optima, & pessima, quæ ideò absolutè dici nequeunt bona, aut mala, sed veluti neutra. Rursùs Galenus consideranda esse monet illa Signa, quæ semper mala sunt, & quæ semper bona. Sanè exteriora in ardentibus febribus continuò algere, & interiora aduri, cum vrgentia sitis, semper malum Signum censeri debet, sicuti expiratio frigida. Signa verò coctionis semper bona sunt. Deinde examinanda Signa, in mutationibus temporum morbi orta, quæ quandoque bona, interdum mala esse possunt: cuius rei gratiâ Hippocrates lib. 2. aphorism. 27. sequentia pronunciauit: His, quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere: neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neq; multum durare, & permanere

Studium Signorum commēdat Galen.

Varij Signorū gradus inter optima, & pessima obseruandi.

Signa media exquisitè.

Signa semper bona, & alia sēper mala, obseruanda.

Instabilibus non fidendum.

manere

manere consueuere. Galenus in Commentario hanc doctrinam, vt sequitur, exponit: Cùm morbus inuadit vehemens, & mox subitò quiescit, non modò per sudorem, aut vomitum, aut alui excretionem, aut profluuium sanguinis, corpore non euacuato, sed ne viso quidem Signo coctionis, existimãdum est Signum infidum, talem quietem esse: sicuti etiam si quis præter rationem spiret difficulter, vel deliret, vel febricitet vehementiùs, vel magno rigore corripiatur: nam & hæc quoq; firmitatem non habent: tantùmq; abest, vt malum aliquod significent, vt nonnunquam bonum iudicium haud ita multò post futurum enuncient. In aphorismo quidem Hippocrates loquutus est præcipuè de Signis, quæ modò bona sunt, modò mala. Dum ergo magnus siue vehemens morbus aliquem inuadit, & post aliquod tempus vehementiam deponit, remissis nimirum sæuis symptomatibus, quæ morbi vehementiam augebant, fouebantque, & ægrum infestabant, ignarus Medicus, more Idiotarum, illicò naturæ triumphum contra morbum decantat, cùm tamen tum lateat anguis in herba, vt in parœmia est. Nam licèt symptomata quieuerint, & mitiora facta sint omnia, nihil adhuc tutum est, cùm causa morbifica nondum euacuata fuerit, sudoribus, aut vomitu, aut hæmorrhagiâ, aut alui profluuio, aut profluuio vrinæ, aut hæmorrhoidali, aut menstruali fluxu. Quies ergo illa sæuiorum symptomatum tempestati succedens, infida est, & nullatenùs tuta: quoniã impossibile est morbum discuti, indiscussâ, & remanente causâ. Sicuti ergo præter omnem rationem est, cessationi dictorum symptomatum confidere, similiter præter rationem est formidare difficilem respirationem, delirium, inquietudinem, rigorem, aliaque consimilia symptòmata, veluti inopinatò, superuenientia, dummodò adfuerint bonæ coctionis Signa. Signa enim illa, quæ timebantur tunc, innoxia sunt, & bonæ Crisis prænuncia. Rigor autem ardentibus febribus superueniens, dummodò viribus constet æger, & quædam coctionis indicia adfuerint, indicium est mox futuræ solutionis morbi per sudores, qui eundem rigorem consequuntur. Si verò febricitans imbellis fuerit, talis rigor superueniens pessimus est. Si deniq; delirium, respirandi difficultas, & consimilia symptomata in principio morbi, aut in augmento, aut in ipso morbi statu superueniant, nondum apparentibus coctionis Signis, mala Signa censentur. Quædam ergo Signa modò mala, modò

Signa quædam modò bona, modò mala deprehenduntur.

Veluti ficta symptomatum cessatio, mala.

Symptomata præter rationem apparentia, non metuenda.

Rigor imbelli superueniens pessimus.

modò bona esse possunt;& quædam modò fida,modò infida. Cessatio enim symptomatum post bonam euacuationem Criticam, est fidum Signum, nullâ verò præcedente euacuatione debitè factâ, infidum Signum.

Fida, & infida Signa.

Libro 1. Prorrheticorum Sect. 2. textu 17. repetit quod in aphorismo dixit Hippocrates, inquiens: Perniciosa sine Signis leuantia, mortem indicant. Galenus in Commentario ait: Sine Signis, inquit, vel excretionis, vel concoctionis: non autem aliud docet, quàm vniuersale illud in aphorismis ita scriptũ: Quæ non ex ratione leuant, his fidendum non est: nec valdè formidanda, mala, quæ præter rationem eueniunt. Præsens siquidem dictio ab vniuersali recedens, eorum quæ vniuersali subiecta sunt quippiam edocet: de perniciosis siquidem duntaxat pronunciat, non de prauis omnibus: neq; enim prorsùs, quicquid prauum fuerit, mox idem perniciosum existit. Demonstrauimus siquidem in Prognostico, malorum Signorum differentias non paucas dictas esse, in quibus Hippocratem ipsum ex nominum propriorum adiectione, magnitudinem horum indicare ostendimus. De prauis igitur simpliciter, & non perniciosis, nosse id duntaxat satis est, non esse his fidendum, si absque Signis desierint: redibunt siquidem, sed non tollent hominem. Quæ verò eò prauitatis deuenerunt, vt & inter pernitiosa censeantur, quòd hæc quidem mediocriter prauis infida magis sint, nequeantq; securè, & cum fiducia sine manifestis Signis sedari, in libris de Iudicationibus est latissimè à me demõstratum. Nempe vbi talia tractu temporis læsionem habitualem indissolubilemq; confecerint, reuertentur pro malitiæ suæ magnitudine, periculi magnitudinem afferentes. Nam causæ aliquæ eorum, quæ in corpore procreantur, potentiâ virtuteque, tum virus rabidorum canum, tum lethalia ea medicamenta repræsentant, quæ etsi in affecto loco nullum protinùs, quod notabile sit, pariant symptoma, post quatuor tamen, vel sex menses, vel longinquiorem temporis vsuram, hominem perimunt. Scimus autem nonnullos, & à cane rabido morsos, qui postea tum aquas formidauerunt, tum à morsûs initio post duos, vel tres, vel quatuor, vel multò plures menses, interierunt. Noui sanè & quendam, qui exacto anno eam incurrit affectionẽ, quam ὑδροφόβων, id est aquæ timorem, vocant. De quo Medicis omnibus summa in solidis animalis partibus siccitas esse vide-

Omnia praua Signa non sunt perniciosa.

Praua simpliciter symptomata, si redeant, hominem nõ tollent.

Perniciosá symptomata sine euacuatione cessantia, sunt Signa infida.

Morsus canis rabidi, & quædã assumpta venena, etsi nulla statim appareant symptomata, paulatim enecant.

Hydrophobi.

debatur: atque vnà adaucta naturalis caliditas, in igneam conuersa. Affectionem hanc caninum virus parit longo tempore, paulatimque, atque ob id immedicabilior existit, quòd partium solidarum substantia in aliam transeat conditionem, veluti in vitiliginibus, leucis appellatis, fieri consueuit: nempè & altiùs descendit hæc præter naturam affectio. Cùm autem hæc alterent quidem solida corpora, sed nondum alterauerunt, simul vt vacuata sunt, solidorum quoque alteratio cessat: interdumque die vno, interdum verò citiùs etiam ad naturalem redeunt habitum. Nempè cum affectio fit, & nondum facta est, breuiter, separatâ efficiente ipsam causâ, sedatur: si verò completa ea fuerit, etiamsi euacuata fuerint, quæ affectionem procreauerint humida, nihil in sanatione rationis ampliùs existit. Simile quippiam in lignis ipsis contingit, quæ proximè mediocrem ignem sunt apposita, calefiunt siquidem valdè, sed nondum inuruntur: quæ si priùs ab igne separaueris, quàm accendi inuriq; incipiant, celeriter contractam caliditatem exuunt, deponuntque: si verò tantùm in se exceperint, vt inuri incipiant, etiamsi ab igne tollantur, nihil minùs inuruntur. Quòd si lignum humidum in ignem eundem conijciatur, non protinùs accenditur, vt si vel stuppam, vel calamum siccum, vel ellychnium conieceris; etsi post paulò lignum huiusmodi sustuleris, breui post interuallo deponet eam, quam ab igne contraxerat, alterationem. Non est igitur absurdum, vt talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est & rabientium canum, & tractu temporis longiore corrumpentium medicamentorum, ita, vt plerosq; Medicos lateant: quomodò in eo, qui ob lassitudinem, vt videbatur, maximè modicam, febrijt, qui post quartum diem vrinam secreuit, substantiâ quidem tenuem, sed colore nigram, vt in vtroq; eam quæ ex pauco atramento scriptorio aquæ multæ diluto consurgit, misturam repræsentaret: Atque modo alio si non atramentum ipsum dilutum intellexerimus, certè eam quæ à multis ἀσβόλη appellatur, fuliginem. Visus est æger hic quarto die benè habere; ita vt sequentibus diebus lauaret: deinde die septimo vesperi cùm febrire cæpisset, tabefactus obijt. Docetur autem in præsenti dictione, id quod optimis Medicis opem affert, non vulgaribus. Neque enim perniciosorum morborum Signa hi nouerunt. Adolescens præterea quidam excernebat cum febre imbecilla rubidam proluuiem non pau-

Mutatio substantiæ solidarum partium in vitiligine, & morsu canis rabidi fit.

Egregium exemplum.

Aegritudo apparẽter parua, quandoque perniciosa, vt binis exemplis hic ostẽdit Galen.

paucam: sæpiusq; die vno, nocteq;,cum tepida febre: qui hinc mediocrius habere est visus, ita vt tertio die à febre immunis esse videretur. Ego itaque vrinas ipsius, quæ tum tenues, tum albæ, aquæ instar, essent, conspiciens, iocinoris infirmitatem permanere conieci, præcepiq; vt occurrerent huic idoneis, tum epithematis, tum esculentis, & ratione viuendi vniuersa. Deridens verò me Medicus quidam à Thessalo edoctus, qui nō solùm ipse nunquàm vrinas contemplatus erat, sed & contemplantes, fullones appellabat, prohibuit ne homini præsidium ferretur, sola post inanitionem refectione vtendum esse inquiens. Sed morbus septimo à principio die superueniens patuit omnibus esse hepaticus. Talia igitur omnia, quæ valdè vtilia sunt, prætermittunt expositores, tempusq; interdum circa dictiũculas nullo pacto vtiles, conterunt.

Ex vrina tenui, & nigra præcedentis ægri periculum coniecit; ex aquea vrina, & rubicunda tenuiq; deiectione, huius ægri.

Docet Galenus in corporibus nostris prauos quosdam humores, procedente tempore, tantam acquirere malignitatem, quantam possident Venenum ex morsu Canis rabidi in corpore relictum, nec non assumpta venena, quæ hîc, & alibi, lethalia medicamenta appellat. Nam, vt in corpore, temporis decursu, propinata venena, quantumuis leuiora, & portiuncula spumæ canis rabidi in vulnere dentibus inflicto relicta, vires acquirunt adeò validas, vt hominem demum è medio tollant, ita & praui humores in corpore latentes maiorem in dies prauitatem acquirunt, cuius virtute aliqua nascitur ægritudo prorsùs indelebilis, etiamsi post huius firmam procreationem ipsa causa integrè eradicetur, & extra corpus fæliciter deturbetur. Illud .n. axioma, ablatâ causâ tollitur effectus, dictum puta de causa effectuum, qui nondum in corpore altas egêre radices, sed in fieri sunt, siue fientes. Ablatâ siquidem talium fientium morborum causâ, tolluntur & ipsi morbi: nam non ampliùs partes solidæ alterantur, sed post diem vnum, aut breuius tempus, ad naturalem habitum redeunt. Si .v. præfatæ causæ solidas corporis partes alterauerunt adeò, vt dicantur partes alteratæ, & non alterari, frustra euacuatur causa: quia morbus non est ampliùs in fieri, sed in facto esse. Febris v.g. hectica, est intemperies calida & sicca solidarum cordis partium, estq; iam in facto esse, non ampliùs in fieri, cùm in habitum desierit, auferatur quantum placuerit causa, quæ hanc procreauit, non proindè confirmata Hectica tolletur, donec hominem è medio tollet. At verò ablata

Ablata causa tollitur effectus, quomodò intelligitur.

Calor ipse præter naturam est intemperies, quæ nō nisi per gradus tollitur, sicuti per gradus introductus est.

febrium putridarum causa, cessant & eædem febres putridæ, non eodem quidem temporis momento, sed interdum transacto die, interdum verò citiùs, vt in contextu monuit Galenus: cuius hanc doctrinam non videntur legisse illi, qui causam continentem in febribus, alijsq; intemperiebus, statuerunt.

Qui cupit ergo prædicendi scientiam apprimè callere, exactè incumbat necesse est cognitioni naturæ Signorum. Præter ea quæ de his, citatis iam locis docuit Galenus, lib. 3. de Crisib. cap. 4. multa, de cognitione idææ morbi, ac magnitudinis eiusdem, ac motûs, & moris, ac similium, discurrit. Nonnulla etiam de recidiuatione, & bonis Signis Criseos refert libro 1. de Dieb. Decret. cap. 1. Lib. 1. de Crisib. cap. 12. multa de bonis, malisque vrinis.

Capite citato 11. libri 1. de Dieb. Decret. cuius occasione tam multa de die quarto, & Prognosi ex eodem die dependente, diximus, docuit Galenus, diem quartum ex sua natura esse indicem septimi diei. Ex sua natura, inquit, nisi quid extrinsecùs, aut vi morbi, causæue morbificæ, superueniat, quod impediet eiusdem diei quarti conatum. Vnde adueniat diei quarto vis indicans, in sequentibus exponemus.

De vi indicante Quarti Diei.

Dies indices, siue cōtemplabiles.

QVartum diem, indicem septimi, sicuti vndecimum deciмiquarti, & decimumseptimum vigesimi, docuit manifestè Hippocrates lib. 2. aphorism. 24. hac serie: Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem, & vndecimus contemplabilis: ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursùs verò, & decimusseptimus contemplabilis; ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus verò ab vndecimo. Hæc Hippocrates immediatè post hunc Aphorismum 23. (Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur) de diebus Criticis pronunciauit, vt nobis persuasum foret, Crisim acutis morbis, & non chronicis, contingere. Libro Prognosticorum Sect. 3. de Diebus Decretorijs, loquitur sequenti serie: Febres, siue sanus ab his quis euadat, siue pereat, æquali dierum numero iudicantur (id est, eodem die, quo bona Crisis fit, mala etiam fieri consueuit). Vt enim saluberrimæ febres, quæ videlicet tutissimis ful-

Bona Crisis, & mala eodem die fieri consueuerunt.

ciun-

ciuntur notis, die quarto, vel antea, iudicari solent: ita malignissimæ quæque, & quibus periculosissima Signa adsunt, die quarto, vel citiùs, interficiunt. Primus itaque earum insultus ita finitur: Secundus quaternarius in septimum diem producitur: Tertius in vndecimum: Quartus in decimumquartum: Quintus in decimumseptimum: Sextus in vigesimum. Hi autem ex acutissimis morbis per quatuor in viginti, ex additione, perueniunt. Verùm huiusce-modi supputatio, per dies integros nimirùm fieri non potest: quippè cùm nec annus, nec menses ipsi integris numerentur diebus. Deinde eâdem ratione, atq; additione, primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, & tertius ad sexaginta dies perueniet. Immediatè post hos Hippocratis contextus, inquit Galenus lib. 2. de Crisib. cap. 6. Atque in his duobus Commentarijs (id est in Prognostico, & Aphorismis) omnes decretoriorum dierum circuitus, hebdomadis, & quaternionibus ascribit. At in primo Epidemiorum libro (comment. 3. tex. 14.) omnium deinde meminit hisce verbis: Est autem primus circuitus decretorius circuituum omnium, qui paribus diebus decernunt, quartus, sextus, decimus, decimusquartus, decimusoctauus, vigesimus, vigesimusquartus, vigesimusoctauus, trigesimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, centesimus, centesimusvigesimus. Eorum, qui imparibus circuitibus iudicant, primus est tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimusseptimus, vigesimusprimus, vigesimusseptimus, trigesimusprimus. Hippocrates igitur, inquit Galenus, omnes hoc sermone (id est in textu hoc lib. 1. Epidem.) Decretorios Dies manifestò comprehendit. Recordationi siquidem, ac memoriæ præparatio hæc conuenit. Demonstratum enim à nobis sæpiùs est, Epidemiorum libros Prognostico priùs, & Aphorismis scriptos esse, quòd in memoriam rerum priùs obseruatarum suggerant. Itaque in hoc Commentario (Epidemior. scilicet) omnes Decretorios Dies per seriem conscripsit: in illis (Prognostico scilicet, & Aphorismis) eos tantùm, qui maximam virtutem habent, & naturæ suæ ratione perfecti sunt (sicut in sequentibus ostendetur); & insuper non mediocrem vsum ad futuri statûs, iudicijq; prænotionem exhibent.

Circuitus integris diebus non constant.

Dies Critici pares, & ĩpares.

Cur aliter in Epidemijs, aliter in Prognosticis, & Aphorismis loquutus est Hippocrates.

In textu Epidemiorum quidam Interpretes in Codice Veneto omiserunt diem octauum, Foësianus verò Codex, cum veteri Inter-

Octauus dies.

terprete, rectè eius meminit; cùm in eo Crises superueniant, vti superiùs nobis significauit Galenus. Cæterùm ex dictis Hippocratis contextibus, quos in maturrima ætate inter Aphoristicas, & Prognosticas Sententias reposuit, facilè colligimus duos decretoriorum dierum ordines inter se complexos, quorum primus quaterniones constituit, secundus septenarios, siue hebdomadas. De diebus Coincidentibus, æquè ac de iam dictis scripsit textu traducto ex libro 1. Epidem. vt testatur Galenus, & veritas patefacit.

Dierum Coincidentium meminit Hippocr. lib. 1. Epidem.

Vt clariùs res procedat, Aphorismus citatus 24. exponendus, secundo loco Sententia Prognostica. Indices (inquit Galenus in aphorismi Commentario) & contemplabiles (index, ἐπίδηλος, & contemplabilis, θεωρητή, in aphorismo appellantur) solet Hippocrates nominare dies, in quibus aliquod Signum apparet futuræ iudicationis indicatiuum, in altero aliquo iudicantium dierum, quos ipse in Prognosticis vnamquamque septimanam in duas diuidens partes, per quaternarios digessit. Primum ergo quaternarium septimi diei, si quis ab initio numeret, indicem esse ait. Vndecimum.a.quartidecimi, quoniam & hic (vndecimus scilicet) secundâ septimanâ in duas partes diuisâ, index prouenit. Eâdem ratione, & decimusseptimus vigesimi est index; quoniam ex diuisione tertiæ septimanæ in duas partes, efficitur: illud tantùm interest, quod hanc tertiam septimanam secundæ coniungit, quamuis primam à secunda separauerit: nam eius (id est, secundæ septimanæ) initium, diem octauum esse dixit, non tamen tertiæ (id est, hebdomadæ) quintumdecimum, quemadmodùm nonnulli post ipsum existimârunt: quoniam neq; vigesimumprimum terminum statuit: sed principium quidem tertiæ septimanæ, quartumdecimum, finem autem & terminum, vigesimum. Veritatem huius doctrinæ experientiâ didicit Hippocrates, vt post iam dicta affirmat Galenus.

Dies index, & contemplabilis quid.

Cur tertia septimana à secunda non dirimitur.

Cur autem Hippocrates duas primas hebdomadas ab inuicem seiunxit, tertiam verò hebdomadam secundæ copulauit, Galenus in Aphorismi Commentario dicit se daturum seiunctionis, & coniunctionis præfatæ rationem in Opere de Diebus Decretorijs. Igitur libro 2. de Dieb. Decret. cap. 9. & Commentario citatæ sententię Prognosticorum, docet duas primas septimanas à se inuicem separari, ne secunda hebdomada in diem decimumtertium terminetur, qui dies ignauus est, & Critica fermè vacat virtute. Cùm

Cur secunda septimana à prima separatur.

ergò

ergò experientiâ compertum fuerit, Crises die decimoquarto, & non decimotertio superuenire; hinc conficitur rectè ab Hippocrate, secundam septimanam à prima seiungi, constituendo secundæ septimanæ initium, octauum morbi diem, non verò septimum, qui est primæ septimanæ terminus. Non est autem dies septimus primæ & secundæ septimanæ communis, sed soli primæ, quam claudit, peculiaris.

Ratio verò, cur secunda septimana, & tertia copulentur, est, quia alioqui Crisis non in vigesimum, sed in vigesimumprimum incideret: neq; etiam quadragesimo, sexagesimo, octogesimo, centesimo, centesimo vigesimo, sed quadragesimosecundo, sexagesimotertio, octogesimoquarto, centesimoquinto, centesimovigesimosexto, Crises superuenirent, quod ab Hippocratis longâ experientiâ remotum est: Vigesimum enim diem, quadragesimum, sexagesimum, octogesimum, centesimum, centesimumvigesimum, veros esse dies Criticos, quia ita comperijt, voluit. Neque multum refert, quòd vigesimumprimum diem, Criticum lib. 1. Epidem. nuncupauerit: quoniam imbi non rem exactè examinauit, nec vltimò de hâc eadem re deliberauit. Quæ in Prognosticis Sect. 3. tex. 1. hac de re Galenus scripsit, sunt quæ sequuntur. Cæterùm cognouit non primus solum, sed etiam maximè admirandus Hippocrates decretoriorum dierum naturam: atque etiam indicauit causam generationis eorum, quam nos quoque Tractatu de Diebus Decretorijs docuimus, validiorem indicantes esse circuitionem Decretoriorum Dierum, septenarium: secundam verò potestate, quaternarium, eò, quòd septenarius bipartitò secetur: denunciari autem futuram iudicationem in septenarijs circuitionibus à quaternarijs: Quartum enim diem septimi, vndecimum verò quartidecimi indicem esse, quos Hippocrates, Indices, & Contemplabiles nominat. Sanè tali modo numerari vult septenarios: Duos deinceps primos (septenarios) per disiunctionem, sequentem.v. tertium per copulationem. Itaque disiunctio est, quoties in alium diem desinente primo septenario, mox sequens (septenarius) ab altero (id est, ab octauo die) incipit: Copulatio verò, quoties vnus dies vtrisq; septenarijs communis est desinente in eum (communem diem) primo septenario, proximo verò (septenario) ab eo ipso (die vltimo præcedentis septenarij) incipiente: Et ob eam rem vigesimum diem tertij septenarij

Cur tertia septimana secũdæ copulatur.

Dubio occurritur.

Septenarij, & quaternarij fortes cur.

Vigesimus, & nō vigesimusprimus est Criticus.

narij nouissimū (id est vltimum) esse perhibuit Hippocrates. Quod si hic quoq;(id est tertius septenarius) ex disiunctione numeratus esset, primum & vigesimum, non vigesimum, validiorem esse oportebat. Sed constat quòd non ita eueniat: vigesimus enim & sæpenumerò, & validè iudicationem efficere cernitur. Igitur cùm tres septenarij viginti impleant dies, tum autem quartus septenarius à primo & vigesimo inchoetur (vigesimumseptimum inter Decretorios lib. 1. Epidem. enumerauit); ex septenarijs deinceps tribus viginti implentibus dies, meritò Hippocrates (commentar. 3. Prognost. tex. 3. & 5. & lib. 1. Epidem. comment. 3. tex. 14.) quadragesimum diem, non quadragesimumsecundum, decretorium esse dixit: itidem & sexagesimum, & octogesimum, non sexagesimumtertium, neque octogesimumquartum. Hæc igitur circuitionum per septenarios digestio est.

Dies quartus est vltimus primi quaternarij, & primus secundi.

Immediatè post hæc, secundam, & tertiam sententiam Sect. 3. Prognostic. exponit Galenus sequenti serie: Numeratio verò per quaternarios huic (id est enumerationi septimorum) subsequens est. Diducto enim quouis septenario in duos in eo (contentos) quaternarios, quartus ab initio morbi dies, finis erit primi quaternarij, initium verò secundi: tum autem quaternarius deinceps tertius ab octauo inchoabitur die; quia secundus septenarius ab eo ipso (id est, octauo die) incipit: ita fit, vt vndecimus dies finis sit tertij quaternarij, initium verò quarti. Porrò quintus quaternarius à quartodecimo inchoabitur die; eò quòd & tertius septenarius (ab eodem die decimoquarto exorditur): igitur ad septimumdecimum finis eius peruenit; qui rursus (decimusseptimus) duobus quaternarijs, quinto, ac sexto, communis est, in quos (quintum & sextum quaternarios) tertius septenarius diductus est. Itaque vigesimus dies ægrotationis, finis trium septenariorum, & quaternariorum sex, habetur.

Vndecimus duos constituit quaternarios: sicuti decimusseptimus.

Galeni hæc expositio, vix aliâ eget. Dixit enim cum Hippocrate, vigesimum diem tribus impleri septimis, siue septenarijs, siue hebdomadibus, dummodò dies non fuerint integri. Ideò enim decimumquartum morbi diem secundæ & tertiæ septimanæ communem facit, ita vt sit secundæ septimanæ vltimus dies, & tertiæ septimanæ primus. Secunda autem, & tertia septimana, ratione huius vinculi, ex decimoquarto resultantis, coniunctæ, copulatæue

me-

meritò dicuntur. Sola ergo prima ſeptimana integra eſt: Secunda verò, & tertia non omninò completæ.

Sola prima ſeptimana eſt integra.

Dixit rursùs cum Hippocrate Galenus, viginti dies ſex quaternionibus impleri; quod ſanè, primo ſtatim occurſu, à ratione alienum videtur: cùm numerus vicenarius, ſiue vigeſimus, Arithmeticorum calculo, quater quinque, aut quinquies quatuor, tantùm complectatur. Verùm Galenus omnem à dictione Hippocratis obſcuritatem remouet, vnamquamque trium ſeptimanarum, ab Hippocrate ad viginti dierum conſtitutionem deſcriptarum, in duas diuidens partes. Primus ergo ſeptenarius in duos dirimitur quaternarios, non tamen integrè diuerſos. Primus igitur quaternarius primos quatuor morbi dies comprehendit: quartus tamen dies, quamuis vltimus primi quaternarij, primus eſt ſecundi quaternarij, & ſeptimus dies eſt vltimus, ac quartus ſecundi quaternarij. Quoniam fortaſſis res hæc ab omnibus non plenè comprehenderetur, numerum ipſum binorum quaternariorum hebdomadæ primæ recenſeamus: Primus morbi dies, ſecundus, tertius, & quartus: Ecce primæ ſeptimanæ primus quaternio. Secundus hâc ſerie numeratur: quartus, quintus, ſextus, & ſeptimus. Huius ſecundi quaternionis primus dies, eſt quartus, qui adhuc erat vltimus primi quaternionis. Secunda hebdomada in geminos pariter quaterniones hoc pacto dirimitur: Octauus morbi dies, nonus, decimus, vndecimus: & hic eſt ſecundæ ſeptimanæ primus quaternio. Secundus hac ſerie diſponitur, vndecimus, duodecimus, decimuſtertius, decimuſquartus. Primus dies huius ſecundi quaternionis eſt vndecimus, qui vltimus erat primi quaternionis. Tertia hebdomada in duos ſimiliter quaterniones ſequenti ordine diuiditur: decimuſquartus morbi dies, decimuſquintus, decimuſſextus, decimuſſeptimus: Et hic eſt tertiæ ſeptimanæ primus quaternio. Secundus quaternio ſequenti modo conſtituitur: decimuſſeptimus, decimuſoctauus, decimuſnonus, vigeſimus. Eâdem obſeruata proportione fit quaternionum enumeratio, ad centeſimum, & vigeſimum morbi diem, continuando cum primis tribus hebdomadibus enumerationem.

Dubio occurritur.

Quaternionum conſtitutio.

Nec dixiſſe ſufficit, viginti dies morbi ſex conſtare quaternionibus, ſed reddenda ratio, cur tam inſolito numerandi ſtylo Medici, vt dies indices rimentur, vti conſueuêre. Sanè artificioſa hæc die-

tum

Ratio constitutionis sex quaternionum viginti dierum.

rum enumeratio necessaria est, vt rem quotidiè contingentem debitè percipiamus. Videmus enim experientiâ edocti, diem medium cuiusuis septimanæ bis in hebdomada repetitum, vt hæc in duos quaterniones separetur, esse verum indicem, & contemplabilem: Nam cùm in medio septimanæ collocetur, vtriusq; partis, & antecedentis, & subsequentis naturam quodãmodò sapit: ideoq; quod primo morbi die non fuit discussum, quartus abigere satagit, & insuper septimi diei molimen præindicat: Est .n. quartus dies vtriusque extremi particeps: nam mediâ sui parte tribus antecedentibus diebus copulatur, secundùm alteram medietatem tribus diebus subsequentibus. Appositè ergo Criticus constituitur, quatenùs antecedentem morbum abigere conatur: index verò septimi, quatenus explorator sequentis ternarij dierum, cum quibus, sicuti cum antecedentibus tribus diebus, cognationem quandam, propter relatam antea cum vtrisq; copulam, contraxit. Si verò integri quaternarij constituerentur, nihil præindicarent, quoniam in dies non Criticos caderent. Primus verò quaternarius octauum diem indicaret, & dies duodecimus decimumsextum, decimussextus vigesimum. Galenus lib. 2. de Dieb. Decretor. cap. 9. probans quaterniones integrè multiplicatos non efficere perfectum circuitum, cui vis Critica insit, ait: Sed & ipse quaternio, si eius compositionem in se faceret, octauum, duodecimum, & decimumsextum, fortes decretorios efficeret. Quapropter ipse quartus ne periodus quidem euidenter est, sed periodi velut dimidium. Etenim septimanâ dupliciter diuisâ quartus sectionem accipiens, primi quaternionis terminus est, secundi initium. Eandem doctrinam scripsit lib. 4. aphorism. 71. vbi probans, quartum posse futuram Crisim die septimo prænunciare, dummodò morbus valdè vehementer moueatur, & nubecula rubea in vrina eodem quarto die appareat, inquit: Nam si quarto die fiat, quod sequitur tempus, tempus æquale priori assumens, non est impossibile, quòd iudicationem ostendat. Putat enim, & optimè, tantum bonitatis & perfectionis ab vrina, & sua nubecula sequentibus tribus diebus acquiri, quantum tribus antecedentibus iam acquisiuit. Propter hanc æqualitatem temporis, rectè ibidem docuit Galenus, in diem decimumquartum incidere, quando coctionis Signa die septimo apparere inchoant, & in diem vigesimum, quoties decimoquarto. Sed hæc de quarto die, prout Index est, sufficiant.

Partes autem de proximis suis totis indicant: Ergo quaternarius de vicino septimo.

Cur quaternarij nõ sunt integri.

Quaternio non est periodus, sed periodi dimidium.

De

De Quarto, vt Decretorio.

GAlenus libro 1.de Diebus Decretorijs,cap.5.quartum diem, decretorium appellat,sed videtur eum posuisse in vltimo loco, sed ante tertium diem, & decimumoctauum. Nam ante omnes, septimum, & sextum diem, propter frequentem Crisim in ijs contingentem, collocat. Septimum etiam, tanquam præcipuum, primum statuit. Septimi naturam, inquit, decimusquartus maximè imitatur. Proximi his sunt nonus, vndecimus, & vigesimus. Propè hos verò decimusseptimus,& quintus;post hos quartus:hunc sequuntur tertius, & decimusoctauus. Ex his constat,Galenum tribuisse quarto diei vim Criticam, sed imbellem. Eum tamen decretorium esse vult libro 3. de Dieb.Decret.cap.8. & 11. Et libro 1.de Crisib. cap. 16. Libro autem 2. de Dieb. Decret. cap. 2. expressiùs de eo pronunciat, quæ sequuntur: Vbi enim prima hebdomada bifariàm diuisa,quartus Sectionem recipiens, qualis finis futurus erit, prænunciat, & secunda similiter, quomodo non quis intelliget septimanam quamq; perfectam quandam esse periodum, cùm medium ab vtroq; extremo ex æquo similem obtineat? Nam quartus morbos, qui primo die non cessârunt, soluere conatur: vndecimus rursùm quos septimus non discussit. Quòd, si morbus maior sit, quàm vt quarto die Crisim accipiat, dies quidem quartus præparat, finem verò imponit septimus. Pari modo, qui septimo non desierunt, vndecimus dies soluere molitur:atq; sic vel ipse decernit, vel ipsi decimoquarto præparat. Lib. 4. Aphorism. 36. diem quartum primum decretorium appellat Galenus. Clarè quidem quarto vim Criticam tribuit Hippocrates lib. Prognost. Sect. 3. tex. superiùs citato & transcripto, in quo ait, mitissimas febres, quæ Signa habent securissima siue tutissima, quarto die, vel priùs finiri: malignissimas verò febres, quæ cum Signis grauissimis accidunt, quarto die, aut citiùs occidere. Vult enim,vt in reliquis diebus Criticis contingit,quarto die, nunc bonam, nunc malam Crisim superuenire: quod experientiâ comprobauit Hippocrates, qui lib.3.Epid.Sect.3.tex.77.narrat, sicuti Pericles Abderæ mediante sudore quarto die salubriter iudicatus est. Eadem Sect.tex.76.fertur Caluus Larissæ quarto die extinctus. Cæterùm Galenus lib.3.

Qui digniores inter dies Criticos.

Quartus est Criticus.

Qualibet septimana est perfecta periodus.

Quartus, & vndecimus indicant, & iudicant.

Quartus primus decretorius.

Quarto die in biliosis, rarò Crisis videtur.

de Dieb. Decret.cap.8. & lib. 3. de Crisib. cap.4. & lib. 4. Aphorism.36. quarto die Crisim rarò contingere dicit;quia febres biliosæ continuæ, vtplurimùm tertio die, qui vehementiæ primi diei correspondet, exacerbantur; tum quia rarò per hæmorrhagiam synochus quarto die iudicatur, etsi hoc die conuenienter iudicari deberet. Loquutus sum de continua biliosa, quia intermittens tertiana sæpè quarta accessione, & consequenter quarto die, iudicatur, vt frequenter experientia nos docet. In febribus autem intermittentibus, non dierum, sed accessionum considerandus est numerus, vt constat ex textu 8.Sect.3.Prognostic.& lib.4. aphorism. 59.& lib.1.Epidem. Sect.3. Comment.17. Sed hæc de die quarto dicta sunto.

Accessiones, & non dies in intermittentibus febribus obseruandæ.

De Die Quinto.

DIctum abundè est in Die Tertio, & Quarto antecedentibus, diem quintum esse Criticum, sed Coincidentem. Hippocratis & Galeni varia testimonia hac de re transcripsimus. Galenus lib. 4. aphorism. 36. sequentia scripsit: Veruntamen ipsum (quartum scilicet diem) nunc prætermisit vel ipse Hippocrates, vel qui primus librum scripsit. Si verò omninò Hippocrates illum præterijt, hanc ob causam existimo illud fecisse; quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum sudore iudicantur, tertio, & quinto die magis, quàm quarto, iudicia suscipiunt. Libro 11.Meth.Med. cap.15.die quinto Crisim contigisse narrat: & contra Methodicos quædam decernit; vt quòd non leuissima Medicinæ pars est scientia ordinandi victûs: quòd malè agerent, solam sanguinis missionem in principio adhibentes, reliquam omnem ægri curationem victui mandantes: quòd corpus ægri post tertiam accessionem oleo perfunderent, cùm præsente plethorâ quauis, aut cacochymiâ, id fieri non debeat, quia ad partem oleo calido inunctam humores in magna copia facilè trahuntur. Mulsâ verò, vel alicâ, vel sorbitione, post perfusionem ægrum alebant, deinde verò alternis diebus cibabant ægros. Sed cataplasma ex artomelite,id est, Pane, & Melle, Hypochondrijs admouebant. Sicubi verò aluus adstricta fuerat, Clystere hanc ducebant. Malè isti gregales Medici olei perfusione, & cataplasmatis vtebantur pro hypochondrijs: nam quarto

Quintus dies est Criticus.

Victus ratio est magna Medicinæ pars.

Vnctio corporis ex oleo calido quando fieri debet.

Artomeli.

to aut quinto die inflammationem in hepate, aut ventriculo, concitabant. Postea, sequentia eodem Cap. scripsit Galenus: Sanè accidit, vt in eiusmodi morbis diuites potiùs, quàm pauperes, perperàm curentur. In diuitibus enim, propter ipsorum delicias, duplex peccatum non raró committitur, & quòd sanguis non mittitur; & quod à Medicis scilicet adhibetur diligentia, vt quotidiè aliquid circa ægrotantis corpus fiat. Ac inter initia quidem sanguinis missionem maior eorum pars propter mollitiem non admittit, tametsi magis, quàm pauperes, redundantiæ sanguinis affectibus sint obiecti, vt qui magis tum cibis se impleant, tum in otio viuant. Medici verò, qui eos curant, vbi summum remedium (id est sanguinis missio) est omissum, aliorum remediorum vsu sarturos se, quod deficit, putant. Et paucis interpositis: Cogunt eos præcordijs (hypochondrijs potiùs) aliquid quotidiè admouere, sed nec inuitis profectò ipsis Medicis; vt qui facere semper aliquid videri velint, quòd sic se maiorem mercedem accepturos sperant. Itaq; accidit, vt illo ipso tempore phlegmonæ diuitibus incipiant, quo iam pauperibus morbus propemodùm perductus est ad finem: quippè misso in propositis febribus inter initia sanguine, non pauperibus modò, verùmetiam diuitum seruis, plurimis quidem quinto, aliquibus septimo, Crisis contigit, nemini seriùs. At diuites, qui & sanguinis copiam, & excrementorum plus, quàm pauperes, & serui habent, cùm sanguinis mittendi prætermisere remedium, ac quotidiè, tum calido oleo perfundantur, tum laxantibus cataplasmatis vtantur, phlegmonem nimirum aliquam, vel in iecinore, vel in ventriculo, vel reliquorum istic viscerum aliquo, contrahunt, alij in quarto, alij in quinto, omnes planè in sexto. Hanc doctrinam, cuiuis Medico necessariam, transcribere volui, vt cuiuis apertum sit, quàm magnam vim interpellandi Crisim habeant Medicorum errores præ inscitiâ frequentes.

Diuitibus quàm pauperibus maior sanguinis copia extrahi debet; & cur.

Medici mercenarij multa præscribunt remedia.

Pauperes, & serui citiùs, quàm diuites sanantur.

Ex dictis constat, frequentes Crises fieri quinto morbi die. Ex lib. 1. Epidem. comment. 2. infert Galenus lib. 2. de Dieb. Decret. cap. 3. quinto die Crises fieri quandoque perfectas, aliàs imperfectas. Eodem libro cap. 5. ex Hippocrate etiam infert, quintum, septimum, & nonum diem, subitò & vniuersim decernere. Libro 3. de Dieb. Decretor. cap. 8. apertè quinti vim Criticam exponit, aiens: Huius rei gratia (quia scilicet in morbis acutis tertio quoque

die acceſſiones fiunt, & in acceſſionibus Criſes) tertius, & quintus meritò decernunt; non ex Lunari circuitu potentiam decernendi ſortiti; ſed vel quòd ob violentiam acceſſionis tertius Criſim quarto die futuram præuertat: vel &, per Iouem, quòd natura, dum quarto die laſſa, nec incitata conquieſcit, quinto ad iudicium commoueatur: nam hic vero decretorio (id eſt quarto) tardiùs venire, tertius paulò magis anticipare conſpicitur. Atq; ambo Criſim obtinuiſſe, quòd vicini ambo verè decretorio (quartum diem verè decretorium appellat) acceſſiones ſuſceperint. Iam verò, & nonus inter duos decretorios, ſeptimum, & vndecimum, medius, vel non factum in ſeptimo die iudicium, vel vndecimo futurum ipſe ſibi vendicat: rarius quidem ſeptimi, ſæpè vndecimi, Criſim aſſumit, &c. Exemplum Criſis factæ die quinto, eſto Meton, qui hoc die per fluxum ſanguinis narium iudicatus eſt; vt habetur lib. 1. Epidem. Sect. 3. Sed, vt ibidem habetur, Eraſinus die quinto mortuus eſt. Philiſtes quoq; in Thaſo, die quinto mortuus eſt, vt habetur lib. 3. Epidem. Sect. 1. Libro 4. de ratione victûs in morbis acutis tex. 62. Hipppocrates de ijs, quæ quinto die contigêre, ſequentia ſcripſit: Cùm autem in febribus quinta die terrificum quippiam fuerit, vel venter repentè liquida deiecerit, & animæ defectus prehenderit, vel vocis priuatio, vel conuellatur æger, vel ſingultiat, ex his angi, grauiterq; affici conſueuit, ſudoreſq; circa tum muſtacem, tum faciem, tũ ceruicem, ab occipitio eſſe conſueuerunt. Qui autem hæc patiuntur, ſpirituoſi paulò poſt morientur. His quidem ſuperuenientibus Signis nullum bonum intermiſcetur, ſed omnia mala ſunt. Vnde his apparentibus propinqua mors, vt docuit Præceptor, aut ſi quis alius fuit libri citati author. Vocabulum, ſpirituoſi, tanquam ænigma eſt, vt in Commentario refert Galenus: Nam poteſt ſignificare ſpirituum copiam, quibus venter inflari poteſt: veluti magnam, & frequentem reſpirationem. Verùm in vtroq; ſenſu malum tunc Signum æſtimari debet.

Cauſa dierum Coincidẽtium.

Diem quartum verè decretorium appellat.

Nonus dies ſeptimi, aut vndecimi Criſes ſibi arripit.

Meton. 5. die ſanatus.

Praua ſymptomata die quinto.

Spirituoſi quid.

De Die Sexto.

IN Die Tertio, & Quarto, diem ſextum cum Hippocrate, & Galeno, inter Criticos collocauimus. Nam morbi, qui diebus imparibus, & morbi, qui paribus exacerbantur, non rarò die ſexto iudican-

dicantur: rarò tamen ad salutem, frequentissimè ad mortem. Proindè Tyranno eum assimilat Galenus lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 4. vbi de eo hac serie loquitur: Sextum autem diem, quantò pauciores in eo iudicantur, quàm in septimo, tantò quoq; maligniorem inuenio, vt qui ferè ex aduerso natura septimo oppositus est. Etenim qui in quarto ad peiorem statum recidunt, plerique sexto moriuntur. E contrario rursùs, si bona conuersio contingat, septimum Crisis expectabit. Et si rarò interim ad meliora conuersionem in quarto die euenientem sextus incipiens iudicârit, incredibile est quanta cum perturbatione, periculo, & metu hoc fiat, quasi æger statim adeò fato sit functurus. Nam si in delationem animi, quam Cataphoram dicunt, incidunt, Sopori graui, quem Caron appellant, simile quid ipsis obuenit: fiuntq; tum omnis sensus, tum vocis expertes. Et siquæ excretio proueniat, animo consternantur, pulsus ipsorum concidunt, color abit, tremunt, collabuntur. At septimus dies semper, pro excretionis portione, reficit ipsos magis, ac recreat. Atque igitur sexto die maligna, acria, fætida magnâ ex parte tum deijciunt, tum vomunt. Sudores rari quidem, qui æquales, & toto manantes corpore, & calidi: quales si quando oboriuntur, sæpenumerò intercipiuntur. Timor inuadit spectantes eius rei ignaros. Interdùm Parotides malignæ, vel etiam Arquatus (Icteritia, siue morbus Regius dicitur) vel alius quidam abscessus, alterum certamen, quo discutiatur, requirens, emergit. Si verò & per vrinas quandoq; iudicet, nec ipsas bonas inueneris: etenim crudæ, decolores, tenues, boni nihil, quod subsidet, habentes, sed nunc quasi testaceum, nunc arenosum, in totum inæquale, incoctum, ipsa copia tantum in sexto die, quibus apparet, conducens. Atque hæc huius diei moderatissima, leuissimaque sunt opera, si quis saluari debet: plurimos autem confestim in syncopen coniecit, vel suffocauit largo sanguinis profluuio, vel euacuatione parùm moderata, item vel quadam catoche, vel insania, quam μανίαν Græci appellant: alios in manifestam perniciem iniecit, arquatos inducens, parotidas non bonas excitans, & marcoribus insanabilibus interim inuoluens. Demùm, quod mali genus non adfert? Mihi quidem frequenter in mentem venit, septimi diei naturam Regi assimilare, sexti verò, Tyranno: Ille siquidem prouidet, tanquàm bonus aliquis Princeps, ijs, quos iudicat, vel supplicij partem

Sextus est Tyrãnus.

Prognosis de sexto.

Sexti defectus.

Septimi laudes.

Deiectiones malæ sexto.

Icterus est abscessus.

Vrinæ malæ.

Sexti vitia.

Septimus dies benigno Regi assimilatur.

tem

Sextus Tyrannus perniciosus. tem adimat, vel illustret victoriam: Sextum verò diem è contrario finxeris, vel pernicie illius, quem iudicandum accepit, gaudere, vel salute dolere, quærereq; vbi animum expleat, & malè ægrum, qui in ipsum incidit, tractet, & lōga punitione inuoluens exerceat. Quibusdam interpositis diem sextum diem decretorium, sed malum nominat.

Septimi encomia. Sequenti Capite 5. eiusdem libri 1. de Dieb. Decret. diei sexti malignitatem copiosè satis exponit: Etenim, inquit, septimum diem, & frequenter soluere, & perfectè, & cum fide, & salubriter, sine periculo, & clarè, & cum bonis Signis: Sextum diem frequenter quidem & ipsum, sed non septimo similiter: nam & pauciores ipsum iudicare, & solutionis modo plurimum differre: neque enim bonas salubresq; ipsas solutiones esse, verùm, malitiosas plurimas: *Sextus malitiosus.* neque, si bonas solutiones, omninò & perfectas: imò neque si perfectas, statim etiam cum fide, quia nonnunquam morbus reuertitur, exactè licèt solutus esse videatur. Quinetiam cum periculo, & obscurè sextum diem iudicare, idq; ei maximè proprium esse, hoc quoque diximus.

Nullus, quantumuis facundus Orator, diei sexti Criticam imperfectionem pleniùs describere valeret, quàm binis citatis Capitibus fecit Galenus. Qui quidem virtutem Criticam, post Hippocratem, ei concessit: sed virtutem illam fallacem, & perfidam esse refert; ita vt Crisim bonam in eo contigisse vix admittat sine reuersionis aut recidiuationis periculo. Et facta excretionum Criticarum enumeratione, nullam bonam sexto die apparere docuit. Ante omnia docet, sexto die ægrum moriturum, si quarto die, quem sexti, & septimi indicem constituit, ad peiorem statum declinat. *Deterioratio in quarto die mortem prænūciat sexto.* Facilè enim quarto die mutatio ad peius fit, quando morbus magnus, & κακοήθης, id est malignus, celeriter mouetur. Nam primo ipso quaternione huiusmodi morbus acerbè, & implacabiliter ægrum exercet, viresq; adeò frangit, vt hæ diutiùs persistere nequeant. Proinde sexto die, naturâ prorsùs succumbente, necessariò æger morietur. Imò quandoq; apparentibus quibusdam bonis Signis quarto die, sextus dies septimi munus præoccupans, cum perturbatione, & periculo Crisim tentat, intempestiuiùs, quàm par est, naturam ad pugnam contra morbum excitans; cùm tamen naturæ iam semifractæ vires nondum recreatæ fuerint; adeòque longè eas

gè eas ſuperent morbi inſultantis atq; ferocientis vires. Meritò ergo Hippocrates lib. 4. Aphoriſm. 29. ait: Febricitantibus ſi ſexto die rigores fiant, iudicationem habent difficilem. Difficilis ſanè ſexti diei Criſis eſt, vt oſtendunt grauia illa ſymptomata à Galeno in contextu enumerata, quæ omnium virium collapſum indicant. Nam certum eſt, naturales pati, cùm non integrè humor morbificus ſubactus fuerit integro facultatis concoctricis examini: nec ſua ſponte expultrix facultas ad non præparati humoris excluſionem inſurgat. Retentrix enim facultas confuſum ex bono, & prauo ſucco humorem, antequàm mitigetur quod noxium eſt, & ab vtili ſecernatur, amittere cogitur; cui in ſubſidium iens expultrix, quod moleſtiam infert, nullo præeunte delectu, deturbat. Ex hac igitur imparatæ naturæ cum morbo pugna, ſęuiſſima ſuperueniunt ſymptomata, facultatem vitalem, iuxta, & animalem vexantia. Concidit porrò pulſus, vt abolitus videatur, adeò languidus, paruus, & rarus efficitur; cuiuſmodi eſt ſolutarum virium pulſus. Talis enim pulſus cauſam habet, languentem, & veluti proſtratam facultatem vitalem in corde reſidentem. Fiunt deniq; ægri decolores, quòd Cor patiatur, & interiùs ſpiritus, & humores recurrant, vt ſuppetias eidem cordi impensè laboranti contribuant. Tremunt etiam ægri, quia nerui, per quos ſpiritus animalis ad efficiendum motum permeat, ab humore aliquo craſſo, & lento obſtruuntur; vel certè, quia ſpiritus omnis ita eſt exhauſtus, vt nonniſi perexiguus ad partes mouendas tranſmittatur. Vbi enim vitalis ſpiritus deficit, conſequutione quadam, animalis, qui ex eo procreatur, mox abſumitur, cùm non ampliùs reſtauretur. Ægri non rarò collabuntur; quoniam artus, ſiue pedes, manuſque, cunctaque alia membra, facultate, & ſpiritu animali deſtituta ſunt; vel quia cunctæ viæ facultatis & ſpiritûs obſtructæ ſunt; vel quia præ frigore calorem permodicum natiuum longè excedente, concreſcunt, indurantur, & meatus ordinarij omninò obcæcantur, ſua amittunt conſueta officia. Et ſpiritu præterea Vitali ſuffocato, vel exhauſto, in Lypothimiam, aut Syncopen incidere conſueuerunt, dum euacuantur, ſiue per vomitum, ſiue per ſeceſſum, ſiue per hæmorrhagiam, ſiue per ſudores.

Rigores ſexto die, difficilem Criſim prænunciant: in acceſſionibus enim Criſes fiūt.

Pulſus languidi cauſa.

Cur decolores fiunt ægri.

Tremoris cauſa in ægris.

Caſus ægri vnde.

Lypothomia, & ſyncope vnde.

Si verò contingat ipſos ægros veluti in ſomnum rapi, quotieſcunq; prauis iſtis ſymptomatibus diuexantur, perinde afficiuntur,

ac si Caro laborarent. Primò enim Cataphorâ correpti ægri, in Carum incidunt. Cataphora enim ex Herodoto apud Oribasium lib. de Cucurbitulis, scarificat. Hirudinibus, Deriuatione, & Reuulsione (qui liber contiguus est consimili libro Galeni in sexta Classe sui Operis) est inclinatio in somnum. Ex Galeno Comment. 3. in lib. 1. Prorrhetic. Cataphora est, delatio in somnum: in principio enim Commentarij textûs primi, Coma similiter secundùm Hippocratem definit: Est enim Coma delatio in somnum, quòd apertis quidem oculis vigilare nequeant Comatosi. Etsi oculos clausos habeant, non proinde semper dormiunt, sed quandoque vigilant. Causam rursùs, & species Cataphoræ (Cataphora enim, & Coma, sunt synonima apud Galenum) proponens, inquit: Fieri autem Cataphoram, id est in soporem delationem, vt in quibusdam docui Commentarijs, atq; ijs, quos de affectis locis feci, interdum quidem grauato ob vtilis succi copiam cerebro, vt in ebriosis: interdum verò & propter pituitosum humorem: vel & propter ægrè separabilem absque humore frigiditatem. Cùm autem vigilantiæ Coma iunctum fuerit (Coma vigil dicitur hæc coniugatio ex vigilia & somno emergens) succi mordentis permixtione fieri hanc affectionem ostendi. In libris igitur Epidemiorum, siue ex coordinatis, siue ex ijs, quæ simul enunciantur, quis nominare voluerit, demonstratæ sunt Comatis differentiæ: Atq; vnà demonstratum est, Hippocratem distinctè interdum quidem profundum Coma, interdum verò somniculosum, & interdum vigilans, vel quippiam dixisse. Libro autem 3. Epid. comment. 1. tex. 7. Galenus sequentia de Comate scripsit: Solidum scripsi librum interpretans significationem huius dictionis, Coma, in quo indicatur, propensionem delationemque in somnum sic appellâsse Hippocratem. In somnum autem propensionem voco, cùm vigilare ægri nequeant, non apertos habentes oculos, sed conniuentes: vel altis somnis, vel tenuibus (siue mediocribus) vel vigilijs detineantur. Quibusdam interpositis, inter præcipuas Comatis causas, humiditatem recenset: & quandoq; Coma ab imbecillitate prouenire docet, inquiens: Quinetiam propter infirmitatem virium talis affectus fit, adeò iam emorientium, vt apertas palpebras seruare non valeant. Ac ita affecti hoc habent, vt postquàm oculis conniuerint, aut nihil prorsùs, aut parùm dormiant, sed vigilent, nec attollere

Cataphora quid.

Coma quid.

Coma, & Cataphora sunt idem.

Causa cataphoræ. Ebrius.

Coma vigil, vnde.

Quid coma ex Hippocrate.

Comatis causæ.

Mox morituri oculos seruare apertos nequeũt, præ imbecillitate.

lere tamen palpebras queant. Quod quidem vitium ab eo, quod committit humiditas, & algor, pulsus distinguunt potissimum languidissimi, tardi, rari, & parui. In consimilem ergo Cataphoram, siue Coma præ imbecillitate obueniens, ægri quandoque de sexto incidunt. In Carum pariter, seu in affectum Caro similem, quandoque cadunt. Carus enim est affectus Cataphorâ grauior. Est autem deperditio, aut amissio sensûs & motûs in vniuerso corpore, si respirationem excipias, quæ in Caro conseruatur, in Apoplexia amittitur: qua in re ambo affectus inter se discrepant.

Carus quid. eius ab apoplexia discrimen.

Docuit rursùs Galenus, Catochen siue Catalepsim aliquoties superuenire. Libro 4. de Causis Pulsuum cap. 15. docet Catochen, & Catalepsim, eundem significare affectum. Est enim vigilans quidam sopor, ex libro 3. de locis affect. cap. 5. Corpus enim veluti congelatur, & oculi semper aperti manent. Libro 2. Aphorismor. Comment. 3. Galenus Catochi causam referens, ait: Fit autem huiuscemodi somnus (de Comate antea loquebatur) refrigerato primo sensitiuo, hoc est, Cerebro ipso: quæ refrigeratio cùm fortis fuerit, mista quidem humiditati, facit Lethargicas passiones: cum siccitate verò, eas, quæ Græco vocabulo κατα λήψεις, id est, congelationes, nominantur. Maniæ in contextu meminit Galenus, quæ delirium est sine febre, ab atra bile progenitum. Parotides malignas appellat magnas, duras, aut tensas, inflammatas, & dolentes: quæ accidentia virtutem labefactant, quia corpori vniuerso molesta. Notum cuiuis esse existimo, Parotides esse tumores ortos in glandulis sub auribus sitis. Testacei sedimenti mentionem fecit: quod fortassis est quid simile testis siue corticibus ouorum minutissimè contritis, quod in vrina pessum it, & sedimentum constituit. Reliqua quæ in Galeni contextu exarata sunt, expositione minimè egent.

Catoche & Catalepsis idem. quid.

Lethargi, & Catalepsis causa.

Mania quid.

Parotides malignæ.

Sedimentum testaceum quid.

Galenus adeò perniciosum propalat diem sextum, vt vix credat Larisseam Virginem lib. 3. Epidem. constitutione temporis tertia Criticè die sexto liberatam fuisse, mediante scilicet hæmorrhagiâ copiosâ, sudoreq; copioso & calido, è toto corpore æqualiter erumpente. Galenus in Commentario sequentia scripsit: Ætatem puellam attigisse mensium, ex ipsis liquet Hippocratis verbis, menses tum primùm prouenerunt, & ipsum etiam fuisse morbum ex humorum copia, indicatumq; die sexto esse, quòd dolores in dies

Larissea virgo die sexto Criticè sanata.

pares incurrissent, vt ipse scripsit. At mirum, non reuertisse morbum, cùm sextus dies non iudicet vnquàm fideliter. Quare nouum hoc & rarum illi accidisse indicauit, cùm scripsit hæc, huic non repetijt, sed iudicata est, tanquàm debuisset repetere. At verò causam etiam cur non redierit, scripsit, addendo, dum febricitaret, & iam iudicata esset, menses primùm illi prouenerunt. Nam vacuationis perseueratio diebus post iudicium, satis erat, vt firmum seruaretur iudicium, quod die sexto præcesserat per sanguinis eruptionem, & sudores, & maximè quòd nulla esset princeps pars inflammata, neq; maligna humorum abundantia. Ipse certè plethoricum vitium esse significauit, cùm dicit, perpetuò in facie ruborem insuisse, in oculis dolorem, in capite grauitatem. Planum ergo erat, solam requiri vacuationem, quam natura tertio die incæpit, consummauit sexto. Nam per naturam, non vt morbi symptoma, ventris vacuationem accidisse ipse dilucidè his verbis indicauit: tertio die aluus multa reddidit aquei coloris, proximisq; diebus talia commodè: hoc adiectum ab ipso Hippocrate denotat, quæ offendebant, excerni. Notat præterea Galenus, linguam fuliginosam & aridam (sic autem appellat, inquit Galenus, tinctam quasi fuligine quadam, quæ sicca erat ex vaporibus) non esse omninò, id est absolutè, exitialem, siue exitiale Signum. Demùm obseruat sequentia Hippocratis verba: Quarto die, vrina tenuis & pauca, habebat suspensionem elatam, non subsidebat: sub noctem delirauit. Statim, inquit Galenus, subiecit, delirauit, innuens, quòd eiusmodi suspensiones delirium comitantur; quanquàm in præsagijs, vbi omnia, quæ accidunt vrinis, est persequutus, nullum fecit præsagium ex eis delirij. Quare Signum hoc videtur per seipsum, delirium nunquàm denunciare, sed casu nonnunquam commonstrare, quia flatuosiorem esse sanguinem indicat. Nam nullæ planè, si flatus insit, deferuntur ad ima vasa suspensiones.

Menstrua post Crisim perseuerāt. *Signa Plethora in virgine illa.* *Tertio die alui fluor.* *Lingua fuliginosa quid.* *Suspensio elata in vrina, delirium indicat.*

Vix vltra posset suâ eloquentiâ Galenus diei sexti Crisim damnare. Cæterùm Hippocrates lib. 4. Epidem. narrat in quadam tempestate morbos circa Pleiadum occasum, id est, Autumnali tempore, die sexto, & octauo iudicari: Indiciū n. erat, morbos istius tempestatis acutissimos fuisse, & paribus diebus exacerbatos. Hippocratis verba sunt hæc: Sexta die, Virgini iudicata, sexta reuerterunt; iudicata verò sunt per sextam. Omnia in his temporibus, sexta,

Die sexto, & octauo quadam tempestate Crises fiebant.

ta, & octaua die iudicabantur circa Pleiadum occasus. Et paulò post: Ex vicinis Thestoris famula, ex vstorijs siue causticis: secessu bilioso, multo; præcordio (seu potiùs hypochondrio) intenso. Sexta die, ex suppressione aluus ipsi tenuia, multa, vna vice egessit: & statim sudauit, & iudicata est. Librum verò 4. citatum Epidem. non negat Galenus esse Thessali Hippocratis filij. Libro 3. de difficult. respir. cap. 1. imò libro 1. de Dieb. Decret. cap. 4. sequentia scripsit. At quoniam secundus, quartus, & sextus Epidemion liber, vel ipsius Hippocratis est, vel eius filij Thessali, pauca etiam inde sumemus. Sed hactenùs de Sexti Diei viribus.

De Die Septimo.

GAlenus libro 1. de Dieb. Decret. cap. 4. statim Diei Septimi triumphos æquè extollit, ac sexti opera damnat. De Septimo ergo hac serie præfatur. Primum itaque omnium Dierum Decretoriorum Septimum dicimus, non numero videlicet, & ordine primum, sed potentia, & dignitate: omnes enim summatim decretoriorum notas occupat. Etenim plurimos iudicat, & absolutè, item cum manifesta excretione, vel abscessu, sine periculo vehementi: & vtplurimùm quartus eum prænunciat. Nam si vrinæ in illo planè, vel sputi, vel deiectionis, vel appetitûs, vel mentis, vel sensûs, vel alterius cuiusdam similis manifesta contigit mutatio, illam vt non similis in septimo iudicatio comitetur, quomodò fieri posset: bona, si ad salutem: mala, si ad peiora portendat? Plerumque igitur bona iudicia eueniunt in die septimo. Etenim hoc ei preter cæteros accedit, quamquàm nonnulli etiam in eo moriuntur, & euidenti conuersione ad peiora pergentes, in sequenti quodam decretorio intereunt. Sextum autem diem; & reliqua, quæ superius de die sexto transtulimus. Non fusior est Galenus in diei sexti opera criminando, quàm in septimi laudando. Præcipuum enim diem Criticum eum ita passim appellat, vt operosissimum esset omnia loca, in quibus eius magnam decernendi vim propalat, integrè congerere. Instar omnium, præsens locus ipsum supra reliquos omnes decretorios extollit: nec mirum, quòd septimanę sint, quæ maxima polleant decernendi siue iudicandi virtute; vt constat in quauis septimana ad vigesimum vsque. Septimus enim, Deci-

Præcipuus decretorius est dies septimus.

Septimus, decimusquartus, & vigesimus sunt principes Decretorij.

musquartus, & Vigesimus, sunt tres principes Dies Decretorij: antecellit tamen septimus. Quapropter ipsum non numero, & ordine, siue situ, sed potentiâ, & dignitate, id est, præstantiâ & perfectione, primum decretoriorum omnium dierum appellat. Ratione sitûs loci dierum, diem quartum, primum decretorium nominauit lib. 4. aphorism. 36. & Hippocrates ipse id innuere videtur in Prognosticis, inquiens: quarto die, aut citiùs, mitiores quasdam febres iudicari ad salutem, perniciosissimas verò ad mortem: primumq; quaternarium, primum insultum, primumue circuitum appellat. Septimi sanè diei maiestatem, vel hoc vnum indicat, quòd, more Principum, præcursorem habeat eius aduentum prænunciantem: Præcursor hic, siue Nuncius, est dies quartus: Decimiquarti diei prænuncius est vndecimus; decimusseptimus vigesimi. Modi prioris apud Aristotelem in Postprædicamentis quatuor sunt: Primus modus est, quando aliquid tempore prius est altero: & sic antiquius est, vetustiusue eo, quod tempore posterius est. Secundus modus est, quando retrò non commeat consequutio; vt si duo sunt, benè sequitur, vnum esse, cum ex duabus vnitatibus duo componantur: non tamen vicissim benè concluditur, est vnum: Ergo duo. Tertiò aliquid ordine dicitur primum, vti in Orationibus, exordium prius est narratione: litteræ priores syllabis: in scientijs principia reliquis, quæ sequuntur, & in demonstrationibus, termini, & medium, antecedunt totum syllogismum, sicuti & Enunciatio; quæ etiam, termini, potestate saltem, priores sunt. Quartò prius aliquid esse dicitur, quod est melius, & præstantius. Hoc quarto modo diem septimum, primum omnium decretoriorum meritò appellauit Galenus. In eo enim innumeræ Crises fieri solent, vt ex historijs constat Epidemicis, Galeni, & omnium Medicorum certa experientia.

Quartus est decretorius.

Præcursores Principum decretoriorum.

Quarto modo dies septimus primus inter omnes est.

De Die Octauo.

In quadam tempestate die sexta, & octaua multæ Crises factæ sunt.

Diem Octauum Criticum esse, quoties diebus paribus fiunt exacerbationes, testatur Hippocrates lib. 1. Epidem. Sect. 3. tex. 14. Et libro 4. Epidem. vt in die septimo diximus, die sexta, & octaua, multi decernebantur morbi. Galenus libro 1. de Dieb. Decretor. cap. 11. docet, si paribus diebus accessiones fiant,

quartoq; die Signa coctionis appareant, Crisim expectandam die sexto; vel si hunc præterijt, die octauo. Sed parùm prosperam Crisim die octauo contingere docet ipse, eodem libro 1. de Dieb. Decret. cap. 5. vbi sequentia scripsit: Si aliquando autem in octauum diem, vel decimum subita morbi solutio incidat, similis ferè ei est, quæ in sexta accidat: verùm raro in his soluitur; nec cum fide, nec benè, nec perfectè: insuper ad hæc obscurè simul, & citra notas. Dixit, vt existimo, Galenus, malam Crisim octauo, & decimo celebrari, quando accessiones diebus imparibus accidere consueuerunt: nam quoties diebus paribus accessiones fiunt, certum est, bonas Crises die octaua, & decima celebrari, iuxta Hippocratis experientiam.

Octauo, & decimo die Crises contingunt.

De Die Nono.

SÆpiùs cum Hippocrate, & Galeno diximus, diem nonum esse Criticum, siue Decretorium intercidentem: decernit enim quandoq; præripiendo diei vndecimo Crisim, quæ in hoc eodem fieri deberet: quandoq; Crisis septimum præteriens, in nonum cadit. Est autem nonus dies potentissimus intercidentium dierum. Vnde Galenus lib. 2. de Dieb. Decret. cap. 7. ait: Ergo in tota æstate interim plures, quàm quadringentos homines acutè ægrotantes vniuersos, vel septimo, vel nono die, Crisim habuisse conspexi: in alio rursùs anno quosdam decimoquarto, quosdam vigesimo, plurimos post morbi reuersionem: in alio permultos sanguinis fluorem quinto die habuisse, perfectè septimo, vel nono die iudicatos esse. Vidi etiam in Autumno aliquando omnes vndecimo iudicatos. Sed hic quidem Autumnus bonam Crisim attulit. In alio autem omnibus sexto die non bonum iudicium accidit. Cùm tot Crises nono die superueniant, sitúq; ille habeat in medio duorum Criticorum dierum, septimi præpotentis, & vndecimi satis validi, leui cum fundamento docuit Auicenna lib. 4. part. 2. Sect. 2. cap. 6. tertium, & quintum esse potentiores nono; non alio innixus argumento, quàm quòd dies, quò plus à principio discesserunt, eò fiunt debiliores. Imbelle sanè argumentum, cùm ex eo sequeretur, diem septimum esse imbecilliorem quinto, sexto, imò quarto, tertio, & secundo die, cuius contrarium experientia quotidiè suggerit.

Nonus inter Coincidentes potenter decernit.

7.9.14.20. 11. & 6. Crises plurima visa sunt.

Auicenna perstringitur.

De Die Decimo.

Decimo salutaris Crisis, sed quadragesimo terminata.

PYthion lib. 3. Epidem. statim in principio, Decimo die sudauit, sputa subcocta: iudicatus est: vrinæ circa iudicium subtenues. Quadragesimo à iudicio die suppuratio circa sedem, & stranguriosus factus est abscessus: probabile multitudine vrinarum quadragesima sanatum. Galenus in Commentario ait, die decimo bonum iudicium esse factum, sed non absolutum; cùm quadragesimo die, quod reliquum fuit, in duplicem abscessum eruperat, per secessum scilicet, ad modum dysenteriæ, & per vias vrinæ, ad modum stranguriæ: quo modo lib. 1. Epidem. Sect. 2. tex. 41. multos liberatos narrat Hippocrates: Solum verò, inquit, bonum, maximumque inter Signa quæ fiant, quodq; multos à maximis periculis vindicauit, hoc fuit, quibus ad stranguriam diuerterent, & in hanc abscessus fierent. Nomine abscessûs intelligitur hîc excretio: sicuti eodem libro tex. 8. abscessum in dysenteriam fieri dixit. Libro 3. Epidem. Sect. 3. tex. 74. alium Pythionem in Thaso, decimo mortuum refert. Decimo, inquit, manè sine voce, multum frigus, febris acuta, multus sudor, obijt: diebus huic paribus labores. Decimus verumtamen dies adeò rarò iudicat, vt à iudicatorijs diebus eum excluserit Galenus lib. 1. Epidem. Sect. 3. tex. 14. inquiens: Ex paribus parùm rectè dixerunt, vigesimumoctauum, & & decimum, qui nequaquam decretorij sunt.

Strangu- ria Critica, & salutaris.

De Die Vndecimo.

Dies vndecimus satis patēter decernit.

EX ijs, quæ hactenùs de Diebus Decretorijs diximus, constat, vndecimum diem esse Criticum, & insuper Indicem decimiquarti. Hoc interest discriminis inter quartum, & vndecimum, quòd hic potentiùs decernat, vt superiùs cum Galeno monuimus. Proximè enim ad vim decretoriam septimanarum accedit vndecimus: sed fortassis etsi in secunda septimana hic quartus numeretur, non ita exactè decimiquarti Crisim prænunciat; sicuti quartus septimi; quia paulatim, procedente morbo, indices, & decretorij suas amittunt, virtutes. Galenus lib. 2. aphorism. Comment. 23. sequentia de vi Critica scripsit: Etenim vndecimus, nonus, septimus,

Indices paulatim vim decretoriam amittunt.

11. 9. 7. & 5. multi iudicati.

mus, & quintus, multos videntur iudicâsse in libris Epidemiorum. Libro 1. Epidem. constitut. 3. sequentia scripsit: Multi circa Arcturum vndecimo die iudicatione absoluti sunt; neq; his, quæ ob iustam causam fieri solent morborum reuersiones, recurrerunt.

De Die Duodecimo.

GAlenus libro 1. de Dieb. Decret. cap. 2. sequentia scripsit: In duodecimo enim, & decimosexto, nullum vnquàm iudicatum vidi. In septimo, ne vel enumerare omnes adhuc possum. In sexto iudicantur, sed cum difficilibus symptomatis, & periculo maximo: ad hæc, absq; fide, imperfectè, obscurè, sine notis, & ad malum. Hanc fuisse Hippocratis, Archigenis, Dioclis, Philotimi, & Heraclidis Tarentini, aliorumq; veterum sententiam, monet. Rursusq; ait: Nam quod in tot annis septimum iudicantem subinde, simul & absolutè, fideliter, tutò, manifestè, conspicuè, & salubriter: sextum è contrario viderim, non paruum quoddam discrimen (inter decretorios dies) ostendit. Porrò, quòd ego quidem nunquam duodecimum viderim iudicantem: alius autem quispiam rarò, simul & imperfectè, infirmiter, cum periculo, obscurè, sine Signis, & malè. Neque hoc exiguam dierum differentiam indicat. Multi siquidem morbi sunt, qui in septimo die iudicantur absolutè, pariter & securè, tutò, apertè, cum bonis Signis, & dextrè: in duodecimo rari quidem adeò, vt nobis visi sint nondum: &, si cui aliquando ante nos in duodecimo die Crisis euenire visa est, vel imperfecta, vel infida, vel periculosa, vel obscura, vel sine Signis antecedentibus, vel omninò ad malum accidere visa est. Eodem libro cap. 4. repetit se nunquàm vidisse duodecimum, & decimumsextum iudicantem siue decernentem. Capite 5. eiusdem libri adhuc ait: Quemadmodum in his (id est octauo, & decimo) morbus subitò non soluitur, ita nec ijs, quos statim recensebimus, duodecimo, sextodecimo, & decimonono. Medicus inter hos ordines dierum subitò non soluentium, octaui dico, decimi, duodecimi, decimisexti, deciminoni, quos iam retulimus, & tertij, quarti, quinti, sexti, septimi, noni, vndecimi, decimiquarti, decimiseptimi, decimioctaui, vigesimi, decimustertius maximè videtur mihi esse positus; nec scilicet ita reijciendus, sicut hi, qui secundæ sunt notæ (id

Septimus potens.

Septimus potens.

Duodecimo, nec decimosexto vidit Crisim vllam Galenus.

est qui non decernunt) nec ita soluere morbos natus, sicut ij, qui primæ sunt notæ (id est, Decretorij).

De Die Decimotertio.

Dies Decimustertius nec est omninò Criticus, nec non Criticus, sed medius inter Criticos, & non Criticos, vt iam iam in die duodecimo Galenum id referentem introduximus. Quandoq; enim Crisis decimiquarti hoc die decimotertio inchoare visa est, sed decimoquarto, non huic, tribuenda est ex cap. 8. lib. 1. de Dieb. Decretorijs. Lib. 2. de Dieb. Decretor. cap. 8. imbecillimum omnium Decretoriorum Dierum esse refert.

Obiectio. Sed obijciet aliquis febrem tertianam septem circuitibus, qui decimotertio die terminantur, absolui. Ergo die decimotertio Crisis regulariter continget. Tertiana exquisita, septem circuitibus, cum longissima est, iudicatur, inquit Hippocrat. lib. 4. aphor. 59. In Coacis Prænotion. rem eandem, sed paulo aliter, repetit; Tertiana exacta, quinque, aut septem periodis, aut nouem ad summum, iudicatur. Vtroque autem loco extat Græca dictio, κρίνεται, id est iudicatur.

Solutio. Ad hæc responsio est facilis; non diebus, sed accessionibus numerandum esse febrium intermittentium decursum. Vnde septem circuitus integrè numerandi non sunt, sed accessiones tantum, omissa remissionis parte circuitus. Commodè ergo septima, aut quinta, aut nona accessione, tertiana iudicari potest; imò quarta, etsi rarius. Licet enim ab humore biliosо, à quo ardens fit, nascatur, quandoq; in quarta accessione solui potest, cum morbi iudicentur diebus, in quibus accessiones contingunt.

De Die Decimoquarto.

Galenus libro 1. de Diebus Decretor. cap. 5. ait; Septimi naturam decimusquartus maximè imitatur. Libro 2. de Dieb. Decret. cap. 2. septimum decimoquarto similem facit. Hoc enim, inquit, si tibi persuaseris, ac dein experientia perdidiceris septimo die Crisim esse tutam simul, & perfectam, sine periculo, cum bonis Signis, & crebram; ad hæc ei, quæ decimoquarto euenit, assimilem,

Inter septimum, & decimumquartum magna affinitas.

lem, insuper quartum diem septimi esse indicem, vndecimum verò decimiquarti. Libro 3. de Dieb. Decret. cap. 1. ait: Circuitus septimani validissima sunt præditi virtute. Hinc conficitur, decimumquartum diem, qui est secundæ septimanæ vltimus, esse in decernendo potentem, vt ex varijs historijs Epidemicis, & ipso Galeno, abundè percipiet veritatis amator. Est enim decimusquartus, dies radicalis, sicuti septimus, & vigesimus, qui tres septenarij meritò dicuntur, & radicales à Barbaris: quoniam Crises, quæ his diebus superueniunt, diebus indicibus præindicantur, & reliquas perfectæ Crisis notas habent. Vt ergo morbi peracuti die septimo iudicantur, ita acuti die quartodecimo, aut citiùs. Ideo Hippocrates libro 2. Aphorism. 23. scripsit: Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Quoniam de virtute Critica decimiquarti nemo hactenus dubitauit, vt ex Galeno colligitur lib. 1. de Dieb. Decretorijs cap. 3. & lib. 2. de Dieb. Decret. cap. 4. aiente: Etenim vsque ad decimumquartum nulla de diebus est inter Medicos dissensio, non est de eo vlterior protrahendus sermo. Est enim Criticus, quia secundæ septimanæ dies vltimus, & consequenter septimus. Non enim quatenùs arithmeticè par est, tanta pollet decernendi virtute, sed quatenùs septenarijs duobus primis, qui omnibus potentiores sunt, constat.

4. 11. 7. 14. Septimani circuitus potentes.

Septimus, decimusquartus, & vigesimus radicales dicuntur, & quare.

De Die Decimoquinto.

HIc Dies adeò est obscuræ notæ, vt vix eius meminerit Galenus, etsi diligentissimus indagator veritatis. Facit noctis decimæquintæ mentionem lib. 1. de Dieb. Decretorijs cap. 7. non quòd vllam ei concesserit decernendi virtutem. Archigenes diem decimumquintum tertiæ hebdomadæ primum statuit, quia vigesimumprimum, & vigesimumoctauum, Dies Decretorios esse statuit, & decimumoctauum vigesimiprimi indicem.

Archigenes de 15.

Decimiquinti meminit Hippocrates libro 2. Epidem. Sect. 2. vbi inquit: Hieroni facta est iudicatio decimaquinta die. Item lib. 4. Epidem. Fæminam quæ in Bulagoræ Villa depurgata est, & ex splene, id est ex inflammatione splenis, febricitare cæpit, introducit, eique decimoquarto rigorem, & mox sudorem accidisse narrat. Proinde tamen iudicata non est. Licèt enim decimustertius, & de-

Crisis facta 15. die.

cimusquintus dies sint impares, dies tamen decimusquartus duobus septenarijs constans, semper quasi accessiones & Crises arripit, atque adeò prædicti dies propè tam validum Diem Decretorium extantes, obscuri manent, & veluti inertes. Si enim Signa Crisis, decimoquarto futuræ, contingerent die decimoquinto, bona Crisis non fieret; quia fides exquisita iudicij à die sigillatur ac obsignatur ex Galeno lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 7. Hippocrates lib. 1. Epidem. comment. 3. ægroto 5. ait: Quintodecimo vomuit biliosa (erat Vxor Epicratis) flaua, satis multa; sudauit, libera à febre; sub noctem verò febris acuta, vrina crassa cum candido sedimento. Ecce vt Crisis etiam imperfecta toto hoc die cum fructu persistere non potuit.

De Die Decimosexto.

IN die duodecimo Galenum introduximus, adimentem decimosexto æquè, ac duodecimo, omnimodam decernendi potestatem.

De Die Decimoseptimo.

Diocles, & Archigenes decimumoctauum indicem, & vigesimumprimum Criticum esse voluere.

Germani Fratres eadem hora febricitare īcæperunt: vnus septimo, alter sexto iudicatus.

DIximus in antecedentibus, hanc diem esse tertiæ septimanæ quartum; adeòq; vi Critica frui, more quaternionum, esseq; insuper vigesimi diei indicem. Hunc diem vi Critica pollere, docet Galenus ex Historijs Epidemicis libro 3. de Dieb. Decret. cap. 3. & quidem accuratè; quoniam de hoc, & vigesimo die, non parua lis orta est inter Archigenem, & alios plures Medicos Hippocraticos: quia ille diem decimumoctauum indicem statuit vigesimiprimi, quem, & non vigesimum, decretorium esse voluit. Ex aduerso, cum Hippocrate plerique consentiunt, decimumseptimum esse Criticum, simulq; vigesimi indicem. Galenus ergo citato iam loco, ex lib. 1. Epidem. Sect. 2. Constitut. 4. tex. 18. sequentia transtulit: Crisis conuenienti admodùm ordine plurimis his contigit decimoseptimo die cum remittentibus. Et paulò post ex eodem lib. 1. Epidem. Tempest. 2. textu 83. sequentia transfert: Quippe Fratres duo Epigenis eâdem simul horâ febricitare incæperunt. Decubuerunt iuxta theatrum. Natu maioris morbus sexto, Iunioris

ris ſeptimo die iudicatus eſt: remiſit diebus quinq; alteri, ſex diebus alteri. Inde eâdem vtrique horâ reuerſus eſt. Poſt vniuerſus morbus vtriq; pariter decimoſeptimo die in Criſim incidit. Sequentia ex eodem libro 1. Epidem.tranſcripſit: Plurimis ſexto die iudicium de morbo euenit. Remiſſiones eius diebus ſex durârunt. A reditu quinto die Criſis ſubſequuta eſt. Hìc manifeſtè obſeruat Criſim poſt remiſſionem acceſſiſſe die quinto, hoc eſt, decimoſeptimo, à morbi exordio. Sed his adhuc ſubiungit Hippocrates: Quibus ſeptimo die Criſis aduenit, ſeptem quoq; diebus remiſsiones habuerunt: Poſt recidiuam tertio die iudicati ſunt; hoc eſt, hi quoq; ægri in vniuerſum decimoſeptimo Criticè ſanati ſunt; vt ex Hippocratis verbis clarè colligitur. Poſt hæc rursùs idem Hippocrates ſequentia ſcripſit: Quibus iudicium quinto die obuenit, & febris ſeptem diebus remiſit: deinde reuerſa triduum eos exercuit, rurſus die vno remiſit, altero redijt. Et his decimoſeptimo die de morbo iudicium contigit, vt ex dictorum dierum recto computo vnicuique perſpicuum fit: Quinetiam, inquit Galenus, alios quoſdam ſexto die Criſim paſſos ſcribit: ſex item diebus morbum remiſiſſe: deinde reuerſum tribus diebus occupâſſe:poſtea remiſiſſe rurſùs die vno: altero ipſius recidiuam accidiſſe: ideſt, decimoſeptimo, in quo iudicium factum fuit. Verùm alios quoſdam ſexto die judicatos eſſe commemorat: ſeptem diebus morbum ceſsâſſe: poſt hæc repetijſſe: & quarto die, hoc eſt, in ſumma decimoſeptimo, Criſi fuiſſe diſcuſſum. Cæterùm non contentus toto hoc ſermone Hippocrates, etſi eo ipſo poſſet magnopere oſtendere decimiſeptimi diei fortitudinem in iudicio, intulit: Nulli ægroto hac ratione recidiuam eſſe factam cognoui. Quare, inquit Galenus, non ſolùm frequenter decernere decimuſſeptimus, ſed etiam firmiter, idoneus eſt. Non igitur eſt ex decretorijs Coincidentibus, ſed validis, & primis annumerari debet. Hæc prolixè inueſtigauit Galenus, non ſolùm, vt probet decimumſeptimum eſſe Criticum, ſed vt preterea conficiat eum eſſe vigeſimi indicem; & vigeſimum, non vigeſimumprimum, eſſe decretorium. Stabilita enim hac doctrina, corruet Dioclis, & Archigenis opinio, quæ decimumoctauum Criticum, ſimulq; vigeſimiprimi indicem ſtatuit.

Sexto die multi iudicati.

Dies remiſſionis vna cum diebus febris enumerat.

Decimuſſeptimus eſt validus decretorius.

Cæterùm, verba vltimo loco ex Hippocrate translata, non ſunt eius contextui valdè congrua, vt ex his eius verbis conſtat: Neque

quempiam noui superstitem fuisse, quem recidiuæ ritè factæ non repetierint: omnesq; seruabantur, quos equidem noui, quibus hoc genus recidiuæ euenerunt. Neque ægrotantium hoc modo quemquam noui, quem recidiua iterum repetijt. Plurimi, qui perierunt ægri, sexto die sunt defuncti: vt Epaminundas, Silenus, & Philiscus Antagorei filius. Hæc meliùs rem exponunt, quàm verba hæc à Galeno citata: Nulli ægroto hac ratione recidiuam esse factam cognoui.

Difficultas. Sed animaduersione digna sunt, quæ ex Hippocrate in antecedentibus transtulit Galenus. Frequentissimè enim die sexto facta fuit Crisis ad meliorem statum, quamuis recidiua deinceps apparuerit, non solùm in morbis recipientibus iudicium die sexto, sed etiam septimo. Cur ergo tam feruenter Galenus, vt in die sexto vidimus, in diem sextum perorauit? quocunque enim modo febris remiserit, periculum abesse significat, vt testatur Hippocrates lib. 4. Aphorism. 43. Sed remittebat modò per sex, modò per septem dies, dum ad meliorem statum die sexto Crisis fieret. Ergo periculum abesse remissio illa significabat; vt experientiâ compertũ est.

Altera difficultas. Notandum præterea, Galenum enumerâsse vnà cum diebus, in quibus morbus ægrum malè exercebat, dies remissionis, & febre vacuos, vt decimumseptimum Criticum constitueret; cùm tamen alibi contrarium obseruet vsum numerandi dies ægritudinum. Non enim dierum, sed accessionum numero febres dimetitur intermittentes, vt superiùs monuimus. Vnde Hippocrates non quatuordecim, aut quindecim diebus tertianam terminari docuit, sed septem circuitibus, aut septem accessionibus. In quartanæ similiter decursu, quis inter morbi dies enumerare auderet intermedios binos dies febre vacuos? Imò, quod durius est, & longè difficilius, Galenus lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 13. & vltimo, exponens aphorismum 23. lib. 2. in quo quartumdecimum absolutè acutis terminum statuit Hippocrates, docet eosdem morbos quandoque, tanquàm submersos lento, grauiq; motu, in primo quaternario procedere; celeremque suum motum inchoare vel primo, vel in secundo quaternione; adeoq; decimoseptimo, aut vigesimo decerni. Sed reuerà hunc diem decimumseptimum, aut vigesimum morbi, esse decimumquartum acuti: quoniam soli dies, in quibus celeriter, & vehementer morbus mouetur, numerandi sunt, relictis primis diebus,

bus, in quibus morbus lento gradu procedebat. Hæc ſanè, ſaluâ Galeni pace, mihi non mediocrem pariunt difficultatem, dum eiuſdem Galeni ſententiam amplector, & tueor.

Solutio deſideratur.

Verùm Hippocrates lib. 2. Aphoriſm. 36. manifeſtiſſimè diem decimumſeptimum inter decretorios enumerauit: eumq; diem indicem ſtatuit lib. 2. Aphoriſm. 24. quem in antecedentibus citauimus, & tranſcripſimus: Contemplabilis, inquit, rursùs decimuſſeptimus, quippe quartus eſt à decimoquarto, ſeptimus verò ab vndecimo. Licèt enim diem vigeſimum ibidem expreſsè non nominauerit, perindè eſt; quoniam ſtatim in aphoriſmi exordio ait: Septenorum, ſiue ſeptimorum, ſiue hebdomadis, quartus eſt index. Sed decimuſſeptimus, ex ipſo, eſt tertiæ, hebdomadę quartus. Ergo & index. Tertiæ verò hebdomadis vltimus, eſt vigeſimus. Ergo decimuſſeptimus eſt vigeſimi index, vt quartus ſeptimi, & vndecimus decimiquarti. Libro 1. de Dieb. Decretor. cap. 13. docet Galenus, Criſim, quæ quandoq; decimumquartum præterijt, decimoſeptimo aduenire. Libro denique 2. de Dieb. Decret. cap. 4. alijs Hippocratis teſtimonijs diem decimumſeptimum decretorium eſſe, & indicem, docet.

Decimuſſeptimus eſt verè decretorius, & index.

De Die Decimooctauo.

STante Doctrina antecedenti de Die decimoſeptimo, dies decimuſoctauus decernendi, ſimul atq; indicandi poteſtate deſtituitur. Libro 2. de Dieb. Decret. cap. 4. varijs hiſtorijs Epidemicis hanc doctrinam confirmat Galen. Nullum enim fortius argumentum eo, quod ab experientia deſumitur. Cùm ergo certa experientia in varijs ægris variarum tempeſtatum comprobauerit Hippocrates, die decimoſeptimo, & vigeſimo, plures bonas, malaſque Criſes contigiſſe, decimo autem octauo, nec vigeſimoprimo, vllas ſuperuenire, decimuſoctauus, & vigeſimuſprimus ex albo decretoriorum dierum delendi erunt. Quòd autem decimumſeptimum cum decimooctauo conferret Hippocrates, quodq; illum hoc omnimodè potentiorem experientia oſtendiſſet, non modica lis inde orta eſt. Iuxta tamen vtramque ſententiam, Hippocratis nimirum, & Dioclis ac Archigenis, Galenus libro 1. de Dieb. Decret. cap. 13. & vlt. ſequentia ſcripſit: Conſiderandum autem hîc totius mor-

bi motus, aliaque symptomata omnia,& indicia, vtrum decimoseptimo, vel etiam decimooctauo Crisis speranda sit, an longiùs progressura: interdum enim in his quoq; iudicatur, plerumque vigesimo, interim vigesimoprimo. Index autem amborum est decimusseptimus, & magis vigesimi: decimusoctauus autem solius vigesimiprimi. Hæc enim de decimooctauo, & vigesimoprimo, in gratiam grauissimorum Virorum, Dioclis, & Archigenis, non ex propria sententia, pronunciauit Galenus, qui expresse duos dictos dies omninò abigendos à censu decretoriorum dierum docet.

Videtur Galen. decimooctauo, & vigesimoprimo tribuere vim Criticam. Dubio occurritur.

De Die Decimonono.

Die decimanona nemo, quod sciam, iudicatus est in Epidemijs: adeoque nullam ei Criticam virtutem concedit Galenus.

De Die Vigesimo.

Dies vigesimus acerrimum inter multos certamen excitauit: Eum Criticum esse experientiâ comprobauit Galenus lib. 4. Aphorism. 71. & in Opere de Dieb. Decretorijs. Et Hippocrates lib. 1. Epidem. Sect. 1. Tempestate 1. tex. 36. sequentia scripsit: Inter eos autem, quibus erant breuissimi morbi, ij ad vigesimum diem iudicatione soluebantur, plerisq; verò ad quadragesimum, nonnullis etiam ad octogesimum. Est vbi ne sic quidem, sed errabundè, & nulla obseruata iudicatione quibusdam desinerent. Horum quoque plurimis, quæ non longo post interuallo remiserant, febres reuersiones fecerunt, ijsdemq; dierum ambitibus post ipsas reuersiones iudicabantur, earumq; nonnullæ ægros ita produxerunt, vt sub hyemem affligerentur. Ex his autem omnibus, qui in hac temporis constitutione descripti sunt, solis tabidis lethalia cõtigerunt, in alijs verò febribus nequaquàm obuenere lethalia vlla. Eodem lib. Sect. 2. tempestate 3. tex. 65. ait: Erant qui sexto die morbo regio afficerentur: sed his purgatio profuit per vesicam, vel turbata aluus, vel larga sanguinis eruptio: vt Heraclides, qui apud Aristoclidem decumbebat; cui per nares sanguis erupit, aluus fuit turbata, & per vesicam est purgatus: Vigesimo autem die iudicatus est longè aliter, ac Phanagoreon seruus, qui, cùm nihil horum ipsi eueniret,

Vigesimo, quadragesimo, & octogesimo, nonnulli iudicati sunt.

Errabundè, & sine Crisi desiere quædã febres. Recidiuæ.

Morbus regius malè accedẽs, aduenientibus vacuationibus cessabat fœliciter.

niret, perijt. Ecce Heraclides vigesimo die fæliciter iudicatus triplici superueniente Critica euacuatione, hæmorrhagiâ, alui profluuio, atq; vrinæ pariter profluuio. Die autem sexto morbus regius, siue Icterus, multis superueniebat, sed ante tempus debitum; nam vt Criticè superueniat, dies septimus expectari debet. Vnde Hippocrates lib. 4. Aphorism. 62. Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum. Morbus regius, inquit Galen. in Comment. fit aliquando iudicatorius, deponente naturâ in totum corpus, & præcipuè in cutem, flauam bilem: aliquando etiam symptoma, hepate malè se habente. Ipsius verò hepatis vitia, ex quibus morbus regius solet aduenire, tria sunt, scirrhus, inflammatio, & obstructio. Verùm scirrhus quidem diutinus morbus existit: inflammatio verò, & obstructio, etiam repentè fieri possunt. In Commentario postea docet Galenus, impossibile esse ante diem septimum bilem ad cutem Criticè euacuari. Vnde infertur, die sexto semicriticè, si non symptomaticè, bilem in hepate collectam ad cutem fuisse deturbatam: Sed per alias vias corpus rursùm Criticè euacuatum idoneè fuisse. Eodem lib. 1. Epid. Sect. 2. tex. 84. sequentia scripsit Hippocrates: Quibus autem tubercula (erant parotides) secundùm aures essent, his die vigesimo iudicabantur: restincta omnibus sunt, quibus non suppurârunt, sed ad vesicam deflexerunt. Cratistonactæ, qui apud Heraclium habitabat, & Scymni Pictoris ancillæ, suppurârunt parotides, & obierunt. Quibusdam septimus dies iudicium attulit, nouem diebus remissiones fuerunt: post repetitionem morbi quarto die Crisis aduenit, in vniuersum videlicet vigesimo. Ad hos deinceps addit nonnullos (inquit Galenus lib. 2. de Dieb. Decret. cap. 3. vbi Hippocratis textum clarè transcribit): Quibus septimo die Crisis apparuit, sex diebus remissiones, mox repetitio morbi, deinde septimo iudicium. Summatim vigesimo. Postea paululùm progressus Hippocrates (tex. 85.) ait: Hyeme sub Solstitium Brumale, & vsque ad Æquinoctium, febres ardentes perdurabant, & Phrenitides: multi diem suum obibant: iudicia tamen variârunt: & plurimis die ab initio quinto iudicabatur, quarto intermittebat, repetebat, ab recidiua quinto iudicabatur: numerus dierum totus quatuordecim. Atq; pueris plerisque, ætate etiam prouectioribus, iudicabatur. Nonnullis iudicabatur vndecimo, repetebat quartodecimo; iudicabatur

Triplici euacuatione Critica superueniente Heraclides sanatus est.

Morbus regius ante septimum in febribus apparens, malum.

Icteri causæ.

Parotides vigesimo die sanatæ sūt vrinæ profluuio.

Recidiuæ Criticè terminatæ.

Recidiua decimoquarto iudicata.

Recidiua vigesimo terminata.

exa-

Quadragesimo recidiua terminata.

exactè vigesimo. Quòd siqui superrigerent circa vigesimum diem, his iudicabatur quadragesimo. Superriguerunt autem pleriq; sub iudicium primum. Aliqui superriguerunt à principio sub iudicium, & in recidiuis vnà cum iudicio.

Res rara parotides crudas per infernas euacuationes terminari.

Parotides maturæ erant, sed humor in venis occlusus, qui febrẽ causabat, non erat coctus: mortuus ideo æger.

Duo ab Hippocrate, textu superiori 84. notatu digna, cum Galeno in commentario, obseruanda. Nam parotidas, inquit Galenus, curatas esse citra suppurationem, excretionibus per regionem inferiorem, exemplum est parùm frequens. Eius tamen nouitatem excedit, quod in hoc sermone scripsit, Cratistonactem, & Pictoris ancillam, cùm tubercula secundùm aures suppurâssent, perijsse. Nam cum hac doctrina pugnat altera Hippocratis superiùs tex. 45. scripta: Coctiones celere iudicium, & securam sanitatem promittunt. Galenus consequutiuè huic obiectioni sic respondet: Sed ne nunc quidem causæ febrium, quæ intra venas continerentur, erant concoctæ Cratistonactæ, & ancillæ pictoris; nam non obirent. At parotides erant tamen maturæ, quod infrequens esse, & debere memoriâ teneri dicebam. Nam posse fieri quapiam in parte priuatim concoctionem, toto morbo non concocto, non est dubium. Huic doctrinæ affinis est altera, quam habet Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 18. in historia Anaxionis febre acuta, & lateris dolore affecti; vt habetur lib. 3. Epidem. Sect. 3. tex. 79. In Abderis erat Anaxion, qui habitabat circa portas Thracias. Febris acuta inuasit hominem: lateris dextri dolor continuus aderat: tussis sicca, neq; expuebat primis diebus: sitibundus erat, & peruigil; vrinæ benè coloratæ, tenues, & multæ. Sexto die delirauit, à concalefactionibus nulla fiebat doloris remissio. Septimo die grauiùs se habuit: nam, & febris intendebatur, neq; dolores minuebantur, & tusses infestabant: difficilemq; habebat anhelitum. Octauo die venam in cubito secui: sanguis multus effluxit, qualem oportuit: dolores remissi sunt; tusses tamen siccæ insequebantur. Vndecimo autem die febres factæ sunt minores, parum circa caput sudauit: tusses, & quæ exibant a pulmone humidiora erant: decimoseptimo cæpit quædam pauca concocta expuere, leuatus est. Vigesimo sudauit, febre liberatus est: post hanc Crisim leuatus est: siticulosus verò erat, neq; à pulmone bonæ erant expurgationes. Septimo & vigesimo febris redijt, & tussijt; eduxit concocta multa: vrinis subsidentia multa & alba, sine siti restitit, & benè spirans factus est. Quar-

Anaxioni secta vena liberaliter octauo die.

Trigesimoquarto Anaxion pleuritide laborans, per sudorẽ sanatur a recidiua.

Quarto & trigesimo die sudauit per totum corpus: sine febre restitit, atq; ex toto iudicatus est. Huic sanè, inquit Galenus, & alia, quemadmodum supposuimus, videntur aduenisse. Et de vrinis, quamuis non pluries (quemadmodum consueuit in alijs ægrotis) sed bis saltem mentionem faciens, in principio quòd tenues essent: in septimo & vigesimo die subiungens, vrinis subsidentia multa, & alba: palam facit, inquit Galenus, tum primum exquisitè coctas vrinas minxisse: propterea igitur (vt & antea dixi) in die vigesimo Crisim quandam habuit, sed imperfectam quidem, quoniam in decimoseptimo cæpit quædam cocta expuere, non tamen integra Crisis subsequuta est; quoniam nec exquisita coctio vrinarum, aut sputorum: propterea igitur inquit; Erat autem siticulosus, atque ex pulmone non erant bonæ expurgationes. Hic igitur nobis ad memoriam reuocans, quod rectè dictum est (lib.2.aphor.12.& lib.2. Epidem.Sect. 3.) Quæ relinquuntur in morbis post Crisim, reuersionem facere consueuerunt: vnde ait in historia præfata Hippocrates: Septimo & vigesimo redijt febris, tussijt, eduxit concocta multa, vrinis multa subsidentia alba, sine siti restitit. Nam cùm antea dixisset, quòd in tempore intermedio post vigesimum diem, & sitis remansit, & à pulmone nō erant bonæ expurgationes, deinceps inquit, quòd in septimo & vigesimo die, facta reuersione, febricitauit, sine siti autem restitit, & bona expuere cæpit, in vrinis subsidentiam habebat multam, atque albam. Hoc igitur est quòd priùs dicebatur, quòd videlicet in morbis febrilibus tale quid accidit, quale in ijs, quæ suppurantur, inflammationibus. Sicuti enim ibi (id est lib.2.aphor.47.) docetur ab Hippocrate: Cùm generatur pus, & dolores, & febres, præcipuè contingunt: ita & hîc, dum concoquuntur humores, qui febrem inducunt. Sic igitur, & in Anaxione, quantum ex prima illa Crisi defecta (facta die vigesimo) relictum erat, hoc rursùs efferuescens in coctionis tempore, illam febrem generauit (vigesimoseptimo die), quæ antecessit secundam Crisim factam die trigesimoquarto. Hoc verò à naturali calore, non autem febrili, prouenisse, dierum natura non minimè indicabat: Primùm enim vndecimus bonam, sed obscuram incæpit coctionem: deinde decimusseptimus Signum coctionis manifestius ostendit; deinde vigesimus Crisim, imperfectam: Post hunc verò septimus & vigesimus integræ coctionis indicia dedit. Propterea

Vigesimo Crisis imperfecta facta est.

Sputa cocta. Subsidentia cocta.

Quod in suppuratione contingit, in febribus pariter.

Vndecimus. Decimusseptimus. Vigesimus. Vigesimusseptimus.

subinferens, ait Hippocrates cit. lib. 3. Epidem. in illa Anaxionis historia: Quarto & trigesimo die sudauit per totum corpus, sine febre restitit, atque ex toto iudicatus est. Liquet enim, quòd in trigesimoquarto die, qui septimus est post septimũ & vigesimum, concoctæ sunt simul, & excretæ omnes ægritudinis causæ, per vrinas quidem, quæ febres faciebant; per sputamina verò, quæ thoracem infestabant. Oportet autem huius meminisse sermonis, & ob præsentia, & ob illa quæ dicenda sunt: & hæc tria inuicem differre arbitrandum, & obscuram coctionem, & manifestam, atque perfectam. Obscura enim in vndecimo; manifesta verò, in decimoseptimo; perfecta verò in vigesimoseptimo facta est: post quem in omnibus septem diebus subsequentibus morbus solutus est: & totum hoc tempus status fuit.

Per sudores etiam tenuiores humores febrẽ causantes euacuantur.

Obscura, manifesta, & perfecta coctio.

Hæc Galeni doctrina distinctè nobis indicat, coctionem humorum requiri, vbicunque peccant: diuersos enim morbos humores diuersi, aut non diuersi, sed diuersa loca in corpore occupantes, quotidiè procreant, quorum omnium concoctio necessaria est, vt ægro sanitas restituatur. Igitur cum æger Pleuritide laborans, gemino infestetur morbo, & inflammatione pleuræ siue membranæ interiùs succingentis costas, & febre simul acuta, suam causam & mineram in venis, & arterijs habente, non solùm coctio humoris in phlegmone, sed alterius humoris in vasis occlusi, requiritur, vt æger saluetur. Res visa fuit in Anaxione, cui octauo die venam in cubito secuit Hippocrates, quòd die septimo malè se habuerit. Vndecimo quædam coctionis rudimenta apparuere; quia eo die incæpit liquida quædam expuere. Decimoquarto non conualuit, sed decimoseptimo sputa excreuit pauca, sed cocta, quæ indicabant Pleuritidem fuisse in augmento, & extra principium. Die vigesimâ facta fuit Crisis, siue subita mutatio, non ad integram salutem, sed ad meliorem statum, vt ostendit recidiua facta die vigesimoseptimo, in quo perfectæ coctionis Signa apparuêre, tam in sputis, quàm in vrinis. Sputa ergo coctionem indicabant materiæ fouentis inflammationem siue phlegmonem; subsidentia, siue sedimentum album & copiosum in vrina apparens, coctionem materiæ fouentis febrem: Cùm vtraque materia vtrumque morbum, phlegmonem scilicet pleuræ, & febrem committens, paulatim euacuaretur, & integrè concoqueretur vsq; ad diem septimum sequentis

heb-

hebdomadæ, qui erat morbi trigesimusquartus, in hoc natura triũphans vltimam manum operi adhibens iudicio morbum vtrumq; superauit, sudorem excitans copiosum, calidumque, per vniuersum corpus. Sic enim morbi vtriusque seminaria protinùs abacta sunt.

Non sine ratione Galenus superiùs admiratur, crudas parotidas nullum coctionis rudimentum in se præmonstrantes, curari per excretiones factas deorsùm per vias vrinæ: nam cùm parotides essent abscessus, morbiq; distincti à febre, concoqui maturarique deberet materia in eis inclusa, æquè ac illa, quæ febrem in venis fouebat, vt Criticè sanarentur. Nam, vt in superioribus sæpè præmonuimus, siue Criticè, & salubriter, siue per simplicem solutionem morbus terminetur, coctio humoris inclusi semper necessaria est. Maiorem adhuc admirandi ansam tribuit aliud Hippocratis effatum, parotides ad suppurationem peruenisse in Cratistonacte, & Pictoris (aut Fullonis, vt loquitur quidam) ancilla, hos tamen postea perijsse. Solutionem rei dedit Galenus, ægros hos obijsse ratione febris, cuius causa in vasis occlusa coctionem non recepit: proindeq; febris naturam longè superans, ægros enecauit præfatos. Anaxion verò, etsi duplici morbo laboraret, quia tamen denuò, tam in sputis, quàm in vrinis simul, Signa apparuêre coctionis, & consequenter salutis, perfectè conualuit.

Dubio occurritur.

Duo in præfatâ Anaxionis historiâ notanda. Primum, Galenum nullum aliud posuisse Signum imperfectæ Crisis factæ vigesimo die, præter sitim, quæ remansit vsq; ad vigesimumseptimum diem. Et quidem iuxta Hippocratis doctrinam, qui lib. 6. Epid. Sect. 2. Sententiâ, siue textu 8. inquit: Quoniam eorum, quæ profluunt, quid intus relinquitur, idcircò sitis intùs remanet, & oris siccitas, ac insuauitas, & cibi fastidium. Eadem ergo accidentia sine Crisi apparentia, semper humorum superfluitatem indicant: vt ex hac, & alia Hippocratis doctrina lib. 4. aphorism. 17. colligitur: Non febricitanti, inquit, cibi fastidium, oris ventriculi morsus, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo, purgatione per superna opus esse significant.

Sitis, cibi fastidium, & oris insuauitas indicant humorem morbificũ non fuisse purgatum integrè.

Secundum, quod obseruari debet, est, quòd Galenus pronunciauerit, humores superfluos intùs in corpore relictos, tempore, quo concoquuntur efferuescere vi natiui caloris, non verò febrilis.

Id ipse nō aliundè colligit, quàm ex eo,quod diebus indicibus coctionis Signa apparuere, & diebus verè Criticis facta fuerit Crisis. Hæc doctrina suauiter, & benignè interpretari debet; nimirum, tunc calorem natiuum prædominari materiæ morbificæ, & calori febrili putredinoso. Nam à solo calore natiuo feruorem istum excitari, coctionemq; humoris celebrari, est contra ipsummet Galenum lib. 2. Aphorism. 47. vbi pus malè olens à putredinoso calore fieri docet: veram alimenti coctionem à calore natiuo; pus verò laude dignum, ab vtroque calore, naturali scilicet, & febrili simul. Galeni verba sunt hæc: Pus ex sanguine ortum habet, qui semimalam (vt quispiam dixerit) habet transmutationem. Nam mala simpliciter, cum putrefactione, fit olida: sicuti, quæ simpliciter optima, est ipsa nutritio partium animalis: at, quæ pus generat, medium inter has obtinet locum: neq; à solo calore extra naturam, neque à solo calore secundùm naturam procedens. Mixtus enim quodammodò ex vtrisq; est calor inflammationis. Fit autem dolor, extentâ simul, ac calefactâ præter naturam inflammatâ particulâ. Febres verò sequuntur principio (id est Corde) concalefacto: & hæc ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione, atq; exustione sanguinis; qui, vbi ex toto exustus fuerit, residuū eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exustione cinis: atque ideò tempore illo dolores sedantur, ac febres, præsertim cùm pus fuerit excretum, vtpotè iam consumpta quidem materia, extinctaque illa ignea caliditate.

Pus non à solo calore natiuo generatur.

Dolor, & febris dum pus fit vnde.

Doloris, & febris cessatio.

Galenus vbique vrinarum sedimentum cum pure comparat. Sicuti ergo pus conficitur ex sanguinis crassiori parte putrefacta, resoluta per poros parte tenuiori, & maximè biliosa, caloris natiui, simulq; caloris præter naturam opera, similiter sedimentum vrinarum, non à calore naturali solo, sed ab hoc præcipuè, & à calore præter naturam simul generatur ex humore putrefacto, & febrem generante. Et sicuti in Phlegmone dolor à distensione partis, simul & calore, oritur, & distensio ab humore incluso ebulliente siue efferuescente, maioremque locum ideò quærente, ita in febribus continuis & ardentibus fit. Sanguis autem vniuersus immodicè in vasis feruens, eadem vasa distendit, cùm rarefactus maiorem expostulet locum. Ex hac autem vasorum distensione dilatationeque, simulque ardore vaporum fuliginosorum adurentium, & exitum quæ-

Vrinarum sedimētum à calore natiuo, & præter naturam.

Dolor quidam internus in vasis cōtinuè febricitantium vnde.

quærentium, nascitur interna illa anxietas, & inquietudo tanta, vt ægri in vno loco diu stare nequeant: sese enim voluunt, reuoluuntque, quasi semper, in lecto. Ad hanc verò anxietatem & molestiam, accedit & alia præcipua, quæ in cordis ventriculis nascitur propter consimilem, aut multo maiorem efferuescentiam, quæ quidem perpetuò fouetur à vaporibus calidis ex vasis ad cor continuò transmissis. Phlegmone verò, sola dum vexat, febrem efficit symptomaticam, partes paulatim calefaciendo, donec tandem calor ille præter naturam ad cor perueniat: per vasa etiam ex parte inflammata quidam calidi & adurentes vapores ad cor transferuntur, qui calorem adaugent præter naturam, in corde, iam accensum. Vt vt sit, quidquid ex massa sanguinaria inflammata corruptum est, & putrefactum, caloris potissimum natiui operâ mitigatur, subigitur, & in quandam substantiam, vasorum albedinem referentem, redigitur, vnàq; cum vrinis rursùs excernitur; & cum puri probè confecto, materia illa à vasis integrè subacta, & cum vrinis excreta, assimiletur, & pus nequaquàm à solo calore naturali, sed ab hoc, simul & calore præter naturam, conficiatur, hinc est, vt humor ille, qui sedimentum in vrinis dicitur, à naturali, simul & præter naturam calore in talem statum & naturam redactus fuerit. Verùm, quia sedimentum album, læue, & æquale, naturam longè superiorem esse morbo demonstrat, ideò Galenus feruorem illum humorum à calore natiuo, vtpotè præcipua causa, non à calore febrili fieri docuit. Dum enim viget vasorum natura, fit superfluorum humorum quædam concoctio, in quantum ijdem humores concoqui possunt, vt à bonis succis separentur integrè, rursùsque excludantur.

Vnum ex ardentis, aut vehementis febris Signis est, in vno lecti loco quiescere non posse.

Galenus exponitur.

Hæc omnia, vnà cum Anaxionis historia, non mediocrem adferunt claritatem ijs, qui tempora morborum, & perfectas imperfectasque Crises discernere cupiunt.

De Die Vigesimo, & Alijs.

De Diebus Decretorijs vsq; ad decimumquartum, nulla controuersia.

ETsi, quæ dicta sunt, sufficerent, alia tamen testimonia ex Hippocrate, cum Galeno lib. 2. de Dieb. Decret. cap. 4. in fauorem diei vigesimi, addere placet. Etenim, inquit Galenus, vsque ad decimumquartum nulla est de Diebus inter Medicos dissensio.

Ve-

Verùm ſequentium hos ordo totus ab illis confunditur; quia nonnulli non adeò experientiæ mentem, ſed rationi ſoli adhibent; quo factum eſt, vt integras hebdomadas putent eſſe complicandas. &c. Ordinem verò dierum experientiâ comprobatum ipſe ex Hippocratis varijs textibus Epidemicis in medium profert. Lib. 1. Epidem. Sect. 2. tex. 76. hæc habentur: Phreniticis autem, quæ ſupra ſunt ſcripta, omnia non acciderunt. Iudicabantur ferè die vndecimo: nonnulli vigeſimo. Eodem lib. Sect ſiue Comment. 3. textu 20. Herophon, qui primis diebus Signa videbatur habere lethalia, nono die ſudauit, iudicatus eſt, & acuta febris, qua laborabat, remiſit: quinto rursùs die, ideſt decimoquarto, redijt febris; ſimulque ſplen intumuit: die decimoſeptimo per ſudorem iudicatus eſt. Textu ſequenti 21. Philini Vxor, quæ filiam pepererat, quæque ex naturæ præſcripto purgata erat, decimoquarto die à partu, igne ſiue febre ardente correpta eſt: decimoſeptimo die intumuit, vigeſimo obijt. Textu 22. ſequenti, Epicratis vxor ægrotabat inſtante partu: tertio die filiam peperit. Poſtridie partûs eam febris acuta inuaſit: & rursùs vndecimo ſudauit, minxit meliùs colorata, quæ multum habebant ſedimenti, commodiùs habuit. Et rursùs: Circa diem vigeſimumſeptimum febre erat libera: Vrina ſedimentum habuit. Et rursùs: Quadrageſimo die pauca vomuit bilioſa, iudicata eſt: & ab igne liberata prorsùs eſt die octogeſimo. Textu 23. Cleonactides octogeſimo per ſudores & vrinas iudicatus eſt: quanquàm antea ſexageſimo per vrinas iudicatus fuerit, ſed imperfectè. Textu 24. Meton die quinto per hæmorrhagiam iudicatus eſt. Textu 27. Quadrageſimo die Clazomenius iudicatus eſt per alui profluuium tenue, & per vrinas: ſicuti antea Criſi imperfecta, die vigeſimo. Libro 3. Epidem. Comment. 1. tex. 23. quidam in Dealcis horto decumbens vndecimo die ſudauit à febre liberatus: decimoquarto redijt febris: quadrageſimo per alui fluxum, & ſudores iudicatus eſt. Comment. 3. tex. 77. Quarto die per ſudores Pericles iudicatus eſt. Textu 78. Abderæ Virgo in Templi veſtibulo decumbens, vigeſimoſeptimo die, per ſudores iudicata eſt. Textu 80. Abderæ Heropyto, centeſimo & vigeſimo, mediante alui fluxu, & rursùs mediante dyſenteria iudicatus eſt. In textu Hippocratis biſcenteſimus, non centeſimuſvigeſimus, legitur: Galenus tamen, & rectè, centeſimumvigeſimum enumerat. Nam poſt

Vndecimo, & vigeſimo die Criſes.

Nono Criſis.

Decimoſeptimo Criſis.

Vigeſimo Philini Vxor obijt.

Vndecimo Criſis.

Vigeſimoſeptimo Criſis.

Quadrageſimo Criſis.

Octogeſimo Criſis.

Sexageſimo Criſis.

Die quinto Criſis.

Quadrageſimo Criſis.

Vigeſimo.

Vndecimo.

Quadrageſimo.

Quartò.

Vigeſimoſeptimo.

Cēteſimouigeſimo.

post centesimum alui fluxus, referente ipso Hippocrate, diu durauit: & rursùs dysenteria successit. Textu 81. Nicodemus Abderæ vigesimoquarto per vrinas, & sudores iudicatus est. Textu 86. Dealcis vxor vigesimoprimo die mortua est. Refert præter hæc Galenus, Hippocratem lib. 3. Epidem. scripsisse in quadam tempestate omnes superstites ægros octogesimo iudicatos fuisse. Docet insuper plures etiam obijsse in relatis omnibus superiùs diebus, in quibus bona sæpiùs Crisis visa est.

Vigesimoquarto.

Vigesimoprimo vnica mala Crisis superuenit, vti secũdo die, & vigesimosecundo, & alijs omnibus fieri potest.

Constat, in ordine decimiseptimi, & vigesimi, omnes iudicatos fuisse tam primo, quàm secundo libro Epidem. neminem verò in ordine decimioctaui, & vigesimi, demptâ solâ Dealcis vxore, quæ vigesimum excessit, & vigesimoprimo mortua est. Examinat Galenus reliquos libros Epidemicos, vt probet, in ordine decimioctaui, & vigesimiprimi, nullum fuisse iudicatum. In secundo autem, quarto, & sexto lib. Epidem. qui vel ipsius sunt Hippocratis, vel Thessali, eius filij, nemo istis diebus, aut alijs eisdem correspondentibus, iudicatus est. At verò in 2. Epidem. vigesimus, & quadragesimus, Decretorij inueniuntur. Quarto Epidem. de morbis agit peracutis, qui ad vigesimum diem raró perueniebant: ad vigesimumquartum semel aliqui processêre. Vnde vigesimus, & vigesimusquartus in illo libro reperti sunt decretorij. Libro 6. Epidem. non fit mentio decimioctaui, aut vigesimiprimi. Si iam, inquit Galenus, & quinti libri meminisse conuenit, cuiuscunque fuerit, hîc etiam 50. sunt vniuersi ægri, nullus autem ipsorum vel decimooctauo, vel vigesimoprimo, vel, vt summatim dicam, in alio quodam huius generis die iudicatus est. Vnde ipse lib. 1. Epidem. Comment. 3. tex. 22. vxoris Epicratis, quæ octogesimo die iudicata est, historiam exponens, ait: Quare fac memineris, id quod experimenta attestantur, diem quadragesimum, & octogesimum decretorios esse: & mendacium est, nec experientia approbari, integris hebdomadibus Decretoriorũ Dierum rationem iniri, alioqui enim alter & quadragesimus, id est quadragesimussecundus, sexagesimustertius, & octogesimusquartus iudicia, non quadragesimus, sexagesimus, octogesimus afferrent.

Facta enumeratione omniũ librorum Ep d. & Authorum eorũdẽ narrat decimooctauo, nec vigesimo, Crisim vllam visam esse.

Mentiuntur, qui integras hebdomadas enumerãt.

Certum enim est Hippocratem alterius ordinis non meminisse in Epidem. in quibus vsu, & experientiâ dierum omnium virtutem exactissimè acquisiuit, & exposuit. Alter enim ordo, de quo

quan-

quandoque Galenus loquitur, est ille qui comprehendit decimumoctauum diem, & vigesimumprimum, necnon alios his respondentes. Si autem vigesimusprimus esset decretorius, similiter quadragesimussecundus, & non quadragesimus (idem de reliquis dicendum ad centesimumvigesimum & sextum diem) quod est contra Hippocratis experientiam. Ergo solus retinendus est ordo ab Hippocrate vsu & experientiâ inuentus, qui est ordo decimiseptimi, & vigesimi: Nam decimusseptimus vigesimum indicat, & decretorius est inuentus: imò duplicatus alium veluti procreat Diem Decretorium, trigesimumquartum; sicuti dies vigesimus multiplicatus quadragesimum, sexagesimum, octogesimum, centesimum, centesimumvigesimum. Vnde Galenus lib. 2. de Dieb. Decret. cap. 9. vigesimum statuit perfectum circuitum, septimum non adeò, quia multiplicatus circuitum quidem non ignobilem, decimumquartum, constituit; ter tamen auctus integrè, vigesimumprimum; quater, vigesimumoctauum, & sic de reliquis. Vigesimus ergo est perfectus circuitus, trigesimusquartus decimoquarto correspondens, quod eodem modo, quo hic in ordine ad vigesimum componendum se habet, ita trigesimusquartus ad quadragesimum, minùs perfectus. Quod autem trigesimusquartus circuitus sit, patet ex Hippocrate, qui in Prognostico, Sect. 3. ait: Post hos eadem ratione, eademq; additione, primus ad quatuor & triginta dies peruenit. Primum enim (inquit Galenus) dixit trigesimumquartum post vigesimum, vt circuitum, non vt Diem Decretorium: quoniam & vigesimusquartus, & vigesimusseptimus, & trigesimusprimus, post vigesimum est decretorius.

Exponitur Galenus.

Vigesimus perfectum efficit circuitum.

Trigesimusquartus est circuitus.

Vigesimusquartus. 27. 31. sunt Decretorij.

Cur autem, inquit Galenus libro 3. de Dieb. Decretor. cap. 9. & vigesimus, & vigesimusprimus, multò magis vigesimus, decernat, explicabo. Primum, quoniam huiusmodi morbus diuturnus iam est, ipsas accessiones dies pares excipiunt. Deinde, quod septimana, non integris septem diebus constet. Sanè cap. 9. citato, libri 2. de Dieb. Decretor. docuit Galenus, Crisium vehementiam paulatim procedente tempore exolui, & imbecilles decretorios obscurari: & vigesimum, vt perfectum circuitum, vim Criticam retinere. Primos autem Dies Decretorios, & indices, imbecilliores reddi, morbo in longiùs exacto, docuit adhuc Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 18.

Cur vigesimus Criticus.

Crisis vehementia paulatim desinit.

Op-

Opponunt aliqui Hippocratem, qui diem vigesimumprimum Criticum nominauit lib. 4. aphorism. 36. qua de re Galenus, fateor, nihil in Commentario dixit, præter sequentia: Non parua autem est de diebus scriptis in aphorismo discordia, cùm alij alios pro arbitrio scribant. Hinc colligitur, vel à Diocle, vel ab Archigene, Galeno antiquioribus, vel ab aliquo eorum doctrinam colente, vigesimumprimum, loco vigesimi, in aphorismo repositum esse. Sed hactenùs de Diebus Decretorijs. *Obiectio.* *Solutio.*

SECTIO III.
De Causa Dierum Decretoriorum.

HIppocrates vsu & experientiâ comprobauit, quosdam dies esse Decretorios, alios nequaquàm. Sed cur his diebus, & non alijs, Crises fieri contingat, causam non inuestigauit: existimans fortassis rem ita arduam, nec à se, nec ab alio, posse assequi; vel quòd ipsi Naturæ, corporis moderatrici, omnem decernendi potestatem tribuerit. Naturæ, inquit, morborum Medici. Obseruauit tamen septenarios esse potentes Criticos, & ab indicibus diebus indicari: tertio die in acutis biliosis accessiones fieri, & in accessionibus Crises: inuenitq; ideò impares, quàm pares, fortiores in decernendo. Qui post Hippocratem floruêre Medici, maximè verò Galenus, non mediocri Studio Dierum Criticorum causas indagare conati sunt. Varias variorum hac de re sententias breuiter expendere par est.

Prima Opinio.

NOn modò decretoriam Dierum virtutem, si talem habent, sed plerarumq; rerum, à numeris emanare, affirmare non sunt veriti, qui Sectam constituêre Pythagoricam. Plutarchus enim nonnulla hac de re Pythagoræ placita refert libro 4. de Philosophorum placitis. Aurelius Macrobius libro 1. in Somnium Scipionis cap. 6. Marcus autem Varro apud Aulum Gellium libro 3. Noctium Atticar. cap. 10. latè septenarij numeri virtutes prosequitur. Aulus ipse Gellius Climacterici anni, occasione Epistolæ Gratulatoriæ Cæsaris Augusti ad suum dilectum Caium, quòd idem Cæ-

 sar

ſar fæliciſſimè annum ſexageſimumtertium Climactericum euaſe-rit, meminit. Ludouicus Cælius Rhodiginus libro 12. Antiquarum lectionum cap. 6.& ſequentib. ad caput vſq; 16. incluſiuè, vt loquuntur, multa ſcitu digna de numeris ſcripſit. Pythagoras ſiquidem, quem ex Arithmeticis nonnulli imitantur, in numeris maximam eſſe vim credidit, in eoſq; ideò referenda omnia, vt Syderum ambitus, & animalium productiones, & reliqua. Duo ille ſtatuit principia, quorum primum eſt, definita vnitas, ab ipſo ſic appellata: Secundum principium, eſt indefinita Dualitas. Definitam vnitatem, bonorum, indefinitam Dualitatem, malorum exordium, & cauſam, eſſe docebat. Vnitatis ſiquidem natura inſita, circumferentiæ, id eſt, aëri, temperiem, Animis virtutem, ſanitatem corporibus, domibus, & Ciuitatibus pacem, & animorum gignit conſpiratum. At Dualitas aduerſa omnia. Aëri hyemem contribuit, Animis malitiam, ægritudines corporibus: Ciuitatibus ſeditiones, & domibus diſſidia inducit. Omne ſiquidem malum inter homines ex diſparili inoritur voluntate. Hinc ex conſequentibus numeris, Parem quidem demonſtrauit indigum, ac deficientem, atq; imperfectum. Imparem verò plenum, ac perfectum, quòd vnitatis definitæ, ſiue Monados naturam ſequatur, ſicuti par dualitatem. Etenim pari permixtus impar, vim ſuam ſeruat perpetuò; conduplicatus verò idem Impar, Parem gignit: Ita vt Impar fæcundus ſit, habeatque principij vim, diuiſionis æqualis & ipſe neſcius, vnitate videlicet ſemper in eo redundante, quę diuidi nequit. Par verò imparem producit nunquam, neq; eſt indiuiſibilis, cum in duas medietates ſecari poſſit. Imparem deniq; marem, Parem verò fæminam, vocari voluit: ſicuti Imparem formæ, Parem verò materiæ rationem habere. Namq; Pythagorici Imparem Patris, & Parem Matris appellatione venerantur: veluti Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 6. refert. Atque ideò dixiſſe Virgilium:

Duo principia à Pythagora constituta.

Malum in Republica vnde.

Impar impari permixtus ſuam ſemper vim ſeruat.

Impar mas, & forma nũcupatur.

Numero Deus Impare gaudet.

Numeros ergo non ſolùm principia rerum, ſed efficientes cauſas, & eſſentiam eſſe ſtatuunt Pythagorici. Criticorum ideò dierum cauſam, numerum eſſe volunt imparem: maximè verò ſeptenarium, & nouenarium. Si vniuſcuiuſq; numeri à Pythagoricis æſtimati vires indagare cuperem, in immenſum opus hoc creſceret.

Reſpõdetur Pythagoricis.

Quare Pythagoricis reſpondendum, numerum non poſſe vi-

cem

cem causæ dierum Criticorum subire; quia numerus quantitas est, eaq; indiscreta, adeoq; continuâ ignobilior. Sed constans est Peripatheticorum sententia, quantitatem non habere agendi, aut efficiendi virtutem. Hinc conficitur, numerum imperfectam quantitatem, nullam habere efficiendi vim. Quare numerus Crisim nequaquàm efficiet.

Aliquibus fortassis placeret cum distinctione respondere: Numerum non in abstracto, sed in concreto habere actiuitatem, & vim effectricem. Sed sic nihil determinant. Nam si ab ipsis petiero, quid sit numerus ille concretus, qui actiuitate pollet, tanquàm muti, nihil respondebunt. Numerus verò duplex est ex Philosopho libro 4. Physicor. cap. 12. Vnus numeratus, & alter numerans. Numerus numeratus, sunt ipsæ res numeratę: Numerus numerans, qui formalis appellatur, bifariàm dicitur: vel enim est ipsa Anima rationalis, quæ sola, & non Brutorum, numerat, resq; singulas ab inuicem discernit: vel est medius quidam numerus, quo, tanquàm instrumento, Anima nostra numerat: cuiusmodi est, vnum, duo, tria, quatuor, quinque, &c. Estque hic numerus Mathematicus ex multis vnitatibus cum ordine quodam ab ipso intellectu collectus. De hoc autem vltimo est controuersia, non de numerato, nec de Anima. Est enim quoddam accidens à numero numerato prorsùs distinctum. Estque solùm intelligibilis, vt lib. 1. Posterior. cap. 23. Philosophus innuit. De numerato Sacra Pagina loquitur, dum in ea dicitur Deus fecisse omnia numero, pondere, & mensura. Numero quidem omnia à Deo facta disposita sunt, id est, perfectione, certis limitibus, ijsdem determinatis.

Dubio occurritur.

Numerus est duplex.

Numerus numerans duplex.

Deus numero pondere, & mensura, omnia fecit.

Galenus aduersùs Pythagoricos lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 8. hac serie scripsit: Non quòd dies ipsi primariam decernendi virtutem habeant, sed quia per accidens aliquod sic eueniat. Et paulò post: At si dierum numerus ipse decernendi facultatem haberet, non frequenter diebus imparibus, raro paribus, verùm perpetuò imparibus, nunquàm paribus, de acutis morbis iudicium fieri oporteret. Neque enim septimi, vel quarti numerus, Crisis author est: Sed quod Lunâ innouante, & immutante terrena, motuum quoque circuitus, ad hos principes numeros venire contingat, meritò in ipsis tanquam stata alterationum tempora inueniuntur. Quippe non à numeris, sed à Lunâ mutationes terrenis adueniunt. At cùm in

Quarto, & septimo diei vim Criticam tribuit Luna ex Galeno.

in motu mutans consistat, tempus mutationibus necessariò coniunctum est; quare etiam numerus necessariò. Non igitur, quod omnis par numerus fæminam, impar masculum, referat, acutorum iudicia imparibus diebus accidunt. Neque enim impar absolutè pari fortior est: neq; si fortior, iam fæmininus imbecillior: Neque si fæmininus quidem hic, masculus autem alter sit, acutos morbos in masculis numeris iudicari, diuturnos in fæmininis, rationi consentaneum est. Omnia siquidem, quæ de numerorum virtute nugantur, tam facilè absurda esse deprehendimus, vt mihi subinde mirari subeat, Pythagoram illum tam sapientem Virum, numeris tantum tribuisse. Atque nunc aduersùs ipsos etiam nobis nugari non vacat. Nam satis est ad rem institutam terrena Lunam alterare, & in septimanis potissimùm magnas parere mutationes: post in quaternionibus exiguas. Ad hæc Crisim accessione plurimùm indigere: item accessiones tertio quoq; die in morbis acutis euenire: his etenim subiectis acutos morbos in imparibus diebus magis ad iudicium tendere necessitas erit.

Cur imparibus diebus Crises fiunt.

Docet apertè Galenus, Lunam esse, quæ Crisim efficit. Luna enim in suo motu periodos habet, siue circuitus, qui ad primos dignitate numeros dierum, quaternarium, & septenarium cuiusuis hebdomadæ perueniunt. Id est, Luna à sui circuitus exordio, quod est prima eius à Sole digressio, semiquadram primo perficit, rursùs quadram: & ita deinceps, donec quatuor suas quadras perficiat: in suis verò semiquadris, & quadris solemniter res sublunares, quæ innouari, mutariq; aptæ sunt, quasi stato & fixo tempore, alterari siue innouari, mutarique deprehenduntur. Licèt enim Luna ab exordio sui discessûs à Sole, vsq; ad suum reditum, siue coniunctionem iterum cum eodem Sole continuò in hæc inferiora agat, suos in ijs effectus manifestiùs in quadris, qui circuitus sunt notabiles, promit, quàm in alijs diebus: & quoniam semiquadra, siue medium cuiusuis quadræ, particeps est præcedentis, & subsequentis partium totius quadræ, in ea similiter aliqualis Lunæ effectus, multò tamen minor eo, qui in quadræ termino, elucet. Quaternarius, & septenarius numerus vim habent nullam alterandi, aut immutandi inferiora corpora, sed Luna est quæ agit in suis maximè istis periodis septenarijs, & quaternarijs: & hi numeri istis circuitibus, tanquam eorundem circuituum siue periodorum accidentia,

Medium quadræ est extremorũ particeps.

assi-

aſſident. Et ita expoſitus maneat Galeni textus ille: Neque enim ſeptimi, vel quarti numerus Criſeos cauſa eſt (alia verſio habet, cauſa eſt) & auctor: Sed quia Lunâ innouante & immutante hæc terrena (imò & maximè aquatilia) motuum quoq; circuitus ad hos primos numeros venire contigit, meritò in ipſis ſtata alterationum tempora deprehenduntur. Mutationes enim non à numeris, ſed à Luna rebus terreſtribus contingunt.

Sequentibus adhuc verbis rationem reddit Galenus, cur neceſſariò Lunam inferiora mutantem numerus comitetur: At, inquit, quia id quod mutat in motu eſt (eſt hæc verſio clarior eâ, quam ſuperiùs ſcripſimus) tempus neceſſariò mutationibus coniunctum eſt. Quare & numerus etiam neceſſariò. Per, id quod mutat, intelligit modò Galenus Lunam, quæ, more reliquorum corporum cæleſtium, in hæc agit inferiora, in quæ imperium habet; quà verò mutat, agit: nam mutare, agere eſt. Quod deniq; mutat, aut agit, mouens eſt, ſiue eſt in motu, ſiue actu mouetur. Omne verò corpus naturale mouens mobile eſt, ex Ariſtot. lib. 3. Phyſic. cap. 2. Et motus ipſe eſt in mobili, tanquàm in ſubiecto, ex eodem Ariſtotele, eodem lib. 3. Phyſic. cap. 3. Ad motum verò tempus neceſſarium eſt; & ita neceſſarium, vt neutrum ab altero ſeiungi queat: nec mirum, cùm re ipſa tempus motus ſit, teſte Themiſtio in citati cap. Commentario, imò ex ipſo Ariſt. lib. 4. Phyſic. cap. 11. tempus eſt numerus motûs, ſecundùm priùs, & poſterius.

Tempus, & motus copulātur.

Tempus quid.

Concludendum ergo, numerum adnexum periodis Lunæ, ad efficiendam Criſim ſe habere eodem prorsùs modo, quo Muſicus ad generandum, ambulandum, dormiendum, & orandum. Petrus autem Muſicus, eò quòd Muſicus ſit, neceſſariò Muſicam ſibi habet annexam: ſicuti quà albus, neceſſariò ei connexa eſt albedo: ſed nec Muſica, nec albedo, ſed Petrus eſt, qui generat, ambulat, dormit, comedit. Appoſitè ideò Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 11. aduersùs eos, qui nugantur de numerorum dignitate, ait: At quid ad rem propoſitam ſpectat, ſi Pleiades ſeptem ſint, Dionem laterali morbo laborantem, ſeptimo die de morbo iudicium ſuſtinuiſſe? etenim aliàs nono, aliàs decimo die Criſim habuit. Quid autem ſimilitudinis eſt, ſi ſeptem Nili ſint oſtia, Theonem pulmonis vitio ægrotantem, ſeptimo die iudicatum fuiſſe? Nam aliquando quarto, interdum quinto morbi die iudicium accipit.

Numerus ſeptenarius nullam habet vim Criticam.

Me-

Meritò ſanè Galenus Pythagoricorum, Arithmeticorumque nugas repudiat; cùm ridiculum ſit, velle Dionem ſeptimo die Criticè ſanari, quòd Thebarum ſint portæ ſeptem, vt citato cap. notauit Galenus, & Nili oſtia ſeptem. Quam, quæſo, in Dionem hîc Bononiæ ægrotantem tranſmittere poſſunt decernendi virtutem ſeptem Thebarum portæ, maximè verò, cùm non ampliùs extent? Nugatoriè ergo illi vnionem, ſiue vnitatem matris expertem appellant, formam definitam; Dualitatem materiam infinitam, audaciam &c. Imò ad tantam deuenêre ſuperſtitionem numerorum cultores, vt quidam exiſtiment, Pentaphyllon, id eſt Quinquefolium, tantam habere virtutem ratione numeri quinarij, vt venenis reſiſtere, ac dæmonia fugare pellereue queat. Præterea folium eius vnum bis in die ex vino ſumptum, quotidianam; tria folia tertianam; quatuor quartanam, ſanare referunt: vt teſtatur Lalamantius, qui Anno 1557. ſcripſit. Sed hæc de prima Opinione ſint dicta.

Pentaphylli vis eximia ſecundum quoſdam.

Secunda Opinio.

SEcunda Sententia eſt Auerrhois libro 3. Colliget cap. 9. dicentis, Dierum Criticorum cauſam eſſe coctionem, quæ Diebus Criticis, & non alijs, fit.

Auerrhoes perſtringitur.

Sed hæc Sententia falſa eſt; quia ſupponit ſolam Criſim bonam & perfectam Criſis nomen mereri: cùm tamen præter bonam, in qua humorum coctio requiritur, detur mala Criſis; vt cum Hippocrate, & Galeno ſæpiùs hactenùs monuimus. Secundò, quotidiè, dummodo Signa coctionis apparerent, Criſis fieret, quod tamen veritati contrarium deprehenditur. Tertiò, in ſimplici ſolutione morbi Criſis fieret, præſertim quando vltima pars ſuperflui humoris cocta appareret. Sed hoc eſt contra Hippocratem, & Galenum. Ergo & Auerrois Sententia.

Tertia Opinio.

AVgerius Ferrerius Toloſanus Medicus, ſimul & inſignis Mathematicus, ad amuſſim Arithmeticam, cauſam Dierum Criticorum refert. Morbi acuti ad impares dierum numeros tendunt, maximèq; ad impares, qui totius naturam induunt; cuiuſmodi

modi ſunt ſeptenarius, & nouenarius. Numeri omnes denario clauduntur. Et impares in eodem denario contenti, vel ternarium, vel quinarium, vel ſeptenarium, vel nouenarium componunt. At ternarius numerus, & quinarius, nouenarij partes ſunt: Superſunt ergo duo impares numeri, Septenarius, & Nouenarius, qui alium nullum intra denarij limites imparem componunt. Acuti ergo morbi ſeptenarijs, & nouenarijs iudicabuntur. Partes verò numerorum de proximis ſuis totis indicant: Sic Architectus ex fundamentis parietes, ex parietibus tecta colligit. Fit itaq; in noſtro caſu, vt tertius de quinto indicet, & quintus de nono. Quaternarius verò numerus, quia ſeptenario propinquior eſt, quàm ſit ternarius, altera ſeptenarij pars, de eodem ſeptenario indicat. Finitâ prima decade ad alios dictis addendos numeros, qui impares, aut pares fortes, vt decimumquartum, & decimumoctauum, procreabunt, accedendum. Morbi longi in paribus iudicantur: pares numeri, qui totius naturam induunt, in primo denario, ſunt quartus, ſextus, octauus, & decimus. Secundus de quarto indicat, tertius de ſexto, quartus de octauo; de decimo quintus. Hoc ſubtile Ferrerij commentum hùc transferre volui, ne id doctus ignoret Medicus: quia tamen Pythagoriſmum plenè ſapit, eandem, quam Pythagorę ſententia, cenſuram patitur.

Partes numerorum de proximis ſuis totis indicãt.

Quarta Opinio.

IAquilus, quem ſequitur Cartagena 2. de Febre Peſtilentiali, cap. 18. Et Amatus Luſitanus Centur. 1. cauſam Criticorum Dierum ſtatuit diſproportionem, & diſconuenientiam Dierum Criticorum cum primo die. Proinde naſcitur inter naturam, & morbum diſcordia Diebus Criticis; & ex tali pugna reſultat Criſis. Si ab huius Sententiæ aſſertoribus quæret aliquis, vnde illa diſcordia & diſconuenientia Dierum Criticorum cum primo die morbi, manat; reſpondebunt, nullam rei huius rationem dari poſſe. Reſponſum ergo aliud à nobis non merentur, quàm quòd nugantur, opinionem nullâ rationis vmbrâ ſuffultam gratis ſtatuentes, & ad quandam Muſicam reducentes.

Abſurda opinio.

Quin-

Quinta Opinio.

FRanciſcus Valleriola libro 3. Locorum communium cap. 7. Galeni, & Aſtrologorum ſententiam reſpuens, Criſis coëffectrices cauſas ſtatuit varias, Expultricem facultatem, morbi impetum atque motum, humorum noxiorum ſubſtantiam, modum, qualitatem, copiam, demùm vim, & poteſtatem Naturæ medicatricis morborum, Denique Sympathiam quandam abditiorem, & arcanam. Quibuſdam interpoſitis ait: Quòd itaq; in Septimo Criſis peracutorum morborum accidat, id cum motui ſeu impetui morbi, qui acutie ſua celerrimè naturam ad excretionem exagitat, tum verò præcipuè dierum naturæ, ac poteſtati, iure eſt adſcribendum. Septenarij namq; in omni rerum natura, nedum in iudicijs morborum conficiendis, magna eſt vis, atque abdita quædam dignatio & poteſtas. Id aſtruxit libro de Septimeſtri Partu Hippocrates, primum, & ſecundum dies, nedum in morbis, ſed & in fætibus potentiſſimos eſſe affirmans.

Sanè Vir hic doctiſſimus in ſtatuendo Criſis cauſas, factus eſt obliuioſus. Nam dum è Promptuario Medico, & Naturæ ſinu, Criſis cauſas eruere tentat, concauſas multas conglobatim promit, vt iam antea vidimus, ſed paulò poſt, iam citata verba ſcripſit, quibus ſtatuit dies ipſos impares præcipuam Criſis cauſam. Hoc enim eſt à Promptuario Medico longè decedere, & in Pythagoræorum ſententiam incidere. Quare argumenta contra Pythagoram ſuperiùs conſtructa huius Viri doctrinam facilè euertunt.

Valleriola reÿcitur.

Præterea ipſe non leuiter peccauit, Hippocratem in ſui auxilium trahens: cùm ne per ſomnium quidem ſeptenario numero, citato libro de Septimeſtri Partu, aut alibi, vim magnam, atque abditam dignationem, & poteſtatem, conceſſerit: Textus Græcus eſt qui ſequitur: *αἱ μὲν οὖν ἡμέραι ἐπισημόταται εἰσὶν ἐν τοῖς πλείστοις, αἵ τε πρῶται, καὶ ἑβδομαῖαι, πολλαὶ μὲν, περὶ νούσων, πολλαὶ δὲ καὶ τοῖς ἐμβρύοις*: Id eſt, hæ quidem igitur dies ſignificantes aut ſignificatiuæ ſunt, hæq; primæ, & ſeptimæ, multum quidem in morbis, multum in embrionibus (ſiue fætibus). Ἐπίσημος autem idem eſt, ac ſignatus, ſeu cui ſignum, ſeu nota impreſſa eſt. Dicatur adhuc inſignis, nobilis, illuſtris: Sed quid ad rem? Nam ex iam ſcriptis ver-

Hippocrates exponitur.

verbis nemo rectè inferet, Hippocratem numero septenario magnam tribuisse virtutem. Sed septenarium numerum esse notam, & indicium, ac characterem maximæ virtutis pullulantis & emergentis, tam in morbis, quàm in prægnantibus. Quòd autem hic sit verborum Hippocratis sensus, ex antecedentibus verbis eiusdem textûs constat. At verò, inquit, mulieribus fætuum conceptiones, & abortiones, & partus, eodem tempore iudicantur, quo & morbi, & sanitas, & mors cunctis mortalibus contingunt. Sed istorum omnium alia quidem diebus, alia mensibus, alia dierum quadragenarijs, alia annuo spatio, de se significationem præbent. Hîc non obscurè indicat Hippocrates, prædicta omnia dare quandam sui significationem; id est, in effectum, & operis exitum ruere, modò fæliciter, modò infæliciter, circa enumerata tempora dierum, aut mensium, aut quadragenariorum, aut anni, annorumue. Nihil ex dictis fauet Valleriolæ. Nam tametsi Hippocrates præter ea quæ hîc protulit, doceat, hominis vitam septem diebus dispensari, libro de Principijs, non ideò numeris, vt numeris, vim vllam concessit. Fateor verumtamen ipsum non repudiâsse numeros; quia instrumenti instar vtiles sunt, vt accessionum febrilium, ipsarumq; febrium circuitus varios non negligenter obseruemus. Commendat enim Hippocrates filio suo Thessalo Geometriæ, & numerorum studium in sua quadam Epistola, quæ exorditur hac serie: Ad cognoscendam Geometriam, & numerorum scientiam, mi Fili, multum studij adhibeto. Non enim solùm vitam tuam illustrem, & ad multa commodam, in humanarum rerum statu efficient, sed etiam Animam acutiorem, & clariorem reddent, ad omnium, quorum vsus in Medicina expetitur, vtilitatem consequendam &c. Reliqua curiosus videat.

Geometriæ studium commēdat Filio, quia figurarum cognitio vlcerum vulnerum. que curationi confert, sicuti Arithmeticæ studium ad computationē dierū morbi.

Sexta Opinio.

Hieronymus Fracastorius Veronensis, Vir sanè acerrimi ingenij, Causam Dierum Criticorum ad humorem melancholicum refert. Vt hanc suam sententiam stabiliat, varia varijs Capitibus præsupponit Libello, quem de Causis Dierum Criticorum composuit. Capite ergo 6. sequentia profert: Principio illud non ignorandum est, duo esse, quæ potissimùm ad eam expulsionem faciunt,

Duo ad Crisim prærequiruntur, cõcoctio humoris peccantis, & stimulatio in partibus orta ab humore corrupto.

ciunt, quę Crisis dicitur; alterum, est displicentia stimulusque, quem corruptus, iamq; inimicus humor in membra ingerit; alterum est digestio, hoc est præparatio illa, quæ requiritur, si expelli debet: vtrumque enim cùm simul conuenit, tum maximè propulsatio humoris corrupti fit: quapropter rectissimè Galenus dicebat, in paroxysmis, & circa morborum status, maximè videri Crises: in paroxysmo enim stimulus, atq; irritamentum fit maximum; circa status verò concocta digestaque materia est: accidit tamen quandoque, tantum esse irritamentum, vt quanquam nec planè digestus sit humor, foras tamen pellatur, conatu quodam maximo à natura facto; quòd enim ea vis insit membris, vt nocentia repellat, manifestum est, quanquàm quo principio, & quo pacto id fiat, non ita est manifestum. Nos hanc doctrinam cum Galeno proposuimus, dum exponeremus præcoces Crises diebus intercidentibus prouenientes, iam propter externos, aliàs propter internos errores, sed & frequentissimè quidem propter exuberantem humorem furentem, ac immodicè naturam ad expulsionem vrgentem. Miror Fracastorium hîc referre, quòd non sit manifestum, quo principio, & quo pacto furens ille humor expellatur: Cùm cognitum sit, facultatem expultricem ad humoris furentis, & partes vexantis exclusionem suscitari.

Perstringitur Fracastorius.

Raro vnus humor in massa sanguinaria corrumpitur, quin aliquis alter coinquinetur. Benè commixti humores superflui morbum vnum efficiunt: non benè commixti, aut non facientes formã vnam, morbos cõpositos.

Sequenti Capite 7. præsupponit, rarissimè fieri, vt transeunte in humores vitio aliquo, vnus tantùm humor corripiatur: nam vtplurimùm vel duo, vel plures, vitium idem concipiunt, aut simul, aut post. Quippe ea in massa sanguinis, quæ intra venas continetur, confusi commistique sunt, & reliqui vocati humores, Cholera, Phlegma, & Melancholia. Igitur propter vicinitatem confusionemque eorum rarissimè fit, vt infectionis causa communis pluribus non fiat. Si enim contagio, & putrefactio in causa est, aut liquefactio, aut obstructio, aut aliud id genus, ægrè fit, vt vitium ad vnum tantùm sese applicet. Incipientibus autem ijs humoribus vitiari, tum quod corruptum est, secernitur, quantum fieri potest, à reliquo quod sincerum est, ita operante Naturâ, cui ea vis inest.

Cap. 8. ait: Accidit autem dum corruptos humores natura separat, & actu facit, ita interdum commisceri eos inuicem, vt vnam conficiant formam, vnumque motum dent, ac morbum vnum, qui rationem dominantis insequitur: vnde Choleræ nothæ, & pituitæ

nothæ,& melancholiæ nothæ contingunt,à quibus & morbi dominantur nothæ tertianæ, nothæ quotidianæ, nothæ quartanæ. Sæpissimè verò non vnam omnes formam conflant,nec vnum motum dant, nec morbũ vnum,sed plures,vnde & morbi compositi fiunt.

Simplices humores superflui simplicem morbum efficiunt.

Accessio est causa irritans Crisis in intermittẽtibus potissimum.

Si igitur, qui peccat humor,simplex, & vnus tantùm sit,aut plures quidem, sed in formam vnam redacti, tunc nulla Dierum Criticorum ratio est expectãda, sed paroxysmi soli considerandi sunt, & eorum dies, in phlegmate quidem quotidianæ, in cholera tertianæ, in melancholia quartanæ,in quibus cadent quidem suæ Crises, sed vt accidit materiam digestam esse, quod certam diem nullam per se habet, propter quod in tertianis, quæ puræ sunt, videmus, & quintam indifferenter, & septimam, & nonam, & in summam omnes impares dare Crises;nec Hippocrates aliud in his pręcipit attendendum esse, quàm dies impares. At verò vbi & plures peccant,& non sub formam vnam commisti,sed confusi solùm propriam naturam seruantes,tunc sperare possumus certas dies videre, in quibus Crises permultæ fiant, certas, in quibus rarissimæ, alias dies medio modo se habentes, quorum omnium causam,& certam rationem habere possumus: ac talis maior est morborum pars;quoniam vti rarò est humorem simplicẽ peccare, ita & plures ad vnam formam conuenire perrarum est: quare in multis morbis aut Crises videri possunt certis diebus, aut motus saltem humorum. Illud verò interest inter humores, quòd ad eam mistionem conficiendam, quæ vnius formæ est, aptissimum est phlegma, quoniam humidum liquidumque est, ac benè miscibile, ineptissima melancholia, quoniam siccior terrestriorq; est,& ad miscendum durior;nihil tamen prohibet & phlegma seorsùm morbum facere,& melancholiam ad vnam formam venire.

Commisti humores formã veluti vnam sortiuntur: cõfusi propriam seruant naturam.

Pituita facilè alijs commiscetur humoribus.

Plures paroxysmi in eodem ægro à diuersis humoribus: vnde morbi compositi.

Cap. 9. ait: Plures igitur cùm humores in morbis peccant, non autem sub forma vna, accidit quidem interdum, vt vnusquisque illorum manifestum prodat paroxysmum, Cholera quidem tertianarium, phlegma quotidianum, melancholia quartanarium, vnde & morbi manifestè compositi fiunt. Interdum verò accidit,vt non omnes manifestum dent paroxysmum, sed aliqui illorum latentiorem ædant. Dico autem latentiorem paroxysmum, non quòd humor non moueatur, sed quòd motus ille suboccultus sit,quod nonnullis de causis accidit: sæpè enim qui mouetur humor,non multus

Paroxysmus suboccultus vnde.

est, & vix perceptibile est, quod exacerbat: Sæpè sensim & per moras putrescit, vnde nec horrorem incutit, nec calorem acrem apportat: Sæpè & superuenit maiori febri. At verò & cùm non paucum est quod mouetur, & repentè inuadit, non sensim, & per particulas, nec maiori alteri morbo superuenit, tum manifestum affert paroxysmum, & manifestæ fiunt compositæ pluresq; febres, & hemitrithæi, aliæ quidem ex cholera & phlegmate, aliæ ex cholera, & melancholia. Sed certè non frequenter admodum fit, vt peccantibus pluribus humorum, manifestos quisq; motus prodat, verùm sæpiùs id videri accidit, vt vnus manifestum edat paroxysmum, alius latentiorem; manifestum quidem ille, qui principaliter peccat, latentiorem, qui non principaliter, sed quasi per sequelam quandam. Ex his ratio omnis Criticorum Dierum pendet: peccantibus enim humoribus magna ex parte morborum pluribus, & ijs quidem non facientibus formam vnam, vnoquoque autem motum suum pro natura faciente, cholera quidem per tertias, melancholia per quartas; inde fit, vt quibusdam diebus humores, qui peccant, simul omnes commoueantur, quibusdam aliqui solùm, quibusdam nulli: quare & dierum accidit quasdam placidissimas in morbis esse, alias acerbiores, alias acerbissimas. Placidissimæ illæ sunt dies, in quibus nulli humores mouentur, quod quidem fieri potest, quanquàm phlegma quotidie motum faciat, ob id, quod phlegma ipsum, vtplurimùm formam vnam cum alijs conflat, & illorum motum consequitur. Acerbiores sunt dies, in quibus vnus humor mouetur: Acerbissimæ, in quibus omnes. Aptissimæ igitur dies illæ sunt ad Crises faciendas, in quibus concursus fit humorum omnium: acerbissimus enim tum paroxysmus fit, ac stimulus, & irritamentum naturæ maximum, quod præcipuè sequi ad agendas Crises dictum est supra. Porrò quoniam nec Crisis fit, nisi digesto præparatoq; humore, perfecta autem absolutaq; digestio non est, donec quod crassius est, ac segnius digestũ ipsum nõ sit: crassior verò & segnior omnibus est melancholia: inde fit, vt potissimùm circa melancholiæ & motus, & digestiones attendantur Crises, &c.

Hemitritæus vnde. *Manifestum paroxysmum edit, qui principaliter peccat humor: latentem, qui minus peccat.* *Vnde accessio & remissio.* *Dies placidissima quæ.* *Acerbissima dies.* *Melancholia Crisis causa.*

Supersunt præter iam relata, reliqua pars noni Capitis, & Septem integra Capita, in quibus prolixissimè suam opinionem prosequitur Fracastorius. Et quoniam paucis complecti nequit, quod ab illo de hac re proponitur, coactus sum ipsius quædam integra

verba

verba in medium transferre. Vult enim, vt vidimus, causam Criseos esse humorem melancholicum, quando nimirum cum motu aliorum humorum peccantium concurrit, id est, quando vnà cum alijs paroxysmum efficit: non verò quando ipse solus mouetur, seu paroxysmum causat. Credit enim Fracastorius, humorem melancholicum semper fermè in morbis vnà cum alijs humoribus principaliter peccare, aut subpeccare: & quoniam vnà cum alijs humoribus formam facere ineptus est, per se quidem mouetur, & suas periodos seruat, interdum quidem manifestè, quod tum accidit, cùm & multus est, & principaliter peccat; vtplurimùm autem latentiùs, cùm scilicet subpeccat ille, & putredinem ex alio principio recipit.

Humor melancholicus semper in morbis peccat, aut subpeccat.

Exẽplo rem totam illustrare conatur: Peccet principaliter Cholera, non pura, sed cum phlegmate sub forma vna commixta, cum melancholia verò vicinitate sola, & confusione, subpeccet autem melancholia, ac non multa, nec valdè crassa, sed subtilior, & in summa, quæ citò terminum dare possit: Igitur putrescente cholera, simul quidem & eadem die computrescet & melancholia, morosusque satis erit paroxysmus ille primus (vtpotè duorũ humorum): secunda autem dies quietissima redibit, in qua nullus humorum motus fiet, at tertia dies paroxysmum quidem choleræ sentiet, Crisim tamen non faciet, tum quia stimulus nondum maximus, tum quia totum nondum digestum est: quarta autem dies motum habebit melancholiæ, sed latentiorem; quia non multum est, quod tunc mouetur de melancholia, partim quidem, quia subpeccabat solùm; partim quia putrefactio eius quodammodo pendet à Cholera, qua cessante in die quarta aliquem quidem motum dat melancholia ob concepta putrefactionis semina, sed paruum & latentem; quoniam origo, & fomes putrefactionis quiescit: quinta verò dies choleræ motum videbit, sexta nullius: at verò septima acerbissimum omnium paroxysmum apportabit, concurrentibus simul humoribus, qui peccabant, omnibus, ac largiùs melancholia, quoniam ex alterius contagione & impulsu, non parum motionis recipit: qua die, quoniam & digesta est melancholia, fuerat enim subtilis & pauca, nata citò terminum recipere, contingет etiam Crisis: Stimulus enim acerbissimus in ea fit, & totum digestum est; in alijs autem diebus, aut stimulus abfuit, aut digestio.

Fundamenta suæ opinionis stabilit.

Fallitur: nam bilis tertia die sæpè Crisim excitat.

Capite 10. sibi obijcit Fracastorius hos motus latentes melancho-

Obiectio.

choliæ, quarto potissimùm die apparentes, fictitios fortassis à quibusdam iudicari, cùm tales motus Hippocrates & Galenus non perspexerint. Respondet ille, se sæpissimè tales motus in morbis conspexisse: imò & alios Medicos ita animaduertisse huiusmodi motus latentes, vt mirarentur diem quietis (quartam scilicet) esse inquietam, morosamque, ægrumq; iactari, & conqueri, nescientes vnde hæc contigissent. Vidit & ille alios Medicos, qui quòd quartanarios quosdam motus in certis morbis percepissent, dubitabant ne febris in quartanam desineret, cùm tamen nec quartana subsequuta fuisset, & ægritudo suo tempore absoluta. Ille verò qui priùs motus illos considerauit, nec in admirationẽ ducebatur, nec quartanæ aduentum timebat; quin sæpè monuit, dies, quas alij quietissimas expectassent, morosiores esse futuras. Existimat denuò ille hos motus latentes quarto die in febribus contingentes, notos fuisse Hippocrati, Galeno, & Alijs, ad causam tamen non animaduerterant.

Solutio.

Dies Critici à melancholia.

Per assignatum exemplum, inquit Fracastorius cap. 11. melancholiæ motus sunt 4. 7. 10. 13. 16. 19. 22. 25. & 28. Cæterùm, quia iure dubitare possent omnes, dictum exemplum statuere quartum & septimum diem Criticos, non tamen vndecimum, decimumquartum, vigesimum, & vigesimumprimum, ille, vt hos etiam Criticos statuat, præmittit quæ sequuntur: Melancholiæ modi, & conditiones multiplices sunt: sæpè enim pauca est, sæpè multa; interdum crassior, interdum tenuior: modò tenacior, modò soluta magis: modò calidior, modò frigidior: similiter se habet & cholera. Ex hac diuersitate fit, vt putrescente cholera, quandoq; simul & eâdem die computrescat & melancholia, modò in initio paroxysmi, modò in medio, modò in fine, quod tum maximè fit, cùm & pauca est, & subtilior, & calidior, magisque admista choleræ; tunc enim citissimè in ipsam transit affectio: interdum non simul & eadem die moueri melancholiam accidit, sed secunda solùm die, interdum & tertiâ solùm, fortasse autem & quartâ solùm. In acutis autem morbis prima die motus fit vtriusq; humoris: acuti namque morbi à tenuiori, & pauca, & calidiori materia fiunt: in tardis autem morbis, quos chronicos vocant, quoniam crassiorem illi, & multam, & tenacem, frigentemq; materiam habent, moueri quidem melancholiam accidit nonnisi die tertia; &, si materia crassissima

Acuti morbi vnde.

sima

ſima ſit, fortaſsè non niſi quarta. In mediocribus autem morbis, quorum & materia media eſt quantitate, craſsitie, & alijs, die quidem ſecunda repit in melancholiam putredo. Igitur ſi prima die cum cholera ſimul, & melancholia commoueatur, quod in acutis fit morbis, quartanariæ quidem periodi erunt 4. 7. 10. 13. rarò enim vltra hos protenditur ſtatus in acutis. Si ergo quàm acutiſſima ſit ægritudo, tum Criſis in quarto die fieri poteſt: in his enim materia & pauciſſima eſt, & ſubtiliſsima, & feruens. Si verò acuta quidem ſit ægritudo, ſed tamen inter acutas ſegnior, ad decimumtertium eius ſtatus protendetur. Si verò mediocriter acuta ſit, ad ſeptimum: in medio autem cùm ſit, qui mediocriter acutus eſt morbus, media autem ſæpiùs, quàm extrema, contingant, inde fit, vt in genere acutorum dies ſeptima maximè Critica ſit: rariùs enim eſt morbum quàm acutiſsimum eſſe, rariùs quoq; ſi acutus eſt, vt ad decimumtertium perducat ſtatum: ſi tamen quãdoq; ad decimumtertiũ prorogetur Criſis, totus dierũ progreſſus ita ſe habet. Prima quidem dies triſtis eſt & inæqualis, duos enim habet motus: ſecunda placidior redit, ſi non duplex ſit febris, &c. Et hic eſt primus Dierum ordo apud Fracaſtorium. *Dies Critici in acutis.*

Capite 12. ſecundum ordinem ille exponit, vt ſequitur: Si verò non prima die, ſed ſecunda ſolùm, motum dederit melancholia, quod in mediocribus morbis accidit, tum quartanariæ periodi erũt 2. 5. 8. 11. 14. 17. 20. vltra autem in mediocribus rariſſimè producitur ſtatus. Critici autem ſunt, vndecimus, decimuſquartus, decimuſſeptimus, vigeſimus: Sed vndecimus Criticus quidem eſt, ſi in hoc genere materia non multa ſit, & acutis proxima: Si verò in eodem genere craſsior ſit, & chronicis vicinior, tum Criſis ad vigeſimum protendetur, &c. Et hic eſt ſecundus ordo dierum, qui minutiùs ab ipſo exponuntur citato capite. *Secundus ordo Dierum Decretoriorum, iuxta Fracaſtorium.*

In fine dicti Capitis tertium dierum ordinem hac ſerie promit: At ſi tertia ſolùm die motum recipiat melancholia, quod in Chronicis morbis fit, in quibus craſſa valdè & tenax, & multa materia eſt, periodi quidem erunt 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. rarò autem vltra contingunt Criſes. Maximè autem Criticus horum erit vigeſimuſprimus; mox vigeſimuſſeptimus; mox decimuſquintus. Si enim materia craſſa quidem, ac tenax ſit, pauca autem in eo genere, ad decimumquintum ſtatus erit: Si verò craſſa, ac valdè *Tertius Decretoriorũ ordo.*

mul-

multa, ad vigesimumseptimum: Si verò eo in genere mediocris, ad vigesimumprimum, quod idcirco sæpiùs euenit, quoniam in medio est. Sequentibus Capitibus adhuc suam opinionem latiùs exponit: & in calce ait: Si à Parente Medicinæ Galeno, quem in reliquis, vt Deum veneramur, & colimus, hac vna in re discedere ausus sum, supple, me excusare poterunt.

Galenum laudat.

Plus laboris in referendo, quàm reijciendo hanc intricatissimam Fracastorij opinionem, impenditur. Sanè nollem ex ipso tot verba excerpere, nisi me ad hoc excitaret studiosa curiositas. Ad hæc, non ineptè ille quandam humorum confusionem, & in vnum quandoq; coalitum exposuit. Quæ doctrina aliquid lucis adferet ijs, qui hemitritæum, aliasq; complicatas febres percipere cupient.

Cæterùm ipsa opinio, quia experientiæ, & rationi aduersatur, prorsùs reijcienda. Dierum enim Decretoriorum ordines experientiâ ab Hippocrate inuentos, & Galeni, ac multorum experientiâ comprobatos tales, quales Hippocrates indicauit, euertit, & suo modo ex ijs, quos vult, eligit, alios ad placitum reijcit. Diem ille decimumtertium, tanquàm Criticum recenset; decimumsextum, decimumnonum, decimumquintum, duodecimum, & vigesimumquintum, Criticos facit, quos tamen omnes rectè sentientes repudiant.

Experientia aduersatur Fracastor.

Secundò, rationi aduersatur statuens causam dierum Criticorum, seu Criseos, humorem melancholicum, lenti & segnissimi motûs ob innatam crassitiem, & frigiditatem: quas ob causas melancholia, omnium Medicorum calculo, non acutos, sed chronicos morbos efficit, & quoties bili commiscetur, biliosos morbos, ex sua natura breues, protrahit, & chronicos reddit; adeoq; Crisibus minimè obnoxios.

Morbi melancholici per solutionem, rarò per Crisim terminantur.

Quòd denique tertiò ad omnis morbi generationem humor melancholicus concurrat, à ratione, & experientia alienum est. Febris etenim tertiana à sola bile efficitur, sicuti quotidiana à pituita. Vnde exhibendo medicamentum bilem euacuans, bilis euacuatur, & à tertiana liberatur æger: à quotidiana pariter, euacuatâ pituita, ægri liberantur. Vnde Hippocrates libro de Natura Hominis, vti in nostra exposuimus Physiologia, redundante vno humore, docet purgans Medicamentum talem humorem ad se allicere, & euacuare: Supponitque vnum humorem superabundare, reliquis in

In quibusdã morbis nullatenus melancholia peccat.

in sua proportione stantibus. Cur ergo necessariò in morbis humorem melancholicum principaliter peccare, aut subpeccare docet Fracastorius? Quis, obsecro, tam obtusi est ingenij, qui credat in leucophlegmatia hydropis specie, totum corpus occupante, humorem melancholicum habere prædominium, aut subdominium: quis in febre diaria, aut alijs innumeris, tale admittet prædominium?

Fracastorius perstringitur.

Quartum argumentum contra Fracastorium, hoc esto: Humor, qui difficillimè omnium putrescit, & mouetur, nequit esse præcipua Crisis causa. Sed humor melancholicus difficillimè putrescit, & mouetur. Ergo humor melancholicus nequit esse præcipua causa Crisis. Maior patet. Nam humor istiusmodi vix accessiones, in quibus Crises fiunt, parit. Minor ratione, & experientiâ probatur: Quartana causam agnoscit humorem melancholicum: & experientiâ constat, eiusdem quartanæ accessiones ad quartum quemq; diem protrahi, non aliam ob causam, nisi quòd putredinem non facilè contrahat. Ratione etiam liquidum fit, humorem melancholicum difficulter putrescere & moueri. Nam quod frigidum est, & siccum, difficiliùs, quàm reliqua, putrescit; vt in lapidibus, arena, & consimilibus videre licet. Sed humor melancholicus frigidus est & siccus. Ergo difficiliùs, quàm cæteri humores, putrescit. Difficilius denique mouetur, quia terreæ est naturæ. Ob hunc difficilem melancholici humoris motum Hippocrates lib. 4. aphor. 9. eundem humorem per aluum, & non per vomitum, medicamentis deturbandum præcipit. Melancholicos verò, inquit, pleniùs per inferiora; eâdem ratione contraria apponentes. Galenus in Comment. ait: Quia autem ad inferiora declinat hic humor (melancholicus) propter grauitatem, non sine ratione ipsum iubet per ventrem inferiorem euacuari; sicuti flauam bilē per superiorem, cùm sit leuis humor, & spontè continuò fluitet. Commune quidem est ambobus, vt ducantur quò vergent per loca conuenientia, &c.

Melancholicus humor deorsum naturaliter tendit, bilis sursum.

Fracastorius perstringitur.

Quintum argumentum ex modò dictis deducitur. Si humor melancholicus esset præcipuus stimulus & causa Crisis, omnis euacuatio Critica deorsùm fieret: vel certè quæ per vomitum, hæmorrhagiam, & sudores terminaretur, nunquam bona foret; quia non per conferentia loca euacuatio contingeret. Modò autem apud Hippocratem, & Galenum vidimus conferentem locum, siue viam, euacuationis melancholiæ esse intestina, quibus adde meatus vrinarios.

Fracastorius fingit, humorem melancholicum attenuari adeò, vt commodè per omnes vias euacuari queat. Sed ille longè decipitur, cùm Hippocrates humorem melancholicum, non crudum, sed præparatum, & attenuatum, per inferiores tantùm vias euacuandum esse præcipiat. Vix sanè, aut nullatenùs humor melancholicus ad tenuis bilis, & serositatis aqueæ naturam reduci potest. Fortassis fuliginosos vapores vocauit humorem melancholicum tenuem: in quo sanè fallitur: nam fumosi vapores melancholici humoris naturam nondum induunt, cùm sint leues, & biliosæ fortassis naturæ; à quibus ideò, & non ab humore melancholico, vt perperàm supposuit Fracastorius, accessionum acerbitas sæpius fit. Vnde Galenus lib. 9. Meth. cap. 2. ait: Verùm, cùm à feruentibus humoribus vapor attollatur plurimus, effluat autem foras exiguus, hunc, qui relictus est, febrem seruare est necesse; neq; id modò propterea, quòd ipse vapor manet, sed etiam propterea, quòd quæ proxima sunt adurit. Ita enim de acuta febri, in qua potissimum Crisis fit, doctissimè loquutus est Galenus; cuius doctrina quia veritati consona, Fracastorij imaginariæ, & verè melancholicæ opinioni, anteponenda est. Sunt enim vapores illi acres in vasis, & corpore densiori, aut obstructo retenti, qui morosum anxiumque reddunt ægrum: quæ quidem morositas etiam in ipsa quotidiana, ob accensam & putrefactam pituitæ portionem, relucet.

Exploditur Fracastorius.

Vapores feruentes febrem fouent, & humores, ac partes adurunt.

Demùm, parùm consonanter docuit Fracastorius, humores crassos, tenaces, & multos, esse in causa cur ad vigesimumseptimum Crisis protrahatur. Parùm, inquam, consonanter hæc pronunciauit; quoniam febres acutæ, in quibus Crises contingunt, nunquàm à copiosis & crassis humoribus generantur, sed à calido potiùs, & tenui. Morbi acuti ex calidiore materia ortum habent, inquit Galenus Comment. 2. in lib. 1. Prorrheticorum, textu 16. humor autem calidus in nobis, est sanguis, & bilis: & hæc ab omnibus constituitur ardentium febrium causa: etsi non ignorem, notham ardentem à salsa pituita quandoq; promanare. Cæterùm Galeni, omniumq; Medicorum sententia est, humorem crassum non acutas febres, in quibus maximè Crisis fit, sed longas, & chronicas efficere: humoremque crassum, non Crisi, sed paulatina coctione superari, & excerni. Vnde humor melancholicus Criseos remora, quàm stimulus & causa, congruentiùs nuncupari debet. Multa alia contra

Fracastorius reycitur.

A tenui humore nascuntur febres acutæ.

Humor melancholicus Crisis remora.

contra Fracastorij opinionem dicere possem, sed prolixitatem vitans, nihil vltra dicam.

Septima Opinio.

PHilosophi quidam Criticam virtutem proportioni, quæ inter agens, & passum reperitur, adscribunt. Vnde septima die Crisim contingere non alia est causa, quàm proportio naturæ cum humore, quem postquàm examinauit, superauit, & concoxit, rursùs eundem, vt quid inutile, expellit septimo die, vel duplicato tempore, decimoquarto; & ita de reliquis.

Hæc Sententia, etsi aliquid veritatis contineat, rem tamen, de qua agitur, non integrè penetrat. Verum quidem est, inter naturam, & humorem intercedere proportionem agendi, & patiendi, vnà adhuc cum debita temporis requisiti ad agendum & patiendum proportione. Sed hæc omnia singulis diebus concurrere possunt; adeoq; singulis diebus Crisim efficere possent. Ergo alia Crisis causa perquirenda est. *Hæc opinio reijcitur.*

Octaua Opinio.

EST magnifica Astrologorum Iudiciariorum opinio, cuncta in sublunari mundo Astrorum beneficio regi. Septem Planetis potissimùm omne regimen contribuunt: Hos autem in duas dispescunt classes. Primæ classis sunt Iuppiter, Sol, Venus, & Mercurius, temperati, salutares, benefici, & fortunati Planetæ ab illis dicti. Secundæ Classis sunt, Mars, & Saturnus, iam dictis in suis effectibus aduersi: Nam infausti, infælices, infortunati, horribiles, malefici, & intemperati dicuntur. Si Luna cum vltimis coniungatur, dies coniunctionis erunt infælices, & lethales: Si cum primis, id est, beneficis, dies erunt fausti, & salutares. Ita Ægyptij, & Chaldæi priùs Planetas diuiserunt, Syderumque varios aspectus, influxus, & coniunctiones, euentuum omnium, & humanarum actionum causas constituerunt. Quædam de his refert Macrobius libro 1. in Somnium Scipionis cap. 19. in fine. Fusiùs tamen rem hanc ex Phauorino Philosopho aduersùs eos, qui se Chaldæos, seu Genethliacos appellant, examinat Aulus Gellius lib. 14. Noctium *Benefici Planetæ. Malefici Planetæ.*

Atticarum. Cælius Rhodiginus lib. 7. lectionum antiquarum cap. 10. De Solis verò siue Apollinis Encomijs multa ex antiquis refert Macrobius lib. 1. Saturnaliorum cap. 17. Abrahamus Auenesre, si quis alius, hanc doctrinam extollit adeò, vt septem errantia Sydera, Planetas dicta, septem mundi Gubernatores appellet, qui, tanquàm instrumenta quædam, per Cęlos aberrantes, aliorum omnium syderum, Stellarumue fixarum influentias coaceruant, & in se recipiunt, moxque in sublunaria dispensant, effunduntque. Et propter hanc præpotentem Planetarum virtutem, eosdem, Medicos nuncupant; quoniam ab ijsdem sanitas, aut mors pendet. Mercurius Trismegistus libro de Ægrorum decubitu, beneficam, maleficamq; astrorum virtutem in ægris obseruandam præcipit, inquiens: Medicus ægri decubitum explorare debet: Quòd si horam, qua ægrotare cæpit, exquisitè deprehendere nequeat, spectare debet, quomodò Cælum affectum sit, & ad quam Stellarum Luna rationem habeat, oppositam scilicet, vel quadratam: Cum maleficis enim si conformetur, noxium morbum facit, cum beneficis salutarem.

Planetarum admiranda vis ex Auenesre.

Trismegistus.

Ptolomæus.

Ptolomæus maximus Renouator opinionis Chaldæorum, Ægyptiorumque, in primo sui Quadripartiti, inquit: Erraticarum Stellarum, atq; fixarum circumuolutio, calores, ventos, niues in ambiente aëre efficit. In suo rursùs Centiloquio cap. 6. ait: Super ægrotis Criticos dies inspice, ac Lunæ peragrationem in angulis figuræ sexdecim laterum: vbi enim eos angulos benè affectos inueneris, benè erit languenti, contra, si malè affectos inueneris. Claudinus rectè huius figuræ sedecim angulorum expositionem cum Bononiensibus Mathematicis sanè doctissimis, prosequitur. Constanter enim hi cum Antiquis istis Astrologis, maximè verò Ptolomæo, Lunæ peragrationem in Zodiaco per angulos figuræ sedecim laterum, computatam ab eo loco, in quo erat primo morbi die, Criticorum dierum causam constituunt. Et cùm nunc bona, nunc mala Crisis in morbis deprehendatur, malæ, & bonę Crisis causam, eiusdem Lunæ in ijsdem angulis constitutionem (vt aspectum, vel coniunctionem) beneficam vel maleficam esse asseuerant. Vt igitur Lunam per Zodiacum discurrentem dierum Criticorum causam illi statuant, in eodem Zodiaco quandam imaginantur figuram sedecim laterum, & sedecim simul angulorum, ita nimirum diuiden-

Figura sedecim laterũ, quam in cælo imaginātur aliqui.

tes

tes vniuersum Zodiacum in sedecim partes æquales: quarum partium quælibet gradus cōtinet vigintiduos, ac insuper gradûs vnius medietatem. Relatæ figuræ anguli in tres Classes diuiduntur: Nam quidam anguli dicuntur pleni, quia, dum in his Luna extat, plenas integrasque vires occupat possidetue. Huiusmodi anguli quatuor sunt numero, suntque, quartus istius figuræ angulus, octauus, duodecimus, & decimussextus. Primus horum angulorum, qui quartus est, primæ parti, seu primo ægritudinis loco quadrangulus est, sed sinister: Secundus angulus eidem diameter, seu oppositus: Tertius, quadrangulus eidem, sed dexter: Quartus & vltimus, coniunctionarius. Distant præfati quatuor anguli ab inuicem nonaginta gradibus. Hi anguli pleni diebus Criticis radicalibus respondent; quia ad hos angulos Luna in sua peragratione septimo quoq; die, quatuor quadras efficiens accedit.

Anguli pleni.

Secunda classis constituit angulos quatuor, semiplenos dictos; qui ideò semipleni nuncupantur, quoniam, quàmdiu Luna in his discurrit, semiplenas eadem possidet vires: talis naturæ sunt anguli, secundus, sextus, decimus, decimusquartus, qui ab inuicem distant gradibus quadragintaquinque. Hi anguli Diebus Indicibus respōdere creduntur, & his, quam possident, vim tribuere.

Anguli semipleni.

Tertiæ classis anguli, semipleni dimidiati appellantur; quoniam in his Luna discurrens, vires exercet semiplenas dimidiatas, siue semidimidiatas. Et hac ratione dies intercidentes à Luna constitui credunt. Quanquam contrarium censeat Galenus, qui apertissimè docet, septenarios, & quaternarios solos à Luna suam decernendi virtutem accipere, Coincidentes verò ab externis, internisue erroribus copiosissimè à nobis superiùs, diebus tertio, & quarto, expositis. Anguli semipleni dimidiati sunt numero octo: primus, tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimustertius, decimusquintus: quorum quisque hinc inde à lateribus sui semipleni positus est.

Anguli semipleni dimidiati.

Dierum Criticorum Coincidentium causa sunt errores.

Quòd deniq; Lunæ benefica, vel malefica in angulis præfatis constitutio, sit causa bonæ, & salutaris, vel malæ Crisis, Iudiciarij etiam sequenti modo sanciunt. Lunæ benefica, vel malefica constitutio, referente Conciliatore, different. 103. & 104. est Signi alicuius ex duodecim, quæ in Zodiaco sunt, aduersa, vel conueniens morbo idiotropia, seu qualitas. Verbi gratia, Luna benè, imò fa-

Idiotropia, id est proprius medus.

uenter & beneficè cõstituta dicitur, quamdiu in Signo morbo contrario, secundùm vnam, aut duas qualitates, discurrere deprehenditur: vt si morbus fuerit calidus & siccus, & Luna hoc tempore, quo æger tali laborat morbo, in Cancro, Signo frigido & humido, discurrit, res ægri in tuto fore credendum: Sicuti quamdiu Luna Libram, calidum & humidum Signum, peragrat, ægro laborante morbo frigido & sicco. Malè autem Luna constituta dicitur, quamdiu in Signo discurrit morbo conuenienti: Id est, si æger morbo corripitur calido & sicco, & Luna eodem tempore per Signum item calidum & siccum, vt Arietem, pergit, res ægri in tuto esse non censentur.

Cancer frigidus, & humidus.

Libra calida, & humida.

Aries calidus, & siccus.

Alij aliter virtutem illam Astrorum, quæ in hæc inferiora distribuitur, enucleant. Benefica, inquiunt, dicitur Lunæ constitutio, si benefici Planetæ in angulo, actu, & sua corporali præsentia ei cõiungantur: Si eam beneficis aspectibus illustrent: Si ab ijsdem, ante, vel retrò circundetur lumine, aut corpore: Si collocata sit in earundem Stellarum beneficarum auctoritatibus, id est in earum finibus, domicilijs, altitudinibus, & triangularitatibus: Si in similitudinibus; si in cardinibus, vel cardines subsequentibus: Tãdem si benè. Præter hæc omnia, sit affectus hospitator anguli. Si verò Luna contrario modo cum beneficis syderibus fuerit disposita, & maleficis fuerit adnexa, aut cum ijs habeat affinitatem, quam aliàs cum beneficis prædictis modis, habuit, influentiæ eius omnes in hæc inferiora, in quibus imperium habet, maleficæ erunt, & metuendæ.

Malefica influentia vnde.

Propter eximias virtutes, quibus Planetæ ornantur, & ob eorundem simul in sublunaria summam potestatem, singulis Planetis peculiares adscribunt morbos Genethliaci (Genethliacus idem est ac Natalitius, id est, qui ex die, & hora natiuitatis, quos Horoscopos vocant, fortunam hominis, ac successum pronunciat) vt Saturno frigido & sicco, ac melancholico, terreoque, febrem quartanam, Lepram, Scirrhum, Cancrum, Strumas, Vlcera maligna, Incubum, Melancholiam, Hepatis, & Lienis obstructiones, Hæmorrhoides, Varices, Herniam, Vteri suffocationem. Ioui calido & humido, aëreoque, Cephalalgiam sanguineam, Synochas febres, Ephemeras febres, Anginas, Pleuritides, Peripneumonias, Phlegmones, Apoplexiam. Marti calido, & sicco, igneoque, Febres ter-

Genethliacus quid.

Saturnini morbi.

Iouiales morbi.

Martiales morbi.

tia-

tianas, Hemitritæos, Phrenitidem, Maniam, Hæmorrhagiam, Choleram morbum, Icterum, Dysenteriam, Erysipelata, Exanthemata, Herpetes, Carbunculos. Soli, calido & sicco mediocriter, Continuam febrem, Palpitationem Cordis. Veneri frigidæ & humidæ mediocriter, Oedemata, Priapisinum, Satyriasim, Gonorrhæam, imaginariam Venerem, insaniam ex amore, Luem Veneream. Mercurio non habenti aliud temperamentum, quàm Planetæ, cui coniungitur, Vertiginem, tusses siccas, linguæ vitia. Lunæ frigidæ & humidæ, Epilepsiam, Arthritidem, Hydropem, Paralysim, Lethargum, Coma, Caron, Catarrhum. Similiter peculiares tribuunt ægritudines duodecim Zodiaci Signis. *Solares morbi.* *Venerei morbi.* *Mercuriales morbi.* *Lunares morbi.*

Sed hanc opinionem paruo negotio multi scriptores reijciunt. Primò, quia nostram tollit libertatem, cùm doceat, astra in nos necessariò agere, nosq; in hoc, & illud necessitate quâdam ab Astris in nos deriuata, veluti compellere: cùm contra hoc verissimè dicatur: Sapiens dominabitur Astris. Quòd si aliquis asserere vellet, libertatẽ à Iudiciarijs non tolli, audiat Phauorinum Philosophum apud Aulum Gellium lib. 14. Noct. Atticarum cap. 1. Iam verò id minimè ferendum esse censebat (Phauorinus), quod non modò casus, & euenta, quæ euenirent extrinsecùs, sed consilia quoq; hominum ipsa, & arbitria, & varias voluntates, appetitionesque, & declinationes, & fortuitos repentinosq; in leuissimis rebus animorum impetus, recessusque, moueri, agitariq; desuper è Cælo putarent; tanquàm si fortè ire in balnea volueris, ac deinde nolueris, atq; id rursùm volueris, non ex aliqua dispari variaq, animi agitatione, sed ex necessaria quadam errantium syderum reciprocatione contigerit: vt planè homines, non quod dicitur λογικὰ ζῶα (id est rationalia animalia), sed ludicra, & ridenda quædam νευροϐάτα (νευροϐάτης funambulus, id est, qui neruis, seu funibus nerueis inambulat, dicitur) esse videantur, si nihil sua sponte, nihil arbitratu suo faciunt, sed ducentibus Stellis, & aurigantibus. Hæc Gellius. *Iudiciarij reyciũtur.* *Phauorinus apud Gellium.* *Funãbuli.*

Secundò non rectè Philosophantur Genethliaci, quibusdam Stellis maleficam vim tribuentes, & tantam quidem, vt Pestem, aliosq; morbos, & mortem humano generi inferre possit. Sicuti enim furor esset (vt aliqui loquuntur) naturam corpus nostrum dispensantem, morborumq; medicatricem, morborum causam statuere,

Cæli non sunt malefici. tuere; ita Cæli benignam virtutem maleficij accusare: cùm Cælum beneficè in inferiora agat. Vnde eius Physici, & realis, non Mathematici contactûs cum inferioribus necessitas, referente Philosopho in Meteoris, veluti in Opere de Cælis, de Generat. & Corruptione. Cæli enim suo motu & lumine calorem in his inferioribus producunt, vi cuius omnia fouentur. Ideò in Plenilunio noctes calidiores esse experientiâ est compertum. Cùm ergo in Saturno lux eâdem ratione, ac in reliquis Astris, insit, calefaciet, & non refrigerabit. Est enim Saturnus, vt reliqua Astra, corpus homogeneum, & eiusdem rationis, cui inesse nequeunt contrariæ qualitates, cùm Cæli omni qualitatum contrarietate vacent. *Exploduntur Astrologi.* Respondent Astrologi, Saturnum, vt reliqua Astra, dupliciter agere, & communi ratione lucis, & ratione peculiarium influentiarum occultarum. Per lucem ipsum pollere calefaciendi virtute; per influentias refrigerandi. Quæ sanè distinctio in corporibus homogeneis, vt iam dixi, non habet locum; cùm in similibus inesse nequeant duæ facultates contrariæ. Si influentias astris in Physiologia nos concessimus, id ex Astrologorum sententia fecimus.

Concludendum ergo, Cælos esse beneficos, & vniuersales rerum sublunarium causas, in quas, iuxta Philosophum, mediante motu, & lumine agunt. *Errores in rebus sublunaribus à materia peccante emergunt.* Quod si in sublunaribus error aliquis, aut defectus deprehenditur, is non Cælis, aut Astris, sed materiæ qualitate, aut quantitate, aut vtroq; modo peccanti tribuendus est: Sicuti non formatrici seminis facultati, sed materiæ qualitate, aut quantitate peccanti tribuit Philosophus monstra.

Tertiò, impossibile est, vt Astrologi Iudiciarij omnia, quæ comminiscuntur, præstent; cùm infinitus sit Stellarum numerus, & consequenter impossibile omnium vires expiscari. *Stellæ infinitæ in Cælis.* Cognitarum ideò Stellarum vires, & influxus, ac effectus, incognitarum infinitarumque Stellarum influxu impediri immutarique possunt; cùm omnia Sydera, secundùm Iudiciarios diuersas habeant influentias; quas, quidquid iactitent illi, nulla vnquàm obseruatione sunt consequuti. Infinitarum enim, diuersarumque rerum, & quæ nunquam comprehenduntur, non datur Scientia: Cùm ergo Stellæ infinitæ sint, & diuersæ virtutis, quis eas enumerare, & dignoscere potest? Hominum enim omnium, & multò magis Astrologorum Iudiciariorum, finitus est numerus.

Præterea perperàm illi natalitia, siue horam, & diem natiuitatis, tam diligenter inquirunt, vt exinde vniuscuiusque varios morborum euentus, & futuros omnes contingentes casus, mediantibus Astrologicis Instrumentis, explorent: cùm multò plus referat horam conceptûs, & conformationis corporis, quàm partûs scire, referente Ptolomæo. Sed horam conceptûs scire perdifficile est, horam autem conformationis, impossibile. Nam non simul, sed successiuè animalis partes in vtero efformantur. Quæ verò sit pars, quæ primò efformatur, ipse nouit euidenter, qui plasmauit eam, Creator, vt loquitur Galenus libro, An omnes particulæ animalis, quod fœtatur, fiant simul. Solus ergo rerum omnium Creator futuros euentus nouit.

Hora conceptus, & conformationis difficulter dignoscitur.

Denique posito quòd Genethliaci aliquid ex Astris præcinere debeant, tria ex ipsorum principijs impensissimè obseruare oportet, vt loquitur Cælius Rhodiginus libro 7. lectionum Antiquarum cap. 10. Primum, est hora illa initialis, qua se in lucem vitalem è vulua matris prompsit infans: vel quiduis aliud, super quo Vaticinium concinnandum, fieri sit cæptum. Secundum, est Cæli Status, Syderumq; positus, ad ipsam illam horam subtiliter applicitus. Tertium, quid eiusmodi ratio Cælestis, Sydereaque, meditetur, agatue, argumentis inerrantibus, aut experimenti certitudine, perinde ac vngues nôrint suos, necessariò scire debent. Hæc autem omnia scire impossibile videtur. Quomodo enim primum illud momentum, quo in lucem editus est infans, scire potest Astrologus? vt enim aliquam eius cognitionem consequeretur, necessarium foret, ipsum prodeunti infanti præsto esse Astrologum, Astrolabio rectè instructum, quo Cælestis è vestigio concipiatur mensus: hoc verò ne fiat plurima obturbant. Sæpè tenebrarum nocumentum, & interpellatio. Quandoq; Cælum nubilum: Interdum & hominis inopia, absentiaue. Sed demus, horum nihil officere; ni Astrolabium ipsum tanta fuerit arte, peritiâue cõfabricatum, vt nusquàm subsultet, ac ne in minimo quidem fallax comperiatur, voti esse nequit compos Astrologus. Organum verò id genus omnibus absolutum numeris, aut rarò, aut nunquàm inuentum. Hinc conficitur, horam natiuitatis incertam esse, & ex aspectibus Planetarum, ac influentijs, ac coniunctionibus, nihil colligi certi de morbi euentu, aut humanis casibus. Quod de natiuitatis hora dictum est, idem

Tria principia à Genethliacis proposita.

Principia illa nunquam obseruari possunt.

Rarò fidele Astrolabium.

de hora decubitûs, aut ſenſibilis læſionis ægri dicendum. Sunt enim, qui ignotâ natiuitatis horâ, ad horam decubitûs recurrere ſolent Aſtrologi, vt hac cognitâ ex Aſtris, mediante pariter Aſtrolabio, ſalutem prædicant, aut mortem.

Validum Phauorini argumentum cōtra Iudiciarios.

Rursùs ex Phauorino apud Gellium, colligitur hoc argumentum: Si ex diuerſitate aſpectuum, aut coniunctionum, aut influentiarum Syderum, diuerſitas exitûs, & caſuum humanorum inferri poſſet, cur illi, qui in varijs, diſſitiſque Mundi Regionibus, & ſub diuerſis conſequenter aſpectibus nati ſunt, hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui fluctu obruti, eodem genere mortis, eodemque ictu temporis interirent? Argumento à contrario deſumpto, quæri ſimiliter poteſt, cur diuerſas inclinationes, diuerſumq; euentum obtinent illi, qui eodem temporis momento nati ſunt, & qui ſub eodem aſpectu, aut coniunctione, aut ijſdem influentijs in eodem terræ tractu in lucem editi ſunt.

Prænotio futurorum ſoli Deo conuenit.

Alia habet varia argumenta Phauorini, Gellius: inter quæ hoc eſt, quòd è medio tolleretur id, in quo maximè à Dijs diſcrepant homines, ſi hi quoq; res omnes poſt futuras prænoſcerent. Aliud argumentum eſt Chaldæorum principium, obſeruationes circa Sydera, non valere ſub alijs Cæli regionibus.

Elegans Phauorini apud Gellium peroratio contra Iudiciarios.

Demùm ſequentibus argumentis orationem clauſit Phauorinus. Aut aduerſa, inquit, euentura dicunt, aut proſpera. Si dicunt Aſtrologi proſpera, & fallunt, miſer fies, fruſtra expectando: ſi aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, iàm inde ex animo miſer fies, antequam è fato fias. Si fælicia promittunt, eaq; euentura ſunt, tum planè duo erunt incommoda: & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto vtendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus.

Sancti Patres Aſtrologiam iudiciariam repudiant.

Rectè ergo iudiciariam Aſtrologiam S. Baſilius Vanitatem appellat occupatiſſimam. S. Ambroſius inutilem & impoſſibilem. S. Cyprianus vanam, falſam, ridiculam. Quam ideò ſuis temporibus neglexerunt, & prorsùs repudiârunt magna illa Ingenia, Pythagoras, Democritus, Plato, Panœcius Stoicus, Archelaus, Ariſtoteles, & tandem Marcus Tullius lib. 2. de Diuinatione, vbi ait:

Tullius in Chaldæos.

Quàm

Quàm multa ego Pompeio, quàm multa Craſſo, quàm multa ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum, niſi Senectute; niſi domi: niſi cum claritate eſſe moriturum; vt mihi permirum videatur quemquam extare, qui etiam nunc credat ijs, quorum prædicta quotidie videat, re, & euentis refelli.

Sed quid dicemus ad illos, qui nobis obijciunt, Aſtrologiam tantoperè ab Hippocrate commendari, vt ſequentia confirmant, quæ lib. de Aere, Aquis, & Locis ſcripta reliquit: Medicum Aſtrorum exortus conſiderare oportet, præcipuè verò Arcturi, & Pleiadum: Morbi enim in his maximè diebus perimunt homines. Sed & periculoſiſſima ſunt ambo Solſtitia; periculoſum & Æquinoctium vtrumque. Itaque neque illis temporibus Catharctica exhibere, neq; vrere, neque ſecare oportet, priuſquàm prætereant dies decem, aut plures. Libro 2. de Diæta etiam ait: Aſtrorum ortus, eorundem occaſus agnoſcere Medicum oportet, vt inde mutationes totius mundi, ex quibus morbi hominibus oriuntur, obſeruet. Et libro 1. de Principijs, ſiue de Carnibus, ſequentia ſcripſit: De rebus ſublimibus in cælo non eſt inſtitutum dicere, niſi quatenùs ex ijs ſanitas, & morbus, & ex ijs bonum, & malum, ex ijs vita, & mors. Libro 1. de Diæta: Omnia eueniunt per cæleſtem ac Diuinam neceſſitatem, & quæ volunt, & quæ nolunt. Libro de Natura Hominis, ab eadem neceſſitate omnia contingere docet. Vnde libro de Aere, Aquis, & Locis θεῖον, id eſt, Diuinum, in morbis ponit. Plato in Timæo potiſſimùm ſuadet, vt diligenter inſpiciamus, quid ex vario Aſtrorum occurſu, circuitu, aſpectu, cuiq; noſtrûm euenturum ſit. Aſtra namq; alia frigus, alia calorem inducunt, & cuilibet animanti peculiare ſubeſt in Cælo aſtrum.

Tempore Arcturi, Pleiadum, Solſtitiorũ, & Aequinoctiorũ per dies decem à purgãtibus abſtinendum.

τὸ θεῖον, quid Diuinum.

Ad has omnes authoritates communiter reſpondent multi, nihil aliud voluiſſe Hippocratem, Platonem, & Ariſtotelem, quàm Cælum eſſe mutationum omnium in rebus ſublunaribus contingentium Vniuerſalem cauſam; quòd quidem ex Philoſopho, in hæc inferiora, mediante motu, & lumine agit. Vnde lib. 1. Meteoror. cap. 2. mundum hunc inferiorem Cælo attiguum eſſe docuit.

Obiectioni occurritur.

Ego exiſtimo Hippocratem commendare Studium ortûs & occasûs Syderum Medicis, propter alterationem in aëre circa eoſdem ortus & occaſus factam. Ad aëris enim diſpoſitionem reſpexit Hippocrates, vti Nautæ, & Agricolæ, qui incognitis Syderum aſpe-

Cur aſtrorum cognitionẽ Medico commendauit Hippocrates.

ctibus, aut coniunctionibus, multa ex ipsa aëris dispositione colligunt. Aër enim necessariò à nobis inspiratur, transpiraturque: adeòq; cùm naturalis causa sit, necessariò sui bonam, malamue dispositionem nobis communicat. Vnde illud, τὸ θεῖον, .i. quid Diuinum, in morbis contingens, ab aëre procedit. Vt enim aëris dispositiones variæ à Medico percipiantur, vtile erit Solstitiorum, & Æquinoctiorum ortum scire; quoniam circa hæc tempora, circa Canem, circa Vergilias siue Pleiades, & circa Arcturum, maximæ fiunt in aëre mutationes; & consequenter morbi. Non porrò tàm Astra, quàm mutationes qualitatum aëris, causas statuit morborum Hippocrates, prout plenissimè docuit lib. 3. Aphorism. 1. Mutationes temporum potissimùm pariunt morbos: & in ipsis temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris; & alia pro ratione eodem modo. Et aphorismo 4. eiusdem libri: Per anni tempora, quando eodem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. Et aphorismo 8. eiusdem libri 3. Constantibus temporibus, si tempestiua tempestiuè fiant, morbi stabiles, & boni iudicij accidunt. Inconstantibus autem instabiles, & mali iudicij. Plerorumq; deniq; morborum causas, aëris constitutionem, dicto passim libro, esse asseuerauit. Sed de Astrologorum sententia abundè dictum est.

Mutationes temporum potissimum pariunt morbos.

Nona Opinio.

AVgustinus Niphus Suessanus quandam formauit opinionem de Causa Criseos, quæ fermè eadem est, ac illa iam relata Astrologorum. Peculiaria tamen quædam ipse proponit: vt morbum esse quadruplicem, in intemperie, in vnitate, in numero, & ex his omnibus compositum. In quo sanè peccat, cùm omiserit morbos in conformatione, in magnitudine, & situ, atque connexu. Nec meliùs processit asserens, Crisim contingere omnibus humoralibus morbis: Nam licèt verùm sit, Crisim humoralibus tantum morbis conuenire, non tamen in omnibus humoralibus morbis Crisim fieri contingit; cùm multi per simplicem solutionem terminentur; vt cum Galeno in principio huius libri diximus. Multa alia de re Astrologica suo modo proponit, quæ damnanda sunt, cum Iudiciariorum doctrinam sapiant.

Non omnis humoralis morbus Criticè terminatur.

De-

Decima Opinio.

GAlenus noster nunquam ſatis laudatus, vim decernendi ſiue iudicandi in morbis humoralibus, ex Aſtrologorum ſententia, Lunæ tribuit, ſi morbi fuerint acuti: Soli verò, ſi ad multos menſes, & annos prorogetur morbus. Vnde Solem anno, Lunam menſibus præfici docet. Luna tamen Menſibus præeſſe dicitur, prout Menſis quiſque in quadras, ſeptimanaſq; dirimitur. Sol verò Menſibus etiam præeſt, prout anni ſpatium conſtituunt, & per integros menſes enumeratio fit, ſicuti per ſeptimanas in Lunę peragratione. Vnde Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 7. ſequentia ſcripſit: Circuituum verò alij numero quodam dierum conſtant, alij menſium. Iam verò, qui dierum numero conſtant, ſeptimani ſunt, & Lunæ modo incedunt: qui autem menſium numero, ad Solem referuntur, eodem modò, ac Sol euenientes. Iterum enim ab Hippocratis verbis initium ſumendum, Æſtiuos morbos dicentis (lib. 3. Epidem. tex. 88. & vlt. quem vide) hyeme ſolui, Hyemales æſtate (videmus & nos ſæpè autumnales morbos Vere pariter ſolui). Hoc ſiquidem longorum morborum, & quaſi dicas annalium, Iudicij ſtatum tempus eſt, quemadmodùm acutorum decimuſquartus dies. Tempus enim, quod à Menſis principio ad vſq; plenilunium eſt, totius Lunaris circuitûs dimidium exiſtens, eandem rationem habet cum interuallo, quod ab hyeme ad æſtatem vſq; intercedit: Quin etiam à Plenilunio ad vſq; occultationem (ſiue cum Sole coniunctionem) tempus, ſpatio, quod ab æſtate ad hyemem vſq; porrigitur, proportione reſpondet. Sed horum vtrumq; bifariàm ſectum, in acutis morbis Septimana eſt: in diuturnis clariſſimorum Syderum exortus: quorum ratione Ver, Æſtas, Hyems, & Autumnus deſcribuntur. Non etenim pari dierum numero hæc (id eſt, Anni tempora) ſecundùm vllius Aſtronomi ſententiam diuiſa ſunt, verùm manifeſtis circumflui aëris mutationibus diſtinguuntur. Rursùs & alio modo. Quemadmodum Septimana acutorum morborum decretoria eſt, ſic temporis annui mutatio diuturnorum morborum erit ſolutoria: Vt in hyeme quidem conſtitutum morbum Ver ſoluat: in Vere conflatum, Æſtas: ſimili ratione per Æſtatem contractum, Autumnus: in hoc paratum, hyems: &c.

Sol annis Luna mēſibus præeſt, & quomodo.

Aeſtiui morbi hyeme curantur, & è contra.

Lunaris menſis, cū toto anno cōparatio.

Anni tēpora manifeſta aëris mutatione diſtinguūtur.

Morbi annui curatio.

Pe-

Periodus, id eſt, Circuitus, ſeu, vt Cicero etiam vertit (prout benè notat Lalamant.) ambitus, anfractus, & reditus, certa eſt errore, ſiue diſcurſu Solis, aut Lunæ deſcripta Cæli dimenſio. Anfractus Solis dicitur Annus, propter Zodiaci ambitum: dicitur annus reditus Solis, quia eadem Signa per annos ſingulos certa lege metitur, inquit Macrobius lib. 1. in Somnium Scipion. cap. 6. Galenus hoc capite docet, Circuitus quoſuis conſtare certo quodam numero dierum, aut menſium. Circuitus ex dierum numero conflati, ſiue ij ſeptimanam vnam, aut menſem vnum expleant, ſiue non, ad Lunam pertinere dicuntur Galeno. Circuitus verò, qui menſium numero conſtant, ſiue ijdem menſes annum vnum, aut plures expleant, ſiue non, ad Solem pertinent. Videtur Macrobius exactiùs deſcripſiſſe hos circuitus lib. 1. in Somn. Scip. cap. 6. iam antea citato, vbi ſequentia ſcripſit: Sol quoque ipſe de quo vitam omnia mutuantur, Septimo Signo vices ſuas variat; nam à Solſtitio hyemali ad Solſtitium æſtiuum ſeptimo peruenit Signo, & à Tropico Verno vſq; ad autumnalem Tropicum Septimi Signi peragratione producitur. Tres quoq; conuerſiones (ita circuitus appellat) lucis æthereæ per hunc numerum (ſeptenarium intelligit) conſtant. Eſt autem prima, maxima: Secunda, media: minima, eſt tertia. Et maxima eſt anni ſecundum Solem; media, menſis ſecundùm Lunam: minima diei ſecundùm ortum, & occaſum. Eſt verò vnaquæque conuerſio (id eſt circuitus) quadripartita: & ita conſtat ſeptenarius numerus, id eſt ex tribus generibus conuerſionum, & ex quatuor modis, quibus vnaquæq; conuertitur. Hi ſunt autem quatuor modi: fit enim prima (pars) humida: deinde (id eſt ſecunda) calida: inde (id eſt tertia conuerſionis pars) ſicca: & ad vltimam (quartam partem circuitûs intelligit) frigida. Et maxima Conuerſio, id eſt, anni, humida eſt Verno tempore; calida æſtiuo: ſicca autumno; frigida per hyemem. Media autem Conuerſio Menſis per Lunam ita fit, vt prima ſit hebdomas humida; quia naſcens Luna humorem aſſolet concitare: Secunda calida, adoleſcente in ea iam luce (calorem lux producit) de Solis aſpectu: Tertia ſicca, quaſi plus ab ortu (id eſt à ſua prima ſeparatione, & diſceſſu à Sole, cui coniuncta erat per triduum) remota: Quarta frigida, deficiente iam lumine. Tertia verò conuerſio, quæ eſt diei ſecundùm ortum, & occaſum, ita diſponitur, quòd humida ſit vſque ad primam de quatuor

Circuitus dierum.

Circuitus menſium.

Ab hyemali Solſtitio ad æſtiuale ad Septimum Signũ Sol accedit.

Triplex eſt circuitus, anni, menſis, & diei.

Prima pars cuiuſuis cõuerſionis eſt humida: ſecũda calida: tertia ſicca: quarta frigida.

tuor

tuor partibus partem diei: calida vſque ad ſecundam: ſicca vſq; ad tertiam: quarta iam frigida. Oceanus quoq; in incremento ſuo hunc numerum tenet. Nam primo naſcentis Lunæ die fit copioſior ſolito, minuitur pauliſper ſecundo, &c. In vno hic defeciſſe videtur Macrobius, quòd artificialem diem, non naturalem, in quatuor diuiſerit partes: cùm multo congruentiùs dies naturalis in quatuor partes, quatuor anni, & quatuor menſis partibus correſpondentes diuidi queat, quàm artificialis. Nam vltima artificialis diei pars ſicca eſſe debet, ſed permodicè frigida: imò matutinum tempus veſpertino, ſeruato naturæ ordine, frigidius eſt, cùm nocti frigidæ immediatè ſuccedat. Commodius ergo integra Solis conuerſio, ſiue circuitus, primi mobilis raptu ſpatio vigintiquatuor horarum facta, quæ diem conſtituit naturalem, in quatuor partes diuidetur, quàm artificialis: quoniam prima eius pars Veri, ſecunda Æſtati, tertia Autumno, & quarta, quæ nox eſt, hyemi perappoſitè correſpondet, ſicuti in ſuperioribus à nobis dictum eſt. Spatio autem diei naturalis, ſingulis duabus horis Sol violenta conuerſione vnum tranſcurrit Zodiaci Signum.

Dieí varia qualitates.

Sol horis duabus Signũ vnum trãſcurrit.

Galenus cap. hoc 7. lib. 3. de Dieb. Decret. quod modò exponimus, vt probet, Criſes numero Menſium, & annorum fieri virtute Solis, ſicuti in Septenarijs dierum, vi Lunæ, Hippocratis doctrinam ex lib. 3. Epidem. tranſtulit: cui alteram Hippocratis doctrinam in calce libri de Natura Hominis poſitam adhibere nos poſſumus. Vt autem in anno quandoque hyems maximè viget, aliquando Ver, nonnunquam Æſtas, aliàs Autumnus: ſic & in homine, ſemel pituita multum valet, poſtea ſanguis, mox bilis, & priùs flaua, deinde atra. Huic clariſſimè atteſtatur, quod ſi eidem homini idem medicamentum (vomitorium ſcilicet, vt Helleborus) quater in Anno dare volueris, hyeme pituitoſiſſima ille tibi euomet. Vere humidiſſima, æſtate bilioſiſſima, autumno nigerrima. Portò his ita ſe habentibus, conuenit, vt morbi, qui hyeme augentur, Æſtate finiantur; qui verò Æſtate inualeſcunt, vt hyeme deſinant, præterquàm quæ dierum circuitu ſoluuntur (dierum verum circuitum aliàs explicabo) à morbis, qui Vere oriuntur, autumno expectanda eſt euaſio: at ab autumnalibus Vere liberari neceſſe eſt. Id autem nouiſſe oportet, quod neceſſe eſt, vt morbus, qui hæc anni tempora exceſſerit, iam annuus euadat. Vult Hippocrates, vt in

Morbus vnius tempeſtatis anni ſanatur in oppoſita.

Com-

Commentario refert Galenus, quòd morbi, qui inueterascunt, nec per dierum circuitus, sed mensium fiunt, tempore illi contrario, in quo inuasere, solutos iri; vt id sit mense septimo: qui vbi neq; sic soluantur, in annuum morbum transire ait. Id autem vocabulum, annuus, potest eum indicare, qui post annum à primo suo ortu soluendus sit: potest & illum, qui per septem annorũ circuitus, quemadmodum & alij per septem mensium. Libro 3. aphor. 28. sequentia quoq; retulit: Plurimi puerorum affectus iudicantur, alij ad quadragesimum diem, alij ad septimum mensem, alij ad septimum annum: nonnulli ad pubertatem vsq; (quæ ad decimumquartum annum protrahitur). Qui verò morbi pueris permanserint, nec in pubertate finierint, aut fæminis, cùm menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt. Libro 2. Aphorismor. 45. consonanter dictis ait: Quicunque Iuuenes morbo Comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque, liberantur. Cùm enim morbus Comitialis frigidus sit & humidus, mutatio facta ad contraria, calida & sicca, ei prodest. Adeòq; ætas calida & sicca remedio est, sicuti tempus calidum & siccum, locus calidus & siccus, victus calidus & siccus, vel saltem valdè temperatus. Quoniam circa decimumquartum annum Epilepsia sanationem recipere potest, Hippocrates lib. 5. aphorism. 7. sequentia scripsit: Epilepsia, quibus ante pubertatem contingit, sanationem recipit: Quibus verò post vicesimumquintum annum, eos ferè comitatur ad mortem vsque.

Morbi consenescentes.

Morbus Comitialis quãdo curatur, & quãdo non.

Habemus ex Hippocrate, quosdam diuturnos morbos quadraginta diebus iudicari, quosdam septem mensibus, quosdam septem annis, quosdam quatuordecim annis, vt loquutus est citato iam aphorismo 28. lib. 3. in cuius commentario docet Galenus, Hippocratem de diuturnis morbis loquutum esse, aiens: Plurimi autem pueris diuturni morbi iudicantur: nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli verò in septem mensibus, quidam in septem annis. Ex diebus autem quadragesimus, primus morborum diuturnorum est iudicatorius, vltimus verò eorum morborum, qui ex transitione siue decidentia sunt acutorum; sicuti etiam supra notauimus. Quicunque verò hunc transcendunt numerum, secundùm Septenarij rationem habent iudicium: non septem iam diebus connumeratis, sed primùm quidem mensibus, deinde annis: Et quidem

Dies quadragesimus est primus decretorius Chronicorum morborum.

Post quadragesimũ diem numerus septenarius mensium, & annorũ considerãdus venit.

qui hoc tempus transcendunt, ad quartumdecimum annum perueniunt, est manifestum. Cæterùm, dum hyemis morbos æstate sanari docuit Hippocrates, id ideò dixit, quia hyemales morbi frigidi contraria tempestate calida, cuiusmodi est Æstas, curationem recipiunt. Contraria enim contrariorum sunt remedia, ex ipso Hippocrate libro de Flatibus. Præter hanc tempestatum anni contrarietatem, septem mensibus vim Criticam tribuit Hippocrates, cuius sententiam confirmat Galenus. Nam morbus hyemalis non simpliciter Æstate soluitur, sed septimo mense: Imò verò quarto mense curationem recipere possunt ægri, prout ex Hippocratis doctrina superiùs abundè exposita colligitur. Docuit enim centesimo & vigesimo mutationem Crisimue in morbis fieri: Sed hic dierum numerus quatuor explet menses. Centesimus adhuc dies quarti mensis particeps est. Vnde in eo Crisis fit. Octogesimus dies est in tertio mense: Sexagesimus in secundo mense, in quo Crises contingunt, vt experientiâ Hippocratis compertum est.

Contraria contrarijs curantur.

Sed quoniam secundo mense (nisi fortè ratione nouem septenariorum quibus sexaginta dies constant) Crisim fieri repugnare videtur numero binario, cui nulla tribuitur decernendi virtus, existimo mutationem fieri mense secundo propter manifestam in aëre introductam mutationem, quæ naturam benè, maleuè ad euacuandum disponit. Capite autem 7. lib. 3. de Dieb. Decret. non solùm morbos vnius tempestatis anni in contraria tempestate, cum Hippocrate, solui asseruit Galenus, sed præterea morbos vnius tempestatis in immediatè subsequenti tempestate abigi; & quidem ob diuersitatem quorundam Syderum illis temporibus apparentium: vel ob maiorem minoremue Solis illustrationem. Morbus autem Vernalis, media Æstate solui potest; & ita de reliquis tempestatibus, in duas partes diuisis singulis. Licèt enim secundùm duas qualitates vicinæ Anni partes non sint contrariæ, sunt saltem secundùm vnam. Certum enim est singulis mensibus aëris temperiem, & nostram pariter mutari: ad quod proculdubio non mediocriter concurrunt illustrium Syderum ortus & occasus, quibus variæ partes anni definiri determinariq; solent, Astronomorum saltem judicio. Vt enim ortus Cosmicus Pleiadum siue Vergiliarum, Æstatem, occasus Cosmicus earundem, Hyemem inchoat, ita Caniculæ ortus dimidiatam Æstatem. Nepæ occasus, & Vindemiato-

Considerandæ sunt Signorum, & Syderum mutationes.

ris ortus, medium Ver ostendunt. Occidit enim Nepa Columellæ lib. 11. cap. 2. Idibus Martij, Vindemiator sexto Nonas apparet. Et Anguifer, Græcis ὀφιοῦχος, manè occidit 11. Calend. Iunij. Longum esset reliqua Sydera cum Astronomis referre. Rem ergo seriam vlteriùs persequamur.

Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 2. Solis & Lunæ virtutes copiosè extollit, vt sequitur: Omnium certè superiorum Astrorum potentia fruimur: Verùm qui maximè hūc Orbem exornat, & concinnat, & disponit, est Sol: Quippe Veris, Æstatis, & Hyemis author alius nemo extat: nec alius tam manifestò, vel ex terrestri limo animalia generare potest, neq; fruges maturare, neq; ad coitum, & generis propagationem animantia prouocare. Magna sanè & Lunæ opera in hanc rerum substantiam apparent, verùm Solis effectibus posteriora. Etenim menses hæc perpetuò disponit, idque euidenter adeò in marinis animalibus: quanquàm & ipsum Solis beneficio habet. Nouum enim ipsa lumen sortitur, cum Sole primùm fruitur. Tanta verò eius portio semper illuminata est, quantam Sol aspicit. Prorsùs autem deficit, lucisq; expers redditur, vbi terra suo interuentu ipsam obtenebrat. Quapropter vt illa distat à Sole, omnes mutationes suscipit: etenim plena est, cùm diametra est: æqua portione diuisa; seu semilunaris, Græcè dichotomos, cùm quadrangula est: vtrinq; gibba, cùm triangula: & falcatam speciem refert, vbi sexangula est. Atq; tunc primùm noua est, cùm post Solis congressum apparet: obscurata omninò, cùm Solis lumine circumuallatur. Igitur fructus auget, incrassatque, animantia implet. Ad hæc menstruorum statum tempus mulieribus conseruat. Item Comitialium (Epilepsiæ scilicet) circuitus custodit, inde, quod Solis plùs, vel minùs participat: omnia siquidem, quæ facere nata est, vbi falcis figuram representat, languida fiunt: valida omnia, cùm plena fuerit. Quapropter & fruges interea adauget, maturatq; celerrimè: mortua corpora putrefacit: Somnoque Sopitis sub eius lumine, vel aliter diutiùs immoratis, pallorem, & capitis grauitatem conciliat. Vt igitur Luna Solis auxilio in omnibus indiget, ita Sol ad nullam rem maximam, vel alterius cuiusdam Astri, vel ipsius Lunæ, operam desiderat. Rursùs docet, Solem esse instar maximi Regis, Lunam verò vt Hyparchum, id est Subprincipem, aut Viceregem. Luna enim terrestrem gubernat

Solis effectus varij.

Lunæ magna vis.

Lunaris mensis diuisio in quadras, & semiquadras.

regionem, non quòd cæteros planetas potentiâ exuperet, ſed vicinitate tantùm. Tandem in calce capitis docet Lunam particulares cuiuſq; menſis dies diſponere, licèt non ex ſe, ſed ex Solis aſpectu eandem facultatem conſequatur.

Luna menſi, & diebus præeſt.

Mutuatur ergo Luna ſuum lumen, & vires potiſſimùm à Sole, & Menſi, menſiſq; partibus præeſt. Menſis enim triplex eſt: Vnus Synodicos, id eſt, Coniunctionis ſiue conſequutionis dictus, qui eſt numerus dierum, aut totum tempus, quod eſt inter vnam Lunæ cum Sole coniunctionem vſq; ad alteram: continetq; menſis hic dies vigintinouem, duodecim horas, & quadraginta minuta. Recentiores autem quadraginta illa addidere minuta. Secundus Menſis Periodicos Græcis dicitur, Latinis Menſis peragrationis, ſiue peregrinationis, qui eſt totum illud tempus, quod Luna conſumit, vt redeat ad idem Zodiaci punctum, à quo diſceſſit: Eſtque ſeptem & viginti dierum, atq; octo horarum. Tertius menſis Græcis Phaſeos, id eſt Apparitionis, & illuminationis dicitur. Eſtque tempus interiectum inter primam Lunæ apparitionem, & eius occultationem, id eſt, totum interuallum, quo Luna à nobis videtur. Eſtq; hic menſis ſatis inæqualis, quia, quò minùs occultatur Luna, eò longior erit; quò verò diutiùs occultatur, ſeu in coniunctione cum Sole manet Luna, eò eſt breuior. Verùm vtplurimùm conſtat hic menſis vigintiſex diebus, & duodecim horis, vt Medicorum nonnulli referunt; ſed Alſtedius in ſuo Elementali Aſtronomico refert, eſſe ferè vigintiocto dierum. Periodicum Menſem abſolutè vigintiocto dierum eſſe docuit.

Menſis eſt triplex.
Menſis coniūctionis.
Menſis peragrationis.
Mēſis apparitionis.

His præhabitis fiunt variæ formæ ſiue configurationes, ſiue Schematiſmi Lunę in ſuo à Sole diſceſſu, & ad Solem acceſſu. Siquidem Menſis peragrationis in quatuor diuiditur quadras, quarum quælibet ſeptem fermè diebus conſtat. Prima quadra à Lunæ diſceſſu à Sole, vſque ad ſeptimum diem protrahitur; & Luna in huius quadræ termino ſemiplena eſt: & dichotomos, quaſi in duas partes æquales diuiſa, Græcis dicitur. Altera quadra ad decimumquartum terminatur; quo tempore Luna plena eſt, atque Soli oppoſita. Tertia quadra ad vigeſimumprimum extenditur. Quarta ad vigeſimumoctauum fermè, ſiue vſq; ad abſolutam Lunæ occultationem.

Variæ poſitiones, ſiue ſitus Lunæ in ordine ad Solem.
Galen. lib. 3. de Criſibus c. 5.

Luna adhuc ſeptem permutationibus, ſiue configurationibus,

 quas

quas φάσεις vocant Græci (vt loquitur Macrob. lib. 1. in Som. Scip. c. 6.) toto mense distinguitur: quum nascitur, cùm fit dichotomos, & cùm fit amphicyrtos, cùm plena, & rursùs amphicyrtos, ac denuò dichotomos, & cum ad nos luminis vniuersitate priuatur. Primus autē Schematismus Lunæ, est eius ortus siue apparentia, postquàm à Solis congressu abscessit; & tunc falcis formā obtinet, vnde falcata dicitur; & quia cornua ostendit, corniculata; & Sextilem tunc habet aspectū ad Solē. Græcis forma illa nouæ Lunæ μηνοειδὴ, aut μηνοειδὴς nuncupatur. Et hæc est prima Lunæ φάσις: notaturq; asterismo, siue Stellæ figurâ, aut, si mauis, figurâ rotæ calcaris: distatque à Sole tribus Signis: nā, vt refert Alstedius, Sextilis aspectus est, quando planetæ distant interuallo trium Signorum. Sed aliter, & veriùs, Sextilem describit Paulus Dariotus Medicus & Mathematicus: Sextilis aspectus est, cùm centra duorum corporum Planetarum, duobus Signis, siue sexta Zodiaci parte, hoc est gradibus sexaginta, distent: Vnde Sextilis dicitur, qui mediocris & imperfectæ amicitiæ dicitur: quoniam Signa eo aspectu communicantia vnâ tantùm qualitate concordant. Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. c. 5. de aduentu, & vltimo discessu Lunæ hac serie loquitur. Cæterùm aëra nos ambientem magnas suscipere mutationes, dum Luna primùm occultatur, & rursus primum apparet, nemo mortalium ignorat: maximè ij, quibus hoc studij est, agricolæ, & nautæ, qui στάσιν, id est, statum aëris tunc vocant, cum Luna primùm apparens, secundùm aliquem ventum stet. Rursùs augetur adeò Luna, vt dimidiata fuerit, & dichotomos tunc appellatur, quasi dissecta sit in duas æquales partes, quarum vna manifestè lucida apparet: ἡμίτομος etiam dicitur, quia medium iam iter à nouilunio ad plenilunium exegit, nonaginta gradibus distat à Sole. Die vndecimâ Luna adhuc est lumine Solis vsq; adeò illustrata, vt vtrinque gibba perspiciatur, & proximè ad luminis plenitudinem accedat: Vnde tunc ἀμφίκυρτος, id est, vtrinque gibba, & curua nuncupatur. Distat hoc tempore centum trigintaquinq; gradibus à Sole. Denuò decimoquarto die, dum Soli è diametro Luna est opposita, ab eodem Sole integrè illustratur, illuminaturque. Ideoq; Luna plena esse dicitur, & Græcis πανσέληνος. Consimiles Luna à Plenilunij tempore decrescens, declinansq; ad alterum cum Sole congressum, Schematismos demonstrat. Quarta siquidem à Plenilunio die, fit

Ortus Lunæ.

Dichotomos quid.

Amphicyrtos quid.

Oppositio Lunæ, siue Plenilunium.

fit ἀμφίκυρτος, ſicuti vndecimo die ante Plenilunium contigit. Tertio verò Septenario apparet διχότομος, ſicuti contigit die ſeptimo incrementi Lunæ. Poſtea falcata apparet, ſicuti apparuit in ſuo ortu, & μηνοειδής dicitur. Denuò Luna occultatur, & totum occultationis tempus, Coniunctio dicitur; quoniam tunc Soli proxima adeò eſt Luna, vt præ nimio fulgore Solis non videatur.

In amphicyrto habet trinũ, ſiue trigonum aſpectum.

In dichothomo habet aſpectum quadratum, ſiue quadrangularem.

Coniũctio.

Hîc omittenda non eſt diſtinctio inter Menſem Coniunctionis, & Peragrationis, quæ confuſiſſimè, & perobſcurè à pleriſque proponitur, à Macrobio tamen lib. 1. in Somn. Scip. cap. 6. præclarè, vt ſequitur: Luna octo & viginti propè diebus totius Zodiaci ambitum conficit. Nam etſi per triginta dies ad Solem, à quo profecta eſt, remeat, ſolos tamen ferè vigintiocto in tota Zodiaci circuitione conſumit; reliquis (diebus) Solem, qui de loco, in quo eum reliquit, abſceſſerat, comprehendit. Sol enim vnum de duodecim Signis integro menſe metitur. Ponamus ergo Sole in prima parte Arietis conſtituto, ab ipſius (vt ita dicam) orbe emerſiſſe Lunam, quod eam naſci vocamus. Hæc (id eſt Luna) poſt vigintiocto dies, & horas ferè ſeptem, ad primam partem Arietis redit, ſed illic non inuenit Solem. Interea enim & ipſe (Sol) progreſſionis ſuæ lege vlteriùs abſceſſit: & ideò ipſa (Luna) necdum putatur eò, vnde profecta fuerat, reuertiſſe; quia oculi noſtri tunc non à prima parte Arietis, ſed à Sole eam ſenſerant proceſſiſſe. Hunc ergo diebus reliquis, id eſt duobus, plus, minuſue conſequitur, & tunc eius orbi denuò ſuccedens, ac denuo inde procedens rursùs dicitur naſci. Inde ferè nunquam in eodem Signo bis continuò naſcitur, niſi in Geminis, vbi hoc nonnunquam euenit, quia dies in eo Sol duos ſupra triginta altitudine Signi morante conſumit: rariſſima in alijs, ſi circa primam Signi partem à Sole procedat. Huius ergo vigintiocto dierum numeri Septenarius origo eſt. &c. Menſis quidem Peragrationis, vt rectè cum Mathematicis monet Macrobius, eſt integer Lunæ per Zodiacum factus circuitus, ſeu reditus Lunæ ad idem punctum, à quo diſceſſit. Menſis verò Coniunctionis eſt præter relatum Zodiaci integri curſum, conſequutio eiuſdem Lunæ ad Solem, qui non ampliùs extabat in loco, in quo eum Luna reliquit: Et quoniam denuò in tali conſequutione Soli coniungitur, dicitur Menſis hic Coniunctionis, & Conſequutionis: diciq; poteſt reditus Lunæ in Zodiaco ad Solem, vbicunq; eum inuenerit. Men-

Menſis Coniũctionis dicitur reditus ad Solem à quo diſceſſit. Et quia Luna Solem ſequitur, peracto Zodiaci curſu, dicitur Menſis Conſequutionis.

ſem

ſem Peragrationis facit Macrobius vigintiocto dierum, & ſeptem ferè horarum, contra communiorem doctrinam, quæ tenet, quòd Luna vigintiſeptem diebus, & tertia diei parte, vniuerſum Signiferi ambitum peragit.

In coitu, & plenilunio magnæ mutationes in aëre.

Vehementiores mutationes in rebus ſublunaribus eueniunt, quando Luna cum Sole coit, ſeu quando iam occidit Luna, & Soli vicina eſt, & non amplius noſtro objicitur viſui. Potentiſſimè adhuc hæc inferiora immutat Luna, quando plena eſt: tunc enim contrarias Lunæ affectiones, eadem plena, ab inuicem dirimit; incrementa nimirum, & decrementa eiuſdem. Plenitudo autem incrementa Lunæ vltimò terminat, & in ſequenti momento primum decrementum accedit: Plenitudo autem quaſi momentanea eſt: id eſt, nonniſi temporis quaſi momento perſeuerat. Multò minùs inferiora ſiue ſublunaria immutat Luna, quando quadrata eſt, & dichotomos, tam in incremento, quàm in decremento: ſunt enim duo dichotomi, vnus in incremento Lunæ, alter in decremento. Multò adhuc minùs aërem, & reliqua ſublunaria, in quæ imperium Luna habet, immutat Luna falcata, tam in ſuo ortu, quàm occaſu, quàm quando eſt dichotomos, ſiue dimidiata. Sed minimè omnium hæc inferiora immutat Luna, quando gibba apparet. Vnde manifeſtè colligitur, quartum diem cuiuſuis ſeptimanæ multò imbecilliùs ſeptimo decernere.

In dichotomo mediocres mutationes.

Falcata permodicas mutationes efficit.

Luna gibba paruas minimaſq; in aëre parit mutationes.

Galenus hanc doctrinam lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 3. dilucidè hac ſerie ſcripſit: Validè igitur potenterq; hunc orbem immutat, & cùm ipſa (Luna) cum Sole congreditur, & ad hæc, cùm pleno orbe lucet. Minùs vehementer immutat dum διχότομος, id eſt dimidiata, eſt. Obſcuriùs, & adhuc minùs vehementer, dum & ἀμφίκυρτος, & μηνοειδὴς, id eſt gibboſa, & curuata in cornua. Nam validiſſima eorum, quæ priùs erant, mutatio committitur, dum Luna cum Sole coit, ac eius lumine circumuallatur, quippe quæ priùs apparebat, nunc nulli conſpicitur. Dein diametra (ſiue oppoſita Soli) Lunæ ſtatio, tanquam diſtinguens, in binaſq; partes ſecans contrarias maximè Lunæ diſpoſitiones (id eſt incrementi, & decrementi), aliarum omnium eſt validiſſima. Quòd verò incrementum diminutioni (Plena Luna inter accretionem eſt, atq; diminutionem) maximè ſit contraria diſpoſitio, oſtendere non eſt opus: Deinde poſt hunc congreſſum (id eſt, coitum Lunæ cum Sole) &

Ple-

Plenilunium, duæ dichotomi, medium vtraq; secans, augmenti tempus prior, diminutionis altera. At omnium extremæ imbecillimæq; aëris nos ambientis conuersiones seu immutationes in falcatis, & in vtrinque (id est in gibbositate præcedente, ac in gibbositate subsequente Plenilunium) gibbis apparitionibus fiunt: magis autem in vtrinque gibbis, nulla siquidem in eis magna mutatio, sicut in falcatis apparet. Quare nec Aratus malè ipsas neglexit, tanquàm imbecillas existentes: conuenitq; eos laudare, qui de eis scripserunt, tanquàm ne, vel minimum quidem omittentes. Ergo peculiarem eximiamque immutandi hæc inferiora vim habet plenilunium, & hoc maiorem adhuc Lunæ cum Sole coitus. Nam in plenilunio celerrimæ subitæq; fiunt mutationes. In Coniunctione autem variæ (siue inæquales) & diuturnæ. Priusquàm autem Luna è radijs Solaribus emergit, nihil queas de aëris immutatione affirmare. At verò totum hoc occultationis tempus longum est, & diuturnum, & integri ferè vnius Signi. Lunæ autem immutatio ab incrementi tempore ad decrementum, momentanea est, & veluti puncto temporis disterminata, distinctaque. Certum est enim, Lunam hanc immutationem quasi momento temporis percurrere. Non igitur abs re mutationes, quæ plenilunio fiunt, breues sunt, & momentaneæ. Quæ verò coniunctionis tempore, diuturnæ. Nam totum illud tempus, quo Luna occultatur, & disparet, sibiipsi simile est, & præterea primæ illuminationis tempus occultationi finitimum est, tum quia apparentis Lunæ portio, modica & exigua est, tum quia luminis eius vis obscura est, & vix sensibilis, necnon etiam quia breue est admodum tempus, quo illa supra terrã fertur.

Gibba Luna imbellis.

Potenter aërem, aliaq; corpora sublunaria, alterari, quoties Luna cum Sole coniuncta est, & quoties itidem plena, docuit in contextu Galenus. In plenilunio inferiora corpora alterari, omnes docti confitentur, experiuntur & ignari. Sed Lunam maximè, & præpotenter in coitu hæc inferiora immutare, si nulli difficultatem hactenùs peperit, mihi sanè modò. Doctissimus Lalamantius his ambobus temporibus, Interlunij scilicet, & Plenilunij, mutationes, alterationesue in inferioribus fieri dicit, quia tunc temporis Luna plurimum luminis de Sole haurit. Vtroque enim habitu (id est, dum est cum Sole in congressu, & dum Soli opposita est, adeoque plena) plena est, docente Plinio lib. 18. cap. 28. Sed interlunio

Dubium.

Lalamantij solutio.

omne

omne lumen, quod à Sole accipit, cælo regerit (id est, in cælum reijcit, refertque), eòq; frigefacit; quia scilicet lumine destituta à nocturno frigore minùs nos defendit. Et id est, quod Ioannes Picus Mirandula cap. 5. libri 3. dicit: Agit, inquit, in nos Luna Soli congrediens eo modo, quo quis agit nihil agendo. Nam destituens corpora suo lumine, nocet illis: Sed eadem adolescens pleniùs alit, & succulentiùs implet. Quod & idem eodem libro repetit cap. 6. Quod verò ad Plenilunium attinet, mutatitium ipsa lumen ipso plenilunio latè refundit.

Altera solutio.

Ego verumtamen respondendum aliter censeo, magnas in sublunaribus fieri mutationes in interlunio, siue coitu, siue congressu, siue intermenstruo, vt loquitur Varro, siue Lunâ silente, vt loquitur Cato, siue Combustâ, vt alij loquuntur; non quòd tunc Luna in hæc inferiora multum agat, cùm eius virtus, siquam habeat, à vicino absorbeatur Sole, aut penitùs obscuretur, sed quia inferioribus nullam fermè virtutem contribuit. Vnde priuatiuè magnas alterationes in inferioribus à Luna, dum in coitu est, fieri dicendum. Cùm enim suis tum radijs inferiora non collustret, refrigerantur impensiùs, quàm quando eius lumine fruuntur. Est autem Mensis (vt ex Macrobio superiùs transtulimus, & post Macrobium Lalamantius, & alij rectè affirmant) Lunæ annus, intra quem ipsa Cæli ambitum lustrat: quo scilicet toto tempore ea ipsa id facit, quod Sol toto suo anno. Vt autem Sol in suo ad nos accessu Æstatem, & discessu Hyemem, ita Luna in suo menstruo cursu, crescendo Æstatem, decrescendo hyemem efficit. Imò in suo eodem menstruo cursu quatuor partes, anni quatuor correspondentes, efformat. Nam prima eius quadra Veri; secunda, quæ cæteris calidior est, Æstati; tertia Autumno; & quarta Hyemi respondet. Dum enim Luna cum Sole coiens lumine fermè priuatur, hyemem ipsam afferre, & frigefacere dicitur, quoniam à nocturna frigiditate nos tunc multò minùs tuetur, quàm cùm lumine plena suos in terras eiaculatur radios, & veluti æstiuam parit tempestatem.

Quatuor Lunæ quadræ quatuor anni temporibus correspondent.

Non immeritò igitur Mensibus præesse, aut Menses regere dicitur Luna; vel quia, vt est apud Virgilium lib. 1. Georgic.

Ipse Pater statuit, quid Menstrua Luna moueret.

Vel quia eadem Luna mensem inchoat, & terminat. Vnde Ouidius in calce libri 3. Fastorum, de Martio loquens cecinit:

Luna

Luna regit Menſes, huius quoq; tempora Menſis
Finit &c.

Vnde Ariſtoteles libro 4. de Partib. Animal. cap. 5. ex Lunaribus incrementis Echinos, cæteraq; id genus animalia, vtpotè Cancros, Oſtreas, Conchas, Conchilia, pleniora fieri, & vberiore lumine fæta ſucculentiora euadere, humiditatis viuificæ, & Lunaris caloris beneficio. Aulus Gellius ab Anniano Poëta, vindemiam in ſuo fundo faciente, vocatus vnà cum alijs, ſequentia memoriæ tradidit. Ibi tum cænantibus nobis magnus Oſtrearum numerus Romà miſſus eſt: quæ cùm appoſitæ fuiſſent, & multæ quidem ſed inuberes, macræq; eſſent, Luna (inquit Annianus) nunc videlicet ſeneſcit: eà re Oſtrea quoque, ſicuti alia quædam, tenuis exuctaq; eſt (ſed fortaſſis meliùs, tenuia exuctaq; ſunt). Cùm quæreremus, quæ alia item ſeneſcente Luna tabeſcerent: Nonne Lucilium, inquit, noſtrum meminiſtis dicere? *Anniani cõuiuium.*

Luna alit Oſtrea, & implet Echinos, muribus fibras,
Et pecu (meliùs, pecui) addit.

Eadem autem ipſa, quæ creſcente Luna gliſcunt, deficiente, contra, Lunâ deficiunt. Aelurorum quoq; oculi ad eaſdem vices Lunæ, aut ampliores fiunt, aut minores. Id etiam, inquit, multò mirandum eſt magis, quod apud Plutarchum in 3. in Heſiodum Commentario legi. Cæpe tum reuireſcit, & congerminat decedente Lunâ: contra autem inareſcit adoleſcente. Eam cauſam eſſe dicunt Sacerdotes Ægyptij, cur Peluſiotæ Cæpe non edant; quia ſolum olerum omniũ, contra Lunæ aucta atque damna, vices minuendi & augendi habeat contrarias. Addit his Plinius libro 2. cap. 42. minimum animal formicam, ſyderis vim ſentire, & interlunio ceſſare. Idem Plinius eodem libro cap. 102. docet Lunam accedentem corpora implere, abſcedentem inanire. Hominum etiam ſanguinem cum lumine eius augeri, ac minui. Idem etiam fieri ſolere tradunt in medullis, & Cerebellis animalium. Creſcendo enim lumen, & cum lumine calor etiam, & humiditas in Luna augeſcunt: decreſcendo imminuuntur & decreſcunt. Ex multitudine quippe luminis multitudo profluit, & caloris, & humiditatis, non eius dico, quæ ab elementis inferioribus proueniens, in ſublunaribus corporibus reperiatur, quæ item aquoſa ſit, fluxa, excrementitia, & frigiditate ſua torporem afferens, ſed eius, quæ cæle-

Sola inter olera, Cæpa decreſcit creſcẽte Luna, & hac decreſcente, creſcit.

Peluſiotæ ideò Cæpam non edunt.

Formica.

Humores, creſcente Luna, creſcunt, & è contra.

ſtis ſit, vitalis, fæcunda, & caloris Lunaris beneficio viuifica. Tam igitur creſcente Lunâ humiditates in corpore fluunt, ſed creſcente bonæ, & ſalutares, decreſcente ſuperfluæ, & noxiæ: quæ ratio mouiſſe videtur Ariſtotelem, vt libro 2. de Generat. Animal. cap. 4. diceret, Tempora decreſcentis menſis humidiora & frigidiora. Lunâ quippe decreſcente, viget humiditas, non à Luna proueniens, ſed ab elementis inferioribus, quibus tunc Luna minùs reſiſtit, tum quia eius calor debilitatur, & infringitur, tum quia ſub Horizonte magnam noctis partem deliteſcit. Ideò Ariſtoteles etiam libro 7. Hiſtoriæ Animal. cap. 2. profluuium menſium Lunâ decreſcente contingere memoriæ prodidit; vti fecit lib. 2. de Generat. Animal. cap. 4. & rationabiliter, quòd ſcilicet corpora animalium frigidiora tum eſſe contingat, cùm continens nos aër talis, id eſt frigidus, efficiatur. Medici tamen communiter in prima Lunæ quadra iuniores euacuari ſtatuunt; in poſtrema ſeniores: fæminas ætate medias, in medijs Lunæ diſpoſitionibus. Et è quopiam Poëta, inquit Lalamantius, hunc citant Verſiculum:

Decreſcẽte Luna tempora frigidiora, & humidiora.

Menſtrua decreſcente Luna ſuperueniunt ex Ariſt.

Mẽſtruorũ tempus.

Luna vetus Veteres, Iuuenes noua Luna repurgat.

Galenus cap. 2. lib. 3. de Dieb. Decret. eaſdem virtutes, ſi non plures, Lunæ concedit. Rei Ruſticæ ſcriptores omnes vno ore adoleſcentis Lunæ plantationi commodum tempus exiſtimauerunt, quòd largiore humore ſemina veluti cibata & fæcundata citiùs quoq; adoleſcant. Decreſcentis verò tempus eſſe idoneum cædendæ materiæ, quoniam tum omnis cædua ſylua, & materia ſiccior eſt, humido ſcilicet excrementitio decreſcente. Sic enim materia in vſum fabricæ cædenda difficiliùs marcet, & cariem ſentit ægriùs. Vnde Heſiodus nouam Lunæ diem arboribus conſerendis, ſicut & decimamtertiam, dicit eſſe accommodam. Cuius dicti Plutarchus hanc cauſam reddit, quòd inſita vis pleniori lumine Lunæ etiam in radices plenior diffundatur. Tota deniq; Plinij lib. 18. cap. 32. & Varronis, Lunaris obſeruatio, his paucis conſtat: vt ſcilicet decreſcente Lunâ frumenta metantur, cædantur ligna, tondeantur oues, capilli, emaſculentur Verres, Capri, Arietes. Nouâ autem Lunâ, eâq; ſub terra exiſtente, ſupponantur oua, calcentur muſta, ſeminaria verò, cùm ſupra terram eſt, fiant. In ſumma, Diophanes nihil eſſe ſerendum, niſi Lunâ creſcente, putat.

Tempus plantationis.

Tempus cæſionis arborum.

Tempus meſſis, tonſuræ, conficiendi vinum, tẽpus ſeminãdi.

Hæc poſteriora ex Authoribus cum Lalamantio eruere placuit: quo-

quoniam Medico varijs in occasionibus prodesse possunt. Sed vt Galeni mentem consequamur, satis liquet, ipsum cum Astrologis tribuere vim omnem Criticam Lunæ, quæ potenter inferiora corpora in suis quadris, mediocriter in quartarum medijs immutat, alteratque. Ita vt vim magnam decernendi dies vltimus quadræ, qui septimus est, habeat, mediocrem verò virtutem medius quadræ dies, qui quartus est. Quoniam tamen Lunaris mensis, in quo magis regulariter mutationes in his inferioribus fiunt, atque deprehenduntur, est Peragrationis, vigintiseptem diebus, & octo horis constans, adeòq; vigesimoprimo die potiùs, quàm vigesimo, Crisis fieret, conatus est Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 9. Mensem quendam, quem medium nuncupauit, efformare, vt sequitur: *Septimus.* *Quartus dies.*

Mensis Peragrationis vigintiseptem diebus & octo horis constat: Mensis Apparitionis vigintisex diebus, & mediâ insuper diei parte. Circuitus verò Lunæ (qui mensem Peragrationis constituit) in Signifero, siue Zodiaco accommodatissimus est vniuscuiusq; rei proprijs principijs: menstruale verò tempus, quo Luna conspicitur, ambientem nos aërem immutans, omnibus ex æquo hominibus communem effectum ostendit. His positis, duos dictos menses Galenus commiscet, & ambos commixtos in duas dispescit medietates æquales: & vnam medietatem constituit mensem medium inter mensem Peragrationis, & Mensem Apparitionis, ita vt illo sit paulò breuior, hoc verò paulo longior. Copulati enim dicti duo menses, dies conflabunt quinquagintatres, & horas viginti. Qui hunc numerum in duas æquales partes diuidere volet, inueniet quamlibet partem siue medietatem, continere dies vigintisex, & horas vigintiduas. Est ergo communi Mense Apparitionis, decem horis, maior; Mense verò Peragrationis minor octo horis. Huius mensis septimana constat sex diebus, decem & septem horis, ac media horæ parte. Vnde paulò breuior est septimanâ Mensis Peragrationis, quæ constat sex diebus, & viginti horis. Est autem paulò maior septimanâ mensis communis, quæ constat sex diebus, & quindecim horis: dummodò Mensis Apparitionis fuerit vigintisex dierum cum dimidio: Nam si contingat ipsum constare vigintisex tantùm diebus, tunc eius septimana erit sex dierum, & duodecim horarum. Si verò fuerit longior, vt vigintiseptem, aut vigintiocto, aliter septimanæ eius constituentur. Mensis verò Medij tres septimanæ *Mensium Peragrationis, & Apparitionis commixtio.* *Mensis medius Galeni.*

næ conſtituunt viginti dies, quatuor horas, & mediam horæ partem. Hæ autem horæ vigeſimum diem excedentes, eidem vigeſimo, quàm vigeſimoprimo diei, propinquiores ſunt. Ergo Criſis in vigeſimum, & non vigeſimumprimum incidet.

Sed hæc Galeni ſententia de Menſe medio, paucis probatur; quia, vt aiunt, apprimè ſaluatur vis Critica diei vigeſimi, ſimul & vigeſimiprimi per Menſem Peragrationis, cuius tres ſeptimanę conſtant viginti diebus, & duodecim horis. Ita poſt multos Mathematicos Galenum repudiat Ioannes Antonius Roffeni, Medicus, & inſignis Mathematicæ in hac Vniuerſitate Bononienſi Profeſſor, in ſuo de Diebus Criticis, & Annis Climactericis libro, quem mihi ante decennium, anno nimirum 1643. dono dedit.

Roffenius.

Meo verumtamen iudicio, perperàm in hoc Galenum reijciunt. Nam primò quod illi aſſerunt, idipſum in quæſtione eſt; & ab eodem Galeno proponitur citato cap. 9. libri 3. de Dieb. Decret. vbi docet, Menſis Peragrationis tres hebdomadas ex viginti diebus, & media diei parte conflari; adeòq; talem numerum non eſſe magis vicinum diei vigeſimo, quàm diei vigeſimoprimo: Atque ita vigeſimo, tanquam die pari, in morbis longis Criſem ſuperuenire, die verò vigeſimoprimo, quoties diebus imparibus acceſſiones fiunt. Per hæc eadem, quæ in quæſtione ſunt, reſpondent Aduerſarij, leges bonæ & legitimæ reſponſionis violenter omittentes. Secundò malè Galenum reprehendunt, fictitium appellantes Menſem, ab eodem excogitatum: cùm nihil aliud fecerat Galenus, quàm obſeruanter imitari doctiorum Mathematicorum (præſertim Magni Hyparchi) conſtitutionē; quæ talis fuit, vt ex duobus Mēſibus inæqualibus commixtis copulatiſue, verus ſtatueretur Lunaris menſis. Vnus verò dictorum menſium triginta conſtabat diebus, alter vigintinouem: Ex his copulatis exurgit dierum quinquagintanouem numerus; cuius medietas conſtituit vigintinouem dies cum dimidio. Hanc doctrinam imitatus eſt Galenus. Cùm ergo hanc intactam omiſerint aduerſarij, temerè Galeno figmentum adſcribunt.

Galeni Menſis defenditur.

Quia tamen Lunam, cauſam præcipuam, & ſolitariam Criſeos admittere vix poſſum, Criſim vigeſimi, non Lunæ, ſed naturæ, & ordini rerum tribuere malo. Vidimus enim in Hippocratis doctrina, nec dies, nec hebdomadas, nec menſes, nec annos integrè recenſeri: Vnde tres ſeptenarij non integri, viginti dies conſtituunt.

Vigeſimus, & nō vigeſimuſprimus eſt Criticus.

Quod

Quod autem à quibusdam, & Laurentio præsertim, dicitur, vigesimum præripere vigesimiprimi Crisin; quia motus naturalis, contra quam in animali fit motu, in fine, quàm in principio, velocior est, teste Philosopho libro 5 & 8. Physicor. & lib. 1. ac 2. de Cælo, contra doctrinam, & experientiam Hippocratis militat; qui vigesimum, & non vigesimumprimum, Criticum comprobauit; vt in superioribus abundè docuimus. Cùm ergo vigesimusprimus non sit Criticus, non congruè dicitur vigesimum eius Crisim præripere; quia natura celeriùs in fine suæ actionis, quàm in principio mouetur. *Laurentius perstringitur.*

Quod attinet ad sententiam Mathematicorum Ægyptiorum à Galeno propositam, eam, vtpotè figmentum, admittere non debemus. Nam tametsi vltrò confiteamur, Lunam in hæc inferiora magnas diffundere virtutes, vix tamen concipere possumus, quomodò Crisis die septimo contingere poterit Lunâ existente in Sextili, aut Trigono, aut opposito aspectu, aut etiam in congressu cum Sole, quo tempore in hæc inferiora vix agit. Vt enim Crisis à Luna in quaternionibus, & Septenarijs, in quibus solemnes quædam, vt asserunt, fiunt mutationes, efficeretur, necessariò quilibet æger primo ipso Lunæ die in morbum incideret, vt vnâ procedentes morbus & dies Lunæ, quarta, aut septima, aut vndecima, aut decimaquarta, aut decimaseptima, aut vigesima die Crisim experiretur. Patet sequela: Nam alioqui nulla fieret Crisis: quomodò, quæso, fieret in corporibus mutatio repentina & vehemens à causa, quæ non est. Quadrangulus verò aspectus, quo fruitur Luna septimo Mensis die nondum accessit, & tamen septimo morbi die, qui fuit Lunæ primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus, aut quintus, aut sextus, Crisis orta est salutaris, aut insalubris. Similiter duodecimus morbi dies potest esse Lunæ septimus. Sed duodecimo, ex Galeno, non fit Crisis. Potest etiam morbi dies esse septimus, & Lunæ primus, aut secundus, in quibus, ex Galeno, nulla fit Crisis. Planum ergo est, Crises, iuxta dictam opinionem, non fieri nisi in quadra, aut semiquadra Lunæ: cuius tamen contrarium quotidiana docet experientia. *Astrologorum opinio facilè refellitur.*

Denique, si Luna suo lumine & motu potenter inferiora mutaret, Crisimq; in humoralibus morbis excitaret, octauo die, veluti nono, & decimo, Crisis commodiùs, vehementiùsq; prodiret, quàm *Validum argumentum.*

die

die ſeptimo, in quo Luna non adeò lucet, ſicuti dictis iam diebus: Duodecimo pariter, quàm vndecimo, & decimoquinto, decimoſexto, & ſequentibus, quàm vigeſimo, potentiùs & frequentiùs contingeret.

Præterea, ſi ex ſe, & ſua natura, Luna Criſim efficeret, ſingulis diebus contingeret. Non eſt enim potior ratio, cur magis vno die, quàm altero, hunc effectum produceret.

Addamus & his, vltra vigeſimum morbi diem, quaternarios vim decretoriam amittere, ſi 24. excipias, & 27. 34. Vltra verò quadrageſimum morbi vicenarius dies decernit: quod indicio eſt, Criſim non à ſola Luna fieri: Sed Lunam eſſe cauſam vniuerſalem: quæ quidem in bonis aſpectibus exiſtens, ſi dies Criticos comitetur, Criſis productionem non mediocriter iuuabit.

Luna eſt remota, & vniuerſalis cauſa Criſis.

Quòd autem dicta opinio non fuerit Galeni, ex duobus patet capitibus. Primò, quòd diem ſeptimum potentiſſimum dierum Criticorum ſtatuerit: quod tamen non eſſet verum, ſi ipſe Criſis authorem Lunam conſtitueret. Nam Luna potentiſſimè in Plenilunio alterat, minùs verò potenter die ſeptimo, ſiue in tetragono, ſiue quadrangulo, qui ſeptimo morbi diei correſpondet: Sicuti plenilunium decimoquarto. Secundò Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 10. expreſsè narrat, ſe ob amicorum perſuaſiones hanc opinionem exhibuiſſe.

Galeni mens ab Aſtrologis remota erat.

Vndecima Opinio.

VAledictis Numeris, Aſtris, & multorum varijs cogitationibus, hactenùs in antecedentibus diſcuſſis, tempus eſt, vt noſtram de Dierum Criticorum cauſis ſententiam interponamus, proximamq; exhibeamus. In vijs ergo Hippocratis, & Galeni perſiſtens, Criſis efficientem, & peculiarem cauſam, non aliam eſſe, quàm ipſam Naturam corpus noſtrum regentem, & in eo (ni materiæ inundatio, aut praua diſpoſitio, impedimento fuerit) omnia debitè diſpenſantem, exiſtimo. Hippocrates hoc clarè inſinuat libro 6. Epidemior. Sect. 5. vbi inquit: Naturæ Morborum Medicæ. Galenus in Commentario inquit: Verborum igitur Sententia, ſiquis ſimpliciter, quod dicitur, accipiat, perſpicua eſt, ſuam ipſius mentem Hippocrate declarante; ſe videlicet non eſſe ex illorum

Natura eſt cauſa efficiens Criſis.

Natura morborum Medica.

cœtu,

cœtu, qui Naturam arte carere arbitrantur, ſed eam eſſe artificem, animalibuſq; conſulere. Verùm hoc loco per id nomen Naturæ, vim quandam intelligere conuenit in his ipſis corporibus, quæ ab eâ reguntur, inhabitantem. Paulò poſt ait, ſat eſſe ſcire, rectè Hippocratem opinatum fuiſſe, Naturam eſſe morborum Medicam, abſq; eo, quòd quiſpiam curiosè eiuſdem Naturæ, aut Animæ eſſentiam indaget. Authorem ergo proximum & peculiarem Criſeos vocet, qui volet, Calorem natiuum, præcipuum Animæ inſtrumentum, aut facultates omnes Animæ, vnà cum eodem calore, aut ſolam expultricem, quam Criſis authorem conceptis verbis ſtatuit Galenus libro 3. de Dieb. Decret. cap. 8. inquiens: Cæterùm, vt in ventriculo, ſic in ſingulis totius corporis partibus, alienorum Expultrix facultas eſſe oſtendebatur: quæ meo ſanè iudicio, & Criſim in morbis efficit, atque propterea optimæ fiunt Criſes, cùm iam omnia in animantis corpore concocta fuerint. Sanè hæc Galeni verba, aliaque in ſuperioribus à nobis citata, quæ Naturæ circuitus; regulares eſſe aſſerebant, clarè demonſtrant, facultatem concoctricem, & expultricem, omnem efficere bonam Criſim: nam vt bona hæc euadat, ſuperflua omnia, ſiue ſuperuacanei humores, primò à Natura, à facultate videlicet concoctrice, concoqui præparariue debẽt; rursùſq; ab eadem ſecerni; vt poſtmodùm à Natura, id eſt Expultrice facultate, longè morbum ſuperante, deturbentur. Cauſa enim morbifica, quantitate, aut qualitate, aut vtroq; modo peccans, eſt quæ morbum fouet, & Naturã, mediante acceſſione, turgentiâ, alioue modo, ad ſui excluſionem ſtimulat. Vnde non immeritò materialis Criſis cauſa quibuſdam dicitur; ſicuti efficiens Criſis cauſa, ipſa Natura, quæ ſuperfluam materiam extra corpus, aut ad aliquam ignobilem partem expellit. Alio Galeni ſuffragio rem eandem roborare placet, qui lib. 3. Epidem. comment. 1. tex. 29. ſequentia ſcripſit: Tertium quidem eſt hoc iudicium, vbi molita nunc etiam eſt Natura per ſudorum excretionem in die Decretorio ſoluere morbum, vt & in prioribus, qui æquè decretorij erant. Hîc nihil de Luna Galenus.

Naturæ variæ acceptiones.

Facultas expultrix, Criſis cauſa ex Galeno.

Cauſa materialis Criſis.

Natura diebus Decretorijs Criſim molitur, ex Galeno.

Non propterea Aſtrorum operam reijcimus: Sol enim, & Homo, ex Philoſopho, generant hominem; ſed exiſtimamus, Solem, Lunam, & reliqua, ſi vis, Aſtra, vel vt verbo dicam, Cælum, tanquam vniuerſalem communemue cauſam, in ægros, ſicut in alia cuncta, influere. Quod

Cælum eſt cauſa vniuerſalis.

Septenarij vis non pendet à die quo Deus quieuit ab omni opere.

Quod numero Septenario, & quaternario dierum magis regulariter Natura operetur, id vi legis à Deo præscriptæ fieri vix dubito. Quidam tamen referunt, vim Criticam diei septimo inditam, in memoriam diei septimi, quo, post Mundi creationem, requieuit ab omni opere Creator omnium Deus: Quam sanè opinionem admittere nollem, cùm dies Criticus sit dies laboris, & non quietis, in ægris. Dies verò septimus est dies duelli, & acris conflictûs Naturæ, & Morbi. Sanè si vis aliqua numeris tribuenda esset, omnibus palmam præriperet Ternarius numerus, & vnitas: hæc, quia est vnus solus Deus, à quo omnia pendent: Videmus enim omnes numeros ab vnitate multiplicata, tanquam à re eos componente, dependere: Ternarius verò, quia est Sanctissima Trinitas constans tribus Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Septimus verò dies nullatenùs accedit ad dignitatem vnius Dei, & Sanctissimæ Trinitatis. Ergo nec Septenarius numerus ad Vnitatis, & Ternarij numeri prærogatiuam. Vel ergo lege Dei sancitum est die septimo Crises frequentiùs, quàm alijs diebus, fieri; vel certè Natura regulariter agens, vi virtutis ei à Deo inditæ, numerum quaternarium, & Septenarium sibi elegit, vt in his luculentiùs operetur, quoties inutili sarcina conflictantur ægri. Hactenùs de Dierum Criticorum, seu potiùs ipsius Criseos Causis.

Numerorum præcipuus ternarius, & vnitas, numeri principium.

CAPVT XII.
De Quibusdam Dubijs.

DVBIVM PRIMVM.

A die partus cõputatio dierũ Criticorũ fieri debet.

ANsam dubitandi multis præbuêre quædam Hippocratis loca, sibi, apparenter saltem, aduersa. Libro Prognosticor. Sect. 3. tex. 10. sequentia scripsit: Pari modo, & Mulieribus iudicationes fiunt à partu. Galenus in Commentario statim inquit: Principium numerationis tibi fiat, non quo die cæperint febricitare, sed quo pepererint. In quibusdam igitur circa secundum, aut tertium incipiunt diem à partu, ex quo multi numerant futuram iudicationem. Sed res non ita se habet: sed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum. Ita paucis, de

hac

hac re, difficultate non vacante, deliberauit Galenus; etsi prolixè in Commentario alia multa examinauerit.

A die febris computationē alibi facit Hippocrates.

Alia ex parte, extant quædam Historiæ Epidemicæ, in quibus Hippocrates clarè docet, non à partu, sed à prima sensibili febris inuasione, dierum computum esse exordiendum, vt futura Dies Critica obseruetur. Libro enim 1. Epidem. Sect. 3. Ægroto 4. ait, Philini Vxorem in Thaso, quæ filiam pepererat, purgatam esse ex prescripto Naturæ, & cætera rectè habentem: decimo & quarto à partu die ignis inuasit cum rigore. In sequentibus ille dies morbi à decimoquarto, & non à partu, enumerat: & dictam Fæminam vigesimo morbi die obijsse narrat. Item sequenti Historiâ 5. tex. 21. refert, quemadmodum postridie Partûs Febris acuta inuasit Vxorem Epicratis, & ab hoc die inuasionis febris numerat omnes dies, vsque ad octogesimum, quo illa à febre omninò liberata est. Textu 28. in Historia Vxoris Dromeadæ, quæ filiam enixa est, cæteris ritè consequutis, ait: postridie partûs rigor cæpit, & febris acuta. Sexto febris die mortua est.

Vega opinio.

Christophorus à Vega, Franciscus Vallesius, & Ludouicus Lemosius, Hispani, ijq; doctissimi, variè de re hac certant. Vega Sententiam Prognosticam, reiectis historijs Epidemicis allatis, amplectitur: ideòq; à partu, non à febre, dierum computationem exordiendam docet; quia iudicationes morborum maximè solent euenire in die motus humorum: in mulieribus autem enixis humorum motus potiùs sequitur partum, quàm febrem, propterea quòd in partu motus humorum maximus est, ac validissimus. Itaq; iudicationes omnes quæ fiunt, vel per manifestas excretiones, vel per abscessus effatu dignos, in diebus partui respondentibus, euenire rationabile est. Sic numerauit Hippocrates comment. 2. lib. 1. de Morbis Vulgarib. inquiens tex. 68. Plurimæ autem (mulieres) grauem siue difficilem partum habuerunt, & à partu in ægritudinem inciderunt; qua quidem potissimùm moriebantur: vt Thelebuli filia, quæ sexto à partu die defuncta est. Libro 3. Epidem. Sect. 3. tex. 73. ait: Mulier quædam, quæ apud frigidam aquam in Thaso ægrotabat, postquàm filiam peperisset, nec esset purgata, tertio à partu die febre correpta est, acuta: horrida. Octogesimo obijt. Eodem libro 3. Epidem. Sect. 2. tex. 7. ait: Quædam mulier quæ apud Pantimedem degebat, ex abortione infantis primo die

igni correpta est. Et postea ait: Septimo interijt. Eâdem Sect. 2. tex. 8. ait: Alteram ex abortione ad quintum mensem Oecetæ vxorem ignis corripuit. Et in fine Historiæ ait: Septimo mortua est. Sequenti tex. 9. ait: Mulierem, quæ decumbebat in Mendacium foro, primum enixam cum dolore masculum, corripuit ignis. Et in fine ait: Quartodecimo die sanguis de naribus: defuncta est.

Lemosius, & Phrygius perstringũtur. Ex iam dictis libri 1. & lib. 3. Epidem. locis, Lemosius, & Phrygius, post Vegam, colligunt, Hippocratem à partu, & non à febre exorsum fuisse dierum enumerationem. In quo sanè posteris irrident. Nam legenti constabit, Hippocratem nihil tale decreuisse in historia istius mulieris, quæ ad frigidam aquam ægrotabat. Præterea mulier apud Pantimedem, & Oecetæ vxor, non partum, sed abortum, qui extra quæstionem est, expertæ sunt. Et eodem abortûs die febre sunt correptæ, vt ipse Hippocrates luculenter ostendit: & à febre æquè saltem, ac ab abortu, computationem dierum est exorsus. Mulier, quæ in Mendaciorum foro cum dolore peperit, eodem tempore febre correpta est; & ab eodem die, nulla facta mentione partûs, dies enumerat. Ex his ergo locis nulla ratione dicti Auctores potuêre colligere, Hippocratem à partu, & non à febre, dies enumerâsse. Ad libitum ergo hoc finxere.

Locũ Prognosticum simul, & historias Epidemicas probat Lemosius. Lemosio placet vtraq; Hippocratis dictio; illa Prognosticorum, quia partus suam expostulat Crisim per euacuationem: Febris similiter suam, vt innuit Hippocrates in historijs Vxoris Phillini, Vxoris Epicratis, & Vxoris Dromeadæ. Vnde à partu fiet computationis initium, similiter & à febre suum, cùm sint distincti affectus. Galenus ergo rectè docuit, à partu computationem dierum fieri: &, si superueniat febris, non solùm ab hac, verumetiam à partu.

Vallesius Vegam reijcit. Vallesius libro 10. Controuers. cap. 4. Vegæ, sui Magistri, opinionem facilè reijcit; non à motu materiæ, qui in partu fit, & qui neutram dispositionem constituit, sed à febre principium computationis desumendum esse: alioquin in omni febre ab humorum commotione principium desumendum esset: quod falsum est. Nam ante febrem agitantur humores, ex qua agitatione Capitis dolor, lassitudo, & fastidium nascuntur. Potuisset Vallesius Galenum citare, qui apertissimè docet. (Lib. 1. de Dieb. Decret. cap. 6. ait: Non enim idem sunt capitis dolor & febris: sicut nec vigilia, & cibi fastidium, & totius corporis grauitas, vel lassitudinis sensus:

ve-

verùm ſingula hæc, diuerſa quædam à febre exiſtentia, febrem denunciant. Ante hæc, ait: nam morbi initium tempus illud ipſis putandum eſt, cum manifeſto febricitare incipientes decubuerint) hominem non cenſeri ægrum, quoties iam dictis accidentibus infeſtatur, ſed tum tantùm, quando functiones ſolito more exercere non poteſt, propter harum ſenſibilem læſionem. Magnæ ergo mutationes non propter materiæ lationem fiunt, inquit Valleſius, ſed propter concoctionem, aut putrefactionem, quarum neutra in partu contingit.

Auicenna libro 3. Parte 21. Sect. 2. cap. 6. ait: Et ſi pepererit, mulier, deinde accidat ei febris: tunc ſi non computetur ex febre, & non niſi ex partu eſt illud error. Ex his conſtat, Auicennæ placuiſſe, modò à partu, modò à febre, quoties aliquo ſequentium dierum accidit, principium computationis fieri debere; prout Interpretes Auicennæ confirmant. Nam inquiūt, ſi Partus naturalis eſt, atq; febris illi ſuccedat, ex febre debet fieri computatio. Si partus eſt nonnaturalis, ex eodem computatio fieri debet, & non ex febre, quocunq; die febris fiat ante expurgationem lochiorum. Naturalem partum illi appellant illum, in quo nec grauia ſymptomata, neque excrementorum accidit retentio; ſed ſymptomata leuia fiunt, & rectè ſuccedit expurgatio. *Auicennæ opinio.*

Sed Valleſius autumat, hanc diſtinctionem eſſe aduerſam Hippocrati, qui computationem facit à die febris in hiſtoria mulieris, quæ apud aquam frigidam in Thaſo habitabat, cui partus erat nonnaturalis, cùm non eſſet expurgata.

Valleſius tamen non longè ab hac ſententia recedit, aiens, in naturali partu, in quo nimirùm debitè purgantur puerperæ, febres, niſi ex cauſa procatharctica, ſuperuenire non poſſe. Si tamen febris huic naturali partui ſuperueniet, à febre, & non à partu, computatio fieri debet. Si verò partus eſt nonnaturalis, à partu, & non à febre, computum faciendum eſſe docet: cùm febris tali partui accidens ab eodem pendeat, eo modo, quo febris quædam, ſymptomatis inſtar, pendet ab inflammatione, aut magno vlcere, vulnere, aliòue morbo. Si verumtamen à cauſa procatharctica, & non à partu nonnaturali, ſuperueniet febris, ab hac computandum eſſe docet, & non à partu. *Valleſij opinio.*

Hæc eſt Valleſij ſententia, eaq; ſatis implicata. Ab Auicenni-

ſtarum ſententia ſe recedere fingit, in eam tamen ſenſim relabitur; præterquàm quòd maiorem rei obſcuritatem addiderit. Vult ille, Partum naturalem eſſe eum, in quo puerpera integrè purgata eſt; & in hoc eodem nullam, niſi à cauſa procatharctica, febrem superuenire poſſe. Poſtea tamen affirmat, ſi febris ſuperueniet, ab hac, & non à partu, computationis principium deſumendum eſſe. Qua in re implicantiæ latent. Nam ſtatuit ille febrem ſuperuenire non poſſe mulieri quæ purgatur intra terminum purgationis. Cur ergo ſtatuat in partu naturali computationem à febris inuaſione, & non à partu, faciendam, non capio. Nam ſi febris aliqua à cauſa procatharctica ſuperueniet, diaria erit, & conſequenter omni fermè dierum computatione vacans. Quàmdiu prætèrea benè expurgatur puerpera, nulla febris periculoſa, aut longa timenda eſt. Si verò de febre, quæ poſt lochiorum integram purgationem ſuperuenit, loquutus eſt Valleſius, parùm appoſitè. Nam vltra purgationum tempus, non eſt ampliùs quęſtio de partu; tunc enim omnis dierum computatio à ſolius febris ſuperuenientis principio, & non à partu, inchoanda.

Valleſius perſtringitur.

Dixit præterea Valleſius rectè computationem factam fuiſſe à primo febris die in Vxore Philini, quia partus erat naturalis; nam purgata eſt ex præſcripto naturæ, & cætera ritè diſpoſita erant. Ego ſanè libenter admitto congruè ab Hippocrate factam fuiſſe computationem dierum ab inuaſione febris: ſed animaduerto, Valleſium negligenter examinâſſe Hippocratis contextum, & multò negligentiùs Galeni Commentarium in eundem contextum. Ait enim Hippocrates: Huic Cor (ventriculi ſcilicet orificium, vt in Comment. docet Galenus) & hypochondrium dextrum, muliebrium dolores, purgatio deſita eſt. Ecce Hippocrates clarè docens purgationem cohibitam fuiſſe, etſi vſq; ad decimumquartum, & conſequenter primis diebus, debitè purgata fuerit, vt retulit idem Hippocrates. Hæc autem ſuppreſſio, & febris, & modò relatorum, ac aliorum præterea ſymptomatum in contextu enarratorum, cauſa fuit præcipua: vt in Comment. confirmat Galenus, inquiens: Mulieri enim huic ex retenta à partu purgatione, & morbus conſtitit, & mors. Et paulò poſt ait: Illud certè in omnibus mulieribus, quarum impedita eſt à partu purgatio, ſciendum eſt, & memoriâ tenendum, eſſe, quæ in extremum mortis diſcrimen veniant. Perpau-

Valleſius refutatur.

cas admodum, quæ modicè infestatæ sunt; propterea quòd plurimis vterus inflammetur: quibusdam in ipso partu sanguis effusus, diuersa sit qualitate, his biliosus, illis melancholicus, alijs virulentus, aut pituitosus, aut mediocriter bonus: sed exquisitè inculpatus haud vnquam; nam eius optima portio in fętûs incrementum est insumpta. Demonstrant naturam eius symptomata, quæ consequuntur cohibitam à partu purgationem: id quod huic accidit, de qua hoc loco verba fiunt. Rigor, acuta febris, sitis, biliosus affluxus, delirium, vigiliæ, biliosi sunt humoris indicia abundantis. At verò conuulsiones, & palpitationes, & similis vrina iumentorum, crudi ea sunt, & crassi species. Itaq; morbi sunt pessimi, in quibus vtrique memorati succi abundant; quibus succedere demonstrauimus febrem semitertianam. Galenus etiam in historia mulieris, quæ apud frigidam aquam ægrotabat, consimilia dictis scripsit, hac serie: Itaque videbitur, suppressâ à partu purgatione, incidisse mulier in morbum: quippe menstruorum suppressio, non tamen perinde, vt si à partu supprimantur, officit: quod non abundantiam modò, sed insignem etiam humorum pariat prauitatem: Nam meliorem sanguinem ad se fætus nutrimenti causâ alliciens, relinquensq; deteriorem, causa est, vt prægnantes prauis humoribus impleantur, quos à partu euocat Natura. Quod cùm Maiores animaduertissēt, λοχίων κινώσιν, id est, puerperarum à partu vacuationem, excretionem sanguinis vocitauerunt. Est verò etiam menstrua vacuatio, non solùm vacuatio, sed purgatio. Verùm non est æquabilis tamen multitudo vitiosorum humorum, neque pari spatio menstruis circuitibus congeritur, quanta dum partum gerit. In vniuersum verò melancholicus apparet sanguis, quem à puerperio euacuant. Proinde etiam conspiciuntur vrinæ omnibus infectæ esse, vt si fuligo quæpia in eas incidisset. Vnde Hippocrates in historia hac inquit, Die vndecimo vrinæ multæ, tenues nigræ. Equidem, inquit adhuc Galenus, quandam noui, quæ talibus vrinis magnâ copiâ euacuatis, auxilium percepit.

Varius humor in puerperio euacuatur.

Praua Signa.

Semitertiana ex tenuibus simul, & crassis humoribus fit.

Abundantiam, & prauitatem humorum cohibita menstrua pariunt.

Lochia.

Melāncholicus sanguis in puerperio apparet.

Vrina nigra in puerperio: quandoque profuit.

Vlteriùs Vallesius (post Auicennam) contra Galenum asserit, non à die quo peperit mulier, computationem dierum fieri debere, sed à primo tempore, quo dolores partûs inuaserunt, quod tempus protrahitur quandoque ad plures dies. Verùm non Galeno solùm, sed Hippocrati etiam aduersatur Vallesius. Nam Hippocrates

Dies doloris ad quītum diem protrahuntur ex Vallesio.

Vallesius perstringitur. crates à die febris inchoans enumerationem, diei partûs, & non antecedentium dolorum mentionem facit: Mulier, inquit lib. 3. Epidem, quædam, quæ apud frigidam aquam in Thaso ægrotabat, postquàm filiam peperisset, nec esset purgata, tertio à partu die febre correpta est acuta, horrida. Multo tamen ante partum febriculosa decubuerat, cibumq; fastidierat. Hîc enim partum accipit pro exclusione fætûs. Et clarissimè lib. 1. Epidem. Epicratis vxor, quæ ægrotabat apud Archegetem, instante iam partu rigore correpta est, non incaluit, vt ferebant; postridiè eadem erant; tertio die filiam peperit; cæteraq; ritè consequuta sunt: postridiè partûs eam febris acuta inuasit, cordis dolor, & muliebrium. Malè ergo ex *Lemosius, & Phrygius perstringũtur.* hoc loco Lemosius, & post Lemosium Phrygius, colligunt à prima hora doloris & molestiæ, computandos esse dies partûs, cùm diebus antecedentibus, quibus hæc fæmina malè se habuit, dicat Hippocrates, instante iam partu; & postea referat, postridiè partûs.

Demùm Vallesius Hippocratis doctrinam Epidemicam, quæ doctrinæ allatæ Prognosticæ aduersari videtur, reijcit, dicens, quod Hippocrates in Epidemijs scripsit, non vt Præceptor, sed vt Obseruator: in Aphorismis verò, & Prognosticis, vt Præceptor. Hunc Vallesij errorem cæcutienter nonulli sunt amplexi. Et quidem perperàm: nam ex dictis, alijsque consimilibus historijs, collegit Hippocrates vim Criticam Dierum Decretoriorum, quos postea in Aphorismis, & Prognosticis, tanquam rem certissimam, scripsit. Nonne die vigesimo febris, & non partûs, obijt Philini vxor: nonne octogesimo die Epicratis vxor sanata est: octogesimo obijt mulier apud aquam frigidam; sexto die Dromeadæ vxor: mulier in mendacium foro decimoquarto etiam mortua est? Ex his constat, *Vallesius reijcitur.* computationem à principio febris factam, ab Hippocrate tenacissimè obseruandam esse: quod fecit ipse Vallesius in vxore Philini, qui sibi contradicens, reliquas historias sua illa frigida interpretatione repudiauit.

Existimo igitur, Hippocratem in Sententia Prognostica, simul *Conciliantur loca Hippocratis.* & in Epidemijs, optimè loquutum: In Prognosticis, quoniam ille nihil aliud inibi dicit, præterquàm quòd mulieribus à partu fiunt iudicationes siue Crises; quod verissimum est. Nam post partum superuacanei humores copiosè, & affatim excerni solent, quoties Natura sui iuris est: secùs autem, cùm febre, alijsq; affectibus puer-

pera

pera corripitur. Galenus similiter intelligendus est, dum à partu, & non à febre dierum computationem faciendam iubet, vt Crisis, quæ à partu fit, obseruetur, seu potiùs, vt Crisis, quæ ex partu est, notetur. Græcus enim textus habet, ἐκ τῶν τοκῶν, id est ex partu. In partu enim maxima mutatio fit, maximaq; euacuatio Critica hanc mutationem sequitur. Conceptus enim, abortus, & partus, in mulieribus eodem tempore iudicantur, quo & morbi, & sanitas, & mors mortalibus contingunt, inquit Hippocrates libro de Septimestri partu. Partus ergo morbo, qui iudicatur, rectè assimilari potest. Hæc quidem interpretatio integram relinquit Hippocratis doctrinam Epidemicam, quâ à febre superueniente, & non à partu, computationem faciendam docuit: & meritò, quoniam febris illa est nouus morbus, ex suppressione Criticæ euacuationis lochiorum superueniens. Galeni etiam doctrina, vt dixi, hoc modo saluatur: quoniam reuera à partu semper computandi dies euacuationis istius Criticæ lochiorum. Partus enim ipse, vnà cum euacuatione lochiorum, Crisis est. Vnde prægnationem, morbis quoad Criticam rationem, cōparat Hippocrates libro cit. de Septimestri Partu.

Partus eodem modo quo morbus iudicatur.

DVBIVM II.

ANsam dubitandi præbuêre ea, quæ Hippocrates varijs in locis de reuersione, siue recidiuatione dixit. Nam recidiua videtur esse alter morbus à primo morbo distinctus, cùm remissionis interuallum, modò multorum, modò paucorum dierum intercedat inter primùm morbum, & recidiuam.

Difficultas.

At verò communiter asseritur, recidiuam, & primum morbum, efficere vnum numero morbum, dummodo recidiua ab eadem materia morbifica, à qua morbus antecedens dependebat, renascatur. Vidimus enim in varijs historijs Epidemicis, morbum per aliquot dies remisisse, & iterum recruduisse, deinde remisisse, & rursùs exacerbâsse. In memoriam reuocetur Anaxionis historia. Dicunt ergo, dies omnes exacerbationis morbi constituere morbum acutum: omnes verò dies simul sumptos, id est, dies febris, simul & remissionis, constituere vnicum morbum, sed longum, siue diuturnum. Galenus lib. 1. Epidem. Comment. 1. tex. 36. docet, in his morbis recidiuas ijsdem circuitibus, quibus antea, iterum

Solutio.

rum

rum iudicatas fuisse. Res hæc ex historia duorum Epigenis fratrum satis elucet.

Quòd ab eadem interna causa morbi primò excitati recidiua nascatur, patet ex lib. 2. Aphorism. 24. Quæ relinquuntur in morbis post iudicationes, recidiuas facere consueuerunt. Recidiuæ quidem author; est omnis materia morbi nondum euacuata. Signum autem certum, quòd materia morbi nondum euacuata sit, est; quando Signa coctionis non apparent. Licèt enim Symptomata non ampliùs sæuiant, si coctionis Signa non adfuerint recidiua expectanda; vt in superioribus cum Galeno in lib. 1. Prorrhetic. monuimus, dum de morsu Canis rabidi loqueretur. In Prognostic. Sect. 3. tex. 22. eandem doctrinam Hippocr. repetit, inquiens: Si quibus febris desinit, non cum indicijs solutorijs, neque in diebus decretorijs, recidiuam expectare oportet. Adhuc Hippocrates recidiuam expectandam docet, si alio die, quàm diebus Criticis ab ipso enumeratis, iudicium fieri contingat. Porrò, inquit lib. 1. Epidem. Sect. 3. tex. 15. sciendum est: vt si aliter iudicentur extra hos præscriptos (dies scilicet decretorios, quos antè recensuit) significent recidiuas fore, fiantque perniciales morbi. Lib. 4. Aphoris. 36. eadem doctrina habetur. Tumores etiam repentè euanescentes recidiuam indicant ex tex. 68. Sect. 2. Prognostic. Similiter inconstantia Anni tempora recidiuarum causæ sunt, ex lib. 3. aphoris. 8. Quando etiam diebus paribus Crises superueniunt, recidiua timenda, ex lib. 2. aphor. 61. Febricitantem, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reuerti. Libro 2. Epidem. item ait: Nisi in die legitima febris dimiserit, recidiuare necesse est. Legitima autem dies potissimùm est impar, aut qui imparis vim habet, vt decimusquartus, & vigesimus.

Recidiuæ author.

Variæ causæ recidiuæ.

Crises diebus paribus factæ sunt suspectæ.

Concludendum ergo cum Medicinæ Principibus (etsi cum renitentia id admittam, vt in superioribus innui) dierum Criticorum computationem fieri comprehendendo omnes dies, tam febriles, quàm febris expertes, à primo die vsque ad vltimum. Quòd si primum morbi diem Medicus ignorat, tunc ad coctionis, & cruditatis Signa, & ad symptomatum lenitatem, & vehementiam, animum adhibere oportet: ex quibus conijcere poterit præsens morbi tempus.

Computatio dierum in recidiuis.

Coctionis, & cruditatis Signa docent tempus morbi humoralis.

DV-

DVBIVM III.

DVbitandi ansam præbet incertitudo temporis, quo Crises apparent. Nam homines tribus morbi temporibus, principio, augmento, & statu, moriuntur, sananturque, saltem vi artis. Videmus porrò quandoq; adhibitis remedijs morbos in principio, augmento, & statu, veluti iugulari, & omnino sisti. Videmus pariter aliquid Criticum, vel certè Crisi simile, ijsdem temporibus apparere. Vt res clarior euadat, in memoriam reuocanda morborum vniuersalia tempora, Principium, augmentum, status, & declinatio, de quibus nos libro 1. nostræ Pathologiæ in fine, & libro 1. huius tertiæ Partis cap. 18. Principium ergo in prima Significatione, idem est, ac primus insultus sensibilis (non verò insensibilis Physicus) morbi, qui simplex est, & latitudine caret (vt loquitur Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 19.) à quo dierum Criticorum enumeratio religiosè fieri debet. Secundò principium accipitur pro toto illo tempore trium, aut quatuor primorum dierum morbi, si morbus est alicuius durationis. Nam qui perperacuti sunt morbi, & sanabiles, primis quatuor diebus omnia percurrunt sua tempora. Tertiò principium accipitur pro toto tẽpore cruditatis materiæ morbificæ. Has tres principij acceptiones habet Galenus cit. lib. 1. de Crisib. cap. 19. Post principium, est augmentum, secundum morbi tempus, in quo fit solemnis mutatio: Nam sensibiliter augetur morbus, & Natura causæ morbificæ coctionem aggreditur. Augmento succedit status siue vigor, quem, si natura morbum superat, humorem morbificum coquendo, sequitur declinatio. Si verò in statu æger moritur, nulla subsequitur morbi declinatio. Si autem morbificus humor à Natura tum superatur, sequitur, vt iam dixi, declinatio. Et hæc est Temporum diuisio desumpta ab humore morbum efficiente.

In principio, & augmẽto morbi iugulantur.

Quatuor morbi tẽpora.

Principij triplex acceptio.

Quandoq; ab ipso Galeno diuiditur morbus materialis in quatuor tempora, desumpta ab humoribus efficientibus tumorem. Primum tempus est, quando humor ad partem fluit, & tumorem excitat. Secundum tempus est, quando tumor augetur. Tertium, quando tumor statum accipit, & æqualis permanet. Declinatio, quando minuitur.

Alia temporum diuisio.

Tertia diuisio. Tertiò morbũ iuxta ſuã eſſentiã aliqui diuidunt in quatuor tempora. Sic principium intemperiei v.g. erit prima eius pars: augmentum, quando magis magiſque intenditur: Status, quando iam intenſa eſt: declinatio, ſi detur, quando eſſentia morbi minuitur. Quod de intemperie dicitur, idem de reliquis morbis dicendum.

Quarta diuiſio morbi in ſuas ætates. Quartò, Tempora morborum ſtatuuntur ex ſymptomatum natura. Nam in principio morbi ſymptomata leuia ſunt: in augmento, morbi, & cauſæ morbificæ ſæuiunt: in ſtatu ſunt ſæuiſſima: in declinatione ceſſant.

Principiũ diuiſibile, & augmẽtum, vnum efficiunt tempus in tumoribus. Galen. lib. de morborum temporibus c. 1. loquendo de tumoribus, ait: Tempus itaq; nullum inflammationis generationi ſingulariter proprium attribuitur ab eo, quod augmenti eſt, diuerſum, ſed vnum eſt vniuerſum à primo inſultu vſque ad ſtatum, affectu increſcente. Sic habet etiam de Eryſipelatis, omnibuſq; alijs. Subſequenter de febre, quid ſimile refert: eam nimirum à primo inſultu ad ſtatum vſque augeri. Et paulò ante de inflammationibus ſimul, atque febribus verba faciens, docet horum affectuum principium eſſe eiuſdem ſpeciei cum reliquis partibus, & has à principio, ratione ſolius magnitudinis, differre.

Quatuor inflammationis tempora. Libro de totius morbi temporibus cap. 3. diſtinctè variorum morborum tempora exponit. Docet enim totum generationis inflammationis ſiue phlegmones tempus, quo nimirum humores ad partem influunt, eſſe principium, & poſtea ait: Cùm autem influxus ceſſauerit, & quod in particula inflammatione obſeſſa continetur, putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem naſcitur, & fuſio magis propter calorem, vnde etiam ſpiritus (id eſt tenuis vapor) generatur: atq; ob hæc ambo particula magis, quàm antea diſtenditur, etiam ſi nihil influat: Secundum hoc tempus eſt inflammationis augmenti. Porrò cùm in pus iam vertitur, maximi videlicet dolores partem tunc apprehendunt; nam in puris generatione dolores, febriſque magis, quàm iam facto, infeſtant: vocatur autem huiuſmodi tempus vigor affectionis. Si autem fluor (meliùs, humor) qui ſuppuratur, vel digeritur, minorem tumorem, & tenſionem reddat, huiuſmodi eſt declinationis principium. Sic quidem in inflammatione tempora diuiduntur. In febre, quæ ex illa prouenit, eadem tempora conſiſtunt.

Quæ ex humore citra inflammationem proficiſcitur (febris), hu-

morum molestantium cruditatis tempus, principium ponendum est. Vbi concoqui cœperint, initium finiri; Secundum autem tempus, quod ascensum nominant, accedere. At cum ipsa concoctio maximè conficitur, vigor. Inde rursus declinatio, quâ quidem, & symptomatum magnitudo, & humorum copia cessauit; restat verò modicum in ea humorum adhuc, qui concoctionem requirant. Et quibusdam interpositis, ait.

Tempora febris.

In declinatione est humor crudus, sed modicus.

In præsentia verò tantum dixisse modò sufficit, quòd vlcerum quoque eadem sunt tempora. Primum enim sanies aquosæ, incoctæ, & tenues ex ijs defluunt: (Et hoc est principium): inde pauciores, & crassiores, (& hoc est incrementi tempus): Postea iam pus tenue, (& hoc est tempus statûs, seu vigoris): Postremò, minus quidem copia, sed crassius, & albidum magis redditur. Quapropter nullus morborum, qui soluuntur, est, qui non quatuor hæc tempora percurrat: non tamen ex quodam alio, quam cruditatis, & concoctionis Signis, quæ ex recrementis deprehenduntur, cognitio ipsorum constat. Nam quis ignorat ventriculum malè concoquendi munus obijsse, deiectiones nondum in chylum mutatas contemplatus? Quis nescit vrinam in vasis ipsis concoctione esse frustratam, aquosam conspiciens? Quis tenue sputum in pleuritide, vel peripneumonia redditum similiter intuens, non intelliget morbi adhuc esse principium? Sic etiam in Lippitudine, principio quidem copiosus humor, tenuis, & incoctus plurimùm defluit: deinde (id est tempore augmenti) paucior, crassiorque, notam quandam concoctionis accipiens: Postea temporis processu (id est in statu) copia decrescente, consistentia verò ad crassitiem spectante, adeò concoctionis Signa augentur, vt etiam palpebræ dormientium inde conglutinentur. Is humor, & ipse primùm tenuis, & copiosus, temporis etiam spatio paucior, & crassior euadens, morbi concoctionem, eiusque declinationem ostendit. Quinetiam humorum, qui è cerebro per palatum, & nares defluunt, initium quidem est, cum aquei, tenuesque, item copiosi, & acres apparent; extremam enim hæc cruditatem indicant. Concoctionis notæ iam sunt, crassior & minus acris, & modicus humor descendens. Quod si muccus, & blena, vt dicunt, simul egrediantur, certius iam hoc est concoctionis indicium: quemadmodum si crassiora, paucioraque reddantur, multò magis concoctionem innuunt. Atque hæc sanè mor-

Vlcerum quatuor tempora.

Tempora humoralium morborum ex cruditate, & coctione dignoscuntur.

Lippitudinis, siue ophtalmiæ quatuor tempora.

Catharri quatuor tempora.

borum tempora sunt, ex quibus ægri seruantur. Hæc apposite Galenus de modo dignoscendi quatuor morbi tempora in quibusuis ferè morbis.

Crisis bona semper in statu fit: rarò benè in augmento.

Quanquàm dictæ morborum in sua tempora diuisiones, à Medico obseruari debeant, ab eo tamen præcipuè obseruanda est illa diuisio, quæ à cruditate & coctione humoris morbifici desumitur, vt futuram prænoscat Crisim. Nam dum humores concoquuntur, & superantur à Natura in statu, tunc bona Crisis fieri consueuit: mala verò in augmento, & statu morbi, quandoq; autem in principio, coctionis Signis non apparentibus, non rarò accidit. Galenus lib. 3. de Crisib. cap. 10. ait: Diximus optimas Crises in statibus fieri; in augmentis verò, si salus sit subsequutura, vel imperfectas, vel non securas: in morituris autem, vel subitò interimere, vel magnam ad peius facere mutationem.

Cui ex pluribus diebus Crisis tribuenda.

Præter hæc obseruandum est, quoties duobus, aut tribus diebus Crisis celebrari deprehenditur, Crisim tunc tribuendam diei Critico, & quidem fortiori, si plures concurrunt dies Critici, vt ex Galeno colligitur libro 1. de Dieb. Decret. cap. 8.

DVBIVM IV.

QVæritur à multis, quomodò prænosci possit dies, & hora Mortis à Medico? Galenus lib. 3. de Crisib. cap. 10. expressè rem hanc examinat, eamq; cognitu difficilem esse narrat. Ideoq; antequam se Medicus accingat ad prænoscendum, vtrum malæ Crises futuræ sint, & secundò, an hoc die, & non alio; & tertiò, an statim hominē interficient, an tantùm nocebunt, priùs exercitari oportet (inquit Galenus) in optimarum Crisium præcognitione: deinde in ijs, quæ non sunt optimæ, sed bonæ tamen; ac deinceps ad malas descendere. Sicuti enim in his est plurima incertitudo, & coniectura, ita in bonis scientia, & firmitas præualet. Determinati siquidem sunt, atq; ordinati naturæ motus, cùm valida fuerit, & materiæ dominatur, & suis proprijs rationibus operatur: indeterminati verò, atque inordinati, atq; ideò incogniti, quando succumbit (natura). Cur autem quandoque intempestiui assultus fiant, causam esse dicit morbi violentiam, quæ irritatrix, & acuta est. Natura enim talem irritatricem violentiam tolerare nequit;

Malæ Crises vix prænoscuntur, bonæ autem facilè.

Intempestiui assultus causa, & Signa.

vnde

vnde ſtatim ad expellendum id, quod infeſtat, properat: Sicut & in ijs, quæ ventrem, aut ſtomachum mordent, torquent, frigefaciunt, & grauant, ſiue quouis alio modo ſtimulant, licet apertè inſpicere: Quæ enim ſupernatant, per vomitus expellere tentat: quæ verò inferiora occupant loca, (id eſt fundum, & parietes) per ſedem excernit. Et hoc eſt quidem maximum Signum Criſis intempeſtiuæ. Quæ enim tempore opportuno fiunt Criſes (quod ſanè idem eſt, ac in ſtatu morbi, & coctionibus) etiamſi nullum adſit irritamentum, in calidis, & magnis morbis videmus accidere. Quæcunq; verò προεκρήγνυται, id eſt prærumpunt (vocat autem ſic Hippocrates lib. de Humoribus omnia, quæ ante ſtatum ad Criſim ruunt) ob aliquod irritamentum id patiuntur; & tanto deterior fit, quàm illa, quæ in ſtatu fit, quanto magis anticipauit. In exitialibus autem morbis eodem modo ſe res habet: Neq; enim Criſis, ſtatûs tempus expectat, aut admodùm rarò: ſed maxima ex parte in augmentis interficit, vel in principijs. Et, ſi aliqua dies indicatrix futuram Criſim præoſtendit, ſimul malam futuram præoſtendit. Age enim in quarto die viſa ſit primùm nebula in vrinis nigra, vel ſuſpenſio nigra, vel tale aliquid huiuſmodi: ſint verò & omninò alia Signa, & accidentia pernicioſa: morietur quidem omnino hic ægrotus. Sed, ſi in imparibus quidem acceſſio facta fuerit, ſeptimo die Criſis accidet: Si verò in diebus paribus, in ſexto. Certiorem verò tibi expectationem faciet morbi motus: Si enim acutè moueatur, Criſim accelerantem conſignificat, hoc eſt, in ſexta venturam: Si verò tardè, ad ſeptimam differetur. Cùm verò dies indicatrix nullum de mala Criſi futura Signum oſtenderit, neq; eius præcognitio facilis eſt. Oportet tamen hîc animaduertere ea Signa, quæ à me dicentur. Eſt autem primum, & maximum in morbis mortalibus Signum, quòd ſine Criſi mors ſit ſubſequutura, virium imbecillitas: Nam virtus ita proſtrata, ad pugnam contra morbum non excitatur. Secundum verò, ſi nullum adſit Signum, vel minimum, coctionis: & præter hæc, ſi magnus ſit morbus, atq; malignus, atq; etiam celeriter moueatur. Cùm enim hæc affuerint, omninò abſq; Criſi Mors ſubſequetur.

In morbis lethalibus Criſes malæ rarò ſtatum expectant, ſed in augmento, aut principio interficiūt.

Signa mortalia die indice.

Non apparēte vllo Signo die indice vix mala Criſis prænoſcitur.

Certa mortis Signa ſine Criſi, maxima virium imbecillitas: cruditas: morbus malignus celeriter motus.

Mortis autem dies præcognoſcitur, quanto ſuperat morbus naturam, conſiderando, & grauiores acceſſiones inſpiciendo. Si enim effatu dignus fuerit exceſſus (morbi ſupra naturam), & parùm reſiſtere

Modus dignoſcendi diem mortis.

ſtere adhuc vis naturæ videatur, mors citò ſubſequetur: Si verò contraria affuerint, tardiùs. Sit igitur, gratiâ Exempli, multus quidem exceſſus, non tamen manifeſtus, an ad vnum diem, vel duos extendi poterit: hoc verò diſtinguetur acceſſionum circuitibus. Quo enim die debet acceſſio fieri, in illo morietur. Et, quâ eiuſdem diei horâ accidet, iam eſt dignoſcere facilè, ſi meminerimus in vniuerſum eorum, quæ paulò ante diximus, in quibus morbis principia acceſſionum maximè afferunt mortem, in quibus verò ſtatus, & declinationes. Particulatim verò in ſingulis ægrotantibus præcedentium dierum recordatio, tibi plurima commonſtrabit. Si enim ex ipſa morbi idæa quiſpiam nequeat prænoſcere, in qua parte maximè acceſſionis morietur, ea quæ in ſuperioribus diebus contigere, ad memoriam reuocans, qua maximè eorum parte grauiſſima, atq; exitialia accidentia ſuſtinuerunt, hic etiam poterit de futuris conjecturari. Sit rurſùs verè cognitum, quod morbus ſit exitialis, & non multa virium proſtratio: primùm ex hoc conſtat, mortem non eſſe propinquam: deinde inquirendum eſt, ſi poſſit fieri Criſis: Huius verò inuentio habetur ex contemplatione Virtutis quomodò ſe habeat, atq; ipſius morbi motus, ac præterea Signorum coctionis. Si enim Virtus robuſta fuerit, & morbus velociter moueatur, & aliquod Signum coctionis affuerit, non eſt extra rationem, quòd Natura tentabit Criſim. Quòd ſi Virtus quodammodò labet, ac morbus tardum motum habuerit, nullumq; affuerit Coctionis Signum, in hoc ſubſequi Criſim non contingit. Quod autem, ſi morbus ſit fortior Virtute, non neceſſariò Virtus ipſa ſit debilis, nos alio oſtendimus libro, &c.

Quomodo venanda hora mortis.

Quando tentat natura Criſim, & quãdo non.

In tranſcripti iam textûs principio, bonas, malaſq; Criſes inter ſe Galenus confert: & futuras Criſes malas ſumma cum difficultate prænoſci docet. Vnde prudente & exercitato Medico opus eſt, qui primò ſcire valeat, nunquid futuræ ſunt; & poſito, quòd ſuperuenturæ ſint, ſecundò prænoſcere debet quo die; & tertiò an confeſtim ægrum interficient, an ſolummodò lædent. Bonarum verò Criſium prænotiones certæ ſunt, & ſtabiles; quoniam Natura, quæ bonam molitur Criſim, valida eſt, & ſui iuris; ideoq; materiæ morbificæ prædominatur, ſuoſq; motus, & circuitus, à re nulla impedita, regulariter poſſidet. Ex aduerſo in malis iudicijs Natura eſt imbecilla, & à materia morbifica veluti obruitur, ideoq; incertos,

inor-

inordinatosq; habet motus, & consequenter incognitos, aut saltem cognitu difficiles. Cùm ergo nonnisi ex bonarum Crisium prænotione malæ Crises prænoscantur, in bonarum Crisium prænotione, de qua Galenus lib. 3. de Crisib. cap. 4. se Medicus exerceat oportet. Rectum enim est index sui ipsius, & obliqui.

Vidēdum hoc caput.

Cæterùm, quoties natura in malignis morbis omninò vincitur superaturue, iudicium efficere nequit; imò nec resistere: & si parumper ad pugnam exurgit, confestim tamen vincitur à morbi violentia, quæ eandem naturam, etiam inuitam, ad pugnam vocat, & irritat: Irritata enim sese accingit ad expulsionem eorum, quæ irritant, quòd ea tolerare nequeat, & perindè quidem atq; solet in ijs, quæ orificium ventriculi, & ventriculum ipsum infestant. Nam sicuti ventriculus ad noxiorum expulsionem irritatur, similiter & partes cæteræ corporis: Vnde quoties hæ ante coctionem humorum superfluorum, & ante vigorem morbi, in quo eadem coctio celebrari consueuit, irritantur, intempestiuum fit iudicium, veluti tempestiuum, quoties excretio fit apparente coctione, & in morbi statu, quo tempore Crisim fieri in ardentibus febribus, dum Natura sui iuris est, & à rebus valdè molestis non irritatur, sed humori morbifico, quem vincit, prædominatur, fieri conspicimus. Iudicium verò, quod ante vigorem fit, eò deterius est iudicio, quod in eodem vigore contingit, quò magis anticipat. Intempestiuorum ergo iudiciorum causa interna, est causæ morbificæ malignitas, aut morbi violentia, aut accessio, vti in superioribus latè docuimus.

Dum bonæ Crisis fit irritatio, etiam necessaria est, sed non adeò violēta est ac illa, quæ intempestiuè naturam exercet.

Postea ergo perniciosorum etiam morborum iudicia intempestiua esse docuit; quòd videlicèt vigoris tempus non nisi raró admodùm expectent, sed maxima ex parte in morbi augmentis, aut principijs interficiunt. Quibus verò Signis perniciosa hæc iudicia prænoscantur, deinceps ostendere pergit Galenus in contextu, loquendo de contento nigro in vrina apparente die indice. Reliqua per se clara sunt: Sicuti tria illa, quibus prænoscitur mors sine Crisi in perniciosis morbis futura.

Pergit rursùs Galenus diei, & horæ, in quibus æger moriturus est, prænotionem expiscari: Et duobus ex capitibus hanc prænotionem erui docet: quorum primum est, quod debet Medicus dignoscere iam quantùm morbus naturam superat: Secundum est, quod tenetur scire Medicus grauiores siue maiores accessiones,

Quæ scire debet Medicus, vt mortem prædicat.

qui-

quibus æger infestari solet. Si igitur morbus plurimùm superat vires, & hæ parùm resistunt, mors in foribus est. Si contingat, morbum superare naturam, siue vires, non tamen plurimùm, & has easdem vires multùm resistere, tardior erit mors. Supponamus præterea excessum illum, quo morbus naturam superat, esse satis notabilem & magnum; quomodò tunc Medicus prænoscere poterit, an prorogabitur mors ad vnum, vel ad duos dies? Respondet Galenus, rem ex accessionum reditu dignosci: Nam æger morietur eo die, quo accessio siue paroxysmus aduenire solet. Quo .n. die accessio futura est, eo morietur æger, vt loquitur in contextu Galenus.

Dies mortis.

Nec diem mortis tantùm prænoscere sufficit, sed præterea prænosci debet hora diei, quâ æger morietur: Quæ quidem facilè dignoscetur, dummodò in animum reuocentur ea, quæ Galenus docuit cap. 9. lib. 3. de Crisib. Docet autem inibi, sine vlla Crisi quosdam mori in accessionum principio, quosdam in augmento, alios in vigore accessionis, & alios in eiusdem accessionis declinatione. In ipsa autem accessionum inuasione multi moriuntur propter magnam aliquam phlegmonem, partem principem obsidentem, aut propter multitudinem, aut crassitudinem, aut tenacitatem humorum intrò confertim confluentium, vt meatus spiritus omninò obturent. Suffocatur enim tunc natiuus calor ab humorum aceruo, impediente aëris per meatus internos transmeatum, & ab eorundem humorum fumo, etiam calorem naturalem extinguente. Quandoq; in augmento, & vigore accessionis ægri moriuntur, à nimia accessionis vehementia oppressi, atq; superati. At verò in declinatione præ virium imbecillitate quãdoq; ægri moriuntur. Nam in fine accessionis calor natiuus ad exteriora corporis immodicè expansus, atque diffusus omninò resoluitur. Vnde nonnulli ventrem tunc exonerantes, mortui sunt.

In quatuor temporibus accessionis mors superuenire potest.

Cur in principio accessionis quidam moriũtur.

In augmẽto, & vigore moriuntur aliqui.

In declinatione cur moriuntur.

Itaque æger moritur, aut quando febris & calor ipse natiuus ad intima corporis reuocatur, vt in accessionis principio contingit, vel quando ad exteriora vergit, vti in augmento, vigore, & declinatione accessionis euenit.

Cæterùm, præter iam dicta, vlteriùs præsentire oportet, qua accessionis parte grauiùs infestabatur æger præcedentibus morbi diebus: nam si in principio accessionis multò magis, quàm subsequen-

quentibus temporibus, Natura opprimebatur, eodem tempore futuræ accessionis mortiferæ morietur æger. Simile pronunciandum prius examinatis reliquis accesionum præcedentium partibus. Si verò febris accessionibus careat, saltem aliquâ diei horâ multò magis, quàm alijs infestat: Dum autem vires sensim languescunt, consimili horâ, quâ eadem febris magis infestare solebat, æger morietur. Plinius Mortis horam constituit maris refluxum siue recessum, quæ Sententia à paucis amplectitur.

Hora mortis quomodo venanda.

Tempore refluxus mors accedit iuxta Plinium.

Hæc Galenus de modo prænoscendi diem, & horam mortis: Modum prænoscendi salutarem Crisim, euentumq; bonum, exponit lib. 3. de Crisib. cap. 4. in quo multa effatu digna ipse refert; quæ omnia ex hactenùs dictis facilè colliguntur.

DVBIVM. V.

ANsam litigandi magis, quàm dubitandi, mihi præbet Prosper Martianus, Medicus Romanus, qui in suis Notationibus in lib. de ratione Victûs in morbis acutis, Galenum in recensione dierum Criticorum, nõ solùm spernit, sed arguit, quòd diem Medicum vigintiquatuor horis constare contra Hippocratem affirmauerit, cùm Hippocrates dies acceperit pro vulgaribus. Nec solum diem pro artificiali, qui est tempus ab ortu Solis ad occasum extensum, accipit Martianus, sed pro tempore primum morbi insultum, & Solis occasum intercedente.

Diem primum morbi pro tẽpore, quod à principio morbi ad Solis occasum excurrit, accipit Martianus.

Sigillatim ad Martiani argumenta respondendum, eius verba minutim examinando. Cùm igitur, inquit, tanti existimauerit Hippocrates ea, quę ad numerum parem, & imparem spectant, plurima Artis parte priuantur illi, qui dies singulos ab ea hora inchoantes, in qua æger primùm laborare cæpit, nullam ferè diem habent, quæ simpliciter par sit, aut impar. Quia si quis v. g. in meridie à morbo corripiatur, diei pars ante meridiem impar erit, par verò post meridiem, & è contra, si pars, ante meridiem par fuerit, reliqua pars impar erit: quare nec quo die, iuxta Hippocratis præcepta, purgare expediat, determinare poterunt, nec symptomatum superuenientium virtutem iudicare. &c.

Summa cum iactantia Martianus inscitiæ Medicos arguit, dum splendidis verbis eos Prognosticæ fundamento carere promulgat.

Martiani vanitas.

Sed

Sed vtinam ſui ingenij imbecillitatem priùs animaduertiſſet, antequam cunctos Medicos ignorantiæ titulo, in re tam graui, fædare conaretur. Sanè hæc eius in Galenum, alioſque omnes Medicos, iurgia, quàm argumenta magis feriunt, etſi vtraque ſolius vanitatis indicia extent, & omni carentia robore. Dum enim ille refert, Medicos, qui dies ſingulos in morbis inchoant ab hora, in qua primùm æger laborare cæpit, nullam habere diem ſimpliciter parem, aut imparem, longè errat. Nam nullus Medicorum, quod ſciam, ſingulos morbi dies à prima morbi hora inchoare dixit, ſed primum ſolummodò morbi diem à tali prima morbi hora, ſeu à certo quodam diei tempore exordium deſumpſiſſe aiunt: ſecundum verò diem non à prima hora morbi, ſed à primo morbi die: ſicuti tertium à ſecundo, quartum à tertio, & ita de reliquis. Perperàm ergo Martianus imponit Medicis, qui nunquam tam ridiculam doctrinam excogitârunt.

Martianus perſtringitur.

Quando ait, Medicos, qui à prima morbi hora exordium computationis dierum Criticorum eruunt, non habere ſimpliciter parem, aut imparem diem, non minori inſcitia loquutus eſt. Nam ille tres conſtituit diei artificialis partes; Meridiem, tempus Meridiem antecedens, & tempus conſequens; & nugatur paritatem in his, modò imparitatem conſtituens, cùm Medici paritatem, & imparitatem inter dies, non diei partes, acutiſſimè animaduertant.

Martiani nugæ.

Longè poſt, ait: Quapropter cum Hippocrates in enumeratione dierum in morbis vulgarem vſum ſit ſequutus, primam diem appellans totum illud tempus, ex quo æger laborare incæpit, vſque ad occaſum Solis: reliquos verò ſubſequentes accipiens à Solis exortu terminantes in occaſum, ab eius computandi modo non eſt recedendum. Quandoquidem ſi Galenus quamlibet diem ex viginti quatuor circiter horis conſtituit, nec à Præceptore edoctus, neq; ab experientia permotus id fecit, ſed quia alia ratione cauſam dierum Criticorum aſſignare non potuit.

Prima dies morbi poteſt eſſe hora quadrans ex Martiano.

Dies artificialis eſt dies Medicus iuxta Martianum.

Vt nouæ huic doctrinæ robur aliquod adijcere videatur Martianus, omni carens fundamento, æquiuoca, & falſa accumulare non veretur. Dicit enim, Hippocratem in enumeratione dierum in morbis, vulgarem vſum ſequutum eſſe: quæ verba diſtinctione egent: Nam in enumeratione Symptomatum morbi, maioris claritatis gratiâ, diei artificialis meminit, prout à nocte diſtinguitur.

Nec

Nec ſolius diei artificialis, vt malè ſupponit Martianus, meminit Hippocrates, ſed prætercà noctium artificialium; vt patet ex libro 3. Epidem. Ægroto 11. vbi loquendo de Oeceatæ vxore, inquit: Tertio die plura, ac peiora: nocte nihil dormiuit: quarto delirauit. Et ſequẽti Ægroto 12. in hiſtoria mulieris, quæ decũbebat in mendacium foro, ait: Iterumque nocte ſuperriguit: & paulò poſt nocte grauiter ſe habuit. Item in quarta hiſtoria, quæ eſt de Philiſta, ait: Dolor nocte grauior: & paulò poſt; noctem habuit moleſtam. Eodem libro 3. Epidemior. Sect. 1. loquendo de eo, qui in Dealcis horto decumbebat, ait: nocte non dormiuit; & in die ſequenti quinto: nocte nhil dormiuit, delirauit. Libro 1. Epidem. in hiſtoria penultima Sect. 3. loquendo de muliere, quæ in littore decumbebat, ait: nocte cum moleſtia non dormiuit, aluus turbata eſt biliosis, meris, paucis. Hæc enim die tertio contigiſſe docuit. Poſtea ait: Quinto acuta febris, hypochondrij dolor, prauè delirauit, excrementa alui biliosa, nocte ſudauit, febre liberata eſt. Ægroto 12. ait: Quidam caleſcens cænauit, & potauit largiùs, vomuit cuncta, nocte febris acuta, hypochondrij dextri dolor, ſubmollis in partibus externis inflammatio, noctem moleſtè tranſegit. Et paulò poſt: Sexto veſperi multum delirauit, nec nocte dormiuit: & die ſeptimo noctem ſimiliter laborioſam habuit. Ægroto 11. Poſtridie eius diei, quo riguerat, aluus commodè reddidit: vrinæ craſſæ, albæ, turbidæ, cuiuſmodi ſunt, quæ in matellis ſubſederunt, cùm agitatæ fuerint: repoſitæ multo tempore non ſubſidebant: nocte non dormiuit. Tertio die circa meridiem ſuperriguit, febris acuta, vrina eadem, hypochondrij dolor, faſtidioſa, nocte magna cum moleſtia non quieuit, ſudor vndiq; frigidus, è veſtigio calor illi redijt. Hæc contigêre Dromeadæ Vxori. Ægroto 10. qui eſt Clazomenius, die quarto de nocte deſipuit. Ægroto nono ait: Critori in Thaſo, recto ambulanti, pes dolere ex pollice vehementer cæpit: decubuit eodem die, horreſcens, faſtidioſus, parùm calens: nocte deſipuit. Ægroto octauo ait: Eraſinus qui propè Bootæ torrentem habitabat, igni eſt à Cæna correptus: noctem habuit moleſtam. Diem primum quietè, noctem laborioſè tranſegit: altero die omnia exacerbata ſunt: nocte delirauit. Tertius dies laborioſus fuit, multum delirauit. Quartus fuit moleſtiſſimus, nocte nihil dormiuit, inſomnia, imaginationes.

Diei artificialis, pariter & noctis ad ſymptomatum recenſionem meminit Hippocrates.

Nocte quinti diei ſudor Criticus ægrã liberauit.

Vrina iumentorum vrinis ſimiles.

Critorũ dum ambularet cæpit ægrotare.

Ex his constat, Hippocratem non solùm die vulgari, sed nocte vsum, vt plenè exponeret, pleraq; symptomata, quibus ægri, quos visitabat, afficiebantur. Idque fecit, non quod hunc artificialem diem Criticum constitueret, sed diem potiùs naturalem: vt mox probabo, postquàm monuero Lectorem de grauissimo Martiani errore, dum primum morbi diem appellat tempus illud, quod inter morbi inuasionem, & Solis occasum intercedit, & diem accipiendum esse ab ortu Solis ad occasum, & hunc diem esse Criticum in Hippocratis doctrina. Sanè ridiculum est, & ab Hippocratis mente valdè alienum, horæ quadrantem, aut breuiusculum tempus, quo posset aliquis ante Solis occasum ægrotare, pro die in re Medica accipere; cùm ipse Hippocrates libro de Septimestri Partu, quem in sui fauorem citat Martianus, expresse mediam diei partem à die distinguat, & diei particulam, à media diei parte. Cùm igitur à mente, & consuetudine Hippocratis longè recesserit Martianus, protenùs deserendus est, & in sua inscitia relinquendus. Præterea non solùm in die, sed in ipsa nocte, & consequenter post Solis occasum, quis ægrotare potest; vt quotidiana experientia nos docet, & testatur Hippocrates citato Ægroto duodecimo, Sect. 3. lib. 1. Epidem. Ergo à nocte tunc, & non à die, Dierum Decretoriorum computatio fieri debet, contra Martianum, qui noctes à diebus morbi excludere videtur, & dies tantùm artificiales Criticos appellare; quanquàm nocturno tempore Crisis fieri possit, vt testatur Hippocrates in historia citata mulieris, quæ in littore decumbebat, quæque noctu sudauit, & à febre liberata est.

Martianus perstringitur.

Noctu ægrotare nonnulli incipiunt.

Quod autem dies Critici noctes comprehendat, patet ex multis historijs Epidemicis, in quibus solius diei, & non noctis, fit mentio; & quando occurrit aliquid de somno, dicitur dormiuit, aut non dormiuit, aut malè dormiuit, aut quid simile. In doctrina pariter Aphoristica, & Prognostica, dies Criticos, noctes non nominando, recenset. Menses quoque diebus, non noctibus metiri consueuit Hippocrates libro de Septimestri, & Octimestri Partu. Astronomi annum tot diebus constare dicunt. Hinc constat, Hippocratem in enumeratione dierum Criticorum diem naturalem intellexisse, etsi, vt exactiùs posteritati, quæ in ægris obseruabat, exhiberet, diei artificialis frequentissimè meminerit. Quòd autem dies naturalis inchoandus sit à primo morbi sensibili insultu, manifestè

Dies Critici noctes complectuntur.

va-

varijs in locis ostendit Hippocrates. Crito superiùs nominatus, ambulans factus est æger, & postridiè mortuus est. Similiter lib. 5. Epidem. tex. 45. quendam introducit adolescentem, qui à cursu per viam asperam gangræna in calcaneo fuit correptus; in cuius historia dies numerat decretorios ab illo cursu; vt patet ex his eius verbis: Dies autem omnes à cursu vixit viginti. Nonne hoc est, ab hora, aut tempore sensibilis læsionis exordiri dierum computationem. *A quo tẽpore enumerandi dies morbi iuxta Hippocratem.*

Quòd autem nox præcedens diem artificialem, possit esse principium primi diei Medici, patet ex illo, qui calescens cænauit, & nocte febre acuta laborauit. Patet etiam ex Erasini historia: is enim à cæna igni siue febre est correptus, & noctem habuit molestam. Vix autem dubitari potest, hos post Solis occasum cænâsse, cùm noctu cænare soleant omnes Nationes. Insuper, non in cæna, sed tardiùs cœperunt isti ægri febricitare. Et si aliquis contentiosus pro Martiano primam noctem (quæ fuit primum morbi tempus) pro primo morbi die accipere vellet, id indoctè ex suo cerebro depromeret: quoniam ex Hippocrate Erasinus noctem illam primam molestam habuit, & diem primum quietè transegit. Si verò nox, quæ fuit primum ægritudinis tempus, molesta fuit, dici non potuit primus dies artificialis, qui fuit mitis, nequaquam verò molestus. Si adhuc pro Martiano tenaciùs vellet intercedere contentiosus, asserendo Hippocratem pro prima illa die quieta accepisse diem vulgarem ab ortu Solis ad occasum, quo in sensu diem accipi Martianus decreuit, & huic diei noctem subsequentem, non antecedentem, copulari; Responsum præsto est, concedendo diem illi, prout à nocte distinguitur, accipi, sed eidem diei, vt ex eo, simul & nocte dies naturalis, & Medicus resultet, non subsequentem noctem, sed antecedentem adnectendam. Nam si nox subsequens vnà cum præcedente ei adijceretur, dies talis ex duabus noctibus, & vno die constans, naturalem diem multùm excederet. Si autem nox subsequens sola ei diei adijciatur, quid fiet de prima morbi nocte, quæ diem minimè constituit, vt paulò ante ex Hippocrate docuimus? Superest ergo, vt primus morbi dies suum desumat exordium ab illa noctis hora, aut tempore, quo incæpit sensibiliter ægrotare æger: qui dies ad simile tempus subsequentis protrahitur. *Nox potest esse principium diei naturalis, & Medici.* *Dubio occurritur.* *Obiectio.* *Solutio.*

Diem artificialem, & subsequentem noctem simul, ad diei naturalis,

Nox subsequens diem artificialẽ, ad naturalis diei constitutionem concurrere potest.

ralis, & Medici constitutionem coire, quoties morbi contingentia, aut incidentia id subindicat, patet ex historia mulieris superiùs relatæ, quæ nocte sudauit, & à febre liberata est. Si placeret alicui hanc noctem in qua Crisis contigit, esse principium sequentis diei, perinde nobis est.

Martianus perstringitur.

Quod attinet ergo ad id, quod fuit Martiani præcipuus scopus, partem quamuis primi diei, in qua ante Solis occasum morbo æger correptus est, habere rationem diei, merum est figmentum. Nam præterquàm quòd ridiculum esset quadrantem vltimum horæ vltimæ diei artificialis, in quo aliquis morbo corripi posset, pro die accipi, doctrina est contraria principijs Hippocratis, qui nullibi id docuit; imò contrarium. Nam primos septem morbi dies, siue primam hebdomadam, integrè (deficientibus fortassis quibusdam particulis vnicuique, vt in Prognosticis monuit) numerat, alias verò hebdomadas non ita. Similiter libro de Septimestri Partu, menses septem partûs enumerando docet plus quàm viginti dies superesse, vt septimus compleatur mensis. Vult ergo Hippocrates, primos menses integros esse, & si notabilis fuerit defectus, hunc in vltimum incidere mensem. Et quod ita rem fieri ratio persuadeat, docti omnes nôrunt, imò & mulierculæ grauidæ, quæ primos menses integros recensent, vltimum non ita. Nam sufficere aiunt ad nonum peruenire mensem, non eum completè percurrere.

A Martiani impostura vindicatur Galenus.

Quod dixit Martianus, Galenum suam sententiam de diebus naturalibus, & decretorijs experientiâ non didicisse, longè fallitur; cum nihil magis cordi Galeno fuerit, quàm dies Criticos experientia explorare etiam ab adolescentulo. Vnde testatur se vidisse vna in æstate quadringentos ægros, septimo, & nono die iudicatos: dicitq; ingenuè se Hippocratem in doctrina Critica, veluti in reliquis sequutum. Parùm ergo oculatè Galenum Martianus perstringit, qui sine eodem Galeno, nec Hippocratem intellexisset, nec ex re Medica, nisi permodicum fructum collegisset. Hic ergo huius Libri finis esto Pridie Vigiliæ S. Matthæi Apostoli An. 1652.



NEL-

NELLANI (aliàs NIGELLI) ó GLACAN, VLTONIENSIS HIBERNI,

SEMEIOTICA.

LIBER TERTIVS, De Pulſibus.

CAPVT I.
De Neceſſitate huius Doctrinæ.



On mediocris eſt doctrinę de Pulſibus vtilitas, cùm Pulſus Vitalis Facultatis, & roboris, tam Cordis, quàm vniuerſi corporis, certiſſimus nuncius extet. Præſentem ergo eiuſdem facultatis Vitalis diſpoſitionem quamcumque, ſiue naturalem, ſiue præter naturam, nobis demonſtrat, & futurum in morbis euentum non rarò. Vt autem ſanitatis integritatem ex pulſu dignoſcimus, ita ex eodem ſtatum ſanum ab ægro diſcernimus. Vnde Medico ſanitatem conſeruanti, & iam lapſam reficienti, pulsûs cognitio protenùs neceſſaria cenſetur. Pulſu namque corporis potiſſimùm intemperiem, maximè verò calidam, quotidie venamur Medici: vt contra quoſdam Methodicos, eoſque proteruos, docet Galenus lib. 10. Methodi cap. 4. in ſummo fine, affirmans non ſolùm intemperiem calidam & ſiccam ex pulſu, vrina, & ipſius caloris qualitate dignoſci, ſed inſuper diſcerni poſſe, an in humoribus adhuc in fine acceſſionis ſuperſit aliqua putredo, nec ne. Ex vigore denique, aut imbecillitate pulsûs, futuram præſentimus ſanitatem, aut mortem; veluti ex alijs pulsûs diſpoſitionibus, futuras quandoq; euacuationes Criticas. Pulſus autem, vndoſus, & mollis factus, futuri ſudoris indicium eſt. Receſſus verò pulsûs ad interiora,

Pulſus cognitio neceſſaria.

Tria febris Signa, Caloris qualitas, pulſus, & vrina.

Variæ vtilitates doctrinæ de pulſibus ad prædicēdas euacuationes Criticas.

riora, vomitum, aut alui fluorem ſuperuenturum quandoq; præindicat: quas euacuationes in principio acceſſionum febrilium non raro fieri conſpicimus, veluti in ipſo acceſſionum vigore, aut declinatione, ſudores. In ipſa verò curatione pulsûs notitia apprimè neceſſaria eſt. Nam cibandi ratio non ſolùm in ordine ad morbi ſtatum à Medico conſideratur, ſed præcipuè & primariò in ordine ad vires, quæ ſi ex pulſu imbelles fuerint deprehenſæ, poſthabitâ omni aliâ conſideratione, reficiendæ ſunt; vti teſtatur ſe feciſſe Galenus cit. cap. 4. lib. 10. Methodi, vbi ante febriles acceſſiones, in principio acceſſionum, & in alijs ſubſequentibus temporibus, pro virium exigentia, ſquallidis ægris cibum contra Methodicorum conſuetudinem tribuebat. Libro 1. de different. febrium cap. 7. monuit, ſe tractatum de Pulſibus ſcripſiſſe: in quo, inquit, exercitatum oportet, quicunque ad præſentis Operis (de febribus) lectionem animum ſit appulſurus, &c. Item libro 1. de Arte Curatiua ad Glauconem cap. 2. ait: Maxima quidem in omnibus febricitantibus Signa, in pulſibus, atq; vrinis conſiſtunt. Libro 3. de Præſag. ex pulſib. cap. 7. proprios pulſus trium generum febris explicauit. Et in Synopſi ſedecim librorum de Pulſib. cap. 30. docet Galenus, pulſum prodeſſe ad futuræ Criſis prænotionem; vti cum eodem Galeno diximus lib. 2. huius Operis Sectione de Vomitu.

In principio, augmento, & ſtatu acceſſionis febrilis alimentum quandoque ægris propinabat Galen.

Maxima febricitantium Signa pulſus, & vrina.

Simon Acampus Medicus Neapolitanus Comment. in lib. 1. Galeni de differ. febr. doctrinam de Pulſibus, tanquàm ſuperuacaneam, reſpuit; & Hippocratem, quòd eam omiſerit intactam, laudat. Galenus lib. 3. de Criſib. cap. vlt. ſequentia habet: Sed Signa ex pulſibus ſumpta Hippocrates, vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti exiſtimauit, idcircò non eſt exequutus. Libro de Præcognitione ad Poſthumum, cap. 12. docet, Hippocratem non excoluiſſe Scientiam de Pulſibus.

Acampus doctrinam de pulſibus ſpernit.

Sed quidquid dixerit Acampus, Pulſuum vtilitas in maximo eſt, & fuit, vſu. Hippocrates quidem eam omiſit, tanquàm doctrinam Iuuentuti parituram ſummos labores. Galenus ipſe lib. 1. de dignoſcendis Pulſib. cap. 1. ingenuè fatetur ſe, nonniſi poſt multos annos ad cognitionem contractionis arteriæ perueniſſe. Imò eodem capite ſequentia ſcripſit: Equidem, vt verum dicam, ad exactiſſimam quidem & abſolutiſſimam cognitionem requiri totam humanam vitam putem. Hippocrates ergo, ne terrorem Ty-

Cur Hippocrates de pulſibus nō ſcripſit.

ronibus incuteret, prudenter à ſcriptione doctrinæ de Pulſibus abſtinuit. Non tamen proinde rectè infertur, doctrinam de Pulſibus ipſi fuiſſe ignotam, qui pulsûs meminit lib. de Alimento, hac ſerie: Venarum pulſationes, & reſpiratio ſpiritûs, iuxta ætatem & conſonantia, & diſſonantia ſunt, & morbi, & ſanitatis Signa: & ſanitatis magis, quàm morbi, & morbi, quàm ſanitatis. Hæc teſtantur Hippocrati doctrinam de Pulſibus cognitam fuiſſe. Dixit autem, & peroptimè reſpirationem, & pulſum inter ſe conſonantes, id eſt naturalem ſtatum obſeruantes, ſanitatem, quàm morbum, magis oſtendere: diſſonantes verò, magis morbum, quàm ſanitatem, indicare. Hippocrates libro de Humoribus pulsûs meminit; ſicuti libro 7. Epidem. in Pythodoro: pulſus, inquit, non defecit. Libro de flatib. Pulſus, inquit, fiunt circa tempora. Libro de Iudicationib. Si venæ pulsârint, inquit, & facies ſana fuerit. Libro de locis in homine: Venæ temporum ſemper pulſant. Lib. Prognoſtic. Si verò pulſus erit in hypochondrio. Libro 7. aphoriſm. 21. Ex forti pulſu in vlceribus. Lib. 2. Epidem. Sect. 5. Cui vena in cubito pulsârit, inſanus, & iracundus eſt: cui verò quieuerit, ſtupidus eſt. Galenus ipſe lib. 1. de different. Pulſ. cap. 2. teſtatur, Hippocratem habuiſſe pulſuum notitiam. Omnium itaque, inquit, quorum ad nos memoria peruenit, primus nomen pulsûs Hippocrates literis prodidit, atque Artis, quam complectitur, non videtur ignarus eſſe; non tamen hanc Artis partem multum elaborauit: neque cuilibet arteriarum motui hoc tribuit nominis: quem videtur imitari Eraſiſtratus.

Pulſus Hippocrati cognitus.

Varijs in locis, pulſus meminit Hippocrates.

Hippocrat. pulſus gnarus ex Galeno.

Galenus cùm ruri extra Romanam Vrbem cum filio Imperatoris (Imperator ipſe in Germaniam ſe contulit) longo tempore egiſſet, & otio frueretur ſufficienti, ingens opus de Pulſibus ſcripſit. Nimirum quatuor libros de differentijs Pulſuum: quatuor libros de dignoſcendis Pulſibus: quatuor libros de cauſis Pulſuum: quatuor libros de Præſagitione ex Pulſibus: & tandem Synopſim ſedecim librorũ de Pulſibus. Sed antea ſcripſit alium librum de Pulſibus ad Tyrones. Præter octodecim libros, ſcripſit aliũ de vſu pulſuum. Ei adhuc, etſi perperàm, adſcribitur Libellus, cui Titulus, Compendium Pulſuum, ſeſquiduabus fermè paginis conſtans, Opuſculum ieiunum, & Galeno indignũ: & indignè à Conciliatore Different. 80. citatum, vt probet arterias non ſimul cum corde dilatari, nec ſimul conſtringi, ſed viciſſim.

In expeditione Imperatoris ad Germaniam, Galenus longo fruitus otio magnum de pulſibus opus ſcripſit.

CAPVT II.
De Natura Pulsûs.

Trifariam pulsus accipitur.

ID quod Græcis Σφύγμος, Latinis Pulsus appellatur; dictus à verbo, Pello, quòd aliquid videatur introrsùm, & extrorsum vicissim pelli. Pulsatio siue Pulsus apud Galenum lib. 1. de Different. Puls. cap. 2. bifariàm accipitur. Primò, pro palpitatione. Vnde Ægimius quemuis arteriarum motum, palpitationem nuncupabat. Secundò Pulsus dicitur omnis motus sensibilis arteriarum: ita sentiebant Pythagoras, & Herophylus. Tertiò pulsus accipitur pro motu quodam, qui in partibus inflammatis persentitur; vt testatur Galenus lib. 4. de Different. Puls. cap. 1. Cùm duplex sit rei cuiusque definitio, vna nominis, altera rei, communem consuetudinem sequuti, vtramq; pulsûs exhibere placet. Definitio nominis apud Galenum lib. 4. de Differ. Puls. cap. 2. hac serie habetur: Sensibilis ergo motus, quem quibusdam in partibus corporis per totam vitam animaduertimus, pulsus appellatur. Definitionem pulsûs essentialem sequenti serie scripsit Galenus eodem lib. 4. de Different. Puls. cap. 4. Nos verò dicemus, actionem esse pulsum peculiarem, præcipuè Cordis, deinde arteriarum, quæ distentione, & contractione mouentur à facultate vitali, quo caloris natiui mediocritas retineatur, generetur autem in Cerebro spiritus animalis. Singulæ huius definitionis partes exponendæ sunt.

Definitio nominis pulsus.

Definitio essentialis pulsus.

Pulsus dicitur actio, ratione cuius conuenit cum reliquis actionibus totius corporis, quæ omnes vnum constituunt genus. Actio ergo benè loco generis in definitione posita est. Galenus citato cap. Pulsum, & rectè, motum appellat. Est sanè localis motus, quo Cor, & arteriæ dilatantur, & contrahuntur: Et Pulsus pro motu acceptus, cum Cerebri motu conuenit, cum palpitatione, & cum tremore. Pulsus, naturalis motus, aut non voluntarius, dici potest ex Galeno citato cap. Et meritò inuoluntarius motus appellatur, vt ab animali distinguatur motu. Dicitur etiam naturalis, in lata naturalis actionis significatione, qua vitales actiones, naturales dicuntur, etsi altioris ordinis. Coctio sanguinis arterialis, & spiritûs vitalis, est Cordis actio vitalis, quæ sanè naturalis ritè dicitur. Pulsus similiter ab expultrice, & attractrice Cordis facultatibus,

Cerebri motus, etiam est pulsus.

quæ naturales ſimul, & vitales ſunt, efficitur. Præterea in ipſa definitione, vitalis facultas pulsûs Author dicitur. Ergo Pulſus eſt actio naturalis, quæ vitalis minùs præcipua dicitur; quia facultas pulſifica miniſtra eſt, vt quæ præcipuæ vitali ſpirituum confectrici ſubſeruit.

Pulſifica facultas eſt vitalis.

Pulſus, dicitur peculiaris actio, vt à communibus totius corporis actionibus, attractione, coctione, retentione, & expulſione, ac nutritione, cæteriſq; quibuſuis, diſtinguatur. Deinde inquit: Præcipuè Cordis, deinde arteriarum, vt pulsûs inſtrumenta demonſtret. Cor autem eſt præcipuum, & primarium, non ſolùm inſtrumentum, ſed etiam ſubiectum pulsûs: deinde verò arteriæ, quibus Cor mouendi virtutem communicat.

Arterijs vim pulſandi tribuit cor.

Rursùs ait, quæ dilatatione, & compreſſione (dilatatio Græcis diaſtole, contractio ſyſtole appellatur) mouentur, vt Pulsûs formam conſtitutiuam ſtatueret, vtque patefaciat pulſum non eſſe ſimplicem motum, ſed compoſitum ex motu dilatationis, & contractionis, inter quas intercedit duplex quies. Contractione quidem fuliginoſi vapores extra corpus per cutem propelluntur, & dilatatione externus aër intùs in arteriarum corpora attrahitur, vt calor natiuus temperetur, & quidquid eius à fumoſis vaporibus extinguitur, commodè ventiletur.

Pulſus forma.

Huius actionis, ſiue compoſiti motûs, cauſam, poſtmodum aſſignat Galenus, dum inquit (à facultate vitali:) Eſt enim vitalis facultas in Corde reſidens, pulsûs efficiens cauſa, vt communis Medicorum fert opinio. Et meritò quidem vitalis facultas pulsûs cauſa dicitur, vt hic ab alio Cordis pulſu, qui palpitatio appellatur, diſtinguatur: nam palpitatio non à facultate vitali, vt pulſus, fit, ſed à ſpiritu quodam flatuoſo, in Corde incluſo, & exitum quærente: qui ſpiritus non eſt naturalis cauſa, ſed prȩter naturam accidens.

Vitalis facultas eſt cauſa pulſus.

Demùm ait Galenus; quò caloris natiui mediocritas retineatur, generentur autem in Cerebro ſpiritus animales. His Galenus finalem pulsûs cauſam, propter quam efficiens cauſa operatur, expreſſit. Calor natiuus varijs modis extingui poteſt, vel à ſuo contrario, frigore, vel alijs de cauſis. A frigore raròextinguitur; quia dum aër impensè frigidus inſpirationis operâ attrahitur, in Pulmonibus aliquantiſper tepeſcit, antequàm ad Cor, caloris natiui fontem, perueniat; niſi fortaſſis aër vltra modum frigidus fuerit, &

Finalis cauſa pulſus.

diuturno tempore inſpiretur; vti factum non rarò eſt, dum in locis niuoſis nonnulli aberrantes, aut quieſcentes, verſabantur: quo tempore Pulmonum, & Cordis calor ab aëre frigidiſſimo diu inſpirato ſuperatur, & omninò extinguitur. Idem partium corporis calori contingit; maximè verò, ſi nudæ aëri intensè frigido expoſitæ fuerint. Pulſus ergo, & reſpiratio, huiuſmodi iniuriâ adeò vehementi accedente, calorem natiuum ab extinctione vindicare nequeunt: benè tamen ab alijs iniurijs, quibus non rarò obrui conſueuit. Perit ille noſter igniculus, calor natiuus, vel quia immodicè accenditur, vel quia ſuffocatur: vtriq; incommodo præſtant auxilium, pulſus, & reſpiratio, huius vsûs gratiâ à Natura conſtituti. Accenſus calor in corde aëris frigidiuſculi inſpiratione contemperatur, & impeditur, ne vlteriùs flagret ſubſtantia ignea, & aërea, depereatq; concentus, & proportio primarum qualitatum. Spiritus ſimiliter vitalis, cui influens hæret natiuus calor, calorq; ſtabilis, fixuſque partium aliarum corporis, inflammati, pulsûs auxilio tepeſcunt, & contemperantur: quòd arteriarum, ad cutem terminatarum, dilatatione aër ſufficienter introrsùm attrahitur, quo & præfatus ſpiritus, vicinæque partes contemperantur: adeòq; caloris natiui conflagratio, & rursùs in ambientem aëra reſolutio diſſipatione prohibetur. Præter contemperationem caloris natiui, ope refrigerantis aëris introducti, factam, iuuatur idem calor leui impetu introducti aëris: Nam ab hoc impetu flabellatur, ventilaturue. Ex hac ventilatione duo calori accedunt commoda: Primum eſt, quòd calor natiuus ad interna, & deorsùm ad ſuum pabulum deferri cogitur, & ne in ſublime feratur, & diſſipetur, impeditur: adeoque augetur, & fouetur; vt habet Galenus libro de Vtilitate Reſpirationis cap. 3. Secundum commodum eſt, quòd ſeparetur tunc à calore fumoſus ille vapor, qui eum extinguebat; præparaturq; vlterius hac ventilatione idem vapor, vt mox per contractionem integrè excludatur. Idem videmus fieri in igne, cui admoti folles, aut lenia flabella, dum effumat, proſunt. Tunc enim flamma deorsùm ad pabulum recurrere cogitur, & ne in ſublime ſemper feratur, prohibetur, eodemque tempore à puriori igne fumus, cinereſq; ſegregantur. At verò, quoniam ſolius frigidi aëris per arterias introducti commercio calor natiuus non ſeruaretur, ſed à fuliginoſis vaporibus, alijſq; excrementis intùs detentis ſuffocaretur, ſagax

A nimio frigore calor natiuus extinguitur.

Pulſus, & reſpiratio.

Ventilationis duplex commodum.

Reſpirationis neceſſitas.

Na-

Natura ad talium inutilium excrementorum exclusionem, Cordis gratiâ, respirationem præscripsit; reliquarum verò partium corporis, simulq; Cordis, arteriæ contractionem, siue constrictionem. Expiratione siquidem fumosus vapor ex sinistro Cordis ventriculo per arteriam venosam ad pulmones, & inde per trachæam arteriam ad os, & hinc extra corpus protruditur. Extra verò arterias, inclusus vapor fuliginosus ad cutem per ora arteriarum vi contractionis propellitur. Si verò intùs detinerentur vapores isti fuliginosi fumosique, sua caliditate adurenti calorem simul, & humores accenderent, si non adurerent, vti faciunt in ijs, qui febre continua correpti iacent. Calori præterea natiuo, sua quantitate, fumosi isti vapores nocent; quoniam hunc, non expurgati, offuscant, & obruunt, suffocantque; vt videre licet in ijs qui laqueo strangulantur. In ijs enim à fumosis tetrisq; vaporibus omnis spiritus conculcatur, obruiturque: Vnde & illi suffocantur.

Rectè ergo Galenus Pulsûs finalem causam, & vtilitatem, statuit caloris natiui contemperationem, mediante dilatatione, & contractione cordis, & arteriarum; cùm per dilatationem refrigeretur simul ventileturq; ab introducto aëre, & mediante contractione, vapores fuliginosi extramittantur. Cæterùm, quia solus Pulsus hæc officia perficere non posset, prouida Natura respirationem, simul homini tribuit; quæ, & pulsus in eo conueniunt, quod æqua intentione ad caloris natiui conseruationem concurrant. In modo quidem operandi, & in vsu, pulsus ac respiratio conueniunt: facultate licet, & instrumentis discrepent.

Respiratio, & pulsus conueniunt, & discrepāt.

Quoniam causa conseruationis spiritûs vitalis, ex quo, simul & aëre, spiritus animalis generatur, dici queat spiritus animalis generans causa, ideò perappositè à Galeno in definitionis calce additum fuit: generetur autem in Cerebro spiritus animalis. Sed hic finis Pulsûs remotus est, proximus verò, natiui Caloris contemperatio. Galenus lib. 8. de Placitis Hippocratis cap. 8. quatuor relatos Pulsûs vsus (veluti & respirationis) in medium profert: videlicet, quòd calorem natiuum refrigeret, quodq; ipsum euentet, ventiletue, quòd spiritus animales reficiat, & quòd demùm fuliginosa excrementa extrorsùm expellat: quæ omnia, mediante arteriarum dilatatione, & contractione, facultas vitalis perficit.

Quatuor vsus pulsus.

Pulsûs ergo definitio iam data optima est, cùm genere constet

& differentiâ, causarumq; quatuor genera complectatur; materialem, quæ est cor, & arteriæ: formalem, quæ est dilatatio, & constrictio: efficientem, quæ est facultas vitalis: & finalem, quæ est caloris natiui contemperatio, & spiritûs animalis generatio.

Duobus occúrritur dubÿs. Quòd si vellet aliquis obijcere, cerebrum suo dilatationis, & contractionis motu, ad spiritus animalis generationem sufficere, respondeo, ipsum ad immediatam spiritus animalis generationem sufficere, ad mediatam nego.

Quòd si vlterius vrgeret aliquis, cerebrum attrahere dum constringitur, & expellere dum dilatatur, in quo à cordis motu distinguitur, docente Galeno libro de Instrumento Odoratus cap. 4. Respondeo perinde nobis esse quomodo suo illo naturali motu trahat, aut expellat, dummodo has ambas actiones edat. Locus sanè Galeni mendo scatet, vel intelligendus est de attractione, & expulsione, quæ fit per cranij suturas. Nam tunc eius compressione fit per suturas attractio, & expulsio per nares dilatatione: licet manifestius dilatatio per nares aërem attrahat, & fuligines per easdem sua compressione expellat.

Obiectiones.

Obiectio 1. OBijciet aliquis primò, Pulsum non esse actionem peculiarem Cordis, & arteriarum; cùm sit actio naturalis, eaq; composita ex attractione & expulsione: quæ duæ actiones, attractio, & expulsio, communes sunt omnibus corporis partibus.

Solutio. Respondeo, Pulsum esse actionem naturalem altioris ordinis, id est, facultatis vitalis; quæ naturalis facultas dici potest, cùm Naturæ inclinatione, & non voluntatis arbitrio, moueantur Cor, & arteriæ à vitali facultate. Cùm igitur talis motus actioue à sola Cordis facultate pendeat, meritò Cordis, & arteriarum peculiaris dicitur.

Obiectio 2. Obijcies secundò, Galenum esse sibi contrarium: Nam in definitione ait, pulsum esse peculiarem actionem primò cordis, deinde arteriarum: Et sic vult, cor primò moueri, & secundò arterias. Atque adeò, dum cor dilatatur, arteriæ constringentur. Cùm tamen Galeni doctrina constans & firma sit, eodem tempore Cor, & arterias moueri; ita vt dilatato corde simul dilatentur & arteriæ, & con-

tracto

tracto siue constricto corde constringuntur & arteriæ: vt habetur lib.4.de differ.puls.cap.6.& lib.1.de Præsagit.ex puls.cap.3.& lib. 6.de Vsu part.cap.1. & lib. de Pulsib.ad Tyrones. Quibus in locis Galenus Herophili sententiam amplexus est; & loco primò citato Erasistratum reprehendit. Suam doctrinam experientiâ confirmat: Si quis in homine sano & benè se habente alteram manum pectori admoueat, aliam verò carpo, percipiet haud dubiè, simul & eodem tempore dilatari Cor arteriasque, simulq; comprimi. Libro 7. de Anatomicis administrationib.c.6. narrat se vidisse in animali viuo dissecto cor simul & arterias vno eodemq; tempore dilatari, & vicissim vno eodemq; tempore comprimi siue constringi.

Cor, & arteriæ simul dilatatur, & simul contrahūtur.

Ratione suam hanc doctrinam confirmat Galenus. Nam facultas Pulsatilis, cùm sit naturalis, & Cordi insita, cum ratione agere nequit. Sed si prius Cor, quàm ipsas arterias Cordi alligatas, dilataret, non esset naturalis, & cum ratione ageret. Ergo vno & eodem tempore, adeòq; simul Cor, & arterias dilatabit, simulq; vicissim comprimet constringetque.

Huic Galeni doctrinæ addere possumus, quòd si arteriæ constringerentur eo tempore, quo Cor dilatatur, arteriæ ad Cor reijcerent quidquid ex Corde antea hausere; quod est præter Naturæ ordinem. Dum enim cor dilatatur, necessariò etiam dilatatur arteria venosa: Et quando constringitur, simul etiam & eadem arteria. Ergo similiter dicendum in alijs. Vna præterea, eademq; facultas simul & eodem tempore duos contrarios motus efficere nequit. Sed dilatatio, & constrictio sunt duo contrarij motus. Ergo simul, & eodem tempore fieri nequeunt. Rectè ergo Galenus lib. de Pulsib.ad Tyron cap.1. inquit: Igitur omnes inter se arteriæ, & Cor, habent eandem pulsandi rationem.

Respondeo, Galenum in definitione Pulsûs nolle Cor primò prioritate temporis, moueri, sed prioritate Naturæ: quoniam facultas pulsifica, Cordi, & non arterijs, insita est. Cordis porrò temperies est, quæ talem fouet facultatem: arteriarum verò temperies à temperie Cordis dissita est, vt in nostra docuimus Physiologia. Nihilominùs tamen cùm semper arterijs cor suam communicet pulsandi facultatem, arteriæ simul cum corde mouentur, & idem semper erit vtriusq; motus. Reliqua, quæ de conuenientia motûs cordis & arteriarum ex Galeno in obiectione allata sunt, à nobis

Solutio.

liben-

libenter admittuntur, quidquid post Erasistratum dixerit in contrarium Auicenna.

Compresso corde, arteriæ leniter comprimuntur.

Vt autem nullus dubitandi locus omittatur intactus, animaduertendum est, dum cor comprimitur, arterias non omninò, sed leniter eodem tẽpore comprimi, vt ex corde Aorta sanguinem arterialem, & spiritum vitalem, recipiat; pulmones verò sanguinem & spiritum per venam arterialem ex eodem corde. Dum verò dilatatur cor, dilatantur & vasa; & sicuti cor tunc per venam cauam sanguinem recipit, & per arteriam venosam aërem, arteriæ tunc in sua dilatatione ex habitu corporis aërem alliciunt, & ex vicinis venis vaporem sanguineum, & ex alijs partibus aliud quid. Sed de his in nostra Physiologia abundè dictum.

Obiectio 3.

Obijcies tertiò, malè dictum, Pulsum à facultate vitali fieri, cùm ex Aristotele lib. de Respirat. cap. 20. à natiuo calore Cordis in humidum agente, vel à calido spiritu intus incluso, & exitum quærente ipse pulsus fiat: At pulsatio, inquit, quam Cor perpetuò facere videtur, & motioni persimilis est, quam tubercula cum dolore (inflammationes siue phlegmones intelligit) efficiunt, quòd sanguini mutatio ipsa præter naturam sit. Ea verò fit, vsque dum sanguis concoctus sit, & in pus conuersus. Hæc etiam affectio (pulsatio scilicet) feruori (siue ebullitioni) similis est. Fit enim feruor, cùm humor caloris operâ inflatur (id est attenuatur, rarescitque). Nam humor propterea sese attollit, quòd in molem assurgat ampliorem. Cæterùm quies in tuberculis (phlegmonibus) agitur, si putrefactio non perspiret, humore crassiusculo reddito, feruor verò residet, si per labra vasculi humor excidat. In ipso autem Corde tumefactio humoris, qui semper è cibo accedit, vltimam Cordis tunicam eleuantis, pulsum facit: atq; hoc semper sine vlla intermissione fit: nam semper humor, ex quo natura sanguinis oritur, continuè influit: primùm enim in corde gignitur: id quod in prima generatione liquidò constat. Nam venis nondum distinctis sanguinem habere cernitur: & ob id iunioribus magis, quàm senioribus, pulsat: vtpotè quibus diuaporatio maior fiat. Quin etiam venæ omnes & simul inter se pulsare assolent, quia omnes ex corde sua initia trahunt, cor autem semper mouet. Quare & illæ semper mouent, & simul inter se cum illud mouet. Palpitatio igitur est compellentis frigoris repulsio. Pulsatio verò est humoris concalescentis inflatio.

Pulsus causa ex Aristotele.

Maior pulsus in iunioribus, quàm senioribus.

Palpitatio quid.

Pulsatio quid.

His

His ſuam de pulſu mentem aperuit Ariſtoteles, qui manifeſtè pulſum à continua ſanguinis efferueſcentia, & attenuatione in corde facta pulſum fieri docuit, non ſecùs ac in inflammationibus ſiue phlegmonibus fit, dum pus generatur. Sanguis enim extrauaſatus calorem concipiens putredinoſum, attenuatur in primis, & attenuatus maiorem acquirit locum: Vnde ibi feruens, Pulſum efficit. Licet, iuxta Medicos, pulſus inflammationum fiat ab arterijs oppreſſis in parte inflammata.

Non eſt hîc prætereundum quod docuit, arterias omnes ſimul moueri, & vnà cum corde, contra quàm voluit Eraſiſtratus, qui putabat, arterias cordi vicinas priùs moueri, deinde remotiores arterias, quas venas etiam cum Hippocrate appellat Ariſtoteles. Quidam enim Antiquorum non pro omnium arteriarum motu pulſum accipiebant, ſed pro manifeſto tantùm.

Arteriæ ſimul cum corde mouentur, ex Ariſtotele.

Præter relata, adhuc Ariſtoteles lib. de Spiritu cap. 4. ſequentia de Pulſu ſcripſit: Pulſus autem peculiaris quiſpiam, præter hos, (id eſt, præter motum reſpirationis, attractionis, & coctionis alimenti) motus eſt, & quadamtenùs accidentarius eſſe, nec finem habere videtur, ob quem fuerit inſtitutus. Et vt calore vehemente in humidum agente, neceſſe eſt quæ in flatum reſoluuntur partes ob verſationem bullas excitare, ita pulſum quoq; fieri in animalis corpore par eſt: ſtatimq; per initia primum conſiſtit pulſus: nam ijs, quæ prima ſunt, coæuus calor eſt. Et fortaſsè actionem caloris in materiem, quæ generationi animalis ſubſternitur, idipſum conſequi eſt neceſſe. Et paulò poſt, ait: Cæterùm, quod dictum eſt, non finis cuiuſpiam gratiâ fieri, ſed actionis neceſſitatem ſequi, caloris ipſius ſcilicet in humidum, id omninò ita habere videtur.

Pulſus per accidẽs fit ex Ariſtotele.

Galenus varias de hac re ſententias proponit lib. 1. de cauſis Pulſ. cap. 2. hac ſerie: Videtur porrò perpetuò cum omnibus arterijs cor motum illum pulſatilem, vt vocant, dum ſuperſtes animal ſit, habere: vbi interijt, nec vllam arteriarum, nec verò ipſum cor ampliùs pulſare videas; quod fuiſſe tum quandam conſtat cauſam, à qua moueretur: At quæ hæc ſit, non procliue inuentu eſt: Vnus natiuum calorem; Alius contentionem: Alius temperamenti proprietatem: Hic vniuerſam ſtructuram corporis: Ille ſpiritum tantùm. Eſt qui quædam horum: Alius etiam omnia ſimul affirmat. Et verò quidam etiam facultatem quandam nullo præditam cor-

Variæ opiniones de cauſa pulſus.

pore introduxerunt, quæ peculiaribus instrumentis motûs, quæ retulimus, vtatur, vel omnibus, vel pluribus, vel vno. Hanc causam, quæ pulsus molitur, quæcunq; illa sit: licèt eius nos fugiat essentia, quòd facultatem habeat pulsus efficiendi, facultatem illam vocauimus: vt quamlibet, puto, aliam facultatem solemus nominare. Ecce adhuc Galenus ipse quasi dubius de efficiente Pulsus causa.

Solutio. Quoniam tamen Galenus in Pulsûs definitione facultatem vitalem causam efficientem pulsus clarè constituit, non est dubium, quin eius sententia talis fuerit: vt ipse planè docuit lib. 2. de Præsagit. ex Pulsib. cap. 7. vbi ait: Corpus Cordis facultatem quandam obtinet, quæ distendit, & contrahit, non temerè illam quidem, nec fortuitò à natura donatam, neq; otiosam, sed tuendi gratiâ innati caloris. His constat, pulsum non à feruente spiritu, sed à facultate vitali fieri. Ordo quidem in pulsu seruatus, non ab humoris feruentis attenuatione, sed à facultate regulariter procedente conseruatur. Nam à tali feruore dilatatio arteriæ quasi semper foueretur, constrictio autem siue compressio arteriæ, nunquam, aut ratò fieret: sicuti in phlegmone à sanguine extrauasato orta, quam tuberculum in suo contextu nominauit Aristoteles, notare licet; quæ, quamdiù impensè feruet ille sanguis extrauasatus in parte inclusus, & non insensibiliter, aut sensibiliter euacuatur, tensa manet, siue distenta adeò, vt nusquam deprimatur comprimaturue. Et ita ex parte Aristoteli responsum est. Aduersus quem potenter militat Galeni experimentum libro, An sanguis natura in arterijs contineatur, cap. vltimo, vbi hac serie loquitur: Arteriam vnam è magnis & conspicuis quampiam, si voles, nudabis: primòq; pelle remotâ, ipsam ab adiacenti suppositoq; corpore tamdiù separare non graueris, quoad filum circùm immittere valeas: deinde secundùm longitudinem arteriam incide, calamumque & concauum & peruium in foramen intrude, vel æneam aliquam fistulam, quo & vulnus obturetur, & sanguis exilire non possit. Quoadusq; sic se arteriam habere conspicies, ipsam totam pulsare videbis. Cùm primùm verò obductum filum in laqueum contrahens, arteriæ tunicas calamo obstrinxeris, non ampliùs arteriam vltra laqueum pulsare videbis; etiamsi spiritus, & sanguis ad arteriam, quæ est vltra filum, sicuti priùs faciebat, per concauitatem calami feratur: quòd, si propterea pulsabant arteriæ, pulsarent etiam nunc partes quæ

Forte argumentum contra Aristotelem.

Probat Galenus facultatem mouendi per tunicas arteriarũ, non per cauitatem à corde transmitti.

quæ ſunt vltra laqueum: Sed non pulſant. Igitur perſpicuum eſt, quoniam moueri poſſe deſinunt, non per ſpiritum in concauitatibus diſcurrentem, ſed ob virtutem in tunicas tranſmiſſam, arterias à corde moueri. Nam quæ Eraſiſtratus de motu arteriarum prodidit, falſa prorsùs ſunt. Ante enim quàm nudata arteria, in partibus, quæ vltra laqueum ſunt, moueri deſiſtat, videre licet (quod nec fieri antea oportebat, quàm ea laqueo obligaretur) totam vno tempore moueri, non autem hanc quidem partem priùs (vt vult Eraſiſtratus) illam verò poſteriùs. Atque hæc ipſi vehementer abſurda contingunt. Nam, ſi priùs, quàm ſanguis in arterias veniret, aliquis forſitan conceſſiſſet celeriter adeò ſpiritum in arterias ferri, vt quænam pars arteriarum priùs, & quæ poſteriùs attolleretur, ſenſum lateret: cùm plenæ ſanguine fuerint, fieri non poteſt, vt ſpiritus tam citò, ſicut ante, à corde in extremas arterias perueniat, &c.

Eraſiſtratus perſtringitur.

Ex his non obſcurè colligitur refutatio ſententiæ Ariſtotelis, veluti ſui nepotis Eraſiſtrati, qui non ſimul, ſed ſucceſſiuè arterias moueri propter ſpiritus priùs ad arterias cordi vicinas, deinde paulatim ad alias remotiores, à corde tranſmiſſos, ſtatuit.

Denuò, cùm Ariſtoteles lib. cit. de Spiritu, reſpirationem ab interno aliquo principio fieri concedat; neceſſariò pulſui cauſam aliquam, à qua fiat, concedere debet; cùm per pulſum tranſpiratio fiat, ſitue ipſamet tranſpiratio totius corporis correſpondens reſpirationi in opere, & vſu. Affines eſſe reſpirationem, & tranſpirationem, ipſe in capitis citati principio docuit, aiens: Cùm autem motiones in arteria contenti ſpiritus, tres ſint, reſpiratio, pulſus, & tertia, alimenti (id eſt ſanguinis) aduectio elaboratioq; (ſpiritus enim ſanguinem vehit, eumque confici iuuit), de quaque harum dicendum eſt, &c. Et in decurſu Capitis, inquit: Quòd igitur reſpiratio intùs habeat initium, manifeſtum ſanè eſt, ſiue ea facultas animæ ſit, ſiue anima ipſa ſit dicenda, ſiue alia quæpiam corporum miſcella, quæ per ea (corpora ſcilicet) talem attractionem efficiat. Ecce Ariſtoteles affirmãs, reſpirationẽ, ſicuti & pulſum, eſſe motum ſpiritûs in arteria contenti; & tamen eiuſdem reſpirationis cauſam ſtatuit animam, animæue facultatem, aut temperamentum peculiare. Similiter alimenti elaborationem à facultate fieri non diffitetur, etſi motio ſpiritus ſit. Idem ex neceſſitate de Pulſu ſtatuere

Ariſtoteles conuincitur.

Reſpiratio cauſam habet per ſe.

Ex libro de Spiritu colligitur Aristotelẽ voluisse hepar ante cor formari.

debet, quem per initia generationis statim in constitutione cordis emergere ille docuit, respirationem verò, postquàm animal in lucem editum est. Dicto autem capite naturalem facultatem primò in fætu efformando elucere docet, secundò pulsum; &, vt dixi, post editum partum, respirationem. Ex hoc loco colligitur, Aristotelem non absolutè docuisse, cor ante hepar efformatum esse, imò è contra, si quæ sit prioritas efformationis, hepati potiùs, quàm Cordi, concedi debet.

Obiectio 4.

Obijcies quartò, Posito, quòd facultas vitalis sit causa Pulsûs, malè tamen vna sola constituitur eius causa, cùm duplex facultas pulsum efficiat: vt colligitur ex Galeno lib. 2. de Præsagitione ex Pulsib. cap. 8. vbi ait, pulsum dicrotum fieri concertantibus mutuò duabus facultatibus, & quæ distendit, & quæ contrahit Cor.

Gentilis Fuliginatis Demõstratio.

Huic authoritati accedit argumentum Gentilis, quod ab ipso demonstratio dicitur. Facultates distinguuntur per actiones, & actiones per obiecta. Atqui dilatatio, & compressio cordis, & arteriarum, sunt diuersæ actiones. Ergo necessariò fieri debent à diuersis facultatibus. Minor propositio probatur. Dilatatio est actio, quæ versatur circa aëris attractionem, quod est quid iuuans ipsum cor; compressio verò siue contractio cordis, & arteriarum, versatur circa excrementorum expulsionem, quod est quid nocens. Sed ista obiecta sunt contraria, & specie diuersa: Ergo & actiones, & consequenter facultates, quæ sunt actionum causæ.

Aliud argumẽtum.

Aliud argumentum eorum est. Instrumenta, mediantibus quibus fit dilatatio, & constrictio, sunt distincta. Ergo & facultates. Sed fibræ rectæ sunt dilatationis instrumenta: transuersæ verò rectis aduersæ, compressionis & expulsionis. Ergo dilatatio & compressio sunt distinctæ actiones; cùm apertum sit ipsa instrumenta esse distincta.

Solutio.

Ad Galeni authoritatem respondent aliqui, nomine duarum facultatum ab ipso intelligi duos diuersos fines, propter quos dilatatio & compressio fiunt. Sed ego dicere mallem, Galenum nomine facultatis tunc intellexisse duas causas alterantes, siue mutantes pulsum. Quòd autem causa, præsertim efficiens, facultas, vis, virtusq; dici possit, ambigi non debet; & colligitur ex cap. 2. lib. 1. de Causis Puls. superiùs citato, in quo facultatem pulsum efficientem, causam cum antiquis vocat: Et in fine Capitis, effectricem facul-

tem.

tem. In contextu verò citati cap. lib. 2. de Præsagit. ex Pulſ. clarè ſatis meam hanc expoſitionem innuit Galenus hac ſerie: Vt etiam Dicrotus, qui ex genere eſt intrò retractorum: comitatur tamen nonnunquàm & ille Cordis inæqualem intemperiem: atq; adeò, cùm collectus ſit in multis eius partibus ingens excrementorum fuliginoſorum aceruus. Nam ſi vnà contingat, vt quædam omninò ſint præcalidæ, aliæ fumosâ fuligine præfocentur, ad contrarios proſilient motus; vt alteræ diſtentionem moliantur, alteræ conſidant, &c. Galenus dicroti cauſam, eamque geminam, hîc exponit. Licèt enim ab inæquali intemperie, eum fieri aſſerat, duas tamen ponit cauſas, quæ dilatationem moliuntur, & compreſſionem; partes enim calidæ dilatationem, partes quæ veluti ſuffocantur à magna fuliginum copia, compreſſionem. Calor enim, qui refrigerationem indicat, dilatationem molitur maximam & celerem, in quantum fieri poteſt. Calor ergo perpetuam dilatationem vrget, atq; molitur: extinctio verò caloris, quæ procedit à fuliginum aceruo, earundem fuliginum euacuationem poſtulat; adeòque compreſſionem efficit frequentem. Duæ ergo hæ cauſæ quaſi contrariæ, incendium, & ſuffocatio, ſiue extinctio, quæ à fuliginibus procedit, inter ſe certare videntur. Et ita Galeni mens expoſita videtur: mximè verò, cùm ipſe vnius ſolius facultatis vitalis pulſificæ ſemper meminerit, & præcipuè citato lib. 2. de Præſagit. ex Pulſ. cap. 2. vbi de pulſu etiam bis feriẽte, cuiuſmodi eſt dicrotus, agens, ait: Corpus Cordis facultatem quandam obtinet, quæ diſtendit, & contrahit, non temerè illam quidem, nec fortuitò à natura donatam, neq; otioſam, ſed, ſicut alijs locis demonſtrauimus, tuendi gratiâ innati caloris. Hæc in contractionibus fuliginoſum excrementum effundit, in diſtentionibus allicit refrigerium. Hîc vnam ſolam dilatationis ſiue diaſtoles, & contractionis ſiue ſyſtoles, ſtatuit Galenus efficientem facultatem. Pulſum enim ille naturalem definiuit, eiuſque vnicam conſtituit cauſam facultatem vitalem. Dicroti verò & aliorum pulſuum præter naturam, quatenus talium, cauſæ ſunt præter naturam.

Dicroti cauſa.

Dicrotus quatenus pulſus, ab vnica facultate vitali efficitur; ſed quatenus dicrotus eſt, duplicem habet cauſam ſuæ generationis, eamq; præter naturam.

Ad primum argumentum reſpondetur, maiorem diſtinguendo. Quoties actiones erunt adæquatæ, certum eſt, per eas diſtingui facultates: Si verò actiones fuerint inadæquatæ, falſum eſt per eas diſtingui facultates. Sed diaſtole ſiue dilatatio, & ſyſtole ſiue contractio

Solutio primi argumenti.

tractio siue compressio, sunt inadæquatæ actiones, cùm vicissim & partialiter ad vnicum finem proximum, caloris scilicet natiui contemperationem in partibus concurrant, ad spiritûs verò animalis generationem, tanquam ad finem remotum.

Solutio secundi argumenti.

Ad secundum argumentum respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam diuersitas quædam instrumentorum non arguit facultatum diuersitatem: v. g. facultas motrix, & numero vnica diuersis vtitur fibris inter tensionem, & contractionem. Cæterùm musculosum genus integrè acceptum, proculdubio diuersitatem arguit facultatis animalis à facultate vitali, aut naturali.

Obiectio 5.

Obijcies quintò, malè à Galeno omissam fuisse in definitione pulsûs geminam quietem, vnam, quæ sequitur diastolen, & antecedit contractionem, & alteram quæ sequitur contractionem, & antecedit dilatationem. Nam ab hac duplici quiete desumũtur pulsûs quædam differentiæ, vt pulsus frequens siue creber, & pulsus rarus.

Galenus hac de re deliberat libro 1. de dignoscẽdis Pulsib. cap. 10. hac serie: Quæ de Pulsûs partibus principibus dicenda erant, ferè iam percurrimus: nam duæ, quæ reliquæ sunt, per accidens potiùs, non propriè, nec per se partes pulsûs sunt, arteriæ interna & externa quies. Ex hoc Galeni contextu multi inferunt, quietes non esse essentiales partes pulsûs, sed potiùs accidentales. Quam sententiam ipsi confirmant sequentibus argumentis. Si quietes essent essentiales partes pulsûs, nullus pulsus sine his reperiretur. Sed reperitur pulsus dicrotus quietibus carens. Ergo quietes non sunt essentiales pulsûs partes. Secundò, si quietes essent essentiales pulsûs partes, ponerentur in Pulsûs definitione. Sed non ponuntur. Ergo non sunt essentiales pulsûs partes.

Bina argumenta.

Contraria opinio, tenens quietes esse partes essentiales pulsus.

Primũ argumẽtum.

Altera ex parte quietes videntur esse essentiales pulsûs partes. Primò, quia fiunt à facultate vitali propter eundem finem, propter quem fiunt motus. Nam sicuti dilatatio fit, vt refrigeretur, & ventiletur calor natiuus, ita pariter externa quies, quæ est spatium temporis, in quo quiescit arteria post dilatationem, antequàm eadem arteria contractionem incipiat. Et quemadmodùm contractio, siue constrictio, siue compressio arteriæ fit ad expellenda fuliginosa excrementa, similiter & interna quies, quę contractionem sequitur, & dilatationem antecedit. Cùm enim hac quiete compressio perficiatur,

Quies interna contractionem sequitur, externa dilatationem.

ciatur, ſicuti externa quiete dilatatio, Signum eſt, externam quietem refrigerationis, & ventilationis gratiâ fieri, non ſecùs ac ipſam dilatationem; & internam quietem non aliter, ac ipſam contractionem gratiâ expulſionis fuliginoſorum vaporum.

Secundò, ſi quietes per accidens tantùm interuenirent ad dirimendos contrarios motus, eodem ſemper modo ſe haberent, eandemue inter ſe ſeruarent proportionem: Sed non ſeruant; cùm quandoque longiores ſiue maiores ſint; aliàs multò breuiores; variantur enim pro exigentia finis, & vsûs. Nam quo maior eſt neceſſitas refrigerandi, quàm expellendi, quies externa longior eſt internâ, ſicuti ipſa dilatatio contractione longior eſt: & interna quies externâ longior eſt, quoties maior expellendi fuligines, quàm refrigerandi, neceſſitas vrget; Sicuti & ipſa compreſſio dilatatione longior euadit. *Secundum argumentum.*

Vt ſeligere valeat vnuſquiſq; ad placitum, quam voluerit, opinionem, præſupponendum ante omnia, quietes dupliciter accipi. Primò, pro mera priuatione motuum, in quo ſenſu definitionis partes eſſe nequeunt: imò in hoc ſenſu per accidens ad pulſum ſe habent. Et in hoc fortaſſis ſenſu nonnulli credunt, Galenum fuiſſe loquutum, quòd quietes ita acceptæ videantur ſolummodò motus contrarios pulſus à ſe inuicem dirimere. Secundò, quietes accipi poſſunt pro detentione arteriarum in loco. *Quietis duplex ſignificatio.*

His poſitis dico, quietes per accidens, & non per ſe eſſe partes pulsûs, ſi cum motibus conferantur: nam indubium eſt binos motus eſſe formalem rationem, eamq; conſtitutiuam pulsûs: quietes verò, ſi in ordine ad finem conſiderentur, eſſe pulſus quaſdam appendices, & partes minùs præcipuas. Vt enim ſuperiùs tactum eſt, quietes à natura conſtituuntur ad perficiendum id, quod à motibus inchoatum eſt, opus: nam quies externa, quæ dilatationem conſequitur, cauſa eſt cur commodiùs attrahatur ambiens aër, & refrigeretur, ac ventiletur calor noſter natiuus. Quies verò interna contractionem conſequens, eiuſdem contractionis opus, fuliginum excretionem iuuat, & inſtar complementi perficit. Ambæ ergo quietes, etſi non ſimpliciter attrahant aërem, aut fuliginoſa excrementa deturbent, ſunt ad melius & commodius eſſe: vnde per conſequentiam quandam, & non primò, à natura intenduntur. Vtiles tamen ſunt, vt dixi; nam natura in quietibus aliquo modo reficitur, *Sanior opinio, & Solutio.* *Quies externa, aëris attractionẽ veluti protrahit: veluti interna, fuliginoſi vaporis expulſionem.*

citur, & suum commodius sequitur intentum. Si enim statim à dilatatione, nulla intercedente quiete, contractio succederet, aëris externi attractio interpellaretur, aut certè imperfecta esset. Quies enim externa aëris attractionem longiorem copiosioremq; efficit: nam attractus, saltem ope quietis, diutius intus retinetur.

Quorũdam interpretatio refellitur. Ex hac responsione satis constat, in quo sensu Galenus dixit quietes per accidens esse pulsûs partes. Nimis enim violenter aliqui Galenum interpretantur, dum inquiunt, per accidens, non accipi à Galeno quatenùs opponitur ei, quod est per se, sed quatenùs opponitur ei quod est primò. Quæ sanè interpretatio est frigida valdè; cùm Galenus in allato contextu expressè dixerit, quietes non esse partes per se pulsûs. Cur ergo ausi sunt dicere, Galenum velle, quietes esse partes per se pulsûs? Si sanè essent partes essentiales pulsûs, eas in definitione non omisisset Galenus. Sunt ergo præcipuæ appendices, quas sub ipsis motibus, quos vltimò complent, comprehendit Galenus; quæ veluti essentiales pulsûs partes sunt, quanquam non præcipuæ.

Solutio primi argumenti. Quod in primo argumento oppositum est, pulsum dicrotum quiete carere, falsum est. Nam duo motus contrarij necessariò quietibus dirimuntur: alioqui non essent contrarij. *Solutio 2. argumẽti.* Ad secundum argumentum iam responsum est, Galenum implicitè comprehendisse quietes sub suis motibus; cùm sint horum appendices.

Quietes à facultate pulsifica fiunt. Quanquàm verissimum sit ab ipsa facultate pulsifica quietes, tanquàm motuum appendices fieri, Hercules Saxonia nullo nixus argumento à duabus distinctis facultatibus eas manare docuit. Nos tamen Galenum sequuti, ab vnica facultate ambos motus pulsûs fieri monuimus, putamusq; ab eadem vnica facultate illas motuum appendices procedere. Frustra enim, & sine necessitate multiplicat Saxonia facultates, constituendo duas pro duabus relatis quietibus, & duas pro bino motu. *Saxonia perstringitur.* Sanè facultas illa, quæ pulsum ipsum, id est dilatationem, & contractionem efficit, sufficit ad productionem quietum: quoniam id quod ex necessitate naturæ, & ad eiusdem naturæ bonum sequitur aliquid aliud, non eget causâ distinctâ ab illa, quæ primum & præcipuum effectum producit. Sed quietes, de quibus egimus, ex necessitate naturæ, & ad bonum ipsius naturæ, sequuntur aliquid aliud, id est dilatationem, & contractionem. Ergo non egent distinctâ causâ à causa eorundem

mo-

motuum, quos sequuntur: maximè verò, quia ad eundem finem producendum tendunt. Exemplo res clarior euadet. Vt leuitas introducatur, non eget alia causa distincta ab ea quæ calefacit; quoniam ex calefactione, quæ est præcipua actio causæ calefacientis, ipsa leuitas necessariò resultat. Ergo à pari, cùm quietes necessariò resultent inter duos motus contrarios, qui vicissim à Facultate vitali per se fiunt, non ab alia producentur causa, quàm ab hac eadem Facultate.

Sed in fauorem Saxoniæ aliquis dicet: Sicuti Facultas retentrix concessa est corporis partibus ad retinendum alimentum ijsdem partibus applicatum, similiter Cordi, & arteriæ facultates quietes efficientes concedendæ sunt. *Obiectio.*

Respondeo, maximam esse disparitatem inter retentricem facultatem alimenti, & quietes pulsuum: quoniam nutritio postulat alimentum diu & tenaciter partibus adhærens, ne fame periret animal. Et hic retentricis facultatis finis est. Finis verò naturæ in pulsu non est nutrire, sed calorem natiuum temperare, aërem attrahendo, & fuligines deturbando: cui officio duplex motus, duplexq; quies præest. Finis ergo facultatis retentricis, & quietum in pulsu, est longè dissimilis: Si enim daretur facultas aliqua, quę cordis, & arteriarum quietem alicuius momenti pareret, animal ad incendium, & mox ad interitum deduceret. Concludendum ergo, ab vnica facultate pulsifica motus primariò fieri, & necessitate sequelæ quietes, quæ propter eosdem fines, ob quos motus, fiunt: vt constat ex Galeno, qui apertè docet, quietem vsui satisfacere, sicuti motum celerem & magnum. Ideò, vbi magnitudo, & celeritas vsui satisfacere nequeunt, quietes multò minores natura efficit; vt nimirum magno pulsu, celeri, & denuò crebro simul coeuntibus, caloris natiui contemperatio solicitetur. *Solutio.* *Quietes ad eundem finem ad quem motus tẽdunt.*

Sed denuò instabit aliquis, quietes præfatas non esse quid positiuum. Nam si tale essent, dicerentur esse motus, aut actiones. Sed neutrum dici potest. Ergo non sunt quid positiuum. Patet, quòd non sint motus, cùm quietes motus intercipiant, & his opponantur. Patet etiam, quòd non sunt actiones; quoniam Philosophus lib. 3. Physic. cap. 3. patenter docet, actionem & motum re non distingui. *Obiectio.*

Quidam ad hanc difficultatem respondent, quietes in pulsu esse

Solutio iuxta quosdam. Quietum ambarum munus.

veras & positiuas actiones: Nam sunt conseruatio quædam effectuum supra propositorum: id est, quies externa est conseruatio quædam contemperationis caloris natiui, ortæ ab introducto aëre vi dilatationis arteriarum: & quies interna est conseruatio continuatioq; expulsionis fuliginum, quæ vtraq; conseruatio pendet à vitali cordis facultate pulsifica. Qui hanc tuentur opinionem, dicunt falsum esse, omnem actionem esse motum; quia, inquiunt, conseruatio est actio, quæ multoties fit sine subiecti mutatione; vt videre licet in aëre illuminato: quippe lumen per continuam actionem luminosi conseruatur, absq; eo, quòd mutatio aliqua in aëre tunc oriatur; cùm aër non aliter se habeat quàm prius in alio tempore illuminationis, neq; aliter, quàm in primo instanti. Ergo non omnis actio est motus. Ergo quietes, quæ conseruationes sunt, siue detentiones Cordis & arteriarum in loco, pendent in esse & conseruari à facultate vitali. Quod quietes sint reales actiones, patet ex Aristotele, qui Naturam posuit principium motûs & quietis. Galenus pariter lib. 1. de motu musc. cap. 8. & lib. de trem. rigore, & palpitatione, docet, quòd quiescere est agere. Exemplo autem auis in aëre stantis, aut se in vno loco detinentis, ostendit, aliud esse agere, aliud verò mouere. Nam auis illa, cùm non mutet locum, non mouetur, agit tamen. Similiter brachium distentum & rigidum, cùm musculos extensos habeat, necessariò agit, sed non mouetur; quia locum non mutat. Sicuti ergo facultas animalis motrix agit conseruando rem in loco, & non proinde mouet, pariter & facultas vitalis.

Quies ex Aristotele, & Galeno est actio.

Alia solutio.

Sanè, etsi libenter admittam quietes in definitione pulsûs, sicuti in definitione naturæ, & in musculis distentis, & in aue quasi suspensa in aëre, non esse priuationes, sed reales & positiuas actiones, nimis violentum mihi videtur, actiones à motu realiter distingui, ita vt actio sine motu esse queat, licèt non sine actione motus, vt aiunt. Mallem ergo positiuam quietem nominare actionem, & motum quendam obscurum, quàm motum, & actionem realiter ab inuicem distinguere, quamuis ratione patenter distinguantur. Ridiculum sanè est, velle à facultate motrice aliquam edi actionem à motu distinctam; cùm ideò motrix dicatur, quòd eius actio sit merus motus. Plus profectò vigoris à facultate adhibetur continuitati extensionis brachij, & detentionis auis in aëre, quàm lo-

cali mutationi vtriusque: Vnde non immeritò tensus motus talis extensio nuncupatur. Sed de hoc dubio hæc sint satis.

Obijcies sextò, nos frustra Doctorum lites hucusque inuestigasse, falsò supponentes, dilatationem & compressionem Cordis & arteriarum, esse peculiares actiones Cordis, & arteriarum; quia à plurimis Antiquis statutum est, dilatationem solam à pulsatili fieri facultate, contractionem verò, siue compresſionem, non à facultate procedere, sed esse meram motûs cessationem, à sola grauitate partium arteriæ & cordis in se concidentium pendentem: non aliter ac in respiratione fieri cernitur; cuius vna pars inspiratio à facultate quidem musculos mouente fit, mediante thoracis dilatatione: Thoracis tamen compressio, qua expiratio completur, non à facultate, sed ab eiusdem thoracis grauitate procedit: fit enim illa compressio, relaxatis, & quiescentibus musculis, quibus antea dilatatio fiebat. Confirmant aliqui authoritate Galeni, compressionem thoracis non à facultate, sed à grauitate procedere: Nam Galenus libro 2. de motu musculor. cap. 7. docet, nullum musculum septo transuerso appositum esse, sed solùm nobis expirantibus thoracem in suum locum decidere. Decidentia verò non fit à facultate, vt ipse etiam testatur lib. 1. de motu musculor. cap. 7. Ergo similiter arteriarum erit decidentia siue concidentia, à sola grauitate corporis arteriæ nata. Asclepiades apud Galenum lib. 4. de differ. pulſ. cap. 10. ita de contractione sentit; quamuis nullam facultatem dilatandi cor & arterias admiserit, vt testatur Galenus lib. iam cit. cap. 12. Sed cor & arterias distendi à spiritu influente, dum eo implentur.

Obiectio 6.

Asclepiadis opinio.

Alij verò contrariam sententiam mordicùs tuentur: Compressionem nimirum à facultate fieri, dilatationem verò à firmitudine partium arteriæ, quæ spontè ad naturalem statum ita redit. Rem exemplo confirmare nituntur. Virga v.g. vt flectatur, facultas valida ad talem flexum & compressionem necessaria est; rursùs verò se solâ, suaq; firmitudine dilatatur, nullaq; accedente facultate. Ergo cor & arteriæ, quæ sunt dura corpora, spontè similiter, & suoptè ingenio, absque facultatis vllius interuentu, dilatantur. Hæc sententia fuit Herophili, vt testatur Galenus lib. 4. de differ. pulſ. cap. 10. qui Herophilus id ideò dixit, quòd animaduerteret post mortem in cadaueribus arterias esse distentas siue dilatatas.

Aliorum opinio.

Arteriæ post mortē dilatatæ.

Solutio. Verùm nos Galeni sequimur sententiam, qui lib. 4. de different. pulſ. cap. 12. in ſequentia prorumpit. At verò familia Athenæi, vt dixi, omnis, vtrumq; motum in functionibus habet, & diſtentionis, & contractionis. In qua etiam nos ſententia ſumus: neq; tantum de arterijs, & corde, ſed etiam de thorace: quippe quem etiam demonſtrauimus agere diſtendendo ſe, & contrahendo. Diſtinguo autem tum in thorace, tum in arterijs, lationes in medium ſtatum ab extremis, quæ nunc citra actionem, nunc cum illa fiunt. Eandem ſententiam habet Galenus lib. de vſu pulſ. cap. 5. & 7. His ſoluitur, quidquid in binis relatis ſententijs ex Galeno allatum eſt. Nam nunquam ipſe voluit à ſola thoracis grauitate, abſq; facultatis auxilio, compreſſionem thoracis fieri. Et multò minus, arteriæ decidentiam à grauitate arteriæ progredi voluit. Cùm enim pulſus propter magnum vſum à natura ſit conſtitutus, neceſſariò à facultate aliqua fieri debet. Etenim æqualem ſemper tenorem dilatatio & conrractio ſeruarent, ſi fierent eo modo, quo voluêre Herophilus, & Aſclepiades: cuius tamen contrarium experimur: Nam dilatatio augetur vſu aucto, ſimiliter, & compreſſio, vt in progreſſu dicemus.

Ad loca Galeni.

Pulſus à facultate fit.

Solutio. Exemplum illud de virga vi plicata ridiculum eſt adeò, vt reſponſum non mereatur: cùm res inanimatæ permodicam habeant ſimilitudinem cum animatis. Functiones quidem omnes in corporibus viuentibus à facultatibus fiunt.

Si omnia, quæ pulsûs definitionem contingunt, inueſtigare vellem, integrum componere librum neceſſum eſſet. Nam de varijs tantùm variorum Authorum definitionibus Pulsûs egit Galenus lib. 4. de different. pulſ. decem & ſeptem conſtante Capitibus.

CAPVT III.

De Differentijs, ſiue Speciebus Pulsûs.

EXpoſitâ Pulsûs eſſentiâ, modò par eſt, eiuſdem pulsûs ſpecies, ſaltem præcipuas, enumerare, cum Galeno libro de Pulſib. ad Tyrones, & lib. 1. de different. Pulſ. Galenus in tradendo pulſuum genera aliquantiſper varius eſt: Nam lib. de Pulſib. ad Tyrones, à pulſu in quantitate motûs; lib. 1. de differ. pulſ. cap. 3. à pulſu deſumpto à tempore motûs, exorditur. Vtcunq; ſit, Pulſuum

Fontes è quibus prima pulſuum genera eruuntur.

ſuum prima ſaltem genera à quatuor veluti fontibus deſumuntur: à motu dilatationis, & contractionis: à duplici quiete hos binos & contrarios motus ſucceſſiuè dirimente: ab ipſa arteria, quæ mouetur, & mobilis locum ideò tenet: & à facultate arteriam mouente. Hanc doctrinam habet Galenus lib. 1. de different. pulſ. cap. 3. vbi pulſuum genera appellat communitates has, ſiue fontes, è quibus pulſuum omnium primæ differentiæ eruuntur.

Dicamus ergo, primam pulſûs differentiam genuſue (à Galeno enim Genus, Species, & Differentia ſæpè confunduntur) à motus quantitate deſumi. Cùm enim arteria corpus ſit mobile trina conſtans dimenſione, longitudine, latitudine, & profunditate (quam altitudinem quandoq; vocat Galenus), quoties diſtenditur dilataturue, trinam in ſpatio efficit dimenſionem: quæ quidem dimenſio varias procreat pulſuum differentias; ſed primò tres, quarum prima, magnus dicitur: ſecunda, paruus: tertia verò, medius inter paruum & magnum, qui ideò mediocris nuncupatur. Mediocris hic in magnitudine pulsûs, eſt ille, qui naturalis eſt; qui nimirum mediocris eſt longitudinis, latitudinis, & altitudinis ſiue profunditatis. Quando à mediocri ſtatu, motus ſiue pulſus arteriæ recedit, vel excellit in trina dimenſione, & fit præter naturam, & magnus; vel à mediocritate deficit, & paruus, ac conſequenter præter naturam fit. Tres ergo dimenſiones auctæ, longitudo, latitudo, & altitudo ſiue profunditas, magnum pulſum conſtituunt: Et magnus pulſus dicitur abſolutè, qui his tribus conſtat dimenſionibus. Oppoſitus huic, paruus appellatur, qui ſcilicet multum à mediocritate deficit, paruas habens dimenſiones. Quoniam, vt vidimus, dimenſio triplex eſt, Pulſus magnus in tres adhuc ſpecies diuiditur: Poteſt enim dimenſio in longitudine ſola excedere naturalem pulſum, abſq; eo, quòd in latitudine, aut profunditate ſuperueniat exceſſus; & huiuſmodi pulſus, longus dicitur. Si verò ſola augeatur latitudo, tum Pulſus latus nuncupabitur. Si ſola altitudo, pulſus altus. Atq; ita tres erunt ſpecies magni Pulſûs. Similiter ex oppoſito tres ſpecies parui pulſus admittendæ, dictis omninò oppoſitæ. Pulſus enim paruus eſt, qui tres dimenſiones habet exiguas: vnde breuis, anguſtus, & humilis percipitur. Breuis pulſus longo aduerſatur: anguſtus lato: humilis alto ſiue profundo. Hi pariter pulſus ſeorſim inueniri poſſunt. Ex his colligitur, mediocrem

Primum genus pulſuum.

Magnus pulſus quid.

Pulſus paruus quid.

Pulſus mediocris triplex.

crem

crem siue naturalem pulsum, pari modo in tres dirimi species. Prima, est pulsus medius inter pulsum longum, & breuem. Secunda, pulsus mediocris siue medius inter latum & angustum. Tertia, pulsus medius inter altum & humilem. Rursùs ex quauis dimensione tres nascuntur pulsuum differentiæ. Ex longitudine nimirum, longus pulsus; pulsus mediocriter longus, & pulsus breuis. Ex latitudine, Pulsus latus: pulsus in latitudine mediocris; & pulsus angustus. Ex altitudine siue profunditate, pulsus altus; pulsus mediocriter & naturaliter altus: & pulsus humilis. Hæ pulsuum sunt in vna dimensione acceptorum differentiæ. At differentiæ pulsuum ex trina dimensione complicatæ, sunt vigintiseptem numero, quas in sequenti tabella præ oculis habes.

Pulsus in longitudine triplex; in latitudine triplex: in altitudine triplex.

TABELLA.

Graciles pulsus sunt in quibus longitudo reliquis duabus dimensionibus præstat: turgidi pulsus in quibus duæ reliquæ longitudine præstant.

1	Longus	Latus	Altus	Magnus
2	Longus	Latus	Moderatus	
3	Longus	Latus	Humilis	
4	Longus	Moderatus	Altus	Gracilis
5	Longus	Moderatus	Moderatus	Gracilis
6	Longus	Moderatus	Humilis	
7	Longus	Angustus	Altus	Gracilis
8	Longus	Angustus	Moderatus	Gracilis
9	Longus	Angustus	Humilis	
10	Moderatus	Latus	Altus	Turgidus
11	Moderatus	Latus	Moderatus	
12	Moderatus	Latus	Humilis	
13	Moderatus	Moderatus	Altus	
14	Moderatus	Moderatus	Moderatus	Medius
15	Moderatus	Moderatus	Humilis	
16	Moderatus	Angustus	Altus	
17	Moderatus	Angustus	Moderatus	Gracilis
18	Moderatus	Angustus	Humilis	

19 Bre-

19	Breuis	Latus	Altus	Turgidus
20	Breuis	Latus	Moderatus	Turgidus
21	Breuis	Latus	Humilis	
22	Breuis	Moderatus	Altus	Turgidus
23	Breuis	Moderatus	Moderatus	Turgidus
24	Breuis	Moderatus	Humilis	
25	Breuis	Angustus	Altus	
26	Breuis	Angustus	Moderatus	
27	Breuis	Angustus	Humilis	Paruus.

Hæc tabella iuxta Galeni mentem lib. 1. de different. pulsuum cap. 4. posita est: non verò iuxta quorundam opinionem, qui post primas nouem complicationes longitudinis, cum reliquis dimensionibus, alias nouem à latitudine inchoant; & alias adhuc nouem ab altitudine.

Pulsus magnus, est dilatatio in trina dimensione naturalem hominis pulsum excedens, sicuti pulsus paruus dilatatio in trina dimensione, multò inferior exiguiorue naturali ægri pulsu. Si quatuor simul digitis leuiter carpo applicatis arteria occurret, talis pulsus longus dicetur: quia secundùm plures sui partes ad longitudinem percipitur, cùm in statu sano à duobus tribusue digitis secundùm longitudinem perciperetur. Pulsus breuis huic oppositus dignoscitur ex eo, quòd arteria nonnisi vnicum, aut vix duos Medici pulsum tangentis digitos feriat. Pulsus, latus esse dicitur, quando magnam partem pulparum digitorum ferit secundùm sui latitudinem. Angustus lato oppositus, dicitur pulsus, quoties ad latera se vix expandit, & digitorum pulpam non nisi exiliter, & secundùm longitudinem, ferit. Altus siue profundus dicitur pulsus ex Galeno libro 2. de dignoscendis pulsib. quando arteria gibbosè tactui occurit: dum verò arteria tactui plana occurrit, tunc humilis dicitur, & alto oppositus. Pulsus ergo magnus esse deprehenditur ex Galeno lib. 3. de dignosc. puls. cap. 2. quando arteriam ad plures partes siue dimensiones tactu distendi percipimus. Pulsus paruus, quando ad exiguas partes. Pulsus mediocris siue naturalis, mediocritatem tactui in omni dimensione representat. Inter vigin-

Inter vigintiseptem descriptos pulsus, duo nominibus proprijs gaudent, magnus, & paruus. Pulsus longus, latus, altus, breuis, angustus, humilis, quid.

gin-

gintiseptem in tabella descriptas differentias, magnus & paruus proprio gaudent nomine: Nam cæteræ complicatæ nominibus carent proprijs. Et hæc de primo pulsuum genere.

Secundum genus pulsuum.

Secundum genus pulsuum à qualitate motus, seu distensionis, seu, vt alij loquuntur, à tempore quo distensio fit, desumitur. Propriè enim (inquit Galenus lib. de Puls. ad Tyrones cap. 3.) ad motum pertinet celeritas, & tarditas: quarum hæc (id est tarditas) motus est exolutus: illa (id est celeritas) motus incitatus. De his faciendum iudicium ex comparatione naturalis pulsûs. Itaq; (inquit Galen. lib. 1. de differ. puls. cap. 4.) hoc genus efficit tres numero differentias pulsuum: celerem, qui fit, cùm modico tempore mouetur arteria: tardum, cùm multo: moderatum (& naturalem) cùm mediocri. Ex arteriæ magno impetu, pulsûs celeritatem dignoscimus: ex remissiori arteriæ impetu, tarditatem; teste Gal. lib. 4. de dign. pulsib. cap. 1. Idem Galenus lib. 2. de dignosc. puls. cap. 1. & Aristoteles lib. 6. Physicor. celerem, & tardum motum colligunt ex proportione temporis cum spatio, per quod motus fit. Vnde celer motus breui tempore certum spatium percurrit: tardus, longiori tempore idem spatium perficit. Clarius tamen à tactu percipitur impetus, impetusq; remissio, quàm hæc proportio, dummodò leuiter manus carpo applicetur.

Tertium genus pulsuum.

Tertium genus pulsuum à qualitate ictûs, siue occursus arteriæ, desumitur. In qualitate occursûs (inquit Galen. lib. de Puls. ad Tyron. cap. 3.) vehementia consistit, & remissio: vehementia quidem, cùm violenter tactus (siue pars tangens pulsum) impellitur: cùm debiliter (digitorum tangentium pulpæ impellantur) remissio. Galenus lib. 1. de differ. puls. cap. 5. de hoc genere loquens, ait: Iam nunc ad tertium pulsuum genus, quod in contentione consistit, descendamus, & huius etiam differentias exponamus. Sunt autem tres, vnus validus contentione, qui vehemens vocatur; alter imbecillus, quem languidum appellant: medio inter eos proprium non est nomen, sed hunc quoque explicamus definitione.

Vehemens pulsus dignoscitur ex eo, quòd vi validæ facultatis arteria à digitis compressa magnum faciat impetum contra pulpas eorundem digitorum; quas quidem repellendo aliquantulùm, eadem arteria excauat. Languidus, siue remissus, siue imbellis, siue debilis dicitur pulsus, quando imbecilliter manui tangenti occur-

rit.

rit. Nam dum arteria comprimitur à Medici manu, non ampliùs eius motus percipitur.

Quartum genus pulsuum à qualitate corporis arteriæ desumitur. Galenus libro de Pulsib. ad Tyrones cap. 3. ait: Mollitudo autem, & durities, sunt tunicæ arteriæ qualitates: mollitudo, cùm arteria quasi carnosior in occursu (digitis tangentis manûs) apparet: durities, vbi veluti siccior rigidiorq; in modum corij. Cùm dura sit arteria chordæ instar, vt ex Galeni vltimis verbis constat, debet pulpas digitorum in sua dilatatione excauare, sed non tanto cum impetu roboreque, ac in vehementi pulsu. Mollis verò pulsus palpando, & suspensa manu dignoscitur. Galenus lib. 1. de different. puls. cap. 5. ait. Quartum genus, quod in arteriæ consistit corpore, diuiditur etiam in tres differentias, vocaturq; à Medicis plerisque, maximè ab Iunioribus, plenum, & vacuum, & quod inter vtrumq; medium est, ne hic quidem sortitum est nomen. A nobis non ita, sed alter durus, alter mollis appellatur: annunciatq; vterq; arteriæ statum. Et paulò post, ait:

Quartum genus pulsuum.

Plenus, & vacuus pulsus sunt durus, & mollis.

Aliud genus erat pulsuum, arteriæ infusionem, vt aiunt, declarans. Tres & huius generis differentiæ pulsuum finguntur, quorum vnus plenus, alter vacuus appellatur; nam medius vtriusque nomine peculiari gaudet. Plenus ergo pulsus est, vt definit Archigenes, qui arteriam ostendit pleniorem, & occursum (manui) humidè tumidum. Vacuus, qui arteriæ eleuationem facit bullosam, vt digitorum impressioni egressus per vacua occurrat. Hæc quinq; Pulsuum genera in vno motu consistunt arteriæ, & singulæ eorum æqualitates, atq; inæqualitates: quarum exponemus differentias, cùm de altera agemus inæqualitate, quæ in pluribus pulsibus posita est.

Quintum genus pulsuum.

Sextum genus pulsuum, à tempore duplicis quietis siue interualli intercedentis duos motus, qui in pulsu sunt, suam suscipit constitutionem. Sicuti enim celer pulsus à breui tempore, quo motus fit, ita pariter à tempore breui, & parum durante quietis desumitur differentia pulsûs, quæ creber siue frequens dicitur; quia scilicet pulsatio frequenter siue crebrò fit, & quies est permodica: huic opponitur pulsus rarus, qui à longo quietis tempore nascitur: dum enim quies longa est, rarus necessariò erit pulsus, sicuti frequens, quando quies parua est. Datur inter frequentem siue cre-

Sextum genus pulsuum.

brum pulsum, & rarum, mediocritas temporis quietis, quæ naturali pulsui congruit. Has tres differentias, temporis quantitate dignoscimus, vt loquitur Galenus lib. de Pulsib. ad Tyrones cap. 4. Nam creber est, inquit, cùm quietis sit breue tempus: rarus, cùm longum. Quietem dicas, an ictuum interuallum, an contractionem, nihil intererit. Creber enim, & rarus pulsus tales dicuntur respectu mediocris & naturalis pulsûs, qui in suis quietibus nec rarus est, nec creber. Oportet enim sedulò crebrum pulsum à celeri, & rarum à tardo distinguere; cùm celer & tardus à tempore motûs dilatationis desumantur, & semper celeritas facultatis vitalis robur arguat, frequens verò, & rarus pulsus à quiete eruantur, & naturæ imbecillitatem quàm robur, frequens magis arguat. Potest præterea motus esse celer, & quies longa; & vicissim quies breuis, & motus tardus.

Celeritas, & frequentia differunt, sicuti tarditas, & raritas.

Sicuti pulsus superiùs relati, à quantitate distensionis, à qualitate distensionis, & modo feriendi tactum per distensionem desumpti sunt, sic pariter tres relatæ differentiæ ex quiete emergentes, externæ quieti suam debent constitutionem: nam hæc sola est, quæ à tactu percipitur; interna verò non tactu, sed ratione, sicuti & ipsa arteriæ contractio secundùm vltimam sui partem. Nam solum eiusdem contractionis principium à tactu comprehēditur atq; percipitur, veluti dilatationis vltima pars, non prima, affirmante Galeno lib. 1. de dignosc. puls. cap. 8. & 10. Cæterùm, sicuti pro contractione tot pulsûs genera, atq; differentiæ constitui possunt, quot hactenus Galenus ex dilatatione, & arteriæ qualitatibus collegit, sic similiter pro quiete interna, etsi occultâ, statui possunt tot differentiæ, quot pro externa: frequens videlicet, rarus, & mediocris. Nec spernendæ sunt hæ differentiæ ab interna quiete desumptæ. Nam licèt eam tactu non percipiamus (Galenus lib. 1. de dignoscend. Puls. cap. 10. & vltimo, docet, externam quietem leui applicatione manûs percipi à tactu, internam fortassis in vehementi pulsu, premendo arteriam, percipi posse: in calce tamen capitis inquit; neq; exactè vnquam dignoscetur.), ex breuitate tamen temporis contractionis, & internæ quietis eam consequentis, aut solius quietis, clarè percipimus refrigerationis vsum maximè vrgere; quia natura ad dilatationem perficiendam, cuius ope refrigeratur, ventilaturq; calor natiuus, quasi contractione neglecta, festinat.

Tot differentiæ pulsuum ex contractione nascuntur, quot ex dilatatione cum Galeno hactenus colleginus.

Nunquam à nobis exactè percipitur quies interna, etiā in vehemēti pulsu,

Vn-

Vnde Galenus lib. 1.de differ. febr. ait, arterias parùm in centro quiescere in febribus diarijs;in quibus nimirum refrigerandi necessitas magis vrget, quàm expellendi fuligines: sicuti ex aduerso in putridis febribus, in quibus fuliginum retentio maximum naturæ affert damnum, externa quies breuis est, vnde pulsus frequens: interna verò quies longiori tempore durat; vnde pulsus rarus.

Galenus citato cap.4. lib.de Puls.ad Tyron.dixit, nihil interesse, an quies dicatur interuallum ictuum, an verò contractio: quia ibi discutere noluit quorundam antiquorum opinionem, qui in hac fuêre sententia, vt crederent, contractionem esse quietem, & solam dilatationem esse motum; vt ipse Galenus testatur lib. 1. de differ. puls. cap.6. qui huic opinioni aduersatur, contractionem æquè, ac dilatationem in pulsu admittens.

Hactenùs de quinq; primis & simplicibus pulsuum generibus, siue speciebus, siue differentijs. Pulsum enim vacuum, & plenum è numero earundem specierum excludunt ferè omnes, quòd eum sub duro & molli comprehendat Galenus, vt superiùs vidimus, & repetit idem lib.4.de dignosc.puls.cap.3. Ergo, inquit, quem plenum tu,ego durum voco: Lib.3.de diff.puls.c.6.plenum,magnum vocat. Et sanè in rigore, ipse durus, & mollis, & inter hos geminos, mediocris, pulsus vix dici meretur: quoniam corpus arteriæ, aut alterius rei, vt sit molle, aut durum, motu non eget: secùs res se habet in distensionis quantitate, quæ motu non caret. Vnde legitima erit differentia pulsûs magni, & parui, ac mediocris, à quantitate distensionis petiti: sicuti differentia vehementis, & remissi, à qualitate ictûs: & differentia celeris, & tardi, à qualitate motûs: vt loquitur Galenus lib. de Puls. ad Tyron. cap. 3. vbi de duro, & molli, ac mediocri, sequentia pronunciat: Atq; hæc quidem etiam differentia pulsuum vna statim cum arteriȩ motu percipitur: non tamen eius est, vt tres antedictæ, propria. Illarum enim differentia celeritatis, & tarditatis posita in qualitate erat motus: vehementiæ, & remissionis (differentia) in ictûs qualitate: magnitudinis, paruitatisque, in quantitate distensionis. Atqui non caret motu distensio: molle verò corpus, atq; durum, vt sit tale, non requirit motum. Quatuor ergo has Pulsuum differentias inueneris in ictu. Hæc Galenus, qui tametsi durum, & molle ad pulsum siue motum non pertinere autumat, differentiam tamen pulsûs cum

Pulsus plenus Galeno durus dicitur, nec ineptè sub magno cõtinetur.

Differentia pulsus a quantitate distẽsionis, à facultate,& à motu desumpta, sunt legitimæ.

Pulsus calidus.

alijs, à duro, & molli desumi, & statui vult: imò lib. de arte curat. ad Glaucon. cap. 5. pulsus calidi meminit; sicuti lib. 1. de differ. puls. cap. 23. etsi libro 4. de dignos. puls. cap. 2. à pulsuum censu longè reiecerit pulsus calidos, frigidos, humidos & siccos; quos tamen Auicenna cum quibusdam antiquis admisit. At verò, vt paulò ante retuli, libro de Puls. ad Tyrones, quatuor iam relatas differentias, & quintam à quietibus (in ordine tamen ad motum siue pulsum) desumptam absolutè prima constituit pulsuum genera; quæ simplicia esse diximus, non quòd pulsus res simplex sit, cùm cōposita videatur ex cōtrarijs motibus, sed quia prædictę differentiæ suis correspondent simplicibus causis, & compositorum pulsuum, de quibus mox, elementa dici merentur.

Cur prima pulsuum genera simplicia dicuntur.

Ictus bifariam accipitur.

Ictûs mentionem cum Galeno in superioribus feci; quæ dictio in duplici accipitur sensu. Primò, pro ipsa arteriæ motæ occurrente distensione qua tactus feritur: quo in sensu loquutus est Galenus cit. cap. 3. libri de Pulsibus ad Tyrones. Secundò accipitur ictus pro primo arteriæ occursu: quo in sensu loquutus est Galenus lib. 1. de dignosc. puls. cap. 2. vbi Empirici introducuntur, qui asserebant ictum se tantùm sentire, distensionem autem ignorare arteriæ. Sed de his satis.

Compositæ Differentiæ Pulsûs.

Duo hæc pulsuum genera dicuntur pulsus æqualis & inæqualis, ordinatus, & inordinatus.

GAlenus duo alia pulsuum genera proponit lib. 1. de differ. puls. cap. 9. Porrò, inquit, ad genera iam reliqua duo transeamus: alterum, in quo æqualitatem spectamus, & inæqualitatem: alterum, in quo ordinem, & ordinis perturbationem. Atq; æqualitas, & inæqualitas, tum in vno pulsu fiunt, tum in pluribus: Ordo, & perturbatio ordinis in pluribus duntaxat. Sed enim quòd difficilis est in vno pulsu, neq; facilè animaduertitur inæqualitas, primo loco de ea dicamus, quæ ex multis pulsibus constat: simulq; de ordine, & ordinis perturbatione explicemus, quando finitimum est hoc genus, & affine: mox ad inæqualitatem nos in vno pulsu referamus, demusq; operam, vt omnes eius differentias recenseamus. Ergo quæ pluribus in pulsibus æqualitas, atq; inæqualitas animaduertuntur, quas collectiuas vocitant, in comparatione (in contentione, habet alia versio) omnium differentiarum æstimantur pri-

mi pulſus cum reliquorum differentijs. Nam, pares ſi omninò maneant, æqualis abſolutè is pulſus vocatur: ſin omninò impares, inæqualis abſolutè. Quæ ſi in vna ſint, vel pluribus pares, & in vna, vel pluribus impares; quatenus pares ſunt hactenùs pulſus æqualis appellabitur: quatenus impares, hactenùs inæqualis, &c.

Galenus his apertè promulgat duas pulſuum differentias ex comparatione, aut relatione prædictarum ſimplicium differentiarum ortas. Æqualitas enim, quæ eſt plurium conſenſus, & conuenientia, relatio quædam eſt, ſicuti & ordo, quia reſpectu alicuius ordo dicitur. Duo hæc genera dicuntur Galeno æqualitas, & inæqualitas, ordo, & ordinis perturbatio; quibus, tanquam tertiam differentiam, addere poſſumus Rhythmum cum Galeno lib. 1. de differ. pulſ. cap. 3. 8. & 30. Æqualitatem verò, & inæqualitatem in vnica pulſatione, & pluribus pulſationibus reperiri docet: ordinem verò, ordiniſque perturbationem in pluribus ſolummodò pulſationibus.

Aequalitas, & inæqualitas reperiuntur in vnica pulſatione, aut in pluribus.

Æqualitas, atq; inæqualitas, quæ in pluribus pulſationibus animaduertuntur, quæq; Græcis Syſtematicæ, Latinis Collectiuæ dicuntur, ex comparatione primæ pulſationis cum reliquis ſubſequentibus pulſationibus naſcuntur; & quidem in quauis differentia, ſiue genere pulſuum, aut in omnibus ſimul. Vnde duplex emergit æqualitas, & inæqualitas Syſtematica, ſiue collectiua. Nam quædam eſt æqualitas ſimpliciter & abſolutè dicta; altera verò ſecundùm quid. Pulſus æqualis æqualitate collectiua ſimpliciter, eſt æqualitas paritaſue obſeruata inter omnes pulſationes; & omnes differentias pulſuum ſimul. Vt ſi prima, ſecunda, tertia, quarta, & omnes ſubſequentes pulſationes ſint conformes, pares, & æquales inter ſe, non ſolùm in magnitudine, ſed præterea celeritate, vehementia, duritie, frequentia, plenitudine, & calore, tunc aderit pulſus ſimpliciter & abſolutè æqualis. Galenus citato cap. 9. lib. 1. de differ. Pulſ. de hac re ſic pronunciat: Sint omnes vnius pulſus differentiæ, inſequentium differentijs omni in genere pares, abſolutè æqualis hic appellabitur. Pulſus æqualis ſecundùm quid, eſt paritas pulſationum in vno genere pulsûs, aut in pluribus: vt ſi in ſola magnitudine omnes pulſationes ſint æquales, etiamſi in alijs differentijs ſint inæquales, dicetur pulſus æqualis in magnitudine tantùm, adeòq; ſecundùm quid. Si non in magnitudine ſolùm,

Aequalitas, & inæqualitas collectiua duplex.

Pulſus æqualis ſimpliciter.

Pulſus æqualis ſecundum quid.

lùm, sed præterea in celeritate, & vehementia omnes pulsatione fuerint æquales, in frequentia verò, aut raritate, aut duritie, aut mollitie inæquales, talis pulsus æqualis adhuc dicitur secundùm quid; quia secundùm omnes pulsuum differentias non est æqualis.

Inæqualis pulsus simpliciter. Inæqualis pulsus simpliciter, æquali simpliciter est oppositus, & dicitur imparitas pulsationum in magnitudine, celeritate, cæterisq; omnibus pulsuum differentijs. *Pulsus inæqualis secundùm quid.* Inæqualis pulsus secundùm quid, est imparitas aut inæqualitas pulsationum in vno, aut pluribus generibus pulsuum: vt si prima pulsatio fuerit magna, secunda parua, tertia mediocris, quarta magna, aut parua, & ita de reliquis, eiusmodi pulsus inæqualis secundùm quid dicetur. Potest in pluribus differentijs simul concurrere eadem inæqualitas secundùm quid, æqualitati secundùm quid, opposita. Potest ergo pulsus in pluribus pulsationibus vnius, aut plurium differentiarum esse æqualis, & in alijs differentijs simul inæqualis, vt in contextu docuit Galenus.

Pulsus inæqualis inæqualitate collectiua duplex. Inæqualis pulsus inæqualitate collectiua, duplex adhuc est; vnus dicitur pulsus æqualiter inæqualis: alter inæqualiter inæqualis. Neque admirationis habet quicquam, quòd æqualem quandam vocamus inæqualitatem, inquit Galenus lib. 1. de differ. pulſ. cap. 10. cùm id vsu veniat non pulsibus modò, sed & alijs propè omnibus, quæ pristinam naturam immutantia, siue magnitudine, siue qualitate æqualia capiunt incrementa, vel inæqualia. Nam quatenùs æqualitatem commutant, vocentur inæqualia: sed quatenùs æquam semper mutationem assequuntur, æqualiter dicantur mutari: sed verò, quæ nec pristino constant statu, nec accipiunt parem mutationem, hæc semel inæqualia vocantur. Ergo idipsum pulsibus accidit, seu paulatim perdatur, & æqualiter ipsorum æqualitas, seu affatim & aceruatim. Ac in vno id genere (pulsus) exempli gratia planum fiat. Sit primo pulsu (magno) secundus paulò minor, & tertius tantò secundò: & verò etiam quartus tertio pari modo, idque ad plures vsq; deinceps perueniat: *Pulsus myurus.* hos pulsus Græci μυουρίζοντας vocant, & μυούρους, hoc est mutilos, & quasi decurtatos, à figuris nomen, quæ in acutum terminant, mutuantes.

Pulsus æqualiter inæqualis. Vult hîc Galenus, pulsum fieri inæqualem, quia statum mutat naturalem, & in varijs pulsationibus æqualitatem non seruat. Quoties tamen hæc inæqualitas in pluribus pulsationibus deprehensa,

regu-

regularis eſt, & proportionem quandam ſeruat, dicitur æger pulſum habere æqualiter inæqualem. Si verò nulla, aut ſaltem permodica proportio inter pulſationes varias obſeruatur, iſtiuſmodi pulſus inæqualiter inæqualis nuncupatur. Pulsûs æqualiter inæqualis naturam exemplo demonſtrat: Dum Medicus ægri carpo manum adhibet, primam quandoque pulſationem magnam inuenit: ſecundam minorem primâ: tertiam ſecundâ minorem, & inſuper obſeruantem parem ab eâdem ſecunda defectum ſiue diminutionem, cum ea quam ſecunda à prima pulſatione obtinuit: quarta eandem diminutionis paritatem cum tertia ſeruat, quam tertia cum ſecunda; & ita deinceps ſubſequentes pulſationes, hâc obſeruata proportione minuuntur. Vnde Latinis mutili, & decurtati dicuntur, Græcis myuri, quaſi ſoricis caudam in acutum ſiue acumen, ſiue minorem exilitatem procedentem, & terminantem imitantes. Sorex enim caudam habet, quæ tenuior exiliórq; magis magiſq; ad finem vſq; euadit, æqualiterq; craſſitiem amittit, & tenuitatem exilitatemq; paulatim acquirit. Pulſus hic æqualiter inæqualis, dum ita ſemper minuitur; vel adeò minuitur, vt omninò deſinat eſſe, & non ampliùs ſentiatur; vel minuitur quidem, ſed rursùs augetur; vel in eadem perſtat paruitate. Ille qui minuitur adeò, vt non ampliùs percipiatur, pulſus deficiens decurtatus appellatur. Pulſus verò, qui minuitur valdè, rursùs tamen augetur, reciprocus decurtatus nominatur. Dum verò pulſationes paulatim minuuntur, & in acquiſita paruitate demùm minores, ſed æqualiter perſiſtunt; pulſus adeſſe dicitur decurtatus quidem, ſed peculiari nomine carens. Quidam pulſus reciproci decurtati ad parem priſtinæ reuertunt magnitudinem, aliqui ad minorem: ac nonnulli, quibus ante exceſſibus imminuti, his augentur rursùs; alij minoribus, vel maioribus acceſſionibus vtuntur. Tot inæqualitatum ſunt æquales differentiæ, inquit Galenus citato cap. 10. lib. 1. de different. Pulſuum.

Mutili, decurtati, ſiue myuri.

Deficiens decurtatus.

Reciprocus decurtatus.

Pulſus decurtatus peculiaris.

Sequenti cap. 11. eiuſdem libri, Pulsûs inæqualiter inæqualis ſpecies proponit hac ſerie: Inæqualium inæqualitatum quædam nullam prorsùs æqualitatem retinent; aliquæ retinēt ad tres vſque, vel quatuor, vel quinq; pulſus, ſed poſtea amittunt. In quorum vtriſq; ineſt ordo, vel perturbatio ordinis: ordo, ſi circuitus ſeruent aliquos pares: perturbatio ordinis, ſi & hos quoq; violent.

Ordo, & ordinis perturbatio.

Cæ-

Cæterùm Galenus post hęc docet, pulſum inæqualiter inæqualem eaſdem habere differentias, quas æqualiter inæqualis, de quibus iamiam egimus. Et pulsûs inæqualiter inæqualis quaſdam eſſe ſpecies innominatas refert, quaſdam verò nomine gaudentes: Qui nomine gaudēt proprio pulſus, ſunt duo, intercurrens, & intermittens. Meminit tamen in eodem capite pulsûs deficientis inæqualis, qui ſimilis in vniuerſum eſt pulſui decurtato deficienti, ſiue finienti, ſiue terminanti in abolitionem motûs, aut in ſummam paruitatem, de quo pulſu paulò ante egimus. Meminit inſuper Galenus alterius pulsûs, qui reciprocus deficiens dicitur. Pulſus intercurrens naſcitur ex ſua inæqualitate crebritatis, vt loquitur Galenus. Quoties verò inter duos naturales pulſus vnus præter naturam intercedit, pulſus adeſt inæqualis intercurrens in crebritatē ſiue frequentia: nam permodicè tunc arteria quieſcit. Intermittens pulſus ex inæqualitate conſtat raritatis, & paruitatis, vt loquitur Galenus: in raritatis inæqualitate, quòd quies ſit longiſſimè producta: in paruitatis, quòd diſtenſio minimùm ſit dilatata. Vel potiùs ex pulſuum paruitatibus deficientes conſtant: intermittentes ex raritatibus. Iam pulſibus intermittentibus affines ſunt, qui reciproci deficientes vocantur, vbi duorum ſpatium, vel trium, vel plurium etiam pulſuum motu omninò arteria non cieri viſa, iterum agitari incipiat. Atque hæ ſunt collectiuæ inæqualitatis ſpecies, inquit Galenus in calce Capitis. Syſtematica inæqualitas à Galeno talis dicitur, quia plurium pulſuum differentias habet, non ſecùs ac Muſicorum Syſtema, quod vocum varietatem continet, acutarum, grauium, mediarum, &c.

Intercurrens, & intermittēs.

Deficiens, ſiue finitiuus.

Reciprocus deficiens.

Syſtema, vnde dictum.

Modò repetendum pauliſper, quod ſuperiùs cum Galeno cap. 11. libri 1. de different. pulſ. de pulſu ordinato, & inordinato à nobis dictum eſt: docuit enim ille ibidem, pulſum ordinatum, & inordinatum, eſſe pulsûs inæqualis inæqualitate collectiua affectiones, ſeu conſtituere quaſdam differentias in pulſu Syſtematico inæqualiter inæquali. Sed animaduertendum eſt, pulſum inæqualiter inæqualem reſultare ex pluribus pulſationibus inæqualiter inæqualibus; ordinem verò, & ordinis perturbationem, non ex inæqualitate pulſationum, ſed ex inæqualitate, aut æqualitate circuituum. Exempli gratia, ſint primus pulſus, & ſecundus, & tertius, magnitudine pares, quartus verò pulſus ſit impar. Eiuſmodi

Pulſus inæqualis à pulſu inordinato differt.

di pulſum magnitudine inæqualem eſſe liquet; nam quarta pulſatio diſpar eſt tribus primis pulſationibus paribus, & inter ſe æqualibus. An tamen talis pulſus inordinatus ſit, aut ordinatus, nondum clarum eſt; ſed alij quatuor pulſus ſunt expectandi: vbi, ſi tres illi primi horum quatuor ſint inter ſe, & illis prioris circuitûs tribus primis pulſibus pares, ac mox quarto prioris circuitûs quartus ſecundi etiam par, eiuſmodi pulſus dicitur magnitudine ordinatus; ſed cum certitudine talis eſſe dignoſcetur, ſi omnes ſubſequentes circuitus duobus primis in paritate correſpondent. Quòd ſi non omnes pulſus ſecundi circuitûs, primi circuitûs pulſibus ſint pares, iſte pulſus iam dicitur inordinatus in magnitudine. Eadem eſt ratio ordinis, & perturbationis ordinis, in celeritate, crebritate, cæteriſq; differentijs pulsûs, vt docet Galenus lib. 1. de differ. pulſ. c. 9. Quod autem de tribus paribus pulſationibus, & quarta impari dixit Galenus, vt ex his quatuor vnus conſtituatur circuitus, exempli gratia loquutus eſt. Nam circuitus ordinati, aut inordinati, in quouis numero contingere poſſunt, vt docet Galenus lib. de Pulſib. ad Tyron. cap. 6. Etenim quatuor pulſus poſſunt eſſe pares, & quintus pulſus impar, ex quibus vnus circuitus naſcitur, & ſubſequẽtes correſpondere huic primo poſſunt, vel non. Similiter, quinq; pulſationes pares eſſe poſſunt, & ſextus impar: imò ſex pares, & ſeptimus impar: octo etiam pares, & nonus impar, & ita de reliquis.

Inter ordinatum, & inordinatũ pulſum, datur medius pulſus.

Citato cap. 9. de differ. pulſ. tertiam quandam differentiam, inter ordinatum, & inordinatum pulſum conſtituit Galenus; etſi renuerà lib. 1. de Pulſib. ad Tyrones cap. 9. expreſsè docuerit, inter æqualẽ, & inæqualem, ſicuti nec inter ordinatum, & inordinatum, dari medium, in primis verò generibus dari. Sed ipſius doctrinam de illo pulſu medio hîc ſubijcere placet: Eſt, inquit, cùm tres, vel quatuor inter ſe circuitus ſint impares, & inferiores (id eſt ſubſequẽtes) obtineãt proportione pares. Quare, ſi fiat, vt quartus (circuitus) primo, & quintus ſecundo, & ſextus tertio, vndequaq; adæquetur, ſolemus hunc pulſum ordinatum per circuitus appellare: qui quidẽ inter eos medius, qui abſolutè ordinati vocãtur, & inordinati intercedit: nã vterq; hic cõtrarij expers eſt, ordinatus perturbationis ordinis, inordinatus ordinis. At per circuitus, qui ordinatus eſt, aliquam ordinis partẽ, aliquã etiam perturbationis ordinis habet: ordinis, quatenùs in omnibus eſt circuitibus ordo; perturbationis ordinis,

Pulsus inæquales, & inordinati longa detentione manus supra arteriã dignoscuntur.

dinis, quatenùs hæc in singulis illis inest. Hactenus Gal. de ordinato pulsu per circuitus, ad cuius cognitionẽ necessariò Medicus lõgo tẽpore arteriam contrectare debet: Pulsus enim æquales, & inæquales, in pluribus pulsationibus, & pulsus ordinati, ac inordinati, non, nisi post plures pulsationes, & pulsationum circuitus, dignoscũtur.

De æqualitate, & inæqualitate collectiua abundè dictum est; quare ad æqualitatem, & inæqualitatem in vno pulsu accedendum. Æqualitas in vno reperitur pulsu, similiter & inæqualitas. Et æqualitatis, ac inæqualitatis differentiæ in vno pulsu, reperiuntur in vno genere pulsuum, aut in pluribus generibus, aut in omnibus simul. Galenus libro de puls. ad Tyron. cap. 7. omissâ æqualitate, de inæqualitate sola loquitur, quæ quòd vni accidat pulsationi, singularis, & simplex appellatur. Namque in vnica pulsatione variæ reperiuntur differentiæ, quæ tamen à duplici capite desumuntur; vel ab vnica arteriæ parte, vel à diuersis partibus. Inæqualitas, quæ diuersis arteriæ partibus contingit, duplex est, vna quæ à diuerso arteriæ situ, seu à mutua dissensione partium arteriæ, vt loquitur Galenus citato iam loco, emergit: altera à varietate pulsuum in diuersis arteriæ partibus nata. Inæqualitas orta ex contentione, fit sex modis, cùm sex motûs localis sint species. Arteriæ enim pars vnà sursùm moueri potest, altera deorsùm: item vna antrorsùm, altera retrorsùm: similiter vna dextrorsùm, altera sinistrorsùm. Hæ sex, vel, si mauis, tres differentiæ inæqualitatis, in ijs, qui Conuulsione laborant, notantur, & pulsus tunc conuulsiuus adesse dicitur: nec mirum, cùm nerui arterijs vicini tunc conuellantur, retrahanturque ad suam originem, veluti & ipsi musculi. Vibratus pulsus conuulsiuo similis est. Supersunt (inquit Galenus lib. 1. de differ. puls. cap. 26.) autem vibrati, & conuulsiui, qui hactenus quidem sunt inter se similes, quòd vnum locum arteria non teneat, sed sursum agitetur, atq; deorsum, naturali sede desertâ. Distant tamen, vel hoc ipso, quòd non adeò is affectus in conuulsiuos cadat, in vibratos magnoperè; & admodùm perspicuè: iam etiam quatenus ex terminis vtrisq; retrahi, contendique, & conuelli videntur conuulsiui, vibrati omni isto vacant. Ad hæc, magna est frequenter vibratis distensio, parua semper conuulsiuis. Et partes arteriæ quædam superiora petere, quædam demitti vno eodemque tempore apertè in vibratis conspiciuntur: conuulsiuis verò id perpaucis,

Inæqualitas singularis, & simplex vnicæ pulsationi competit.

Inæqualitas simplex est duplex.

Pulsus cõuulsiuus.

Pulsus vibratus.

&ob-

& obscurè accidit. Breuiter, sentias veluti fidem (chordam scilicet) quandam intensam in pulsu conuulsiuo, quæ illi res cum nullo alio conuenit: in vibratis nihil tale animaduertas. Maximè enim iaculis motum eorum, quæ magna vi emissa, celeri impetu vibrantur, assimiles: nam ita crebram illam, & inæqualem concussionem appellant: qua quidem conuulsiui carent.

Aliud inæqualitatis genus.

Aliter in diuersis arteriæ partibus pulsus fit inæqualis, quoniam arteriæ pars vna celeriter, altera tardius moueri possunt: similiter vna maximè, & euidenter, altera pars obscuriùs, & minùs: vna pars vehementer mouetur, altera languidè: vna pars à tactu dura percipitur, altera mollis: vna plena, altera vacua: magna quies in vna parte, frequentia in altera. Hæ differentiæ pro varietate pulsuum, ad tam multiplicem numerum extendi possunt, vt humanum ingenium omnes comprehendere nequeat.

Differentiæ desumptæ ab vna arteriæ parte.

Differentias rursùs desumptas ab vnica arteriæ parte mota exponit Galenus citato cap. 7. libri de Pulsib. ad Tyron. & lib. 1. de differ. puls. cap. 13. & sequentibus. In vna igitur arteriæ parte, quæ scilicet ab vno Medici digito tangitur, potest contingere, vt motus sit in principio celer, deinde in reliquo progressu tardior; & viceuersa, potest distensio primò esse tarda, & deinceps celeris. Poterit ergo motus vnius partis arteriæ esse inæqualis. Huius eiusdem inæqualis motûs tres proponuntur differentiæ. Prima differentia *Pulsus intermittẽs, siue interruptus.* est, quando motus non est continuus, sed ab intercedente quiete intersecatur: Vnde pulsus intermittens, intercisus, & interruptus dici consueuit; quia, cùm medio itinere interpelletur, suum motum vnica vice absoluere nequit. Huius naturæ est pulsus caprizans, *Pulsus caprizans.* referente Galeno citato cap. 7. lib. de Pulsibus ad Tyrones. Pulsus hic à Capra se erigente, & rursùs quiescente, ac deinceps se mouente, dum deorsum anteriores pedes, & partes in terram flectit, proijcitque, denominationem accipit. Secunda differentia, est pulsus continuus dispar, seu pulsus impar citatus: qui ideò dicitur, quia *Pulsus continuus dispar.* non pariter citatur aut mouetur. Est enim hic pulsus continuus, & nulla quiete interceptus, sed inæqualis tamen; quia prima pars celeriùs mouetur, aut vehementiùs, altera pars tardiùs, aut languidiùs, & viceuersa, prima pars quandoque tardiùs aut languidiùs, secunda pars celeriùs dimouetur. Quod de celeritate, & vehementia dictum est, idem de reliquis differentijs pulsuum dicendum.

Vnde variæ huius pulsûs differentiæ à Galeno constituuntur. Tertia differentia, est Pulsus recurrens, siue repetens dictus: in quo scilicet, veluti plures percipiuntur motus absque sensibili quiete eosdem dirimente. Dum enim arteria distenditur, quasi illicò recedit, & iterum sine sensibili mora tactui occurrit. Vnde arteria currere, & recurrere, iterumque agitari videtur: ideoque pulsus bis pulsans dicitur. Huius naturæ est Pulsus Dicrotus, siue bis feriens, de quo Galenus lib. 1. de differ. pulf. cap. 16. inquit. Dicrotorum genus non item: Sed simul atque omnem distensionem effecit, se paulisper subducit ac mox pulsat iterum: vt intermittentium quies media ictus intercipiat: dicroti, contractio, vel congressus, vel reditus, vel vt libet appellare. Vult autem Galenus non solùm hîc, sed libro 2. de Præsagit. ex pulsib. cap. 8. Pulsum bis ferientem adesse, quoties arteria in sua distensione, antequam hanc eandem perficiat, intùs retrocedit, & iterum ad inchoatum motum perficiendum resurgit. Vnde dicrotum pulsum duobus constare pulsibus putabant ex Antiquis nonnulli, quos tamen facilè Galenus repudiat cap. iam citato. Præter Dicrotum, alias pulsûs recurrentis siue repetentis species dari affirmat Galenus contra Archigenem cit. iam capite: & fortassis pulsus vibratus non malè sub hac inæqualitate continebitur. Aliqui existimant Pulsum dicrotum fieri instar mallei resilientis supra incudem, postquàm quis incudem malleo percussit. Galenus tamen lib. 2. de dignoscend. Pulsib. cap. 8. semetipsum reprehendit, quòd dicrotum ita fieri aliàs crediderit. Pars enim cutis, quæ arteriam à contractione redeuntem recipit, eandem arteriam minimè repellit eo modo, quo incus malleum. Exemplo tamen mallei incudem percutientis quodammodo pulsus dicrotus benè exponitur, sicuti exemplo rami arboris, quem aliquis ad se violenter attrahit: eo rursus dimisso, in suum recurrit locum, sed in eo minimè quiescens iterum extra locum, etsi non adeò, fertur; vicissim locum repetit, & è loco recurrit, breuioribus semper motibus; donec tandem quiescat.

Pulsus recurrens.

Dicrotus.

Dicrotus exemplis exponitur.

Tres modò relatæ differentiæ in plures dirimi possunt, vti facit Galen. lib. 1. de different. pulf. quas, sicuti multas alias inutiles, & captu difficiles, libenter omitto.

Galenus libro de Pulsibus ad Tyrones cap. 8. & libro 1. de different. pulf. varijs capitibus, compositas quasdam pulsuum differen-

rentias ex inæqualitate collectiua, simul & singulari ortas proponit. Nos vsitatiores, quæ in ægris non rarò deprehenduntur, enumerabimus: quas quidem in vnica pulsatione, ac in pluribus arteriæ partibus, quandoq; percipimus, omissis infinitis differentijs, quæ colligi possent ex varia complicatione inęqualitatum collectiuarum, & singularium.

Primo ergo loco sese nobis offerunt tres pulsuũ differentiæ, quæ secundùm magis, & minus distinguuntur, quæque in mox morituris deprehēduntur, si vndosum excipiamus pulsum, qui in humidis etiam corporibus, & in sudantibus, ac mox sudaturis percipitur. Tres illæ pulsûs differentiæ sunt, Pulsus vndosus, Pulsus vermiculans aut vermicularis, & Pulsus formicans. Vndosus pulsus ab vndarum similitudine ideò dicitur: Nam sicuti vnda modò eleuatur, & rursùs deprimitur, & vna vnda alteram excipit, sic similiter in arteria fit; adeò vt non simul, sed successiuè à digitis Medici pulsum tangentis pulsus percipiatur: vna enim arteriæ pars primò eleuatur, mox subsequens, rursùs altera; & ita de reliquis: sed ita subsequentes mouentur, vt præcedens pars deprimatur, quoties subsequens eleuatur. Hic pulsus ex duabus inæqualitatibus nascitur; ex inæqualitate videlicet magnitudinis dilatationis arteriæ in diuersis partibus: est enim magna distensio in vna parte, & in altera fermè nulla, sed potiùs depressio: & hæc est vna inæqualitas. Est & altera in frequentia, quia, cùm non simul, & æquè dilatentur omnes arteriæ partes, sed vna dilatatur, & altera deprimitur, arteriæ quies necessariò inæqualis erit: Sicuti & ipsa celeritas motûs. Subsequitur pulsus vermiculans, qui à gressu vermis nomen accepit: & quia motus vermis, lumbrici videlicet, similis est vndarum motui, hic pulsus vndosus dici potest: sed paruus vndosus: Nam in paruitate, non in qualitate ab vndoso distinguitur; sicuti etiam languore, & frequentia, quos comites habet vermiculans. Verùm, si languor ingens fuerit, & maxima frequentia, tunc aderit pulsus omnium minimus, formicans dictus; qui ideò dicitur, quia exiguum istius animalculi, eumque tardum motum, vel eiusdem animalis exiguitatem æmulatur. Si hic pulsus augeatur, in vermiculantem transit: vermiculans non rarò in formicantem migrat. Inæqualis hic pulsus est; sed propter eius exiguitatem, inæqualitas vix percipitur. Vndosus ergo, vermiculans, & formicans, ratione magnitudinis,

Vndosus pulsus.

Pulsus vermiculans.

Formicãs pulsus frequentissimus est, sed verè tardus.

Vndosus, vermiculãs, & formicans, secundùm magis, & minùs distinguũtur.

& par-

& paruitatis, seu secundum magis, & minùs, maximè distinguuntur. Galenus lib. 1. de differ. Pulſ. cap. 25. varias vndosi pulsûs (qui priùs in partibus cordi propinquioribus incipit, & ad arteriæ finem terminatur) differentias proponit, quas, sicuti & alias multas ab inæqualitate simplici desumptas, tanquam inutiles, omittimus. Capite 26. citati libri docet, vti diximus, vndoso pulsui vermiculantem succedere, & formicantem, omnium minimum sæpissimè vermiculanti.

De Conuulsiuo, siue Retorto, siue Spasmoso pulsu, qui inæqualis est; & de Vibrato, siue Turbulento, siue Ramoso, siue Arcuato, etiam inæquali, nec non de Caprizante, superiùs egimus. Exponendæ ideò veniunt quædam aliæ differentiæ inæqualitatis. Serrans, siue serratilis, siue serrinus pulsus est ille, qui instar serræ à tactu persentitur; serra enim dentes habet sursùm, aliosq; deorsùm respicientes, similiter pulsus quandoque, & præsertim in Pleuritide, repetitur, qui inæqualiter tactum ferit, propter inæqualitatem arteriæ, in suo situ, siue sede. Partes enim eius quædam sursùm elcuantur, & eodem tempore aliæ deorsùm feruntur, aut inferius saltem manent. Vnde inæqualitas, quam & alia comitatur quasi in duritie à tensione proueniente, & mollitie.

Pulsus serrans.

Pulsus hecticus, siue fixus, siue habitualis, siue permanens, dicitur ille, qui plures inæqualitates, quas in principio morbi habitualis acquisiuit, retinet.

Pulsus hecticus.

Strepens pulsus est, qui strepitum quẽdam siue sonitũ edere videtur. Ex inæquali arteriæ duritie, & inęquali vehementia nascitur.

Pulsus strepens.

Tremens, atque palpitans pulsus, sunt inæquales arteriæ motus. Nam dum arteria tremit, motum edit tremulum: dum palpitat, palpitantem pulsum. Palpitatio.n. inæqualitatem pulsui infert, & tremor pariter inæqualem effic.t pulsum. Qui plures pulsuum differentias curiosiùs, quàm fructuosiùs, desiderat, legat Galeni primum librum de different. pulſ. in quo quamplurimas inueniet, quæ minùs ingenium recreant, quàm obruunt.

Pulsus tremens, & palpitans.

De Rhythmo in pulsibus loquutus est Galenus varijs in locis: vt lib. 1. de differ. pulſ. cap. 6. 7. 8. 29. & 30. Libro 3. de dignosc. pulſ. cap. 3. Libro 3. de Causis pulſ. cap. 15. Libro 2. de Præsagitione ex pulſ. cap. 3. & libro de vsu Pulsuum. Nomen, Rhythmus, à Poëtis vsurpatum esse existimat Plinius. Alij à Musicis vsurpatum credunt;

Variæ acceptiones Rhythmi.

dunt; ita vt Rhythmus sit apud illos certa quædam proportio vocum, aut sonorum grauium cum acutis: vtcunque sit, certum est, quòd Rhythmus est proportionalis respectus vnius rei cum altera. Rhythmus variè ab Antiquis sumebatur, teste Galeno lib. 1. de different. pulſ. cap. 6. & 7. Qui autem asserebant se solam distensionem arteriæ persentire, nullamque dari contractionem, sed hanc esse quietem, Rhythmum posuêre proportionem inter distensionem, & quietem. Comparato (inquit Galenus cit. cap. 6.) autem ictus (id est distensionis) tempore cum tempore quietis, gignitur Rhythmus, quæ proportio temporis est ictûs ad tempus quietis. Alij, qui præter distensionem, contractionem sentiri affirmabant, Rhythmum statuêre proportionem, quam habet contractio, & eius quies, cum dilatatione, & sua quiete, vt habet Galenus citato cap. 7. in quo tertiam aliorum opinionem proponit. Nonnulli enim proportionem, quam habet distensio ad contractionem, siue tempus distensionis ad tempus contractionis, Rhythmum esse statuêre: quam significationem Galenus amplexus est; vt patet ex cap. 3. lib. 3. de dignoscendis pulsib. vbi ipse ait: Quia iam in comparatione temporis distensionis, cum contractionis tempore rhythmus consistit, priùs paranda separatim nobis vtriusq; temporis notitia est. Hoc verò parum facilè est: nam (memoriam si conseruauimus eorum, quæ primo in libro retulimus, vbi quæreremus, ecquid sentire totam distensionem, & contractionem possimus, an pars nos fugiat vtriusq; motûs) sciemus, quàm sit laboriosum, adeoq; præter omnem nostram facultatem, vt notitiam comparare omnis harum temporis possimus. Quo loco principium distensionis ostendimus, & finem contractionis non cognosci posse. Et paucis interpositis, ait, se antea de distensione, & contractione egisse, sed de rhythmo agens, perpendenda esse tempora distensionis, & contractionis, quod arduum est, cùm perdifficile sit, aut nullatenùs fieri possit, vt integram percipiamus distensionem, & contractionem.

Quid Rhythmus, secundum quosdam.

Quid secũdum alios.

Quid secũdum alios.

Rhythmus est proportio temporis distẽsionis, cum tẽpore contractionis.

Quanquàm arduum sit, tempus distensionis comprehendere, idque ipsum cum tempore, quo contractio fit conferre; Galenus tamen lib. 1. de different. pulſ. cap. 8. ait: At generis rhythmi non est perinde explicare, quæ sint differentiæ: Cæterùm præ omnibus pulsum omnem obtinere modulum quendam, quem rhythmum Græci appellant, est ostendendum: ne deceptus quis pulsuum, qui

ἄρυθμοι

ἄρυθμοι appellantur, nomine, adducatur, vt omni esse orbatos rhythmo eos pulsus falsò existimet. Nam vt ἀτράχηλος homo, atque Cytharædus ἄφωνος, ita etiam ἄρυθμος pulsus vocatur: Vitium enim natiui rhythmi, non absolutam abolitionem significat. Atque contrarius est arhythmo, non enrhythmus (siquidem omnis in aliquo est rhythmo pulsus); sed ille, qui eurhythmus vocatur. Vtriusque porrò horum, arhythmi dico, & eurhythmi, enrhythmus pulsus commune est genus. Atque enrhythmus quidem vnus & indiuisus manet: Arhythmi tres sunt omnes differentiæ, Pararhythmus, heterorhythmus, ecrhythmus. Qualis verò quisq; sit, exemplo disces. Suus est cuique ætati naturalis pulsus: qui iam de his rhythmum seruat, eurhythmus vocatur: qui labefactat, Arhythmus. Atque labefactans, interim rhythmum vicinæ ætatis mutuatur, qui Pararhythmus: interim cuiusuis alterius, ac heterorhythmus hic appellatur: at, qui rhythmum prorsùs nullius ætatis retinet, hic ecrhythmus. Idem de naturis, ac anni temporibus, & locis, omnibusq; alijs statuendum (pro naturis hîc temperamenta intelligit, quorum quodque suum habet peculiarem rhythmum; sicuti anni tempora, Regiones, situs loci). Suus est enim cuique horum certus quidam rhythmus: qui cùm corrumpitur, arhythmum tum intelliges, & quas eius diximus differentias esse. Iam verò inter omnes rhythmos, hi pari proportione, illi impari constant: pari, vbi distensionis tempus æquet tempus contractionis: impari, si alteruter eorum excedat.

Enrhythmus est genus ad eurhythmũ, siue benè proportionatum, & arhythmũ, siue proportione carentem pulsum.

Tres arhythmi species.

Paritas, & imparitas in rhythmo.

Hæc per se nota sunt; quæ quidem curiosa magis, quàm proficua videntur: Cùm vix vnquam proportio inter contractionis, & distensionis tempora seruetur, nisi fortassis in temperatis pueris. In adolescentia autem, & iuuentute ætatibus calidis, refrigerandi necessitas maior est, quàm excludendi fuligines: adeoque dilatationis tempus longius est tempore contractionis. In sequentibus verò ætatibus, multò frigidioribus antedictis, & in quibus maior excrementorum copia, quàm in illis, aceruatur, contractio dilatatione maior est. Vocetur tamen Rhythmus composita differentia pulsuum ad placitum id volentis.

CAPVT IV.
De Causis Pulsuum.

EXpositis Pulsuum generibus, atque speciebus, iam tempestiuum erit, pulsuum varias discutere causas: quas ex libro Galeni de Pulsib. ad Tyrones hùc transferre placet. Clarè siquidem tribus Capitibus omnes causas alterantes siue mutantes pulsum, ipse recenset. Capite 9. naturales causas pulsum variantes exponit. Capite 10. causas non naturales. Cap. 11. causas præter naturam. Nos hæc eadem capita transcribemus, postquàm causas exposuerimus continentes pulsûs, sine quarum notitia frustra iam nominatas causas exponeremus: quoniam naturales, non naturales, & præter naturam causæ, pulsum alterare, aut mutare dicuntur, quatenus primas, siue immediatas & continentes pulsûs causas immutant, teste Galeno lib. 1. de cauf. pulf. cap. 1. & lib. 3. de cauf. pulf. cap. 1. in quorum primo continentes appellat causas generationis pulsûs. Deinceps summatim colligemus prædictarum differentiarum pulsuum causas ex Galeni libris 1. & 2. de Cauf. Pulf.

Ters causæ pulsum generātes, vsus, facultas, instrumentum. Causæ externæ, & internæ pulsum immutant.

SECTIO I.
De Causis Continentibus Pulsûs.

CAusarum, inquit Galenus lib. 1. de Cauf. Pulf. cap. 1. quæ pulsus variant, aliæ generationis eorum sunt, aliæ tantùm alterationis. Generationis, tum vsus, cuius gratiâ fiunt: tum facultas, abs qua: tum instrumenta (id est arteriæ). Alterationis cæteræ omnes, & quæ præcedentes appellantur: & quæ his succedunt, externæ. Nam triplex est causarum genus, non in pulsibus modò, sed & in alijs cunctis. Vnum, quod primum est (primam causam vocat immediatam, vti facit Arist.) & præcipuum, quod quidem etiam continens appellant, cuius inde appellatio deducta est, quòd illorum essentiam contineat, quæ (vt modò diximus) generationis est: Reliqua duo genera (præcedentes causas, & externas, siue procatharcticas, vt alter interpres habet, intelligit) vt fiant pulsus, in causa non sunt, sed causa sunt illorum, qui iam geniti sunt, mutationis. Nam humorum crassitudo, abundantia, lentor, acredo, ef-

Quædam causæ internæ pulsum immutātes, quædam externæ.

ficere non valent pulsus, alterare valent: Ita frigidum balneum, vel calidum, & hyems, æstasque, breuiter frigus, & calor, alterandorum pulsuum sunt, non generandorum causæ. Ac quas nunc commemorauimus, externæ appellantur: quæ has etiam præcedūt, quæ quidem in humoribus sunt, præcedentes. Breuiter sic habeto: quæcunque extra corpus positæ, quicquam in corpore alterant, externæ vocantur: quæ has etiam antecedunt, præcedentes causæ corporis affectuum. Hi affectus vbi continentes moueant, euadunt præcedentes illarum causæ. Hîc Galenus exordium numerandi causas ab ipsa continente, & immediata causa pulsûs sumit. Causa altera interna, præcedens siue antecedens dicitur, quia coniunctæ causæ propinquior est, quàm externa. Dicitur hîc à Galeno præcedere causam externam, enumeratione factâ ab internis causis ad externam, ante quam alia nulla præcedit.

Externa, & interna causa.

Rursùs ait Galenus: Densetur enim ab occursu externi frigoris cutis, cuius densitas naturalem halitûs (id est fuliginosi vaporis) digestionem (id est resolutionem siue dissipationem, siue euaporationem extra corpus) reprimat (id est coërcet, & continet intùs); repressus ille (id est vapor fuliginosus in corpore retentus) coaceruetur: tandem accendat febrem, ob quam vsus pulsuum mutetur, itaque etiam ipsi pulsus: hîc externa causa est occursus externi frigoris; cæteræ vsque ad vsum pulsuum omnes præcedentes. Causa igitur externa, intercedentibus causis præcedentibus, quia variat vsum pulsuum, quæ vna ex continentibus causis est, etiam immutat ipsos pulsus. Neq; enim possit vlla continens causa mutari, vt immutabilis maneat effectus eius: sed priùs, quàm continentes attingat alteratio, non possunt immutari pulsus. Ideoq; principes hæ (id est continentes) & præcipuæ sunt primæ causæ pulsuum, cæteræ sunt harum gratiâ: Nam quòd externa illa alteratio ad continentes penetrauit, propterea pulsuum causæ dicuntur; cùm sua sponte, & per se, alterare illos nequaquam possint. Quare, qui peritus euadere artis de Pulsibus volet, hic versatus in causarum omnibus generibus mirificè debet esse, vt quicquid propositum ipsi sit, explicare pulsuum alterationem possit. Principium exercitationis optimum est, vt continentes causas, quamobrem generare quæq; pulsum possit, perpendas. Qua enim ratione generandorum eorum sunt origines, eâdem etiam alterandorum: Siquidem causarum in quantitate,

Cōstipatio pororum cutis à frigore aeris aut aquæ, aut alterius rei frigidæ orta febrem generat.

Non immutantur pulsus, nisi mutata priùs causa aliqua cōtinente.

titate, & qualitate differentiæ, pulſuum differentias in qualitate,& quantitate efficiunt. Hactenus Galenus per ſe clarus.

SECTIO II.
De Summa Sequentium Capitum.

CApite 2. lib. 1. de Cauſ. Pulſ. docet Galenus, quandam dari pulsûs cauſam efficientem, quam facultatem vocant, cuius præſtantior diſpoſitio ad functionem edendam, virtus eſt, & robur: deterior, infirmitas, atque vitioſitas. Et ita de cauſa pulſuum continente, ex facultate petita, loquutus eſt. Sequenti cap. 3. de cauſa pulſuum ex vſu petita loquitur, aiens, pulſus eſſe procreatos causâ tuendi calorem natiuum vniuerſi corporis, eum refrigerando, & è veſtigio excernendo, ſi quid ſit fuliginis ex ſuccorum aduſtione contractum. Sequenti cap. 4. ait: Reliqua, & tertia gignendorum pulſuum continens cauſa, ipſum eſt arteriarum corpus: nam omnis facultas, quæ alicuius causâ agit, inſtrumenta quærit ad opus appoſita: Erat autem hîc accommodatum inſtrumentum, quod ſpiſſis tunicis, & cauum eſſet intus. Et quibuſdam interpoſitis ait: Itaq; vbi refrigerantem ſubſtantiam trahit, arteriarum diſtenditur corpus: cùm fuliginoſam expurgat, contrahitur. Iam præpollet modò diſtenſionis vſus, modò contractionis: ac conſequitur omninò alteram motus partem reliqua. Itaq; cùm ex his cauſis (tribus ſcilicet continentibus facultate, vſu, & inſtrumentis) pulſus proficiſcantur, omnes illorum variationes cauſarum, neceſſe eſt, comites ſint alterationum. Vnde tot primæ ſunt, & generales pulſuum differentiæ, quot ſunt cauſarum. Et facultatis quidem differentiæ, robur, & imbecillitas: natiui caloris, aduſtio, refrigeratioque: arteriæ tunicæ, duritia, ac mollitudo: atq; præ his omnibus in ſingulis generibus commemoratorum mediocritates. Verùm mediocritates, naturales efficiunt pulſus, qui medium locum obtinent inter excedentes: exceſſus verò, pulſus præter naturam: atque alij perſpicui ſunt. Porrò robur facultatis neceſſariò vehementem pulſum facit, infirmitas languidum: & inſtrumentorum duritia durum, mollitudo mollem. Non tamen incremento caloris natiui vel imminutioni vnum ſemper, & idem pulſuum genus ex neceſſitate conſequitur. Nec enim celer, quod nonnulli ſunt opinati; nec magnus, vel creber ſemper inci-

Facultas.

Vſus.

Inſtrumenta.

Refrigerãtem ſubſtantiã pro aëre accipit.

Robur facultatis vehementẽ pulſum, infirmitas contra, lãguidũ, dura arteria durũ; mollis mollem efficit.

Vſus non habet pulſus proprios.

incidit, vbi aduritur natura (calorem natiuum appellat naturam): nec, cùm extinguitur, tardus, vel paruus, vel rarus. Sed de his, qui ambigunt, perinde ac Archigenes, errant, qui in Magnum disputat de pulsûs celeritate, quòd non à robore potiùs, quàm ab imbecillitate proficiscatur facultatis: nam neutrum sequitur necessariò. At tamen peculiaris magis est celeritas quidem robori facultatis, & caloris abundantiæ, præterea mollitudini instrumentorum: tarditas verò contrarijs. Eodem modo validæ facultati magnitudo, & copiæ caloris, tum etiam mollibus instrumentis est familiaris: paruitas verò contrarijs. Crebritas item nulli necessariò de commemoratis adhæret, magis tamen propria facultatis est imbecillitati, copiæ caloris, duritiei instrumentorum: & raritas item magis ad contraria spectat, non annexa illis est perpetuò tamen.

Celer pulsus, robori, copiæ caloris, & mollitiei arteriæ, familiaris.

Magnus pulsus similiter dictis caussis familiaris.

Rarus pulsus imbecillitati, copiæ caloris, & duritiei arteriæ.

Sequenti Cap. 5. pulsus à calore procedentes recenset, aiens: Si amplior in corpore sit collectus calor, animanti opus erit cùm maiore respiratione, tum maioribus pulsibus, & quia maioribus, continuò etiam celerioribus, & crebrioribus: Vt qui sitiunt, non multum modò, sed & celeriter potant, ac crebrò: sic qui indigent refrigerio, copiosum simul id, & celeriter, crebroque attrahunt. Quamobrem peculiares dixi esse pulsus copioso calori, magnum, celerem, crebrumque: non tamen necessariò concomitari. Postulant enim, quo tales euadant, facultatem validam, atq; instrumenta mollia. Sin infirma facultas, aut durum sit instrumentum, neq; magni esse, neque celeres possunt, quòd instrumentum sit per duritiam aduersùs mouentem facultatem contumax: illa verò attollere, quatenùs oportet, arterias per imbecillitatem impos. Quare, vt celer pulsus, vel magnus fiat, tria oportet caussarum genera inter se conspirent: vt vsus eorum generationis vrgeat, facultas valida sit, mollesque arteriarum tunicæ; aut certè non duræ (sed moderatæ.) Vt enim impellere velociter, aut multum progredi, vt maximè concitato motu indigeant, nec senes valent, nec parui pueri, ita nec imbecilla facultas, etiamsi vsus postulet, vel celeriter, vel multum attollere arterias potest. Iam etiam, sicut mollis vesica promptè multum distenditur: dura, ne si admodum quidem etiam, atque etiam contendas: sic arteriarum tunica, mollis quidem perfacilè attollitur plurimum, vel facultate infirma: at dura, licèt facultas summoperè illam impellat, resistit facultati motrici, renititurque.

Pulsus magnus, celer, creber calori copioso familiaris.

Infirma facultas, aut dura arteria, magnũ, nec celerẽ pulsum efficit.

Magnus, & celer pulsus à valida facultate, molli arteria, & copioso calore iũctis, fit.

Mo-

Monet post hæc Galenus eodem cap. sedulò obseruandum esse, an tres pulsûs causæ continentes immutatæ, aut alteratæ simul fuerint, dum percipitur pulsus alteratus, an verò vnica tantum illarum immutata fuerit? Nam (vt loquitur Galen.) si calor increuerit solus (tunc enim vsus, qui continens causa est, necessariò immutabitur), & maneant facultas, tunicæq; arteriarum immotæ, pulsus necessariò maiores, & celeriores fient, vnàq; cum calore, dum ad maximam perueniant distensionem, augebuntur: celerrimi verò ne sic quidem priùs quàm maximam calor distensionem superauerit, apparebunt. Tunc autem vltra maximam distensionem extendetur (calor intensus, quem sola distensio refrigerare sufficienter nequit) cùm ab ea (distensione) refrigeratur parciùs. Quare celeritate motus resarcitur defectus; itaq; pulsus fiunt celerrimi. Iam verò neq; hæc satisfaciunt calori vehementer incenso, sed, quod ante temporis inter duos motus quiescebat, nunc id præsecat etiam. Subinde etiam tam reddit breue, vt perpetuos putes motus esse, nulla quiete interpellatos. Sed hoc accidit, vbi ad vltimum incensus calor sit. Et cùm tres sint in omnibus excessibus rationes opis, omnibus simul vtitur: nam consequitur se refrigerantis substantiæ cùm plurimùm, tùm celerrimè, & maximè continenter: quorum primum maximos pulsus creat, alterum celerrimos, creberrimos tertium. Neque, vbi liberaliter illum magnitudo refrigerat distensionis, irritat celeritatem: neq; crebritatem, vbi ab ambabus auxilium consequitur: alterius enim illarum semper defectus corrigitur alterá: magnitudinis, celeritate: celeritatis, crebritate. Quid multis? Crebritatis pulsuum causa vna est, prioris actionis defectus. Accidit id cùm alijs de Causis, quas deinceps recensebimus; tum de copia caloris, vti modò est ostensum. Propemodùm iam, quod erat institutum, confectum est. Declarauimus enim abundantiam caloris nullum cōsequi necessariò pulsum magnum, celerem, crebrum: sed peculiares esse illi in primis, magnum, & celerem, & nonnunquàm crebrum etiam, sed casu. Crediderim in hoc Galeni textu, sicuti alibi, mendum esse, dum dicitur cōpioso calori peculiarem esse pulsum magnum, & celerem, rursùs crebrum: loco ergo, peculiares, debet poni, familiares; vt patet ex dictis, & lib. 3. de Caus. Puls. cap. 2. vbi Galenus ait: Etenim copioso calori in superioribus libris ostendi, magnum pulsum familiarem esse.

Vbi magnus pulsus non sufficit, accedit celeritas; & vbi vsui non satisfit, accedit crebritas.

Crebritatis pulsuum causa.

Emēdatio.

Paruus, tardus, & rarus pulsus, imbelli calori familiares.

Cap. 6. lib. 1. de Caus. Puls. docet, nullum pulsum necessariò sequi defectum caloris natiui. Ei tamen familiares sunt, paruus, & tardus præcipuè, mox etiam rarus. Nam, vt natura, quæ iam pridem refrigerata est, nec multum requirit, nec celere refrigerium, sic nec breuibus interuallis. Breuibus interuallis, idem est, ac crebrum: & longis interuallis, idem quod rarum.

An inter vehementē, & languidū pulsum detur medius.

Cap. 7. proponit Galenus controuersiam inter quosdam Antiquos ortam: Omnes enim admittebant inter magnum, & paruum pulsum, medium, siue mediocrem, siue moderatum, naturalem dictum. Itidem inter celerem, & tardum, medius moderatusque naturalis est pulsus: sicuti inter crebrum & rarum: inter durum & mollem. At, inquiunt aliqui, naturalis non videtur pulsus, qui inter vehementem & languidum medius est: quoniam validæ facultatis opus est vehemens pulsus, vt languidus pulsus infirmæ facultatis. Constat autem, quòd firmitas non est contra naturam: imò hæc virtus est, & secundùm naturam: infirmitas verò facultatis, vitiositas, præterq; naturam est. Vnde illi concludunt, pulsum vehementem esse naturalem, & nullum dari vehementem, qui sit præter, siue contra naturam. Nam quò vehementior est pulsus, eò facultas validior censenda.

Hæc opinio sanior est.

Alij confitentur quidem validam facultatem naturaliter vehementem edere pulsum, sed dari pulsum præter naturam hoc vehementiorem; adeòq; pulsum vehemētem esse medium inter pulsum languidum, & pulsum vehementissimum, coactè ab aliqua causa antecedente, aut externa, factum. Vino enim potato, modicè pulsus fiunt maiores, & celeriores, & vehementiores: quæ sanè vehementia naturalis non est. Hanc ego opinionem libentissimè amplector, etsi rem in dicto cap. Galenus quasi indecisam prætereat.

Celer pulsus vnde.

Docet ibidem Galenus, celerem pulsum esse familiarem, & non peculiarem, robori facultatis, vsui tam in refrigerando calorem, quàm in generando spiritum animalem, & mollitiei atteriarum: hæ enim causæ simul, aut seorsim, celerem pulsum efficiunt.

Vnde rarus, & tardus, & paruus.

Docet denique, quemadmodùm augetur pulsus aucto calore; & distensionem fieri maximam, quoties calor factus est intensus & copiosus. Cùm verò frigidior iusto factus est homo, primùm pulsus fiet rarus, deinde tardus, postremò paruus. Quamdiù enim facultas valida est, paruus non est pulsus, rarus tamen esse potest, & tardus.

Cap, 8.

Cap.8. docet, quatuor esse coniugationes immutati vsùs, & immutatæ simul facultatis. V. g. esto facultas imbellis, & calor ingens, in hac coniugatione pulsus fiunt parui, tardi, & creberrimi. Secunda coniugatio constat ex imbecillitate facultatis, & refrigeratione; in qua pulsus est imbecillus, paruus, tardus. Tertia alterationis coniugatio est, quando calor increscit, simul & facultas: quam coniugationem comitantur pulsus vehementissimi, maximi, sed non perinde celerrimi, aut creberrimi. Quarta alterationis coniugatio est, vbi coierint robur facultatis, & caloris defectus: Pulsus tunc sunt moderatè magni, sed tardiores, & benè rari, maximè vbi præpollet refrigeratio.

Quatuor coniugationes pulsus ortæ ex alteratione vsus, & facultatis.

Cap. 9. causas pulsuum ex differentijs instrumentorum desumptis proponit. Docet enim molli instrumento familiarem esse pulsum magnum; quia promptè extenditur in omnem partem, facilèq; distenditur arteria mollis. Duro verò instrumento familiaris est pulsus paruus; quia dura arteria non facilè in omnem partem extenditur, aut distenditur. Quare arteriâ existente durá, magnus pulsus fieri nequit. Prolixè in reliquo Capite rem hanc exponit Galenus.

Pulsus magnus molli arteriæ familiaris.

Pulsus paruus arteriæ duræ familiaris.

Cap. 10. quasdam prosequitur coniugationes instrumentorum, & facultatis, alteratorum: v. g. instrumentorum durities coniuncta imbecillitati facultatis, paruos pulsus, & tardos, & crebros concitat: coniuncta verò durities arteriæ, robori, paruos, atque crebros, non etiam tardos, imò longè interim iusto celeriores efficit: quod, quantum distensionis mediocritati propter duritiem organorum deficiat, tantum à celeritate resarcitur, & à crebritate. Si verò instrumentum molle sit, facultas autem valida, maiores quidem manifestò pulsus fiunt, at aliquanto tardiores, rarioresque. Quod, si ad mollitudinem instrumentorum, infirmitas facultatis adiuncta sit, si quidem æquus vtriusque (id est mollitudinis, & facultatis) simulque modicus fuerit à natura flexus, & moderatos videntur, & naturales planè hi pulsus referre, præter quantum varient mollitudine: sin valdè immodicus sit flexus siue recessus, parui, & tardi, & crebri fiunt. Haud aliter si multò imbecillitas præpolleat: etenim tum quoq; generantur parui, tardi, crebri.

Pulsus ab instrumentorum, & facultatis alteratione, procedentes.

Cap. 11. octo ponit complexiones, siue coniugationes omnium trium causarum continentium alteratarum: Duæ coniugationes,

Octo complicationes trium causarum continentium alteratarum.

cùm remissa facultate, pariter & vsu, modò mollius solito sit instrumentum, modò durius. Duæ alteræ, vbi languescat facultas, & vsus auctus sit, instrumentaq; vel mollia, vel dura: Præterea aliæ duæ, quando valida sit facultas, sed remissus vsus, vnà cum variante instrumentorum differentia: Reliquæ duæ, cùm valens facultas sit, auctus vsus, accedatq; instrumentorum, quam diximus, differentia. Expositionem harum coniugationum legat, qui volet, apud Galenum citato iam capite.

Celeris pulsus causa triplex. Capite demùm 12. docet Galenus vsum exercitationis in causis pulsuum: v. g. celer pulsus familiaris est robori facultatis, vrgenti vsui, & mollitudini instrumentorum: Necessum est ergo internoscere, an ab vna, an à duabus, an à tribus simul relatis causis proueniat, quoties eum in ægro persentimus. Ex dictis hactenùs res tota facilè percipietur, animum aduertens ad vsum auctum, robur, & mollitudinem arteriæ.

SECTIO III.
De Causis Inæqualium Pulsuum.

FVsè rem hanc examinat Galenus toto lib. 2. de cauſ. pulſ. Et cap. 1. decreuit, se prius acturum de causis inæqualitatis in pluribus pulsationibus, quàm in vnica pulsatione. Postquàm dicto cap. innuit, se libro 1. præcedenti de causis pulsuum, egisse de causis pulsûs vehementis, duri, magni, celeris, crebri, & contrariorum his, causas proponit inæqualitatis collectiuæ, sequenti serie: *Causæ pulsuum inæqualium inæqualitate collectiua.* Sanè, comites sunt eiuscemodi pulsus, vt vno verbo dicam, inæqualis intemperiei cordis, atq; vitiorum instrumentorum, vel facultatis. Nam aut opilationes, aut compressiones, aut durities, aut nimios humores subsequuntur: vt nimios nunc humores accipias, qui ad facultatem æstimantur. Positâ hâc doctrinâ, docet, vsum non *Vsus mutatus inæquales pulsus in pluribus pulsationibus non efficit.* efficere inæqualem pulsum inæqualitate collectiua; & febrium innuens accessiones, in quibus manifestè vsus augetur, asserit, secundum pulsum clarè, siue secundùm sensum tactus, à primo non esse dissimilem, aut varium. Cæterùm multo tempore interposito inter febris inuasionem, & vigorem accessionis, certum est, in vigore pulsum esse maiorem, celeriorem, & crebriorem, quàm in principio. At verò de hac inæqualitate pulsûs, inter diuersa morbi, aut acces-

accessionis tempora orta, non est quæstio, sed de ea, quæ è vestigio inter paucas pulsationes oritur. Nam licèt secunda pulsatio physicè primâ sit maior, & tertia secunda, in augmento caloris febrilis, id nobis manifestum non est, qui inæquales non appellamus eos pulsus, quos ratio impares esse collegit, sed illos solos, quos dilucidè, & è vestigio sensu tactus comperimus tales esse. Horum ergo causâ non est vsus immutatus, sed, vt dictum est, vel nimij humores, illi inquam, qui in ordine ad facultatem, quam opprimunt, intelliguntur: vel obstructio, vel compressio: vel durities instrumẽtorum: vel ipsius cordis aliqua inæqualis intemperies: quæ certè excedunt iam lenem morbum. Ergo variationi vsus non succedit collectiua inæqualitas.

Causæ inæqualium pulsuum in pluribus pulsationibus.

Licèt ab vsu immutato nõ fiat per se inæqualitas collectiua, siue aceruata, aliâ tamen accedente, nascitur quandoq; pulsus inæqualis. Ira enim, quæ est innati caloris veluti quidam feruor, inæquales efficit pulsus, vbi ei timor adiungitur. Iure ergo tunc (inquit Galen.) & inæquales apparent pulsus, cùm non tantùm à diuersis causis alterentur, sed etiam natura contrarijs. Nam propter vindictæ cupiditatem, alti, magni, celeres, vehementes fiunt: quia verò timor est maior accipiendi mali, quàm spes dandi malum, parui, humiles, languidi, & tardi fiunt. Quare inuicem vtriq; pro causæ præpollentis natura, videntur euariari: ac excellit modò ira, modò metus. Quinimò ipse timor, si quidem ingens sit, quòd lædatur facultas, & alteretur vsus, pulsus reddit inæquales.

Ira quid. Timor iræ frænum.

Facultas pulsifica grauiter affecta, pulsus efficit inæquales; quando nimirum omnibus instrumentis non imperat. Imperare non potest quandoque præ nimia sui imbecillitate: aliàs, quia, etsi valida, opprimitur tamen. Dum imbellis est facultas, inæquales efficit pulsus, sed rariùs: dum oppressa est, frequentiùs. Apposito exemplo rem totam exponit Galenus. Ob oculos, inquit, ponamus duos homines, qui incedunt pedetentim: sit alter horum robustissimus, simul & florentissima ætate; verùm pondus portet grauissimum: alter prorsùs nihil baiulet, at valdè sit imbecillis ex morbo, aut ex senectute: iam nec multum progrediantur hi, nec celeriter: itaq; nihil different in actione: Sed in eo different, quòd æquis plerumq; passibus procedet imbecillis: diuersis validus, ac inæqualibus, & aliàs alijs. Nam ille (id est imbellis) quidem, ne si contendat quidem,

Facultas mutata, sæpe inæquales efficit pulsus.

Et senex, & æger, nõ rarò cespitat; quia crura trũcum corporis onus graue, difficulter sustinent, feruntque.

poterit vnquam, vel magnam, vel celerem actionem obire: robustus verò etiam ferè perinde, interim tamen maiore alacritate celeriùs aliquantisper, & magis aget; deinde ab onere pressus, ad primam tarditatem, & actionis paruitatem redibit. Idem vsu venit arteriarum actioni. Nam, cùm est delapsa in imbecillitatem facultas insignem, pulsus eduntur languidi, parui, tardi: sin illa (id est facultas) quantum in eâ est, valeat, sed alia copia degrauetur, varios tum, inæqualesque efficit: plurimos, cùm graui onere pressa sit, languidos, & tardos, & paruos: cùm leui onere, plerosque vehementes, celeres, magnos: cùm verò nec admodùm grauis, nec nimium leuis offensio sit, ferè, vt in copia, contrarios: vt nec plures possis dicere, nec pauciores, vel vehementes esse imbecillibus, vel magnos paruis, vel celeres tardis. Atque hunc in modum pulsus inæquales facultatis noxæ efficiunt.

Siqua sit in toto de pulsibus tractatu doctrina, ad quam animum aduertere debet Medicus, est hæc; quoniam præ mera ignorantiâ innumeri Medici quotidiè errant, nescientes pulsum à facultate omninò, & per se languida, factum, à pulsu vi facultatis per oppressionem tantùm, & non in sua essentia, languidæ, edito dirimere. Magnum sanè peccatum: quoniam, facultate apparenter tantùm debili, vtpote ob graue inutileque humorum onus oppressâ, euacuare licitum est: imò necessaria est, aut phlebotomia, aut purgatio, ad excludendos è corpore superuacaneos humores: cùm tamen grauiter erraretur, si, facultate existente imbelli ob caloris natiui extinctionem resolutionemue, vllam moliremur euacuationem. Omne incommodum vitabitur, dummodò pulsum per se debilem, & pulsum ex oppressione debilem percipere valeamus. Suspensis digitis pulsus attingi debet, sed paulatim pulpis digitorum arteria comprimenda est; quæ, si succumbit, & nullatenùs se erigit, aut ferit digitos, tunc indubiè censendum, facultatem esse in se valdè debilem & prostratam; ob resolutionem videlicet spirituum vitalium, aut caloris natiui. Si verò arteria mediocriter compressa, veluti vi quadam surgit, & digitum, digitosue Medici quodam cum vigore quandoque ferit, signum est, facultatem esse ex oppressione imbellem, non verò per se, aut in sua essentia.

Modus discernendi pulsum per se imbellẽ à pulsu imbelli ex oppressione.

Capite 2. sequenti proponit Galenus vitia instrumentorum, ex quibus pulsûs inæqualitas collectiua quandoque nascitur. Vbi, inquit,

quit, circumiectas regiones arteriæ, quæ ad hoc creatæ sunt, vt eam distentam excipiant, aliud corpus insederit, non possunt per illud coarctatæ arteriæ satis distendi. Corpus, quod regionem ambientem arteriam implere potest, est inflammatio siue phlegmone, abscessus, scirrhus, & alij tumores, docente Galeno, eodem capite. Quoties verò spatium illud à natura arteriæ concessum, vt per id liberè dimoueatur, aliquo tumore repletur, arteria debito ritu dilatari nequit; atq; vsui non fit satis. Ibi iam, inquit Galenus, violenter agere, & vehementer facultas cogitur, reijcere & propellere illa studens, quæ sua instrumenta obsederunt, & motu prohibuerunt: vbi maiorem prioribus, & vehementiorem, & etiam celeriorem necesse est pulsum euadere: crebrior non nunc primùm, sed statim à principio fuerat. Ostendimus enim in superiori libro, imparium vsui actionum, necessariò comitem esse crebritatem pulsuum. Rectè sanè monet Galenus, naturam vrgente vsu omnes adhibere conatus, vt magnos, celeres, & vehementes edat pulsus; incassum tamen, dum arteria à tumore aliquo præter naturam comprimitur, atque coarctatur. In quo casu multæ perseuerant inæqualitates. Imò in corporibus carnosis, in quibus spatium arteriæ, motui à natura destinatum, carne, aut adipe repletur, accenso vel modicè calore natiuo, inæqualitas facilè nascitur. Vnde Hippocr. lib. 2. Aphor. 44. ait: Qui naturâ sunt valdè crassi, citiùs moriuntur, quàm qui graciles. Non enim in valdè crassis satisfit vsui, cùm arteriæ liberè cieri nequeant: tum ergo corpus transpirabile non est. Scio Galenum in Aphorismi Commentario tribuere potissimùm exilitati arteriarum, & venarum, moriendi celeritatem: Sed in Opere de dignoscendis Pulsib. crassorum meminit, quatenùs in ijs non liberè arteria dimouetur.

Quæ comprimũt arteriã motu prohibent, & sũt inæqualitatis causæ.

In pinguibus, & corpulentis pulsus non liberè mouetur.

Aliam inæqualitatis causam posuit Galenus, humorem superfluum occupantem ipsum arteriæ corpus, siue tunicas. Perseuerat inæqualitas inde proueniens, quousq; humor ille in tunicis imbibitus ad vicinas aliquas partes relegatur, aut discutitur, dissipaturque.

Humor superfluus arteriæ tunicas occupans, inæqualitatem parit.

Accidit etiam pulsuum inæqualitas, inquit Galenus, interim ex sanguinis copia, qui aut in venas, aut arterias ipsas fit infusus. At hæc quidem sanguinis missione sedatur facillimè: Etenim copia illa in venis, arterias non secùs, ac tumor præter naturam, vtpote ijs vicinas, premit, & coarctat: vacuata per sanguinis missionem, illicò vena-

Repletio vasorum inæqualitatem parit, quæ Phlebotomia tollitur.

venarum tumorem contrahit (id est deprimit, minuitue) statimq; etiam locum arterijs amplum ad motum dat: vbi, quia solitam functionem, nemine interpellante, tenent, simul cum ea æqualitatem naturalem pulsuum recuperant. At verò hic sanguis, qui in arterijs est; quemadmodum occupet spiritus riuos, quid refert narrare? potissimùm, si crassus, vel lentus, vel si extremis earum finibus sit impactus: tunc enim, quia nec allicere spiritum (id est aërem) nec reddere valent (fumosum spiritum, vaporemue) diuersas simul, & difficillimas faciunt inæqualitates, præcipuè, si vel propè ipsum cor, vel procul quidem, sed in nobiles partes impingant, obstruantq; illi succi. Quare vt vno verbo dicam, cùm aut validè comprimuntur arteriæ, aut cùm obstruuntur, vt integra omninò facultas sit, inæqualitas quædam corripit pulsus. At si facultas vnà sit affecta cum eo instrumentorum affectu, clarissimum est magis variam oportere inæqualitatem existere: itemq; si ipsum cor infestet inæqualis intemperies, de qua accuratissimè in libris de Præsagitione scribam. At verò, si instrumentorum illæsus sit status, sed magnoperè facultas infirma, inæqualitas illa, de qua iam diximus, non existet, sed mutila, & decurtata, quam vocant, inæqualitas. Ab admotis enim digitis victa facultas, minores semper imbecillioresq; pulsus creat.

Obstructio arteriarũ à crasso, vel lento humore facta periculosã inæqualitatẽ parit.

Mutila inæqualitas à facultate valdè imbelli.

Cap. 3. docet Galenus, pro facultatis offensione, varias nasci inæqualitates pulsûs. In primis ille statuit, quod verissimum est, imbecillitatem facultatis esse disparem in varijs affectionibus. Vnde parua imbecillitas facultatis pulsificæ, minores, languidioresque, non autem decurtatos, pulsus efficit: quæ verò imbecillitas est præcedenti tanto maior, vt iam facultati sint oneri applicati digiti, hæc pulsuum decurtatorum author est. Sed, quia duplex est (inquit Galenus) in his ipsis differentia (quidam enim decurtatorum ad pristinum motum reuertuntur, quos decurtatos vocant reciprocos: aliqui illic alicubi permanent, desinuntue) priores scito minorem annunciare imbecillitatem: Adhuc enim quodammodò resistit facultas, & veluti colligens seipsam, & sæpè concitans, magnitudinem ita auget pulsuum: auget item contentionem. At, qui permanent in extrema paruitate, nec omninò recipiunt sese (id est, ad magnitudinem non reuertuntur) languidiorem, quàm in his, ostẽdunt facultatem esse. Sic, si prorsùs deficiant, significabunt vltimam quandam imbecillitatem. Verùm hæc explorari omnia applicandis

Imbellis facultas, quos edit pulsus.

Decurtatus pulsus duplex.

Pulsus verè languidus, & deficiẽs, pessimũ signũ.

dis digitis arteriæ, nequaquàm suspensis, apertissimum est: nam si eleuatis ijs, & mox applicatis, inueniamus in singulis applicationibus motum deficientem, veram abolitionem pulsûs vocamus, non deficientem pulsum. Equidem longè abesse abolitionem puto à deficienti pulsu: illa enim velut est defectus, vt sensus quidem indicat, totius functionis: hic dimidiatæ amissio. Ergo vbi admouenti digitos videatur motus exolutus, & tenenti applicatos paulatim prorsùs desinat, eos pulsus vocamus deficientes: illumq; statum medium numeramus inter decurtatos pulsus, & perfectam pulsûs abolitionem: &, quanto decurtatis grauiorem, tanto leuiorem pulsûs abolitione. Ac hi quidem tres status quantitate noxæ differunt. Quartus reciprocorum est decurtatus, qui est omnium leuissimus. Quintus his addatur, intermittentium, qui præcedit deficientium statum. Et paulò post inquit: Grauiùs enim facultas offensa est, vbi plures; leuiùs, vbi pauciores motus deficiunt.

Abolitus pulsus, & deficiens, discrepant à se inuicē.

Iam verò intercurrentium, quos vocant, pulsuum affectio contraria est affectioni intermittentium: qui quidem item inter inęquales, qui aceruatim fiunt, sunt: incidúntque vbi facultas valens copia humorum, vel instrumentorum oppilatione impeditur. Vt ergo ad repellenda, quæ molestant, maiores sæpè, & vehementiores edit, celerioresq; pulsus; ita plures quoq; in eiuscemodi præsertim statibus, atq; alti pulsus fiunt, itaque portendunt decretoriam excretionem. Porrò non solùm facultatis infirmitas inducit intermittentem pulsum, sed & instrumentorum valida oppilatio, aut compressio, aut constrictio: vbi in se nihil prorsùs arteriæ allicere valeant. Hactenùs de Pulsuum inæqualitate collectiua satis dictum est.

Intercurrentis intermittēti contrarius.

Caussa recurrentis pulsus.

Alti pulsus quandoque criticam euacuationem prænūciat.

Pulsus intermittentis causæ.

Ex præmissa Galeni doctrina, & ijs, quæ aliàs in Opere de Pulsibus fusè docuit, colligitur, vsum pulsuum nullam per se inæqualitatem collectiuam in pulsibus generare. Facultas enim, & instrumentum, dum immutantur, sunt quæ inæqualitatem pariunt. Facultas quidem triplici modo alterata inæqualitatis author censetur: Et quoties grauatur, & quoties irritatur, & quoties distrahitur. Exemplo robustissimi Iuuenis nimio onere grauati docuit Galenus, facultatem onere, idest humorum copiâ, grauari; & tunc inæquales efficere pulsus; vt modò magnū, modò paruū, nunc celerem, rursùs tardum. Imbellis quidem redditur facultas à grauitate oneris. Imbellis etiam facta facultas ab intemperie, pulsum inęqualem efficere

Pulsum inæqualem efficit facultas grauata.

valet,

Sola facultatis imbecillitas rarò inæqualitatē parit. valet, præsertim si eadem facultas labefactata, ab aliquo grauetur onere, aut eius imbecillitas ab inæquali procedat intemperie. Nam sola facultatis imbecillitas inæqualitatem fortassis rariùs inducet. Huius doctrinæ fundamentum ex Galeno lib. 2. de Præsagit. ex Puls. cap. 4. sequenti serie eruitur: At cùm debilitata duntaxat est facultas cordis, non degrauatur tamen ab humoribus, hîc omninò pulsus parui sunt, & languidi ex facultatis imbecillitate: nulla verò adest illis inæqualitas, nisi quando corpus Cordis inæquali intemperie detinetur. Hæc Galeni doctrina est interpretatio eorum, quæ superiùs dixit, imbecillitatem esse causam inæqualitatis pulsûs. Non est tamen dubium, quin facilè à leui quouis onere imbellis facultas grauetur; veluti seni accidit imbelli, cuius crura robore destituta vniuersum corpus sine cespitatione, aut titubatione, sustinere vix possunt.

Facultas irritata inæqualem efficit pulsum. Secundò, facultas ab irritamento vexata inæqualem efficit pulsum. Vnde halitus venenosus, vaporue putridus, vel acer & mordax, sursum ad Cor, quod ferit, elatus, vitalem facultatem infestat; & cùm non æqualiter semper, sed modò intensiùs, modò remissiùs cor lædant, eiusq; Oeconomiam euertant, idem nunc vehementius, nunc mitius agitatur, pro noxæ maiori, aut minori quantitate: Atque adeò impensè infestatum vehementer se mouet, leuiùs affectum maiori fruitur quiete. Ex hac ergo infestationis inæqualitate inæquales nascuntur pulsus: sicuti quotidiè in multis hypochondriacis, & mulieribus vteri suffocatione laborantibus, conspicimus.

Tertiò, facultas distracta pulsus efficit inæquales: Distrahi dicitur facultas, quando, præter solitum, ad varia officia complenda citatur. Nulli, vt existimo, Medico ignotum est, pulsum ex aduersis motibus coalitum à sola facultate vitali pulsifica perfici, at si vlteriùs ad alia officia, præter naturæ institutum, celebranda, facultas excitetur, pulsus naturalem non seruabit æqualitatem; sed inæqualitatem necessariò consequetur. Cor ergo diuersis, iisque contrarijs, affectum intemperiebus, pulsus concitabit valdè inæquales. Nam eius quædam partes calore præter naturam affectæ, dilatationem siue diastolen magnam, simul atq; celerem, & fortè crebram, refrigerandi gratiâ, expostulāt: frigidiores eiusdem Cordis partes oppositos pulsus, paruum, tardum, & rarum requirunt. *Facultas distracta inæquales efficit pulsus.*

Si-

Similiter si Cordis quædam partes humoribus superfluis fuerint refertæ, aliæ ex aduerso vacuæ, illæ celerem contractionem appetunt, partes vacuæ, tardam.. Non mirum ergo, si in his angustijs facultas pulsifica ad opposita munia citata, inæquales efficit pulsationes. Sed distractio facultatis pulsificæ, veluti eiusdem irritatio ad grauamen primo loco positum reuocari possunt.

Pulsum inæqualem, seu potiùs turbatum, ab Amore, animi passione, fieri, colligunt quidam; etsi nullus detur pulsus amoris, teste Galeno comment. 1. Prognost. textu 8. Narrat tamen ipse libro de Præcognit. ad Posthum. cap. 5. & 6. quemadmodum ex pulsu agnouit Iusti vxorem adamasse Pyladem Saltatorem, quod pulsum relatæ mulieris subsultasse deprehendisset, dum vnus ex eiusdem Galeni sequacibus retulisset Pyladem histrionem eo die saltasse: cùm tamen pulsum obseruauerat quietum, dum distinctis diebus coram illa relatum esset Morphum ex histrionibus vnum saltasse, & tertium histrionem similiter. Sed conijcio Galenum ex suo cum ancilla dictæ mulieris alloquio, aliquid de amore expiscatum fuisse. Deniq; sequutus est Erasistrati ex pulsu diuinationem. Hic enim, dum pulsum Seleuci, filij Antiochi Regis Syriȩ, tetigisset, eum subsultare, & turbari deprehendebat, quoties accedebat Stratonice, Seleuci nouerca: dum autem hæc recederet, pulsum humiliorem inueniebat. Hinc Seleucum deperijsse Stratonicen agnouit Erasistratus; & è vestigio Regi arcanum detexit. Rex, vt rem audiuit, filio permisit suam cum Stratonice explere libidinem, vt inde salutem repeteret integram.

Pulsum amoris quomodo agnouerit Galenus in Vxore Iusti.

Seleuci pulsus amoris, qua ratione ab Erasistrato cognitus.

Instrumentum non debitè dispositum, inæqualitatem, vt diximus, frequentissimè excitat. Causas inæqualitatis ab arteriæ vitio natas clarè in superioribus exposuit Galenus.

Causæ vnius Pulsûs inæqualis.

De Causis inæqualitatis collectiuæ primo loco egimus; quoniam ab vniuersalioribus, tanquam magis notis, inchoandum; modò verò de Causis inæqualitatis in vnica pulsatione, nobis agendum est. Pulsus, siue arteriæ motus, vt in superioribus exposuimus, & docet adhuc Galenus lib. 2. de Caus. Puls. cap. 4. tripliciter inæqualis redditur; & inde tres emergunt differentiæ: Inter-

Tres species pulsus inæqualis in vnica parte arteriæ.

pellatur

Intermittens: Impar citatus: Reciprocus, siue bis feriens.

pellatur quandoque, & inde intermittens pulsus: Vel perpetuus siue continuus est pulsus, sed inæqualis & dispar est motus; & inde pulsus impar citatus: Vel fit motûs repetitio; & inde reciprocus, vel, vt alij loquuntur, dicrotus, siue bis feriens. Insinuat citato adhuc capite Galenus nouem differentias pulsûs intermittentis, qui ideò dicitur, quòd motum distensionis intersecet accedens modica quies. Sequenti ordine dictas nouem differentias recenset: Celer celer pulsus; idest, quandoque prima pars distensionis celeris est; cui succedit aliquantula quies: tertio loco motus antea interpellatus repetitur, & cum celeritate absoluitur: Et ita quælibet differentia in tres partes diuiditur: Aliæ ergo octo sunt, celer tardus: celer moderatus: tardus tardus: tardus celer: tardus moderatus. Moderatus moderatus: moderatus celer: moderatus tardus. Galenus primæ differentię causam exponit vt sequitur: Cùm celeriter primùm concitata arteria, deinde parua interposita quiete, residuum denique addat distensioni tardè mota. Hoc enim accidit, cùm vsus vrgeat, & facultas, quantum in ea est, obsequatur, sed aut ab vitio interrumpatur instrumentorum, aut ab humorum insigni abundantia, &c. Docet hîc Galenus, vsum vrgere, dum celer est vsus in principio, & fine: quia celeritas vsui familiaris est: & vsui tunc vrgenti obsequium præstat facultas, in quantum potest. At verò, quia facultati obstat copia humorum, aut arteriarum oppressio, aut obstructio, motum vnico impetu absoluere nequit eadem facultas: proinde in medio motu subsistere, & veluti respirare cogitur: & sic quædam veluti fugax quies percipitur à tactu: mox tamen, vrgente vsu, motus residuum cum velocitate correspondente primæ partis pulsûs velocitati, perficitur. Celeritas primæ partis distensionis, & celeritas vltimæ, etsi intercedat quies, & magnam copiam humorum denotent, prauæ non sunt, quòd facultatis robur indicent: quoties tamen prima pars distensionis celeris est, & vltima, quæ quietem subsequitur, tarda, res ægri non æquè in tuto sunt. Pessimum verò exitum prænunciat pulsus, qui ante, & post quietem tardus est: Periculi ambiguitatem, siue medium statum inter celerem, & tardum pulsum, indicat pulsus mediocris, siue medius inter tardum & celerem: vt testatur Galenus citato cap. 4. lib. 2. de Caus. Pulsuum: Omnium, inquit, harum nouem differentiarum, à quacunq; causa proficiscantur, quæ est vtroq; motu tardo, deterrima est;

Nouem differentiæ intermittentis pulsus.

Causæ intermittentis pulsus.

Prognosis ex intermittente pulsu.

est: Commodissima, cuius celer est vterq; motus. Media, in qua vterq; moderatus. Iam aliæ, quæ intercedunt inter mediam, & extremam vtramque, proportione. Quin etiam tempus hoc quietis (dirimentis distensionem in duas partes) quò sit in quaq; nouem harum differentiarum longius, hoc est deterius: è diuerso diuturnius motuum tempus meliorem declarat statum. Præterea vtriusq; distensionis magnitudo, optima: contra, pessima est paruitas. Similiter vehementia optima, remissio pessima. Quòd si omnia, quæ commemorauimus, mala, in vno pulsu conueniant, hic (.i. talis pulsus) illorum scilicet pessimus erit: contrà, si omnia commoda, optimus. Ille enim, si copia humorum sit, quæ facultatem oneret, valdè declarat superatam naturam esse: si oppilatio arteriarum, cùm præcipuarum esse harum, nec remotarum lōgè à principio (Corde), tum hanc oppilationem indicat insignem esse: Si compressio sit, & constrictio, innuit arteriarum locum occupatum penè omnem. At verò commodissimus inter illos, cuius, inquam, vterque est motus celer, magnus, vehemens, ac quietis breue tempus, cum facultatem denunciabit superiorem abundantiâ humorum esse, tum oppilationes, & compressiones arteriarum, vel paruas, vel non in nobilioribus partibus, vel procul à principio.

Celer celer pulsus inter nouem differētias bonus.

Galenus præclarè causas pulsûs intermittentis in vnica pulsatione, & vnica simul arteriæ parte proposuit; & præter causas, Prognosim ex tali pulsu emergentem. Inæqualitatis quidem singularis causæ sunt eædem cum causis inæqualitatis collectiuæ (vt ex cap. 4. lib. 2. de Caus. Puls. colligitur): aggrauatio nimirum arteriarum, & facultatis; arteriarum obstructio, oppressio; inæqualis Cordis, veluti arteriarum, intemperies. Cæterùm obseruandum sedulò, inæqualitatem in vnica pulsatione plus periculi minari, quàm inæqualitatem in pluribus pulsationibus, teste Gal. lib. 2. de Præsag. ex puls. cap. 4. vbi inquit: Igitur de inæqualibus pulsibus hoc in communi omnibus sciendum est, quod in secundo libro de Puls. caus. ostendimus, ex oppilationibus eos, aut cōpressionibus instrumentorum, aut humorum abundantia, ad facultatem quidem collata, aut ex Cordis inæquali intemperie constare: incommodiorem porrò esse vnius pulsûs inæqualitatem, ea quæ in aceruo siue collectione consistit. Hanc doctrinam docuit Gal. lib. 2. de Caus. Puls. & ratione fultus; quia inæqualitas facta in vnica pulsatione, cùm tam breui

Eadē sunt causæ inæqualitatis collectiuæ, & singularis.

Inæqualitas vnius pulsationis periculosior est inæqualitate plurium.

tẽpore nascatur, Signum est eã à multò potentiori causa fieri, quàm inæqualitatem collectiuam, siue accruatam dictam: Nam in hac inę-qualitas solùm deprehenditur post quasdam pulsationes æquales.

Intermittens pulsus non tãtum periculi senibus, & pueris minatur, quantum iuuenibus.

Cur pueri, quàm iuuenes in intermittente pulsu minus periclitãtur.

Citato lib. 2. de Præsagit. ex pulſ. cap. 4. intermittentis pulsûs periculum, habitâ ratione personarum, exponit, vt sequitur: Quamobrem intermittentes pulsus minùs habent senes, quàm iuuenes, perniciales: mox pueri ab illis, quòd (quia cùm concoctrice facultate sint validissima, tum corpore mollissimo, atq; facilè perspirabili) concoquant, digerantq; per halitum intemperies inæquales, copiamque humorum, & crassitudinem. Quare etiam hi in minus periculum veniunt, quàm iuuenes, cùm pulsus intermittant, duobus nominibus: nam, tum, quòd facultate, quæ pulsibus præsidet, imbecilliore, quàm iuuenes, sint, vt à minoribus causis, sicut senes, superentur prochuiùs: tum quòd concoctrice firmiore, vt facilè offensæ corrigantur. His additur perspiratus facilitas non mediocre ad tollendos morbos momentum: quod etiam Hippocrates confirmauit. Quibusdam interpositis, inquit idem Galenus: Porrò diuturna est quies, quæ excedit duorum pulsuum tempus: breuis, quæ intra duorum pulsuum tempus manet. Quies verò temporum vnius pulsûs inter omnes intermissiones, moderatissima est, mulierque ex ea, senes pariter, & pueri, euaserunt; iuuenum autem ne ex hac quidem vllus. Antequàm Galenus his contextibus concluderet, Iuuenes magis, quàm Pueros, Senes, & Mulieres, periclitari, dum pulsum habent intermittentem, rei rationem clarè exhibuit. Docet pręterea raris pulsibus intermittentes esse finitimos; à raris tamen secerni, quòd intermittentes pulsus totum perdiderint rhythmum: & quò maior in intermittentibus est quies, eò maior est arhythmus, & periculum. Vnde ibidem Galenus ait: Itaq; cùm duorum pulsuum, siue duarum pulsationum tempus arteria quiescat, haud scio, an superstes esse quispiam possit. Vnius certè pulsationis tempus, aut paulò ampliùs sæpenumerò conspeximus, intermittente motu arteriarum, confirmatum hominem esse, præsertim cùm ætatem ageret senilem. Quanquam hoc absurdum videri possit: Etenim si vel sua sponte (id est, ratione suæ ætatis) imbecillus senex est, laborantque eius etiam ante infirmitatem valetudinis facultates, quem expectemus euentum, si ad ætatis imbecillitatem, altera accesserit ex morbo imbecillitas? Nempè hac de re (difficultati respondet) non est peri-

Rari, & intermittentes pulsus affines.

Prognosis ex quantitate quietis intermittentis pulsus.

Cur senes, quàm iuuenes, faciliùs intermittẽtiam pulsus tolerant.

periculoſum, ſed eo potius leue, quòd imbecillæ facultates à paruis ſæpè cauſis, fiat, vt offendantur: at firmæ ſiue robuſtæ facultates deijciuntur tantùm à maximis ſiue validiſſimis cauſis. Itaque qui habitu ſiue conſtitutione corporis valente ſunt, & admodum diu in morbos non inciderunt, periclitantur ſi incidant: At verò imbecilli, quiq; aſſiduè obiecti ad omnes cauſas ſunt, facillimè ſeruãtur: quòd ſcilicet de his nemo, cùm à qualibet cauſa lædatur, vel minimâ, expectet cauſam magnam. Robur validiorum omnem excipit cauſam paruam, vt à ſolis magnis vincatur. Quamobrem intermittentes Pulſus; Et reliqua à nobis paulò ante tranſcripta.

Valetudinarij non ita periclitantur, dũ ægrotant, ſicuti robuſti.

Hæc Galeni doctrina ad prædicendum plurimum confert: Admirationem quorundam exiſtimantium, intermittentes pulſus periculum grauius in ſenibus, quàm in iuuenibus, prænunciare, è medio tollit, aſſerens, verum quidem eſſe ſenes iuuenibus multò imbecilliores eſſe, non proinde tamen pulſum intermittentem tantum periculi in ſenibus minari, ac in iuuenibus, quia talis pulſus in iuuenibus, ratione ſuæ ætatis robuſtiſſimis, non generatur, niſi validiſſimæ cauſæ interuentu; quæ ideò maximam introduxit in pulſu alterationem. Secùs verò res ſe habet in ſenibus, & pueris: Nam ſenes à leuiſſima alterantur cauſa, & conſequenter eorum pulſus. Eſt enim ſenibus familiare temperamentum frigidum, vi cuius in corpore craſſi, viſcidi, lentique humores procreantur, & obſtructiones non ſolùm in venis, ſed etiam in arterijs proinde naſcuntur: à quibus obſtructionibus, & in vnica pulſatione, & in pluribus pulſationibus, libera arteriarum diſtenſio impeditur, & intermittentia non rarò efficitur. Similiter pueri ob voracitatem ſæpiſſimè in multas cadunt obſtructiones, & intermittẽtes ideò pulſus habent. Iuuenes verò, quia robuſti, & omne ſuperfluum facilè diſcutiunt, ab obſtructionibus ſunt liberi. Quare rariſſimè contingit eos habere pulſus intermittentes. Cùm ergo ſenibus & pueris intermittentiæ cauſa familiaris ſit, ipſa intermittentia non tantum periculi in his arguit, quantum in iuuenibus, & quidem iuxta aphoriſmum 34. lib. 1. qui hac ſerie ſcribitur. In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut anni tempori morbus magis congruit, quàm vbi nulli iſtorum congruit. Omnes autem Medici vno ore confitentur, ſenes, & pueros, quàm iuuenes, plus humoris ſuperflui, qui potis eſt parere obſtructionem, coaceruare. Intermit-

Exponitur Galenus.

Aph. 34. lib. 1.

tentia ergo in pulſu magis his, quàm iuuenibus, conſueta eſt.

Quanquàm de intermittentia in pluribus pulſationibus notata præcipuè loquutus fuerit citato lib. 2. de Praſagit. ex pulſ. cap. 4. Galenus, quæ tamen ibi dixit, aptari debent intermittentiæ ortæ in vnica pulſatione: Licèt de hac expreſſiùs loquatur cap. 6. eiuſdem libri.

Capite 5. libri 2. de cauſ. pulſ. proponit Galenus cauſas pulsûs continui, ſed diſparis celeritatis. Hoc genus pulsûs varias habet ſpecies, quarum quælibet ſuas habet cauſas. Verùm, pulſus diſparis celeritatis, ſeu impar citatus, eaſdem habet cauſas, quas pulſus intermittens. Prouenit autem vel ab inæquali Cordis intemperie, vel ab imbecillitate facultatis vitalis ab onere ſuperfluo grauatæ, vel ab arterijs obſtructis, aut compreſſis, aut conſtrictis. Cæterùm non eſt pulſus impar citatus, ſiue diſparis celeritatis, indicium tam mali euentûs, ac pulſus intermittens, de quo in antecedentibus; quia non æquè magnum eſt incommodum, mutari motum è tardo in celerem, aut è celeri in tardum, ac motum impediri à ſuperueniente quiete. At quiete interpellatur motus in pulſu intermittente, in pulſu verò impari citato motus diſtenſionis quiete non intercipitur, ſed ſolummodò mutatur à celeritate in tarditatem, aut è conuerſo. Vnde conficitur, hunc pulſum diſparis celeritatis non præindicare tantum periculi, quantum intermittens, qui non eſt continuus, præmonſtrat. Ipſi verumtamen pulſus impares citati ad inuicem collati, diſtinctam innuunt prognoſim. Nam pulſus initio tardi, ſi ad finem vſque in celeritatem magis magiſq; inſurgant, minùs onerari facultatem humoribus annunciant: Si verò è contra, pulſus celer in principio, in tardum deſinat, cauſæ magnitudinem indicat maiorem; vt facultatem copioſis humoribus onerari, & inſtrumenta obſtrui. Eſt autem (inquit Galenus) proprium ijs, qui in contraria affatim mutantur, non ſolùm grauari facultatem, ſed etiam obſtrui, & premi inſtrumenta. In contraria affatim mutari dico, ſi, cùm moueantur celeriter, ſubitò fiant tardi: aut qui ex tardo primo motu euadant celeres. Oriuntur enim hi cum obſtructionibus quibuſdam, & conſtrictionibus, ſed minùs difficilibus, quàm intermittentibus: tum ex facultate ipſa copioſis humoribus onerata: minùs illa tamen, quàm in intermittentibus; etenim non æquè magnum eſt incommodum, mutari motum, ac impediri. Hæc Galenus,

Pulſus imparis citati cauſæ.

Pulſus impar citatus periculum non adeò magnum indicat, ac intermittens.

Impares citati imparem prognoſim pariunt.

nus, qui intermittentiam in pulsu maximè damnat: Et meritò, quoniam in intermittente, sicuti etiam in alijs differentijs, adeò quandoq; arteriæ obstructæ sunt, vt nulla pateat via per quam aër introduci queat, aut fuliginosus vapor excerni.

Tertium genus pulsuum in vnica pulsatione, & vnica arteriæ parte apparens, est bis feriens, siue recurrens dictus, quem sæpè dicrotum cum Archigene vocat Galenus; qui libro 2. de Caus. puls. cap. 6. ait: Porrò ad reliquum iam genus inæqualitatis in vna parte positæ, quos dicrotos pulsus vocamus, pergendum est. Hos diximus non posse esse, nisi vibrati sint: Quamobrem eorum causas nulla ratione exactè inuenias priùs, quàm vibrati causas accuratè perspexeris. Fit autem hic, vbi valida sit facultas, instrumentum durum, vrgeatq; vsus: quorum certè vnum si absit, non fiet vibratus pulsus: quæ enim constituit eius generationem, est violenta distensio duræ arteriæ: nam, nisi ambo hæc sint coniuncta, non vibretur, & vndequaq; concutiatur. Quòd si arteria indurata sit sola, nec cogatur distendere eam plurimum facultas, nulla erit planè vibratio, sed hoc tantum, durus, quem vocant, pulsus. Sin plurimùm dilatare arterias facultas studeat, illæ autem moderata mollitudine consequantur, magnus tunc erit, non vibratus, minimèq; durus. Quare, si fiet, vt vibratus sit, planè distendere ampliùs eas, quàm possint, facultas molietur. Atqui, nisi ab vsu vrgeatur, & compellatur, violentam facultas actionem nunquàm obeat. Rectè ergo robusta facultate diximus opus esse, induratis arterijs, atq; vrgente vsu. Et paulò post, ait: Relinquitur igitur, vt vel vsu increscente, vel instrumentis renitentibus, vel vtrisq; copulatis, distensio in vibratis pulsibus non assequatur vsum. Atque vsus, abundantiâ caloris augetur, vel exhausto animali spiritu. Contumacia instrumenta fiunt per oppilationes, compressiones, & duritiem: atq; hæc durities existit, si inflammata sint, induruerint, desiccata sint, refrigerata, contenta instrumenta.

Bis feriēs, siue recurrens, siue dicrotus.

Vibrati pulsus causa triplex.

Vsus vrgentis duplex causa.

Causæ cur arteriæ difficulter moueātur.

Galenus, vt patet, tres proponit vibrati pulsûs causas, vsum adauctum, facultatem validam, & dura, ac contranitentia instrumenta: quibus addi potest inæqualis Cordis intemperies, quæ quidem in vniuersum triplex est. Nam quædam Cordis partes calida intemperie laborare possunt, & aliæ intemperie frigida, quarum hæ paruam exposcunt dilatationem, calidæ verò magnam. Secundò,

Vibrati pulsus causæ.

Triplex inæqualis intēperies Cordis.

in-

intemperies sola infestare potest Cor, aut vnà cum materia. Itaq; potest vna pars Cordis copiosis infestari fuliginibus, altera nudâ intemperie calidâ; & sic pars calida dilatationem, pars fuliginibus onerata compressionem siue systolen maiorem. Tertia inæqualitas nascitur ex calida Cordis intemperie, & humoribus frigidis, in eius ventriculis contentis, aut vice versa. Vnde Cor incalescit, simulq; refrigeratur, vel è contra refrigeratum Cor, calidis humoribus alteratur. Hæc sanè inæqualitas, pulsus efficit inæquales Systematicos, & singulares. Quoties autem in Cordis ventriculis humores stabulantur crassi, frigidique, necessariò ora arteriarum cordi vicina obstruuntur, & fortassis ora arteriarum in cutem desinentium. Inæqualitas in arterijs æquè, ac in Corde, elucere potest, vt ex varijs Galeni locis colligere licet, & præsertim citato cap. 6. lib. 2. de Caus. Puls. vbi ait: Cæterùm inæqualitas pulsuum in diuersis arteriæ partibus comitatur proximè talem intemperiem, quòd, vbi humidior, simul & calidior sit pars arteriæ, maior illic, citatiorq; fiat pulsus: vbi vel frigidior, vel durior, ibidem minor, & tardior. Iam etiam ad motum priùs concitatur pars illa prior, postea orditur altera. Quare ex eo cùm augebit simul vibratos, tum erit finitima causa inæqualis in diuersis partibus arteriarum motus. Igitur pulsus, qui vocatur dicrotus (vt tandem aliquando ad hunc veniamus) ad hunc modum fit: Vbi partes arteriæ, quam attingimus, duriores sint, frigidioresque, ita difficiliùs etiam moueantur partes vtrinque; quas non attingimus: ac deinde partem mediam præ ipsis in distensione concitatam retrahunt intrò, iterumq; secum attollant: his, necesse est, feriatur tactus. Eiuscemodi pulsus dicrotus est duntaxat, non autem vibratus perspicuè. Alter, qui iuxta, & satis vibratus est, & dicrotus, fit ad hunc modum: Vbi cum vibratione sublatæ arteriæ pars ea, quæ solà cute tecta est, facilè attollatur: aliæ autem vtrinque partes crassitudine, numeroq; onerentur corporum incumbentium, adeò vt ne motus quidem earum tangentibus occurrat: necesse tum ex parte hac, quæ aperta est, omni iam sublata, partes illas non manifestas, quæ vtrinq; adhuc sunt, attolli. Itaque mediam, quæ delata iam dudum est, de integro vnà cum illis, quæ vtrinque sunt, attolli, ita vt redeat, & occurrat iterum foris ipsam tangentibus: Proinde eum constat dicrotum futurum, qui in eo tantùm vincit vibratum, quòd motus inæqualitatem in magnis obtineat

Inæqualis intẽperies arteriarũ, æquè inæquales procreat pulsus, ac inæqualis intemperies cordis.

Dicroti causa.

Vibratus simul, & dicrotus.

Dicrotus in quo excedit vibratum.

tineat partibus arteriæ. Cùm enim pars omnis, quæ digitis occurrit, nisi quatenùs vibratur, æqualiter moueatur, ac partes ex vtroq; latere ab illa differant, efficitur dicrotus: vibratus, cui nihil suppetit ampliùs, quàm quòd vibrantur, concutiunturq; paulatim omnes partes, motus in tam magnis partibus diuersitate, quam habet dicrotus, vacat. Planum est igitur ex prædictis, dicrotum interim ex magna intemperie oriundum esse, paruaq; duritie arteriæ in eum modum motæ: interim ex ingenti duritie coniuncta cum quadam (imbecilli) intemperie, vel crassitudine, vel abundantia humorum, & carnis.

Dicroti causæ.

Qui, præter hæc, plura de dicroto pulsu cupit, legat Galenum lib. 2. de Præsagit. ex puls. cap. 8. Certum enim est, vibratum pulsum, de quo latè Galenus in superioribus, sicuti & dicrotum, in diuersis arteriæ partibus fieri, etsi dicrotus in vna arteriæ parte præcipuè percipiatur. Præter causas dicroti superiùs enumeratas, Galenus loco citato de Præsag. ex Puls. immediatam proponit, distensionem, siue dilatationem arteriæ impeditam à propositis causis; quæ impedita dilatatio redit ope facultatis ad inchoatum, sed turbatum motum perficiendum. Et quamuis in vibrato pulsu facultatem validam esse dixerit Galenus; certum tamen est, & rationi consonum, dicrotum pulsum non semper à valida facultate fieri: nam quoties à Cordis inæquali intemperie eiusmodi pulsus nascitur, necessariò vitalis facultas summè patitur, & labefactatur.

Dicroti immediata causa.

Dicrotus non semper à valida facultate fit.

Galenus lib. 2. de Causis Puls. cap. 7 causas exhibet pulsûs caprizantis, aiens: Caprizanti verò, quem vocant, hoc cum dicroto conuenit, quòd bis pulsat: non conuenit causa. Neq; enim cum instrumentorum duritia, necesse illi est, nec cum intemperie, vt coniungatur. Postea docet, caprizantem pulsum fieri, dum motus arcetur, seu dum quies distensionem interpellat, vel ob humorum immodicam copiam, vel ob oppilationem, vel compressionem instrumentorum. Prognosim ex hoc pulsu Galenus ibidem indicat, aiens, indicium facultatis validæ esse, dum ab oppressione se colligit, liberatque, & alteram motûs partem, quæ secundùm quietem (id est, quæ quietem interuenientem sequitur) est, robustiorem efficit, ita tentans, quod noxam infert, deturbare. Si verò contrarium eueniat, secundam nimirum vltimamque distensionis partem primâ minorem esse, malè cum ægro agitur.

Caprisans pulsus non necessariò ab arteriæ duritia, aut intemperie procedit.

Caprisantis pulsus causæ.

Prognosis ex pulsu caprisante.

Ca-

Capite 8. sequenti vndosorum, & vermiculantium pulsuum differentias, simul & causas Galenns exponit. Hi etenim inæquales pulsus pluribus arteriæ partibus conueniunt, & in vnica distensione deprehenduntur. Sola enim quantitate hos ambos distare docet. Nam vndosus vermiculante maior est, ambo tamen sub vno genere collocantur. Causæ generationis horum pulsuum, sunt facultatis imbecillitas, vel copia humorum, vel summa instrumentorum mollitudo. Arteriæ quidem nimia humiditate imbutæ, simul à facultate distendi nequeunt, sicuti nec, quoties nimis sunt molles. Cæterùm vermiculans pulsus à facultate languida fit: vndosus ab humorum copia, & arteriarum mollitudine frequentiùs efficitur; etsi quandoque ab imbelli facultate, vnà cum alterutra dictarum, aut ambabus simul, procedat. Formicans pulsus à languidissima facultate oritur; estque omnium pulsuum minimus, qui ex se perniciem prænunciat. Potest tamen hic superuenire absque eo, quòd necessariò eum præcedat vermiculans pulsus, aut hunc vndosus; etsi contrarium asseruerit Auerroës lib. 4. Colliget cap. 18. Hoc tamen commune habent, quòd vna pars arteriæ post aliam moueatur; ita vt multæ intercedant quietes.

Vndosi, vermiculantis, & formicantis pulsus causæ.

Vndosus non semper ab imbelli facultate fit, sicuti formicans, & vermiculans.

Capite 9. sequenti Pulsuum decurtatorum, siue myurorum, causam docet esse imbecillitatem facultatis: minuuntur enim magis magisque motus arteriarum, quò harum partes à Corde sunt remotiores.

Pulsuum decurtatorum causa, est imbellis facultas.

Subsequenti cap. 10. innuentium, siue circumnuentium, siue prominentium pulsuum causas exponit Galenus. Prouenit enim quandoq; pulsus innuens ab inæquali arteriarum intemperie: Nam partes temperatæ arteriæ facultati mouenti obediunt, intemperatæ verò nequaquàm. Galenus verumtamen dicto cap. aliam exponit causam, quam antea pro decurtatis statuit pulsibus, facu tatis videlicet imbecillitatem; maximè verò, quoties vnà cum facultate imbelli, extenuatæ sint partes carnosæ, & aliæ, arteriæ corpus ambientes: tunc enim pars arteriæ nullo grauata onere manifestè mouetur, eiusq; motus ideò elucescit & emicat. Comparata enim huius partis distensione (inquit Galenus) alijs vtrinq; minoribus, decurtatum in vtrisq; partibus motum ostendit: Idest, partes arteriæ prominentes, & in sua distensione eleuatæ tactui occurrunt: partes verò arteriæ vtrinque demersæ, vix se tactui offerunt; quia veluti occultantur.

Pulsus prominentis causæ.

Ca-

Capite 11. sequenti, causas exponit Galenus inæqualitatis ex arteriæ situ natæ. Ex Hippocrate lib. de articul. Comment. 3. tex. 100. docet, Vterum, dorsi spinam, musculos ipsos, & intestina, distorqueri, quoties pars aliquo tumore præter naturam infestatur. Pars enim quæuis nimium repleta, crassior fit, breuiorque; vnde longitudine diminutâ trahit, veluti vi quadam, vicinas ad se partes: inde istarum partium distorsio quædam oritur. Hanc ob causam Vterus sursum, aut ad latus, ligamentis eius, aut alijs vicinis partibus immodicè repletis, & ob repletionem humorum veluti contractis, retrahitur; aliquâ similiter parte intestini tumefacta, vicinæ partes eiusdem ad hanc retrahuntur. Idem de Spinali medulla, & musculis dicendum. Inflammatio enim (inquit Galenus cit. cap. 11. lib. 2. de Pulsib.) scirrhi, abscessus, ac crudorum quorundam generatio tuberculorum, breuiter omnes præter naturam tumores, vicinas partes ad se attrahere valent. Præterea squalida siccitas, frigusq; immodicum, quiddam faciat in modum gelu, & conuulsiua intensio: quorum aliàs aliud arterias distorquet. Præter cætera distorquere inæqualis intemperies censenda est. Has omnes causas in medium produxit Galenus, vt hinc conficeret, affectis musculis, alijsue vicinis partibus, aliquo tumore præter naturam, fieri torsionem vicinarum partium, adeòq; arteriarum ipsis colligatarum.

Vteri, intestini, & aliarum partiũ distorsio à tumore vicinarum partiũ, aut eorundem mẽbrorum sæpè prouenit.

Tumores omnes vicinarum partium torsionem causant.

Sequenti cap. 12. Conuulsiui pulsûs causas explicat Galenus; quæ quidem manifestæ sunt. Nam pulsûs conuulsiui causæ sunt tensiones arteriæ ad vtrumque extremum, siue ad vtramque arteriæ partem. Sed quidam dubitabant, quomodò fieri posset, vt in arteria conuulsio generetur; cûm à Corde, & non à Cerebro, pendeat, eiusque functio sit pulsatio, & non voluntarius motus, mediantibus musculis editus. Hunc scrupulum authoritate Hippocratis, lib. de Alimento, adimit Galenus sequenti serie: Confluxio vna (inquit Hippocr.) est, conspiratio vna, omnia omnibus consentiunt, natura communis: nam nisi hoc esset, duo animalia esset, nec vnum, quisque nostrum. Nunc arterias magnas Cor Cerebro vinculum societatis transmittit, Cerebrum neruos Cordi; qui quanquàm non magni sint, mandatum tamen rationis (id est motum voluntarium) possunt perficere. Ad hæc singulis arterijs fibræ à neruis deductæ ad societatem veniunt, per quas se sinunt mutuò in consensum venire, non modò actionum, sed affectuum etiam. Nec iam quic-

Pulsus cõuulsiui causa.

Partium corporis confluxio vna, conspiratio vna, &c. ex Hippocrate lib. de Alimento.

Dubio occurritur.

quam habet admirationis, si, cùm vniuersum neruosum genus coniunctum cum arterijs sit, singuliq; eorum ramuli sibi mutuò immixti, principiaq; (vt dictum est) inter se coniuncta sint, communis appareat affectus.

Pulsus tremuli causam proponit Galenus lib. 2. de Præsagit. ex puls. cap. 12. aiens: Quando verò (vt in secundo libro de caus. symptomat. declarauimus) imbecillitatem facultatis consequitur tremor, necessarium est ideò tremulum pulsum etiam languidū simul, & paruum esse. Docet postea Galenus, propter imbecillitatem facultatis tremulos motus tactum aufugere, ideòque, vt cognoscantur, insignem distensionem esse necessariam. Docet præterea, à quibusdam imperitis pulsum tremulum censeri vibratum; verùm quid intersit inter vibrationem, & tremorem, ipse exposuit lib. 2. de caus. symptom. ex quo loco facilè erit discrepantiam pulsûs tremuli à vibrato haurire. *Pulsus tremuli causa.* Paulò tamen post ipse docet, pulsus tremuli causas esse, facultatis imbecillitatem, arteriarum mollitiem, & habitûs corporis gracilitatem: cùm tamen pulsus vibratus non ab imbelli omninò facultate, nec ab arteriæ mollitie procedat. Ex societate neruorum, & arteriarum, quam egregiè Galenus, de pulsu conuulsiuo agens, exposuit, facilè vnusquisque percipiet, pulsus tremulos, æquè ac conuulsiuos, admittendos esse.

Pulsus palpitantis causa. Pulsus palpitans nascitur à nimia copia flatuum, pulsûs instrumenta replentium; qui pulsus mali ominis est, cùm sit Cordis, & arteriarum consequenter, affectio præter naturam. Vnde Galenus lib. 6. de Placitis Hippocratis, & Platonis, ait: Motus Cordis, qui in pulsu fit, est operatio, qui in palpitationibus, est affectio.

Pulsus serratilis causa. Pulsus serrans, siue serratilis, nascitur à facultate multùm onerata, à duro instrumento, siue dura arteria, & ab aucto simul vsu: de quo Galenus lib. 4. de Caus. puls. cap. 7. & 8.

Pulsus strepentis causæ. Pulsus strepens ab inanitione, siue vacuitate, & duritie arteriarum prouenit. Valida tamen tunc est facultas.

Pulsus hectici causa. Pulsus hecticus in emaciatis & hecticis manifestè deprehēditur, qui sanè inæqualitatem continet, cùm ab arteriarum, & Cordis intemperie, facultate imbelli, & gracili habitu proueniat.

Libro 2. de Pulsib. cap. 3. Galenus causas exponit pulsûs alti, humilis, lati, angusti, longi, & breuis. In primis ille docet, harum differentiarum inæqualitates in vnica pulsatione, & frequentissimè

in pluribus pulsationibus apparere. Docet denique, tam in sanis, quàm in ęgris, multò meliùs clariusue à nobis percipi arteriam, dum distenditur in sua superiori siue exteriori superficie, quàm secũdùm latera; quia superficies illa superior, seu quæ versùs cutem tendit, nostro tactui vicinior est, nec tot corporibus cooperitur, quot partes arteriæ ad latera, & in obliquum tendentes. Vnde colligit Galenus, in ipso naturali pulsu, motum in altum, maiorem semper esse motu in latitudine: quanquàm, si verum fateamur, pulsus naturalis non sit dicendus simpliciter altus, sed mediocris, siue medius inter excessus. Sicuti in eodem naturali pulsu altitudo, aut profunditas, latitudine maior est, & clarior, ita longitudo altitudine, aut profunditate. Si arteria omni alio corpore esset denudata, latitudo, & altitudo, motus essent æquales, sed longitudo vtrisq; maior. Notat viteriùs Galenus, altitudinem rei dici ab imo sursum: Profunditatem verò esse illud spatium, quod desuper deorsùm perficitur. Galenus tamen altitudinem quandoq; cum profundo confundit.

Altitudo latitudine maior in naturali pulsu.

Altitudo, & profunditas opponuntur.

His præpositis, Pulsûs alti & humilis, lati & angusti, longi & breuis, crassi & gracilis, magni atq; parui, geminas causas proponit Galenus, inæqualem videlicet instrumentorum intemperiem, aut eorundem distorsionem. Siquidem, inquit, quemadmodùm appareant in eiusmodi affectibus (inæquali scilicet instrumentorum intemperie, & eorundem distorsione) motus inæquales, declaratum est. Nos cum Galeno rem hanc fusè superiùs exposuimus. Ille tamen, præter modò relatas causas, quæ non nisi diuturnitate temporis introducuntur, alias addendas censet; cùm à neutra dictarum causarum procedat pulsus altus in ira, & paulò ante iudicationes, siue Crises, sicuti nec pulsus latus, qui in euacuationibus Criticis adesse solet.

Pulsus altus in ira nascitur, & ante Crisim.

Deinde docet Galenus, pulsum amittere suam naturalem proportionem in longitudine, latitudine, & altitudine ob maximam crassitudinem, aut gracilitatem; vel vsum adauctum. Alti ergo pulsus causas in iratis, etiam naturaliter benè constitutis, docet esse vsum adauctum, & facultatis robur, & crassitiem, seu crassitudinem partium adiacentium, prohibentem ne in latum distendatur. Calor quidem adauctus in ira sustollit arteriam commodissimè in altum, vbi eadem arteria minus carne, aut alio corpore tegitur, & quando ad cutem vsque liberè dimouetur: Si verò carne, aut adi-

In euacuatione Critica pulsus latus apparet.

Alti pulsus in iratis causæ.

pe, aut his ſimul (vt in craſſis corporibus contingit) arteria fuerit cooperta & onerata, altus pulſus fieri non poterit. Si autem corpus gracile ſit, quia arteria in omnem partem dilatari tunc poterit, ſi valida fuerit facultas, & vſus adauctus, pulſus fiet magnus in trina dimenſione. In ira tamen, ſi imbellis ſit facultas, altus non naſcetur pulſus; magnus tamen, quia in longitudine & latitudine excedit naturalem longitudinem & latitudinem; maximè verò ſi loca arteriam cingentia ſemiuacua ſint, vt arteriam liberè recipiant.

Pulſus in ira non eſt altus, quādo facultas eſt debilis.

Pulſus humilis, alto oppoſitus, fit à facultate imbelli, & corporis craſſitie, arteriam veluti demergente. Humilis etiam perſentitur pulſus, in multis gracilibus, aut non multum carnoſis, propter primam corporis conformationem, in qua arteriæ intimè in brachio reconditæ ſunt.

Humilis pulſus cauſæ.

Pulſus latus, ad moderatum, ſiue naturalem collatus, fit, quoties à naturali robore facultas aliquatenùs declinat, & latitudo locorum adiacentium fuerit inſignis, pondusq; accedit arterijs ex ſuperioribus ſiue exterioribus partibus. Pondus hoc, inquit idem Galenus, quod acceſſit arterijs, ſæpè ſunt ipſius cutis rugæ, quod accidit ſenibus, & gracilibus, qui tamen habitu non ſunt deſiccato: de quo genere ſunt illi, qui recenter ſunt iudicati, ſiue criticè euacuati. Sæpè adhuc ex humiditate, præcipuè ſi irrigua ſint ipſa corpora arteriarum, vt fit in hydropicis: partes enim earum quæ in ſummo cacumine ſunt poſitæ, delabuntur, demittunturque, partim in ipſam arteriarum cauitatem, partim in obliquum. Quare hactenùs aſcenſu neceſſè eſt pulſus prohibeantur, quatenus infra arteriæ dorſum demittitur. Ac nimirum latitudinem iam bifariàm oportet præpollere, tùm quòd in obliquum delabantur arteriæ partes, ac comprimant, atq; eo inferiorem regionem dilatent; tum verò, quòd imminuta ipſa altitudo ſit: quarum certè vel altera reddere pulſum latum valeat, aut imminuta altitudo, aut latitudo aucta: quia verò ambæ coniunctæ ſunt, hinc clara in eiuſmodi affectibus, & ampla conſpicitur latitudo.

Pulſus lati cauſa.

Hydropicorum pulſus nequit eſſe altus.

Rectè monuit Galenus, cutis rugas grauare ipſam arteriam: nam cutis craſſior fit accedentibus rugis, quarum interſtitia exiguis foueis, aut ſulcis ſimilia, ipſis cutaneis eiſque craſſis excrementis, quæ vix reſolui poſſunt, replentur: Vnde maius increſcit pondus cutis, arteriæ incumbentis.

Rugæ cutis arteriam grauant.

Qui

Qui criticè euacuati sunt, gracilitatis aliquid acquisiuisse videntur, quod pleraque vasa à superfluitatibus sint liberata: vnde partes omnes quodammodo in se concidentes, cutem non ampliùs tendunt, sed eam plurimùm relaxant; quæ ideò quodammodo rugosior efficitur. Ad hæc, in ipsa euacuatione arteria magis comprimitur, quàm dilatatur, sustolliturue: quare altitudinem meritò amittit, & latitudinem in suo motu acquirit.

Quoties arteria immodicè humoribus imbuitur, vt in hydropicis fit, etiam grauior efficitur, & ad sublationem ineptior. Vnde in se veluti concidens, & in latera adlabens, latiorem potiùs, quàm altiorem efficit pulsum. *Pulsus hydropicorũ latus.*

Pulsus angustus lato oppositus, ab imbecilli facultate, impotente arteriam dilatare, non rarò fit: loci etiam angustia angustum reddit pulsum: veluti ea, quæ arteriam vtrinque comprimunt. *Angusti pulsus causæ.*

Pulsus longus, qui per excellentiam talis dicitur, proprio nomine tenuis & gracilis dicitur, quòd instar tenuis subtilisue fidis, aut fili, arteria quatuor digitorum pulpas feriat. Huius pulsûs causas Galenus hac serie proponit: Habitus corporis tenuis (siue gracilis) circumtenta, aliquantoque siccior cutis: proinde si laxa, & crassa magnam partem motus tegit, tenuis contentaque prorsùs omnem conseruat. Vndè liquet, conspirare gracilitatem totius habitus oportere, & duritiem cutis, ad hæc duritiem instrumentorum, tum imbecillitatem facultatis, non vltimam tamen. Nam facultas prorsùs languida arteriam sensibiliter attollere nequit. *Pulsus longus gracilis propriè dicitur.* *Pulsus lõgi causæ.* *Longi pulsus causæ.*

Breuis pulsus, longo oppositus, fit, vbi in parte quapiam parua, arteria sola cute muniatur, & partes ex vtroq; illius latere omnes in profundum affatim demergantur: namq; pars eius illa sublimis, quæ subter cutem est, apertè omnem motum prodat, oportet; profundæ contra, quòd multa obiecta sint corpora, occultentur. Hoc multis spontè suppeditat; in morbosis affectibus, sanè paucis, cùm in situ distorqueatur aliquo modo arteria, ac parua sit eius pars conspicua, reliquæ intrò omnes in profundum depressæ sint. Est verò & hic pulsus de illis, qui breues per excellentiam dicuntur: nam proprium huius nomen est crassus, & turgidus: quandoquidem, qui simpliciter breuis est, vel ex corpulentia nascitur, vel ex paruitate. Percurri iam omnes penè, quæ inæqualitatem inducunt, causas: quòd, si qua res parua præterita sit, facilè inuenias ex commemo- *Breuis pulsus idea, & causa.* *Breuis pulsus per excellentiam crassus, & turgidus dicitur.*

memoratis. Hactenus Galenus, per se clarus.

Capite 14. sequenti, causam proponit ordinati, & inordinati pulsûs. Statuit ergo causam quamcunque, quæ inæqualitatem in pulsibus parit, esse firmam, & fixam in ordinatis pulsibus: in pulsibus inordinatis, non fixam. Denique monet, ordinem, & æqualitatem, esse naturæ familiares. Vnde infert, minorem esse offensam, quoties vnum eorum, ordo scilicet solus, aut sola æqualitas, turbatur, aut violatur: maiorem verò esse offensam, quoties vtrumq; conturbatur. Cùm ergo ordo, & æqualitas, ambo in inordinatis conturbentur, inordinati pulsus mali ominis æstimandi. In ordinatis verò, qui inæquales sunt, vnum dictorum concurrit, inæqualitas scilicet. Æqualis autem pulsus à facultatis robore, instrumentis obedientibus, & moderato vsu pendet, inæqualis à contrarijs causis: facultatis nimirum imbecillitate, arterijs contumacibus ad motum, & vrgente vsu.

Aequalis, & inæqualis causæ.

Cap. 15. & vltimo præfati sæpè libri 2. de Caus. Pulsuum, meminit Galenus causarum mutati, aut alterati rhythmi. Supponit enim, quod sæpè monitum est, allici per arteriarum distensionem aëream quādam substantiam in earundem arteriarum cauitates, vt diffletur & temperetur natiuus calor; mediante verò earundem arteriarum contractione, excrementa excerni, & præsertim fuligines adustorum humorum. Vnde infert, maiorem celerioremque fieri distensionem, siue diastolen, siue motum arteriæ versùs partes externas, quotiescunque distensionis vsus instat: maiorem verò, celeriorem que contractionem, siue arteriæ motum ad interiora fieri, quando expulsionis vsus magis vrget.

Cur nunc distensio arteriæ maior contractione, nunc contractio distensione.

His præhabitis, sciendum est, in ætatibus, in quibus multi humores insumuntur, distensionem parumper cedere contractioni: in quibus verò pauciores humores insumuntur, quod in senibus fit, longè in his maius esse contractionis tempore distensionis tempus: idest, ab infantia ad iuuentutem vsque, quo toto tempore incrementum quisq; fermè suscipit, contractio siue compressio, siue constrictio arteriarum longior est, aut longiori tempore eget, quàm distensio siue dilatatio arteriæ: ex aduerso, in senibus contractionis tempus paulò breuius est tempore distensionis. Ratio est; quia vsus contractionis in ætatibus, quæ iuuentutem antecedunt, paulò magis vrget, quàm vsus dilatationis: cuius etiam rei ratio est, quia plu-

plures insumuntur in illis ætatibus humores, quàm in senectute; & vbi plures insumuntur humores, ibi plures conficiuntur humores: vbi plures conficiuntur generanturue humores, ibi magna excrementorum copia accumulatur: vbi copiosa accumulātur excrementa, ibi necessitas vrget euacuandi eadem excrementa. Cùm ergo in tenerioribus ætatibus multus humor necessariò consumatur, vt nutriatur, simulq; crescat puer, multi humores generari debent; adeòq; copiosa excrementa, quæ ad sui excretionem per varias vias naturam stimulant; vt sensibiliter fieri percipimus in excretionibus, quæ fiunt per aluum, & vrinæ vias; & consimilem euacuationem ratio fieri suadet per cutem, mediantibus arteriarum compressionibus. Senes verò, cùm non ampliùs crescant, tanto sanguine non egent, quanto illi, qui crescunt: Quare cùm tot humores non conficiant, consequenter nec tot excrementa accumulant. Nec enim appetitu tam acri, quo pueri, fruuntur, pollentue senes. In his ergo dilatatio arteriarum paulò breuior erit contractione: quanquam dilatatio simul & contractio arteriarum in adolescentia, & pubertate, maiores, quàm in senibus, extent. In iuuenili ætate, quæ calida est, dilatatio contractione manifestè longior esse debet; quia refrigerandi, quàm euacuandi, necessitas vrgentior est. Sed hæc de Rhythmis.

Varius est rhythmus, iuxta varietatem ætatum.

SECTIO IV.
De Causis naturalibus Pulsum mutantibus.

SVperiùs pollicitus sum, postquàm causas differentiarum pulsûs exponerem, me daturum quædam Capita, à Galeno lib. de Pulsib. ad Tyrones scripta, in quibus optimo ordine peculiares causas mutationis pulsuum exposuit; in eademq; Capita ipse perampla edidit Commentaria libris 3. & 4. de Caus. pulsuum. Primo enim loco naturales causas mutationis pulsuum enarrat: secundo causas non naturales: tertio causas præter naturam. Hæc Sectio causas naturales complectetur, quæ quidem est Caput 9. libri de Pulsib. ad Tyron. quod sequenti serie scribitur: Quando multis modis pulsus variare possunt (neque enim causam propè vllam reperias, quin hos immutet) visum est mihi trifariam mutationis summam differentiam distribuere, deinde separatim de singulis verba facere. Prima igitur mutatio horum naturalis est: altera non illa quidem natu-

Leuissima omnis causa pulsum mutat.

ralis,

ralis, nec tamen iam præter naturam: tertia est præter naturam. Comitantur hæ omnes, naturales differentias: alij enim a liter arteria natura mouetur, quas quidem tenere ante omnes debet, qui cognoscere cupit, qua de causa, ac quatenùs mutari pulsus contigit: at proprium cuiusq; ad vnguem experiundo assequaris. Sanè frequenter tangenda arteria est, præsertim integra sanitate præditi, atq; vacui omnis vehementis motus, nec non cæteris in statibus. Verùm, quia omnes experientia assequi non est (etenim multi iam Medicos sæpè desiderauerunt, cum quibus sani nullum habuerunt vsum) optimum herclè est etiam hîc imperito præstare artificem. Præstiterit autem, si scientiam comparauerit eorum, quæ in multis ex æquo insunt. Est autem quædam, vt summatim dicam, communis Virorum natura, alia mulierum. Etiam, qui calidiore sunt temperamento, quique frigidiore, habent hi suam vtriq; communem naturam. Ad hæc omnium communis natura est gracilium, corpulentorum item communis est. Ac rarum in singulis est, quas memoraui, communitatibus, quod non assimilè multis sit. Proinde etiam, qui probè commune tenet rarò à vero aberret.

Fontes varij è quibus Medicus pulsuum ægrotorum in statu sano ignotorum, notitiam expiscatur.

Virorum mulierũq; pulsus. Viri mulieribus pulsum ferè habent longè tum maiorem, tum vehementiorem, paulò tardiorem, satisque rariorem.

Calidorum pulsus. Calidi naturâ multò habent maiorem, celeriorem, & crebriorem: vehementiorem non item multò.

Pulsus gracilium. Graciliores maiorem, rarioremq; multò: vehementiorem paulò. Atq; natura sic differunt.

Pulsus ætatum. Porrò pro ætatibus hoc pacto immutantur. Infantis pulsus creberrimus est, rarissimus senis: omnes, qui inter hos intercedunt, proportionem seruant, prout, vel ad puerum, vel ad senem propiùs accedunt. Celerrimus item pueri, iuuenisque pulsus; senis tardissimus: reliquarum ætatum pulsus inter hos ambigunt. At senex à puero longè magis raritate, quàm celeritate, distat. In vehementiæ, & magnitudinis differentia maximus est, vt in ætatibus, pulsus iuuenum, minimus senum, medius, & paulò maior pulsus puerorum. Iam vehementissimus iuuenum, languidissimus senum, medius est inter hos puerorum pulsus. Atq; pulsus in ætatibus sic habent.

Pulsus temporum anni. Pro anni temporibus: medio Vere pulsus maximi sunt, & vehementissimi, vt in temporibus: celeritate, & crebritate moderati. Pari

mo-

modo, medio Autumno. Progrediens autem Ver nonnihil de magnitudine, & vehementia detrahit, ſed auget celeritatem, atq; crebritatem: tandemq; ineunte iam æſtate, languidi, parui, celeres, crebrique fiunt. Autumni progreſſus cuncta imminuit, magnitudinem, vehementiam, celeritatem, crebritatem. Ita ineunte hyeme in paruitatem conuertuntur, & remiſſionem, & tarditatem, & raritatem. Reſpondet autem initium Veris fini Autumni: illius finis, initio huius. Æſtatis item principium ſuo, & principium hyemis ſuo fini. Proinde, quæ pari ſpatio à media Æſtate, & media hyeme in vtramque partem defluxerunt, ſimiliter variant. Porrò media Æſtas partim conuenit cum media hyeme, partim diſſidet. Nam parui vtrobique, & languidi ſunt, ſed celeres, atq; crebri Æſtate; tardi, rarique hyeme; non perinde tamen parui Æſtate, vt hyeme, ſed Æſtate minus: nec ita hyeme languidi, vt Æſtate, cæterùm minùs hyeme. Ad hunc modum, pro temporibus, pulſus variant.

Initium Veris fini Autumni reſpondet, & Veris finis initio Autumni.

Aeſtate pulſus non ſunt ita parui, ſicuti hyeme; nec hyeme adeò languidi, ac Aeſtate.

Pro Regionibus perinde, vt pro temporibus. In vehementer calidis, ſicut media Æſtate. In magnoperè frigidis, vt media hyeme. In temperatis, ita, vt medio Vere: ad horum proportionem in ijs, quæ medium locum ſunt ſortitæ. Porrò aëris nos circumdantis alij ſtatus, qui calidi ſunt, calidis temporibus: frigidi frigidis: medij medio Veri reſpondent.

Pulſus Regionum.

Prægnantium maiores, crebriores, celeriores pulſus ſunt: præterea nihil mutantur.

Prægnantiũ pulſus.

Iam ſomni etiam ſint, ſi quid aliud, naturales, qui & ipſi variant pulſus. Initio minores, languidiores, tardiores, rarioreſq; reddunt. Poſtea tarditatem pedetentim augent, & raritatem, præſertim à cibo: at maiores ſunt & vehementiores. Tandem ad remiſſionem & paruitatem redeunt: tarditatem, & raritatem retinent.

Pulſus varij in ſomno.

Qui expergiſcuntur, è veſtigio pulſus magnos, vehementes, celeres, crebros, & cum quadam vibratione habent, qui mox mediocritatem aſſequuntur.

Pulſus expergiſcentium.

Adſcititiæ habitudines corporis perinde, vt naturales, immutant. Nam gracilis naturâ, ſi quadratus euaſerit, huic, qui talis naturâ eſt, aſſimilem pulſum habet. Sin autem quadratus, factus gracilis ſit, aſſimilem gracilibus naturâ. Conſtat verò, gracilitatis, & quadrati corporis, citra facultatis immutationem, æſtimandam differentiam eſſe; itemq; in omnibus alijs: vt vnum id tantum, vbique,

Pulſus acquiſiti habitus corporis.

de quo in præsenti disputemus, mutetur. Quæ diximus de quadratis, eadem etiam de corpulentis dicta fuisse est putandum; nisi quòd magis sunt intensa.

Iam etiam temperamenta corporis adscititia pulsus ea proportione mutant, qua naturalia temperamenta.

SECTIO V.

De Pulsuum mutatione ex Causa non naturali.

Exercitij pulsus.

HÆc Sectio est Caput 10. libri de Pulsib. ad Tyron. quod sequenti serie habetur: Nunc alias mutationes, quæ causas habent non naturales, recenseamus. Exercitationes primò, quæ moderatæ sunt, vehementes, magnos, celeres, crebros pulsus efficiunt. Si multæ sint, & vires excedãt laborantis, paruos, languidos, celeres & crebros in summo. Nimiùm immodicę, adeò, vt ęgrè iam se possit mouere, & multis interpositis quietibus, aut nihil prorsùs possit, sed exolutæ vires impensè sint, pulsus mirè paruos, & languidos, tardosque, & raros. Quòd si ad virium dissolutionem perueniant, pulsus creant illis proprios. Quales autem excitet pulsus facultas, quæ dissoluitur, dicemus paulò inferiùs.

Pulsus excedentis exercitij, siue laboris. Pulsus immodici laboris.

Pulsus balnei calidi.

Balneæ calidæ, dum sint moderatæ, pulsus creant magnos, celeres, crebros, & vehementes. Immodicæ paruos, & languidos, tamen adhuc celeres, ac crebros. Quòd si hîc relinquantur, paruos, languidos, tardos, atq; raros.

Pulsus balnei frigidi.

Balneæ frigidæ illicò paruos, ac languidiores, & tardos, rarosque pulsus efficiunt: postea, prout id sit, quod induxerunt, omninò, vel torporem inducent, vel robur. Quæ torporem intulerunt, & refrigerârunt, paruos, & languidiores, & tardos, rarosq; efficiunt. Quæ excalfecerunt, & robur conciliarunt, magnos, vehementes, celeritate, & crebritate moderatos.

Pulsus copiosi cibi. Pulsus parci cibi, & mediocris.

Cibus largus, vt etiam grauet facultatem, pulsus inæquales, atq; inordinatos concitat. Archigenes vult celeriores magis, quàm crebriores. Modicus, magnos, vehementes, celeres, crebros. Parcior quàm qui satis nutriat, non æquè ac moderatus, cæterùm minùs mutat, neque id diù.

Pulsus vini, siue à vino.

Vinum pulsus cætera, vt cibus, variat: hoc verò interest, quòd illicò immutet, & citius mutatio à vino profecta recedat, quàm illa, quæ

la, quæ à cibo: quod item celeritatem ampliùs, & magnitudinem, quàm vehementiam, & crebritatem augeat. Quantò enim vehementius moderatus cibus, constantiusq; robur conciliat, tantum fere vinum extollit magnitudinem.

Aqua minimam omnium ciborum, & potuum, mutationem inducit, quamquàm perinde, vt cibi, & hæc mutet. *Pulsus aquæ.*

Reliqua omnia, quatenus nutrire valent, vel calefacere, vel refrigerare, hactenùs arteriarum motum variant. Ad hunc modum pulsus ex causis, quæ non naturales appellantur, mutantur.

SECTIO VI.

De mutatione Pulsuum ex Causa præter naturam.

HÆc Sectio est Caput 11. lib. de Pulsib. ad Tyrones, in quo Galenus Pulsus quorundam morborum satis apertè proponit. Sed quoniam in Praxi Medica morborum Signa sim propositurus, pulsus eorundem, Deo dante, non omittam. Interea pulsum passionum Animæ ex Galeno sequenti serie accipite: Iræ altus est pulsus, magnus, vehemens, celer, & creber.

Lætitiæ magnus, rarus, & tardus est pulsus, at vehementia nihil differt.

Tristitiæ, paruus, languidus, tardus, & rarus est.

Timoris recentis & vehementis celer, & vibratus, & inordinatus est, inæqualisque. Inueteratus iam similem habet tristitiæ. Hæc omnia, si valde diuturna sint, multumque vehementia, pulsus, vt dissoluta facultate, consequuntur. Etenim dissoluunt etiam facultatem hæc omnia, statim, si valida sint; diuturnitate, si non sint valida. *Pulsus iræ. Pulsus timoris.*

Mirandum est, quòd hîc Galenus Animi passiones inter causas præter naturam enumerauerit; cùm sint de numero rerum non naturalium. Sed id ideò fortàssis fecit Galenus, quòd res non naturales indebitè, aut incongruè dispositæ, in causas migrent præter naturam; sicuti in naturales, & salubres, quoties debitè dispositæ sunt. *Dubio occurrit.*

CAPVT V.
De modo tangendi Pulsum.

HActenùs Pulsûs naturam, differentias, & differentiarum, specierumue causas, patenter, & copiosè inuestigauimus: Et quæ ad pulsum dignoscendum sunt requisita, promiscuè,& consequenter inter iam relata, exposuimus; veluti prognosim ex pulsu eruendam. Adeò, vt attentè legenti quæ de pulsibus huculq; exarauimus, meo saltem iudicio, sufficiant. Nunc ergo quæ ab ægro, sanoue, & Medico obseruari debent, dum hic arteriam tractat, exponere oportunum censeo. Æger in primis omni pathemate animi exutus esto: Nam animi passiones, & mutatio alteratioue in aëre facta, sicuti alia quædam externa, pulsum alterare valent. Secundò, brachium detineatur in naturali situ, absq; eo, quòd sit sublatum, aut depressum, aut nimis extensum, aut obliquè expositum, sed sit semiflexum, vnà cum manu, & digitis. Debet & præterea sustineri, vel à Medico, vel à Lecto, vel ab aliquo alio conuenienti fulcro.

Conditiones ex parte ægri obseruandæ.

Medicus scire debet, non vno, eodemque modo pulsum esse tangendum, cùm triplex sit modus applicandi digitorum pulpas arteriæ ægri, docente Galeno lib. 1. de dignoscendis pulsib. cap. 7. Primus est, quando, veluti suspensa manu ita arteria tangitur, vt nullatenùs comprimatur: quo modo languidi pulsus, celeres pariter, & externa quies dignoscuntur. Si enim à Medicis arteria comprimeretur, nequaquam perciperentur pulsus relati, sicuti nec quies. Secundus modus tangendi pulsum, primo iam dicto oppositus, est, quando digitis arteria benè comprimitur: hoc modo dignoscimus, an pulsus sit durus, aut vehemens, aut magnus: hi etenim pulsus tactui perspicuè renituntur; adeoq; arteria compressa se vi quadam sustollit, tactumq; ferit, quod in alijs pulsibus vix fieri contingit. Tertius modus tangendi pulsum, est medius inter geminos iam expositos: quando scilicet manus Medici non fortiter arteriam comprimit, nec molliter, & omninò laxè, aut suspensè, sed mediocriter, siue medio quodam modo. Hac modica compressione potissimùm dignoscuntur sanorum pulsus; quorum sanè cognitionem nancisci debet Medicus, vel eos quotidiè tangendo, vel saltem co-

Triplex modus tangēdi pulsū.

gitando naturalem cuiusque pulsum, ad quem ægrorum pulsum recta cogitatione conferet, & excessum quemuis exactè obseruabit.

Medicus adhuc, dum ad pulsum tangendum se accingit, manum habeat temperatam, mundam, mollemque, tresque applicet digitos, indicem, medium, & annularem; & quidem pulpas eorundem digitorum ad pulsum dignoscendum applicet, totam verò manum, vt totius carpi calorem, aut frigus, ariditatem, aut madorem, mollitiem, aut duritiem percipiat. *Medici manus tēperata esto.*

Denuò aduertat Medicus, ne statim in suo ad ægrum accessu pulsum tangat; quoniam ægri animus in aduentu Medici quodammodo commouetur, adeoq; pulsus. Licitum tamen est tunc Medico pulsum tangere, dummodo, post interposita colloquia, eundem iterum tangat: Et quidem tam diu, quamdiu necessum est ad explorationem æqualitatum, aut inæqualitatum, tam in pluribus pulsationibus, quàm in vnica pulsatione. Quoties verò diutiùs, quàm par est, pulsum Medicus tractat, æger ipse, vel astantium aliquis, in mali euentûs suspicionem rapitur: imò, si fæmina est, quæ ægrotat, eaq; Virgo, credunt aliqui, Medicum, mediante pulsu, Virginitatis iacturam, aut grauiditatem, aut amorem explorare. Sed hic huius Tertij Semeioticæ Libri de Pulsibus finis esto. *Quando pulsus tangendus.*



NEL-

NELLANI (aliàs NIGELLI) ô GLACAN, TIRCONALLENSIS HIBERNI,

SEMEIOTICA.

LIBER QVARTVS, De Vrinis.

CAPVT I.

De Necessitate huius Doctrinæ.



Ibro proximè scripto de Pulsibus, statim in Exordio, necessitatem exposuimus Doctrinæ de Pulsibus, & Vrinis. Ex excrementorum porrò inspectione interiorum corporis regionum statum, tam naturalem, quàm præter naturam, dignoscimus, & futurum morborum euentum presentimus. Vnde ex sputo, partium in thorace occlusarum, bonam, malámue dispositionem expiscamur: ex fæcibus, ventriculi, & intestinorum: ex Vrinis, hepatis, & venarum, renum, vreterum, & vesicæ. Sanguificationem enim, quæ in hepate fit, sanguinisque in vasis contenti perfectionem, imperfectionemque, nobis vrina demonstrat. Proinde Medicis antiquitùs consuetum erat, fæces inspicere, & vrinas, vt naturalis, & inferioris ventris statum inde venarentur: quod testatur antiquissimus ille Comicus Aristophanes, qui Medicos deridebat priscos, quòd fæces, siue stercora, & vrinas attentè inspicere solerent. Hunc morem sequutus est Hippocrates, & cum eo, quotquot successerunt, probati Medici. Hinc inferre licet, doctrinam de vrinis doctrinâ de Pulsibus digniorem esse, quòd doctrina de vrinis priùs excogitata fuerit, quàm doctrina de Pulsibus; quodque maiorem Medico certitudinem & notitiam vrina, quàm Pulsus, adferat. Plinius lib. 11. Natural. Histor.

Excrementa varia variarū partium statum produnt.

Aristophanes vrinarum meminit.

Doctrina de vrinis tempore prior est doctrina de pulsibus: adeoque dignitate prior.

ſtor.cap.37. ait: Herophilus, qui primus pulſuum notitiam ſcriptis tradidit, propter difficultatem rei à diſcipulis fuit deſertus. Niſi ſanè doctrina de pulſibus fuiſſet ardua, & nimis obſcura, eam non ita præterijſſet Hippocrates, quin frequentiùs ex pulſu, tanquam ex Signo, præſentem rimaretur ægrorum ſtatum, veluti futurum cuiuſq; morbi euentum; vti feciſſe viſus eſt, excrementa varia, tam naturalia, quàm præter naturam, variaſque actiones, tanquam certa Signa, paſſim inſinuando. Humanum quidem captum effugere videtur, quod antecedenti libro cum Galeno in medium produximus, inæqualem Cordis, aut arteriarum intemperiem, inæqualem efficere pulſum; cùm vix, aut nunquam, Signis vllis Medicus, exactè ſaltem, venari valeat iſtam Cordis, aut arteriarum intẽperiem. Ad hæc, pulſus adeò inconſtans eſt, vt à leuiſſimis cauſis alteretur; & modò optimus appareat, mox verò peſſimus & lethiferus: ſicuti in mox morituris non rarò comperi. At verò vrina certiùs nobis rem indicat: quare ſæpiſſimè Galenus vrinam coctam, ſemper, vt bonum Signum, laudat; crudam verò vrinam, tanquàm malum Signum, damnat. Ergo non dignitate modò, ſed certitudine, doctrina de vrinis ſpeculationem de pulſibus excedit.

Herophilus à diſcipulis deſertus propter obſcuritatem doctrinæ de pulſibus.

Vrina eſt Signũ multò certius pulſu, tàm ad dignoſcendum, quàm prænoſcẽdum.

Nollem tamen plurimorum errori adhærere, qui in ſola vrina, tanquam in ſpeculo, omnium diſpoſitionum imagines, ideaſue, contineri exiſtimant: ita vt ex vrinæ inſpectione tutum ſit pronunciare, an Mulier grauida ſit, nec ne; an Capitis grauitate laboret aliquis; an apoplexiâ, aut caro, aut alio conſimili affectu: omnem namque affectum ex vrinarum inſpectione dignoſci ſtatuunt. Conſuetudo tamen hæc ridicula eſt; cùm omni careat fundamento. Nam in morbis thoracis, exempli gratia, ſputa potiſſimùm inſpicienda docet Galenus; vrinas verò ſecundariò, & ratione febris tantùm. In alui ſimiliter affectibus fæces inſpiciendas monet, vrinas tamen non eſſe negligendas. Scio quidem, Galenum lib.6.de locis affectis cap.4.docuiſſe, pus è pulmonibus deriuatum, per vias vrinæ expurgatum fuiſſe, veluti aliàs thoracis, ſeu pulmonum potiùs, vomicam per ſeceſſum: ordinariè tamen recrementa gibbæ partis hepatis per vias vrinæ expurgari docuit, aiens: Igitur cum vrina expurgantur gibbæ hepatis partes, atque omnes, quotquot ſunt his ſuperiores: per aluum verò pars iecinoris reſima, inteſtina, ventriculus, lien. Præter has aliæ quædam fiunt purgationes, ſed rarò,

Solus ſtatus hepatis, & venarum, renum, vreterũ, & veſicæ, ex vrina dignoſcitur.

vt cùm thorax, & pulmo, per aluum purgatur: quæ infra septum transuersum positæ sunt partes, per vrinas. Quorum causam, cùm nonnulli ignorent, neque id vnquam in ægrotis accidisse viderint, quod à multis visum est, negant fieri posse (quod abscessu interim in pulmone orto pus expurgari per renes possit: Hæc verba in antiquis Codicibus Græcis non habentur; sicuti nec in translatione latina veteri, sed glossema sunt, quod ab imperito scriptore postea in contextum Galeni positum est). Nos verò pulmonis vomicam per vrinam, thoracis autem per intestina, & aluum expurgari vidimus: quanquàm in primis ex pulmone per renes transitus, nullam reuera dubitationem excitare debet: etenim vt à caua vena, ita ex magna quoq; arteria rami descendunt ad renes (emulgentes intelligit). Quoniam autem Erasistratus putat, solum spiritum in arterijs contineri, hæc quæstio eius sectatores non parum vrget: nobis verò nihil difficultatis affert, vtpotè intelligentibus, quòd læuis arteria (arteriam venosam intelligit) pulmonis, quātum puris ex erupta vomica suscipit, id in sinistrum Cordis sinum deferre potest, quod inde in magnam ipsius arteriam incidens, per renes transit in vesicam. Hoc tamen non ità crebrò euenire videtur; vtpotè pure prius in asperas arterias magna ex parte transumpto. Itaq; quam ob causam pus in pulmone genitum, cum vrinis (licet rarò) excernatur, iam dictum est. Id verò, quod per ventrem expellitur, aliam, & quidem raram (quæ in corporum dissectione apparet) habet causam: quippe caua vena, mediante vase quodam, stelechiææ vocatæ (id est venæ quæ arboris caudici proportione respondet) videtur interdum adaptari. Proinde nihil mirum, neque impossibile est, & ex partibus septo transuerso superioribus pus in ventrem defluere, & ex ijs, quæ eidem supponuntur, ipsum per renes in vesicam peruenire: nam corporum raras constitutiones, par est, vt rara etiam accidentia sequantur.

Pus in thoracis cauitate genitum, per vias vrinæ, & per secessum expurgari obseruauit Galenus.

Docet hîc Galenus, vomicam, siue abscessum pulmonum, & thoracis, per vias vrinæ quandoque euacuari, aliàs per secessum: quod sanè rarissimè contingit. Nam ordinariè, tussi præeunte, per trachæam arteriam, & rursùs per os, non solùm superfluitates in pulmonibus, sed etiam in pleura, collectæ, reijciuntur. Pus enim, & superfluitates in thorace collectas per læuem arteriam, siue arteriam venosam, ad Cordis sinistrum ventriculum, & illinc ad Aortam, siue

magnam

magnam arteriam, deinceps per arterias emulgentes, ad renes, & à renibus in vesicam traijci periculosissimum est; quòd puris fętorem, & putrefactionem Cor vix sustinere posset: Spiritus quippè vitalis in Cordis sinistro ventriculo, tanquàm in propria suæ generationis officina, conclusus, & in magnam arteriam rursùs effusus, proculdubio coinquinaretur, & vix ideò diu subsisteret homo. Vnde pus per hanc viam è pulmonibus, alijsue partibus traijci, miraculum quoddam naturæ, à Galeno, vt refert, visum, censeri debet; veluti etiam pus per secessum euacuari, aliud veluti miraculum æstimandum est: cùm nulla pateat via, per quam è pulmonibus in intestina pus transferri posset, præter venam arteriosam in pulmonum corpus diffusam. Sed per hanc impossibile videtur quidpiam ad inferiora tranare: quia, vt in nostræ Physiologiæ libro 3. contra Cremoninum docuimus, nihil è ventriculo dextro Cordis in venam cauam remeare posse, propter valuulas è latere venæ cauæ interiùs in dextrum cordis sinum tendentes. Fuchsius enim in Commentario supra citatum Caput, docet, è pulmonibus per venam arteriosam in dextrum Cordis ventriculum pus illius ferri, & illinc rursùs in venam cauam, & per quandam venam à vena caua protensam, & aptatam Stelechiææ, id est caudici siue trunco venæ portæ (alij per Stelechiæam intelligunt mesenterium, & non venæ portæ caudicem); & ex vena porta sine vllo labore in intestina traijci. Cæterùm ipse Galenus raro huiuscemodi euacuationem fieri docet: nec mirum; cùm rarissimè inueniatur vena protensa à vena caua ad caudicem venæ portæ, aut mesenterium. Quoties tamen in aliquo homine à prima conformatione talis vena extaret, credunt nonnulli tunc non modò thoracis, sed ipsius ventriculi, lienis, & cauitatis hepatis recrementa per vrinas, etsi contra consuetudinem, euacuari. Ideò enim dixit Galenus, raro partes infra Septum transuersum collocatas per vrinas expurgari. De modò autem dictis partibus loquutus est, non de gibba hepatis parte, aut de renibus, & vesica; quæ partes, sine vlla controuersia, per vrinas expurgantur.

Heruæus ex hac Galeni doctrina non rectè infert in sanguine circulationem fieri. quia euacuatio puris per secessum fieri nequit, ex eodem Galeno, nisi in quibusdam corporibus in quibus noua vena à caua ad portā protenditur.

Ventriculus, lien, & cauitas hepatis raro per vrinas se exonerant.

Hæc discutere volui, vt, quod priùs insinuaueram, verum esse ostenderem: Vrinas nimirum nobis tantùm ostendere hepatis, venarum, arteriarum, renum, vreterum, & vesicæ statum: hepatis quidem, quoniam in eo vrina generatur: Venarum, quia hæ ex hepate emer-

Vrina, quarum partium est Signum.

emergunt, & in easdem, tanquam in promptuarium, massa sanguinaria, cum reliquis suis annexis, siue sequelis, veluti effunditur: Renum, quia ab his allicitur vrinæ materia, in ijsdemq; tamdiu stabulatur, quamdiu eius separatio à sanguine, suo comite, perficitur. Rursùs, postquàm à portione sanguinis, vnà cum ea in renes delati, separata est, per vreteres ad vesicam, eius receptaculum, in quo aliquandiu reseruatur, transitum facit. Libro 4. de Sanitate tuenda cap. 4. expresè monet Galenus, vrinam esse Signum eorum tantùm, quæ sunt in vasis: Nomine vasorum non solùm venas in angustiori significato intelligit, sed in latiori, quatenùs vena, præter venas communiter dictas, arterias comprehendit: quo in sensu Hippocrates, Aristoteles, alijq; Antiqui, quandoq; loquebantur. Galenus verò expresè lib. 1. de Sanit. tuen. cap. 12. Vrinam venarum, & arteriarum excrementum esse refert, aiens: Quod autem in venis, & arterijs, excrementum aceruatur, eiusmodi planè est, quale in lacte concreto serum. Nisi enim pars materiæ vrinæ ex arterijs, imò ipso Corde, per emulgentes arterias ad renes deriuaretur, vrina nō esset vnum ex præcipuis Signis humoralium febrium; cuius tamen contrarium Medici plerique docent, qui magna cum obseruantia vrinas febrium humoralium inspicere, & expendere accuratissimè consueuerunt; vt inde venertur non sanguinis tantùm venalis, sed etiam arterialis perfectionem, aut imperfectionem. Hanc doctrinam confirmat Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 7. aiens: Nunc verò hoc tantùm ostendisse sufficiat, quòd coctionis, quæ in spirandi instrumentis fit, sputa: eius verò, quæ in venis, vrinas: illius autem, quæ in ventre, alui excrementa, Signa statuere oportet. Et quòd in febribus omnibus (quoniam venosi generis sunt passiones, nam & arterias in hoc genere comprehendimus) ad vrinas præcipuè attendere oportet: in ijs autem, qui laterali morbo afficiuntur, primùm quidem sputamina, secundo loco vrinas, quoniam is morbus omninò cum febribus iungitur. In passionibus autem ventris, si sine febre fuerint, sola alui excrementa inspicere oportet: Si autem cum febre, etiam vrinas.

Vrina venarum, & arteriarũ excrementum.

In febribus humoralibus cur vrinæ diligenter inspiciendæ.

In morbo laterali, quæ Signa inspiciēda.

Quod si placeret alicui ex modò citato Galeni contextu, cap. 12. lib. 1. de Sanit. tuen. inferri posse, vrinam esse vasorum, & non hepatis, excrementum, Responsum in promptu est, ex eodem Galeno, cit. cap. 12. lib. 1. de Sanit. tuen. vbi expresè vrinam, hepatis, ve-

Obiectioni satisfit.

venarum, & arteriarum excrementum appellat, hac ſerie: Quare ad illum hominem potus, qui optimo eſt habitu, reuerſi repetamus ea, quæ inter initia demonſtrauimus, nempè quòd comeſſe, bibereque nobis neceſſe eſt, propterea, quòd è corpore noſtro aliquid ſemper defluit: Cùm verò edendum nobis, bibendumq; ſit, neceſſe rursùs eſt, excrementorum excernendorum curam, rationemq; haberi. Horum verò cùm variæ ſint ſpecies, aliæ eorum, quæ in ventriculo perficiuntur; aliæ eorum, quæ in iecinore, arterijs, & venis: aliæ eius, quod per ſingula membra diſtribuitur, alimenti, ſanè cuiuſq; ſuam eſſe vacuationem oportet. Ecce quemadmodum confitetur, vrinam eſſe hepatis excrementum, vaſorum tamen, quatenùs in ijſdem eadem vrina coaceruatur, eodem fermè modo, quo primæ coctionis, in ventriculo celebratæ, excrementa, dicuntur fæces, tametſi inteſtinorum excrementa dicantur, quatenùs in ijs tandem ab vtili ſubſtantia ſegregantur, & exactiorem fæcum formam ſuſcipiunt. Libro enim 4. citato de Sanit. tuen. cap. 4 Galenus ſatis teſtatur, vrinam nobis indicare ſtatum ſanguinis in venis contenti, dum in principio capitis inquit: De ijs verò, quæ intra venas ſunt, excrementis, nullum planè, nec manifeſtum, nec euidens ſignum habemus, præter ſolam vrinam. Ibi enim de curatione laſſitudinis vlceroſæ agens, docet, ante omnia conſiderandum eſſe, num in ſolidis tantum partibus, an intra venarum ſinus, malus ſuccus contineatur. Et poſt hæc, illam iam tranſcriptam de vrinis ſententiam ſcripſit. Circa verò medium capitis ſequentia de virtute indicandi Vrinæ protulit: Conſiderandum ad hæc eſt, non ſolùm de vrinæ multitudine, & qualitate, ſed etiam de ſudoris qualitate. Et paucis interpoſitis, ait: Ac ſudor quidem, ſuccorum, qui in vniuerſo corpore abundant, nota eſt: vrina eorum tantùm, qui vaſis continentur. Et paucis interpoſitis, inquit: Æſtimare pręterea vrinæ tũ conſiſtentiam, tum colorem oportebit. Sed nec quæ in ea pendent, aut ſidunt, prætermittere conueniet, ſed omnia perpendere. Cuiuſmodi enim ſanguis ſit, qui vaſis continetur, ea planè oſtendunt quando, ſi is biliofus ſit, ſerum quoq; eius bilioſum eſſe neceſſe eſt, idq; pro vtriuſuis bilis ratione. Simili modo pituitoſum, ſi is ſit pituitoſus. Ergo, vbi crudus is planè eſt, vtiq; tenuis, aquoſaq; vrina cernitur, nihil, nec quod ſideat, nec quod pendeat, in ſe habens. At, vbi is concoctus eſt, hæc in vrina ap-

Excrementorum variæ ſpecies.

Vrina ſanguinis ſtatum in venis indicat.

Sudor quorum ſuccorum nota.

In vrina, quæ conſideranda.

Sanguinis concocti in vrina Signum.

apparent, atque etiam nubeculæ quædam desuper tenues superstant, veluti quod in summo lacte colligitur (Græcè γραῦς dicitur) & quod in summo refrigerati iusculi concreuit. Quod si turbida sit, qualis veterinorum (iumentorum) visitur, crudis vocatis humoribus refertas venas indicat, non tamen cessare naturam, sed eos valenter concoquere. Si verò celeris separatio crassi à liquido in ea cernitur, sitq; quod subsidit, album, læue, & æquale, iamiam superaturam eos omnes naturam indicat. Sin cùm emingitur, pura sit, protinùs verò turbetur, iam crudi succi concoctionem aggredi naturam docet. At, si interposito tempore turbetur, non protinùs, sed post aggressuram insinuat. Verùm omnium, quæ turbantur, vrinarum generalis nota esto ipsius crassi à liquidiore separatio, aut properè, aut tardè facta, aut omninò nulla. Ergo, si protenùs fiat, & quod subsidit, sit album, læue, & æquale, superiorem longè naturam succis, quos concoquit, ostendit. Sin bonum sit quod subsidit, sed quod post longius interpositum tempus colligatur, etiam naturam temporis spatio superaturam succos nunciat. Si verò, vel omninò nulla separatio, vel id, quod subsidit, malum sit, imbecillitas naturæ significatur, egetq; ope aliqua ad succos percoquendos. Sicuti verò vrina succorum, qui in vasis sunt, qualitatem prodit; ita sudor, aliaque, quæ per vniuersum animalis habitum apparent, eos, qui illic sunt, affectus demonstrant. Quippe superantibus in eo calidis succis, insolito caloris sensu vrgetur: frigoris verò, cùm frigidi dominantur, &c.

Vrina turbida quid indicet.

Vrina pura reddita, & postea turbata quid indicet.

Ex vrinis varia Signa.

Ex dictis, alijsq; Galeni contextibus, quos in huius libri decursu in medium referam, liquidò constat, vrinas nobis demonstrare iecoris, & vasorum affectus, nec non Prognosim à Medico pronunciandam. Hinc non modò necessitas, sed insuper vtilitas doctrinæ de Vrinis colligitur. Quòd autem Vrinæ Renum, & Vesicæ affectus, horum euentus nobis indicent, apertissimum est; vt videre licet apud Hippocratem in Aphorismis, & Galenum varijs in locis.

Ordo obseruandus in hoc 4. libro.

Quoad ordinem in hoc libro obseruandum, is erit. Primò vrinæ naturam, essentiamue inuestigabo: Rursùs eius differentias: Tertiò differentiarum causas: Quartò Prognosim ex vrinis inferendam. Et omnia iuxta Hippocratis, & Galeni placita, qui quanquam expressè hanc doctrinam vnica serie nō examinauerint, multis tamen in locis præclara de vrina, tanquam Signo, quo mediante, Hepatis,

& Va-

& Vasorum, Renum, & Vesicæ statum dignoscimus, futurumque plurimorum affectuum exitum præsentimus, pronunciant. Scio quidem, libellum extare de Vrinis, qui Galeno tribuitur, quòd ipse fassus fuerit Commentario 1. in lib. Hippocratis de Humorib. se librum de Vrinis scripsisse. Verosimile tamen est, librum illum à Galeno insinuatum, temporum iniuria deperijsse, & extantem de Vrinis Tractatum non esse Galeni, sed Aëtij, aut alterius Abbreuiatoris doctrinæ Galeni: quia doctrina istius libelli, Galeni Maiestate indigna est; cùm exactiùs alibi sparsim in suis operibus de vrinis egerit idem Galenus, quàm in extante libello de vrinis agitur. Ipse enim Comment. 2. Prognost. tex. 30. docet, se libro de Crisib. (lib. nempè 1. cap. 12.) integrè de vrinæ natura, & differentijs egisse. Libro 1. de different. febr. cap. 6. idem ipse refert. Vnde inferendum, librum præfatum de vrinis non esse Galeno tenaciter adscribendum, etsi doctrina in eo scripta, proscriptionem, nec contemptum omninò mereatur. Sanè Actuarius vnico Tractatu de vrinis, quam quispiam, pleniùs egit.

Libellus verus de vrinis Galeni, temporũ iniuria perditus.

Libellus de vrinis extans, nõ est Galeni, sed alicuius alterius.

CAPVT II.
Quid est Vrina?

VRina Græcis οὖρος, aut οὖρον, veluti οὔρημα, & οὔρεον, dicitur, à verbo οὐρέω, idest meio: vocatur etiam vrina lotium, fortassis à lauando, quòd in sua tranatione ex hepate, & vasis, ac meatibus quibusuis, ad exitum vsque, omnes vias lauet. Ex hepate enim multos secum defert crudos humores, aliosque superfluos, in venam cauam, illinc per emulgentes ad renes, & ex renibus vnà cum his, siquid ipsis superflui inest, per Vreteres ad vesicam, & ex vesica, siquid in ea est alieni, extra corpus. Quidquid enim superuacanei in his omnibus partibus est, secum deducit vrina extra corpus per vesicæ collum, eodem fermè modo, quo suppositus, siue iniectus Clyster, fæces, mucum, reliquasq; sordes in suo rursùs per podicem exitu, intestina abluendo, conducit. Vnde ab Italis vulgari idiomate Clyster, non modò Seruitiale, sed vocabulo satis congruo, lauatiuo, nuncupatur, à lauando nimirum intestina. Serosa ergo, & fluida illa substantia in iecore genita, ipsam hepatis gibbosam partem, & alias omnes, ad collum vsq; vesicæ constitutas, in suo

Vrina vnde dicta.

Clyster cur ab Italis lauatiuo dicatur.

itinere partes à sordibus liberare consueuit. Vnde Galenus præter id, quod ex lib. 6. de locis affect. superiùs citauimus, lib. 13. Meth. cap. 15. ait; Nam sicut iecinoris cauum per aluum purgatur, ceu paulò supra diximus, sic gibba eius per ea quæ modicè vrinas mouent, cuius generis est Apium. Procedente autem tempore (Phlegmones scilicet, de quo dicto iam cap. loquitur) vbi Phlegmone iam concoquitur, etiam valentioribus vti licet Assaro, & Celtica Nardo, & Phu quod vocant, & Petroselino, & Smyrnio, & Meo: sicut etiam per ventrem vacuare, si cauum afficitur, Cnico (id est Semine Carthami) cibis admixto, & Vrtica, & Mercuriali, & Epithymo, & Filicula (id est Polypodio): omnibus præterea, quæ modicè aluum deijciunt. Hæc medicamenta ex aqua, vel ex ptissana exhibenda esse docet Galenus. Ego namque, inquit, etiam Filiculæ aliquid in ptissana aliquando incoxi, & nigri Veratri corticem. Etiam clystere vacuare eos conueniet, inter initia, vel sale, vel nitro, vel aphronitro aquæ mulsæ admixto, contentis: &c.

Apij vis diuretica.

Remedia potentia diuretica.

Hîc diligenter obseruanda est Galeni doctrina, aperientibus nimirum, & detergentibus vtendum, dum phlegmone, aut scirrho angustantur hepatis vasa: imò in hepatis scirrho fortiora propinanda docet aperientia, & vetuit præcedenti cap. 14. dicti libri 13. Meth. vsum Mali Punici, aut alterius rei astringentis, quoties bilis, & serositas ex hepate educi debet; quia ex assumptione talium rerum hepatis venæ propter phlegmonem, scirrhum, aut magnas obstructiones, factæ angustæ, angustiores adhuc euadunt: & præterea occluditur meatus ille, siue ductus à folliculo fellis in ieiunum intestinum protensus, per quem naturaliter bilis ad intestina reijcitur, vt naturalis clysteris instar sopitam facultatem expultricem intestinorum, ad expellendum, & deponendum omne superfluum excrementum stimulet. Nec solum dictus meatus in intestinum desinens duodenum, per quem bilis expurgari consueuit, ex vsu mali punici, aliarumq; rerum astringentium, sicuti rei lentæ, vt alicæ, aut consimilis, coarctatur, & occluditur, sed venæ meseraicæ, per quas ad hepar alimentum digeritur. Vnde concludit Galenus omnes meatus obstructos, esse recludendos remedijs idoneis, cuiusmodi sunt ea, quæ tenuis sunt consistentiæ, & qualitatis mordentis. Cæterùm, quoniam à mordentibus phlegmonæ irritantur, ijs, quæ citra morsum detergent, vtendum, cuiusmodi scilicet mulsa est. At noui-

In hepatis phlegmone aut scirrho, quid agendum.

In phlegmone aut scirrho hepatis cur ab astringẽtibus abstinendum.

nouimus (inquit Galen.) dulcibus omnibus, tum iecur, tum lienem maximè intumescere. Supersunt igitur, quę culpâ vacant, vt in cibis ptissana: quippe quæ sine morsu deterget, vt in pharmacis oxymeli aqua mixtum. Nam & punicum malum, & cætera quæ astringunt, dum bilis meatus os arctant., bilem ipsam excerni prohibent: atq; inde iecinoris phlegmonis (id est tumoribus sanguineis) sunt incommoda, præsertim ijs, quæ in cauo visceris (hepar intelligit) consistunt: quibus ad angustias, quas facit ipsa phlegmone, etiam ea, quæ ex astringentibus, & lentis fit cibis, accedit. Ac, quæ mordent, ea phlegmonas ipsas, quæ in cauo sunt visceris (hepar intelligit), magis irritant: quippe ijs, quæ in gibbis eius consistunt, mutata iam veniunt ea, quæ assumpta sunt, ita, vt nec quæ adstrictoria sunt, similiter adhuc adstringant: nec quod mordens est, similiter mordeat: nec quod propter lentorem in angustis vasis hærebat, similiter etiamnum maneat lentum. Est autem his (idest mordicationi, & lentori) occasio mutationis duplex, & quòd priùs sunt concocta (tum in ventriculo, tum in hepatis cauitate): & quod sanguini, qui in iecinore priùs erat, sunt admixta. Cauo autem iecinoris phlegmone obsesso, protinus etiam venas, quæ in mesenterio sunt, vnâ phlegmone laborare est necesse, quando ex ea quæ ad portam pertinet, omnes sint ortæ protinùs etiam, quæcunq; osculis earum incidunt, vim suam ostendunt.

Iecur, & lien dulcibus intumescunt.

In phlegmone cauitatis iecoris cur etiam aliæ venæ phlegmone laborent.

Hæc, fateor, ad puram Praxim Medicam pertinent, sed impatiens tantę morę, propter communē consuetudinem Medendi Medicorum huius Tractatus, ea in medium proferre volui. Præscribunt enim febricitantibus intrepidè vinū Granatorum; hi acidum, alij dulce, alij vtriusque qualitatis particeps; etsi acidum, & dulce respuat Galenus: dulce quidem, quòd experientiâ didicerit, ex dulcium vsu hepar, & lienem intumescere: acidum astringens, quòd vim habeat occludendi venas mesaraicas, & venæ portæ, ac venæ cauæ exiles radices, veluti porum cholidocum, per quem bilis in intestina deturbatur. Sed hæc obiter.

Vinū granatorum acidum, & dulce, febricitantibus nocet.

Dixi cum Galeno, Vrinam, lotium dici, quòd sit liquor hepar abluens, vasa similiter, renes, vreteres, & vesicam; vt idem Galenus monuit lib. 7. Meth. cap. 23. aiens: A figura verò indicatio ipsius modi vacuandi excrementi suggeritur, ad hunc modum. Ventriculus vomitu, deiectioneq; inanitur. Intestina deiectione

Vrina, cur lotium dicatur.

tan-

Variarum ex situ partium, varij modi, quibus se expurgāt, indicantur.

tantùm; sicuti etiam iecinoris caua. Renes verò, & Vesica, ac iecinoris gibba, si multo vitioso succo sunt referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria (Græcè hypelata, & Catoterica dicta) expurgantur: sin mediocri, per vrinales meatus. Cerebrum verò per palatum, & nares, & aures. Pectus & Pulmones per asperam arteriam, & fauces. Medendi præceptum huic doctrinæ congruum scripsit Galenus lib. 2. de Arte Curat. ad Glaucon. cap. 2. Et quidem laborantibus gibbis hepatis partibus, quòd per vrinam trahere oporteat: concauis autem per excretionem inferiorem, situs ipse visceris indicat: atque etiam thoracem, & pulmonem per tusses expurgare; ventriculum autem, & stomachum per vomitus: intestina autem per inferiores excretiones: quemadmodùm & Splenem, & renes, per vrinas: locos autem muliebres per menstrua: Cerebrum autem, atq; eius membranas, per palatum, & gargareonem, & nares, & aures. Libro de Constitutione Artis, cap. 18. fusè rem hanc prosequitur Galenus. Rem eandem tetigit libro de Arte Medic. cap. 89. Licèt autem hîc Galenus retulerit, gibbas hepatis partes, renes, & vesicam, si copiosus fuerit humor peccans, per aluum euacuari debere, id benignè intelligendum & ratione causæ antecedentis, non verò iam coniunctæ. Nam licèt superfluus humor, tam in gibba, quàm in caua hepatis parte consistens, per secessum expurgari commodè queat, ille tamen, qui vesicæ, aut renibus annexus est, non per secessum, sed vnà cum lotio deturbatur. Imò ipsa natura quandoq; humores hepatis, & vasorum redundantes non euacuat natura per secessum, etiam post assumptum medicamentum purgans, sed per vias vrinæ; quia per has solas decreuit tunc natura sese exonerare. Vnde Galenus libro, quos, quibus, & quando purgare oportet, ait: Potest insuper, naturâ ad vrinam vergente, potio quæ subducere aluum debuerat, nihil officere. Nec iecoris solùm, vasorum, renum, vreterum, & vesicæ, sed vniuersi corporis recrementa per vias vrinæ expurgari docuit Hippocrates libro 1. Epidem. Sect. 2. vbi in Tempestate quadam hos solos, qui longa, & laboriosa stranguria corripiebantur, sanasi docuit. Erant his, inquit, vrinæ copiosæ, crassæ variæ, rubentes, purulentæ cum dolore. Omnia hæc, inquit Galenus in Commentario, accidebant, quòd superfluitatem humorum vitiosorum totum corpus deponeret. Quò factum est, vt saluarentur omnes. Cùm enim varia ea es-

Medicamenta hypelata, & Catoterica, quæ.

Explicatur Galenus.

Cur stranguria longa laborātes, omnes & soli in quadam tempestate euaserint.

essent (.i. excrementa quæ excernebantur) non mirum, si varietas quædam fuit vrinarum, vt hæ omnes similes non essent, sed alijs aliæ. Vt enim (inquit Galenus comment. præcedentis textûs 41.) repurgatur non rarò per ventrem, vniuersum corpus, & item quoq; per renes, & vesicam. Sed erat his stranguria diuturna, & cum dolore per stranguriam repurgabatur totum corpus. Has autem partes, per quas acres excernebantur vrinæ, affici erat necessarium; quia vellicabantur scilicet, continuaq; excretione sollicitabantur. Vnde etiam in ipso vrinarum transitu offendebantur. Huiusmodi autem symptomata (dolor scilicet, vellicatio, & continua excretio) ob excrementorum, quæ expurgabantur, copiam, longiori tempore illis perdurabant. Et textu 43. concludit Hippocrates hac serie: Atqui superstites omnes fuerunt, nec vllum perijsse cognoui. Propterea tex. 41. Stranguriam, siue dolorificum vrinæ stillicidum, illa tempestate superuenire solitum, ipse laudauit, inquiens: Vnum verò bonum, maximumq; inter signa, quæ fiebant, quodq; multos à maximis periculis vindicauit, hoc fuit, quibus ad stranguriam diuerterent, &c. Et paulò post: Accidit autem plerisq; stranguria in his ætatibus potissimùm; item alijs multis, qui non decumbebant, & in morbis &c. Sed hunc textum libro 2. plenè exposuimus, signa futuræ Crisis per vias vrinæ exponentes. Comment. 2. Prognost. tex. 37. docet, totum corpus per vrinas expurgari. Et idem supponit lib. 4. Aphorism. 74. Quibus spes est ad articulos abscessum futurum, abscessu liberat vrina multa, crassa, & alba reddita: qualis in febribus cum lassitudinis sensu quarto die quibusdam exire incipit. Quòd si ex naribus etiam sanguis profluxerit, breui admodum solutio fit. Galenus in Comment. inquit: Si itaq; Natura valuerit per vrinam expurgare corpus, æger ab abscessu liberatur, humorem ad articulos decubiturum, per vesicam euacuans.

In Stranguria cur dolores sẽtiantur.

Strãguria multos à maximis periculis liberauit.

Vrina multa, alba, & crassa, cur ab abscessu liberet.

Quòd vrina excrementa in vasis contenta vnà secum ad vesicam deferat, probatione non eget. Galenus verò Comment. 3. Prognost. triplicem exponens causam productionis febrium, errorem nimirum à Medico, aut Ægro, aut Astantibus commissum, vel aliquam partem ægram corporis curatu difficilẽ, vel denuò humores crudos, & crassos, concludit eiusmodi humores quandoq; abscessum efficere, aut certè per sympepsin, id est concoctionem, eosdem

Triplex causa productionis febrium.

Sympepsis quid.

humores à natura vinci, & rursùs magna ex parte cum vrina, rarò per aluum euacuari. Vnde Comment. 2. lib. 1. Prorrhetic. tex. 4. ait: Nempè quomodo ſucci tum arteriarum, tum venarum habeant, vrinæ indicant. Multa alia Galeni loca hanc doctrinam confirmant, & præſertim locus citatus de Conſtitut. Artis Medicæ, in quo non modò vaſorum, ſed renum & veſicæ excrementa expurgari cum vrina docet. Conſtat ergo, vrinam congruè lotium dici; veluti ſerum, propter ſimilitudinem, quam cum lactis ſero habet.

Vrina cur ſerum dicatur.

Vnde Galenus lib. 1. de Sanit. tuen. cap. 12. ait: Quod autem in venis, & arterijs excrementum aceruatur, eiuſmodi planè eſt, quale in lacte concreto ſerum. Vrinam enim breuiter deſcribit Galen.

Vrina, humorum eſt ſerum ex Gal.

lib. 3. Epidem. comment. 1. tex. 5. aiens: Præterea vrinam ſerum eſſe humorum in venis contentorum, nos ille docuit. Ibi enim, poſtquam de vrina rubra aliquid pronunciauit, monuit, Hippocratem habuiſſe quatuor humorum notitiam, veluti ſeri humorum in vaſis contentorum, quod excretum nobis vrina dicitur. Hippocrates lib. de Alim. ait, vrinam eſſe vehiculum alimenti.

Vrina, alimenti vehiculum ex Hipp.

Vrinæ variæ definitiones.

Actuarius lib. 1. de different. Vrinar. cap. 4. vrinam ſanguinis colaturam appellat. Author libri Definitionum Medicarum, eam, vt ſequitur, deſcribit. Vrina eſt ſuperfluitas excolata ſanguinis in magna vena, quæ per renes, & vreteras in veſicam delabitur. Alia Definitio ab eodem Authore immediatè ſcripta, eſt ſequens: Vrina eſt excrementum, quod in iecore gignitur, diſcernitur in renibus, per vreteras in vrinariam veſicam deriuatur, excerniturq; inde per eius collum, ὀυρήθρας nomine Græcis appellatum, ex eo, quod per eam vrina deferatur. Efficiens cauſa vrinæ, eſt ſanguinis generatio in iecore. Miror quòd Nauarrus tribuerit huic Authori ſequentem definitionem: Vrina eſt ſeroſitas à ſanguine percolata, & ad veſicam tranſmiſſa; cùm aliter ipſe Author vrinam definiuerit, vti ex allatis eius verbis conſtat. Multi ſanè vrinam deſcribere conati ſunt, ſed hoc Authore Definitionum Medicarum, nemo meliùs eandem definiuit, dummodò verbula quædam definitioni addantur, quæ maiorem adijcient claritatem.

Optima vrinæ definitio.

Vrina ergo eſt excrementum aquoſum, ſeroſumq; in iecore genitum, humorumq; vectioni inſeruiens, & à renibus allectum, ac mox ab omni ſanguine ibidem ſecretum, & illinc per vreteres ad veſicam, ac denùo ex veſica per vrethram emiſſum, purificationis ſanguinis gratiâ.

Loco

Loco Generis in hac definitione ponitur Excrementum; in quo cum bile, & melancholia, etiam in hepate genitis, conuenit: Ab his tamen discrepat, quòd sit aquosum serosumq; excrementum, quæ duo formalem vrinæ rationem, veluti proximam materiam, constituunt; quoniam ex aquea substantia, & humorum sero commixtis, & ad vesicam delatis, vrina componitur, atq; resultat: ita vt aquea substantia, & serum se habeant instar materiæ; forma verò sit id, quòd vrinam in suo esse specifico constituit. Vrinam esse potissimùm aquosam substantiam, ex aqua, aut aqueo liquore, & aquosiori alimenti parte genitam, vix est, qui dubitat. Non enim alimentum in ventriculo sine alicuius liquoris conuenientis commixtione coqueretur, cùm chylificatio elixatio quædam sit: & multò minùs à Meseraicis venis, ex sua natura non multum amplis, chyli profutura portio ex gracilibus intestinis sugeretur, rursùsq; sanguis ex ea in hepatis cauitate præcipuè genitus, per exiles venæ portæ radices, in exiles adhuc venæ cauæ radices tranaret, & illinc in venam cauam effunderetur, nisi vehiculi cuiusdam ministerio; quod vehiculum liquor aliquis esse debet, aut substantia quædam fluida, quæ angustiores ductus permeans, vnà secum crassius alimentum euehit, estq; hic liquor aqueum quid, quod pro potu sumitur: imò & ipsis alimentis, præsertim liquidis, aquea substantia inest, ex qua pariter vrina procreatur. Vnde Aristoteles lib. 4. Meteorologic. cap. 5. vrinam inter aquæ species reponit, aiens: Aquæ verò species sunt huiusmodi, Vinum, Vrina, Serum, &c. Itidem cap. 11. eiusdem libri inquit: Quæ igitur ad aquam pertinent, magna ex parte frigida sunt, nisi calorem externum habeant, ceu lixiuium, vrina, vinum. Quæ ad terram, magna ex parte calida, ob vim caloris effectricem, vt calx, atq; cinis. Capite præcedenti 10. eandem retulit doctrinam, aiens: Itaq; aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, vitrum, & lapides multi nomine vacantes, aqueæ sortis sunt; quippe cùm ea omnia feruore caloris deliquescere solita sint: nonnulla præterea vini genera, vrina, acetum, lixiuium, serum, sanies (siue ichor.)

Definitionis explicatio.

Forma, & materia vrinæ.

Aquosæ substantiæ, ex qua vrina gignitur, necessitas, & vsus.

Aquæ variæ species, inter quas & vrina numeratur ab Arist.

Galenus lib. 4. de vsu part. cap. 5. manifestè liquorem illum, qui sanguinis comes est, aqueum vocat, eiusque vsum exponit, aiens: Excipit autem ipsum (sanguinem scilicet in caua hepatis parte purificatum, & sursùm ad gibbas partes hepatis delatum) illic vna vena

Liquoris aquei ex quo vrina fit, vsus ex Galen.

vena maxima, ex gibbis hepatis enata, quæ ad vtramq; animalis partem fertur, superiorem simul, & inferiorem: diceres sanè, ceu aquæductum quendam plenum sanguine ipsam esse, riuosq; quamplurimos à sese manantes habere paruos, & magnos, in omnes particulas animalis distributos. At enim in hac quoq; vena multa adhuc humiditate tenui & aquosa plenus est sanguis: Vocat autem ipsam humiditatem Hippocrates (libro de Alimento, in fine) ὄχημα τροφῆς, hoc est, vehiculum nutrimenti, simul cum appellatione vsum quoq; eius ostendens: neq; enim ex ventriculo in venas commodè transumi poterat chymus iam ex cibis factus, neq; facilè pertransire venas, quæ sunt in hepate, & multæ, & angustæ, nisi tenuis quædam, & aquosa humiditas, tanquam vehiculum, fuisset ei admixta. Hunc itaq; vsum præstat animalibus aqua; siquidem ex ea nutriri nulla particula potest: distribui verò ex ventre, quod nutriturum erat, non poterat, nisi deductum fuisset à quopiã ita liquido.

Aquæ vtilitas in animalibus.

Ex dictis constat, vrinam esse aqueam quandam substantiam, & hunc eundem liquorem in alimenti ex ventriculo ad hepar, & ex hepate in venam cauam transitu, alimenti delatorem fuisse; sicut eius quædam portio ex vena caua in omnes corporis partes per eiusdem venæ cauæ ramos sanguinem vehit, easdem partes nutriturum. Et hic est liquoris aquosi primus, & præcipuus vsus.

Dixi, vrinam non solùm esse excrementum aquosum, sed insuper serosum: quæ doctrina sano modo intelligẽda est. Serum enim dupliciter accipitur: Primò, pro ipsa aquosa substantia iam exposita: Secundò, pro peculiaribus quibusdam liquoribus prætenuibus peculiarium humorum, ita vt vnusquisq; suum dicatur habere serum: Vnde sanguis suo fruitur: Pituita suo: Bilis flaua suo: Melancholia suo. Serum hoc, maximè verò si à naturali statu recedit, ichor frequentiùs nominari consueuit. Serum autem hoc peculiare, intimiùs humoris, cuius est serum, naturam refert, quàm vulgare illud serum massæ sanguinariæ. Quòd peculiare serum à communi distinguatur, patet ex Galen. Comment. 2. Prognostic. tex. 27. vbi ait: Quoties sanguinis serum pariter cum vrina excernitur, colore subrubra apparet: indicat autem exuperantiam sanguinis, non exquisita ratione confecti. Omnes adhuc humores peculiari sero frui docuit idem Gal. comment. 2. in lib. 6. Epidem. tex. 38. vbi Platonis hæc verba scripsit: Ichor autem sanguinis quidem serum, mitis:

Serum duplex.

Quilibet humor peculiare habet serum.

Serum peculiare à communi differt.

nigræ

nigræ verò bilis, sed acidæ, serus: Ichoroides autem sanguis vocatur, in se prauam, ac tenuem humiditatem continens, non aqueam, & morsu carentem, sed mordacem, & erodentem. Dicente autem Platone, Ichor verò sanguinis quidem serum, mitis: nigræ verò bilis, sed acidæ, serus, nobis declaratum est, quemadmodùm in lacte serosa quædam humiditas est, veluti colamentum, & circumfluitans crassiorem eius partem, eodem sanè modo in omnibus succis, & humoribus serosum quendam, ac tenuem liquorem reperiri. Different autem inter se, secundùm eorum scilicet humorum naturas, quorum serum esse diceretur: & erit infestissimum atræ bilis serum: minùs infestum flauæ: minùs autem, quàm hoc, pituitæ: sed omnium mitissimum est sanguinis serum, & ichor, nihil enim in præsentia refert, hoc, aut illo modo dicere. Verùm, quoniam bifariàm sanguinem appellamus, interdum cum à nuper dictis humoribus (pituita scilicet, bile flaua, & nigra) distinguentes, interdum à superante omnes in vasculis succos, sanguinem vocantes, ichoroides sanguis nunc in secunda significatione accipiendus est: quemadmodùm & omnes Medici in venæ sectione dicere assolent, interdum serosum, interdum melancholicum, aut pituitosum, aut biliosum, nonnunquam & naturalem sanguinem effluxisse dicentes. Hinc liquet, ichorem dici serum, etsi ichor vsitatiori significato, non pro tenui, & aqueo liquore simpliciter accipiatur, sed pro liquore, qui venenosa aliqua, & maligna facultate præditus est: vt testatur Galenus in principio iam citati commentarij tex. 38. vbi in rei confirmationem ex Sect. 1. libri 2. Epidem. sequentia transumpsit verba: Et sub cute ichores creabantur, inclusi autem calescebant, & pruritum excitabant: deinde pustulæ, vt ambustis, exurgebant, & sub cute vri se putabant. Constat igitur, vt ex ichoribus haud exigua symptomata oriri dicat Hippocrates.

Serũ quod mitissimũ, quodq; infestissimũ.

Sanguinis duplex acceptio.

Ichor propriè quid.

Textus Hippocratis, quem modo iam dicto exposuit Galenus, hac serie scribitur: De sanguine Ichoroide, quòd in pauidis talis, aut in vigilantibus, & siue malus, siue bonus. Quæsitu dignum est, inquit Galenus in Comment. id quod dixit, siue bonus, siue malus. Et idem Galenus respondet, vt sequitur: Optimo quidem sanguini comparatus sanguis ichoroides, malus est: alijs verò omnibus, quibus alterius cuiusdam vitiosi succi ichor admixtus fuerit, longè melior, & optabilior, atq; idcircò bonus est. Plerumque au-

Sanguis Ichoroides, quomodo bonus, malusue dicatur ab Hippoc.

tem

tem & nostræ tempestatis homines, & Antiqui, minus malum, bonum, aut probum, aut laudabile, aut aliqua id genus voce appellare consueuerunt, & præsertim, cùm magnus quidam excessus fuerit, valdè praui ab eo, quod modicè à naturali statu discesserit. Hæc Galeni doctrina cohæret ijs, quæ supra ex eiusdem Commentario 2. Prognostic. de sero sanguinis deduximus: Sanguis quidem serosus ibi dictus, idem est, ac sanguis ichoroides hîc nominatus, si sanguis ichoroides accipiatur pro massa sanguinis, in qua sanguis quartus humor omninò superat, non solùm quantitatem, sed qualitatem aliorum humorum. Vnde serum eius vrinæ commixtum, etsi ruborem ipsi liquori, & contento tribuat, salutem tamen portendit, quòd color ille rubeus à sanguine benigno humore procedat. Quoties verò ichor alius in sanguinis massa redundat, Signum est, humorem, cuius est ichor, cæteris præpollere. Verbi gratiâ, flauo, eoq; copioso apparente ichore, concludere licet, bilem reliquis humoribus prædominari. Dum igitur in vrinis ichor flauus abundat, & in extracto ac concreto sanguine consimilis animaduertitur, Medicus intrepidè biliosum humorem reliquos excedere pronunciare poterit. Multum ergo refert hæc scire; cùm in omnibus, saltem humoralibus febribus, ichor aliquis, si non plures, abundet; quod sine dubio Galenum adeò mouit, vt Comment. 1. lib. 6. Epidem. tex. 10. in sequentia proruperit verba: Tanta nempe Signorum ab vrina in acutis febribus vis est, vt & soli ipsi credendum sit: alijs verò accidentibus etiam diuinatio tibi erit firmissima, perpetuoq; veridica. Constat vrinam in morbis humoralibus ex aqueo liquore, & sero, ichoreue componi.

Sanguis serosus quomodo ichoroides vocetur.

Ichor in sanguinis massa redundans, humoris in ea prædominantis signum est.

Signorum vis ab vrina in febribus acutis.

Maior fortassis difficultas est, vrinam sanorum ex aqueo liquore, & peculiari sero componi statuere. Sed, meo iudicio, res omni difficultate caret: Nam humor quiuis naturalis, alios excedens, suo debet frui sero; vt patet ex paulò ante dictis. In statu præter naturam humor quiuis serum habet tanquam sui excessus. Ergo in statu naturali idem pronunciandum. Patet consequentia: Nam in statu naturali semper aliquis quatuor humorum reliquos socios excedit: Vnde quidam dicuntur Cholerici, alij Melancholici, alij Pituitosi, alij Sanguinei. Ergo quemadmodum in excessu humoris præter naturam inest eiusdem humoris serum, sic similiter in excessu secundùm naturam. Imò bilis ipsa naturalis, quia prætenuis & sero-

Vrina sanorũ æquè benè fit ex aqueo liquore & sero peculiari, ac vrina ægrorum.

serosa, aliquid sui seri, aut suimet, sero aquoso, siue aqueo liquori impertit: Hinc vrinæ tinctura modò pallida, nunc subpallida, aliàs subruffa, quandoque subflaua. Adhæc, vrinæ nitrositas, commixtionem serositatis aliorum humorum cum aqueo liquore arguit: quam nitrositatem potissimùm in hepate, propter commixtionem præfatam acquisiuit: Cæteroquin ipsa substantia aquea, quæ vrinæ basim constituit, insipida esset, aut saltem dulcis, cuius tamen contrarium demonstrat vrinarum effectus. Abstergendi quidem, resoluendiq; virtute pollent vrinæ, vt quotidiana nos docet experientia, etiam quoties tenellorum puerorum vrinam per podicem, in forma Clysteris inijci, aut dum caliginosos oculos eâ lauari, aut articulos dolore laborantes eâdem tepida foueri, Medici suadent. Propter serum sanè aquosæ substantiæ commixtum, & propter huius alterationem in hepate factam, dixit Philosophus, vrinæ calorem extrinsecùs accedere.

Vrina quam ob causam nitrosa fiat.

Vrina abstergit resoluitque.

Vrinæ Infantum vsus in Medicina.

In definitione diximus, vrinæ materiam, aquosam præcipuè, esse sanguinis vehiculum, ob rationes superiùs exhibitas.

Dictum præterea est, vrinam in hepate genitam esse, quia aquea & serosa substantia inibi ab alijs duobus excrementis, bile, & melancholia, segregatur, & sanguinem rursùs comitatur per venas. Galenus lib. 3. de facultatibus natural. cap. 9. manifestè docet, vrinæ materiam esse hepatis excrementum, inquiens: Tanquàm enim stercus hominum est canibus suauissimum, ita iecinoris excrementorum aliud lieni, aliud bilis vesicæ, aliud renibus est iucundum. Libro 3. de Symptomat. caus. cap. 2. eandem doctrinam hac serie repetit: Cùm autem triplex sit in venarum concoctione excrementum, vnum amara bilis, alterum nigra, tertium serosum, &c. Non enim venis præcipuam sanguificandi virtutem tribuit Galenus, sed potiùs hepati, tanquam causæ efficienti, venis verò in hepate contentis, tanquam instrumentis & tubulis, in quibus virtute hepatis sanguis generatur. Libro 5. de vsu part. cap. 10. Vrinam hepatis excrementum esse statuit, aiens: In hepar tamen, ita magnum, ac princeps viscus, neruus insertus est minimus, vt quod musculorum ritu haud quaquàm moueatur, neque, vt intestina, sensu exquisitiore egeat. His porrò reliquiarum cibi transitus negotium exhibet: hepar verò à quatuor instrumentis purgatur, duobus quidem renibus, tertio autem, splene; tum quarto, vesicâ

Vrina cur in hepate genita dicatur.

Vrinæ materia.

Triplex excrementum in venarum coctione.

Hepar à quatuor instrumentis purgatur.

Hepar cur sensu maiore nō indigeat.

sicâ ipsi hepati inhærente. Quare, cùm nullus in eo succus malignus & acris mansurus esset, sensu maiore haudquaquam indigebat. Porrò hæ quatuor partes (duo scilicet renes, splen, & vesica fellea) quæ iecur ipsum perpurgant, quod à proprijs excrementis nihil incommodi essent accepturæ, sensum maiorem non postularunt: neque enim trahere huiusmodi excrementa potuissent, nisi qualitatis communitas quædam cum excrementis ipsis intercessisset. Siquidem, cùm tot annos quodq; animal superstes sit, in ea tamen cysti, quæ sedem ad iecur habet, videre est bilis flauæ contineri aliàs plus, aliàs minus: quin & mortuis ipsis ablatas ab hepate vesicas simul cum bile diutissimè asseruamus, nihil tractu temporis corpore ipsarum patiente: Ita, vnicuiq; quod cognatum, ac familiare est, sine dolore omninò, atq; innoxium est. Ergo his instrumentis natura sensum acutiorem non adhibuit, vt quæ nihil vnquàm negotij comprehensis in sese excrementis erant habitura. At maiori vesicæ, quæ lotij receptaculū est, nisi lotium id, quod biliosius, acriusq; est, repentè excernatur, magnas sæpè noxas afferat. Non enim, quemadmodum vesica, quæ bilem recipit, ita & huius substantia corporis, bilis qualitati est affinis, sed vrinarum duntaxat, quarum gratiâ à natura constituta fuerat. &c. Excrementum hepatis, quod à Renibus allici docuit Galenus, non est aliud, quàm serum, vt omnes confitentur Interpretes. Quare concludendum, vrinæ materiam, esse hepatis, & consequenter secundæ coctionis, excrementum.

Renes, splē, & Cystis fellea, cur à proprijs excrementis non lædantur.

Vrinæ materia est excrementum secundæ coctionis.

In definitione dictum est, renes vrinam ex vasis attrahere, eamque à sanguine omninò separare, quæ doctrina est Galeni cap. 10. iam citato libri 5. de vsu part. Hanc eandem doctrinam solemniter exhibet eodem lib. cap. 5. hac serie: Porrò cùm excrementum tenue, atq; aquosum, quod οὖρον, hoc est vrinam, nuncupamus, adhuc superesset, constructos sanè, quo quidem id secerneretur, renes propè hepar constituit: vt verò commodè excerneretur, primum quidem receptaculum, velut cisternam quandam, ipsam vesicam, deinde ad ipsius finem, musculum fabricata est, qui aduigilaret, ne superflua intempestiuè effluerent. Cæterùm, cùm vesicam in imò quidem præstaret collocare, vnde etiam alimenti superflua euacuantur, renes autem (vt & paulò ante diximus) iuxta hepar, necesse fuit ex ipsis ad vesicam vias quasdam struere: atque mea-

Renes cur prope hepar constituti.

Vesicæ situs, & constructio.

meatus quidam prælongi, forteſq; extiterunt, quos οὐρητῆρας, .i. vrinarios, nominamus, qui renes veſicæ committunt. Sic igitur & vrinæ vi renum ſegregantur à ſanguine, & illinc per vreteras ad veſicam emittuntur, indeq; excernuntur, quo ſcilicet tempore ratio ipſa iuſſerit. In fine capitis docet Galenus, non ſolùm ex venali ſanguine, ſed etiam arteriali, ſerum à renibus attrahi: imò Lycum Macedonicum ipſe damnat, quòd aſſeuerauerit, vrinam eſſe excrementum nutritionis renum. Magna quidem vaſa emulgentia, venæ, & arteriæ, non in renes, exigua corpora, nutritionis gratiâ, deduceret rerum Conditor: cùm illis nutriendis multò exiliora vaſa ſufficientem adducerent alimoniam. Supereſt ergo, vt tam magna vaſa eductioni ſeri ex ſanguine venali, & arteriali inſeruiant, cui muneri obeundo ex Authoris naturæ preſcripto deſtinata ſunt. Galeni verba hac ſerie ſcribuntur: Cæterum quod & renes ipſi ſerum ſanguinis omne purgare verè aſſerti ſint, declarat vtriuſq; vaſis magnitudo. Iam verò, ſi excrementum nutritionis renum eſt vrina (eò enim amentiæ Lycus Macedo progreſſus eſt, vt id etiam aſtrueret) cur demum in exigua renum corpora, is, qui nihil agit temerè, Conditor, arterias adeò magnas, ac venas inſeruerit, cauſam nullam dicere poterimus: ſed omninò (quod ipſe minimè vult) damnanda imperitiæ erit Natura; aut is Lycus nihil veri de actionibus ſcire palam eſt conuincendus. Vim atrractricem renibus inditam eſſe docuêre Hippocrates, & alij, etſi contrarium tenuerit Aſclepiades, vt teſtatur Galenus lib. 1. de facult. natural. cap. 13. vbi ait: Qui enim attractricem conuenientis qualitatis vim nulli ineſſe particulæ volunt, ij ſæpè ijs, quæ euidenter apparent, contraria dicere coguntur: quemadmodum Aſclepiadi Medico de renibus contigit: quos non ſolùm Hippocrates, Diocles, Eraſiſtratus, Praxagoras, aliorumue optimus quiſque, ſecernere à ſanguine vrinas crediderunt. In reliquo Capite Aſclepiadem denegantem renibus virtutem attractricem arguit: imò ipſum reprehendit Aſclepiadem, quòd peculiarem vim attrahendi vnum humorem, & non alium, denegauerit medicamentis purgantibus. Contra enim Hippocratis experimentum Scammoniam carere vi purgandi peculiari docet, ſed pari modo eam euacuare omnes humores, liquareq; corpus, ac quod liquatum eſt, id fieri operâ Medicamenti purgantis, cùm antea tale non eſſet, quale modò apparet, dum eua-

Cur vaſa magna emulgentia in renibus poſita.

Lycus Macedo arguitur.

Vis attractrix renibus indita.

Aſclepiades ab Hippocrate reprehenſus.

Scammonia vi peculiari purgandi gaudet.

cuatur: Id est, Medicamen purgans quoduis exhibitum, colliquando sanguinem, & corpus, procreat humorem quem euacuat: nam humor, qui euacuatur, talis non erat antea, qualis modò est factus vi ipsius medicamenti eliquantis. Hanc opinionem nostris temporibus amplexi sunt absurdi quidam homines, qui medicamenta purgantia euacuare, non attrahendo hunc, aut illum humorem, sed naturam irritando, dicunt.

Asclepiadis nugas reijciens Galenus, cap. 15. lib. 1. de facult. natural. inquit: Verùm, cùm abundè garrulati simus, neq; id nostra sponte, sed iuxta prouerbium, cum insanis insanire coacti, rursùm ad vrinæ secretionem reuertamur. Vbi Asclepiadis nugas dissimulemus; ac cum ijs, quibus percolari vrinam per renes est persuasum, quisnam eius sit operis modus, considerationem ineamus. Prorsùs enim, aut per se ipsam fertur ad renes vrina, id scilicet melius rata, non aliter, quàm nos, cùm ad forum abimus: aut, si hoc fieri non potest, alia quæpiam ferendæ eius inuenienda est causa. Quænam igitur est ea? nisi enim, sicut Hippocrates censuit (de ossium natura, non longè à principio) renibus eiusmodi qualitatis trahendæ vim quandam dederis, nullam aliam inuenies. Quòd namq; vel hos eam trahere oporteat, vel venas eam mittere, si scilicet per se non feratur, cuiq; patet. Verùm, si venæ contractæ circumplexæq; eam protrudunt, vtiq; non illam modò, sed etiam omnem, qui in ipsis continetur, sanguinem, simul cum ea in renes compellent. Quòd si id fieri non potest, sicut monstrabimus, reliquum est, vt renes trahant. At cur non potest id fieri? nempè quia renum situs ei rei repugnat: non enim sic cauæ subiecti sunt venæ, quemadmodum Cerebri excrementis meatus in naso, & palato ipsis colatorijs similes sunt subditi; sed vtrinq; illi sunt adnexi. Iam, si ad eum, quem colatoria modum, quicquid tenuius planèq; serosum est, id promptè transmittunt: quod crassius est, id retinent: vtiq; omnem sanguinem, qui in caua est vena, conueniet in eos meare, ita vtiq; sicut in vimineum, quod torculari subijcitur, totum conijcitur vinum.

Renes vrinam ad se trahunt.

Tres modi ex Galeno, quibus vrina ad renes ferri debet.

Doctè Galenus docet, aliquo trium modorum vrinam ad renes ferri: vel quia ipsa vrina spontè ad renes fluit & fertur, eo modo, quo quisq; nostrûm sese, quò vult, migrat: vel secundo vrina ad renes transfertur, quia venæ eam ad renes propellunt: vel certè tertiò

idcò

ideò ad renes vrina transit, quia ab ipsis renibus attrahitur. Sed duobus primis modis vrina ad renes non fertur. Ergo necessariò tertio modo; id est vi renum attractrice ad renes transfertur. Quòd primo modo vrina ad renes non deferatur, patet; quoniam vrina non est res deliberans & concludēs talem motum, cùm voluntate careat. Nec etiam dici potest, quòd vrina à vena caua ad renes propellatur; quia inde sequeretur, quòd vniuersus sanguis vnà cum vrina propelleretur ad renes, cùm vniuersus sanguis fluxilis sit, & tenuis, ibidemq; expurgari deberet: tum etiam, quia si à vasis propelleretur vrina ad renes, hi subijcerentur venæ cauæ: quod tamen à natura factum non videmus: nam renes ad venæ cauæ latera appositos esse ex Anatomia obseruamus. Cerebrum verò tenuiores humores rectà deorsùm ad os, & nares proturbat. Ergo, si vena caua propelleret vrinam, renes deberent esse subditi eidem venæ cauæ, sicuti os, & nares cerebro. Quòd verò sequeretur, totum sanguinem ad renes transferri, si ipsi renes non haberent vim attrahendi vrinam, probatur exemplo torcularis, & viminei. Vt enim à torculari comprimantur vuæ, & vinum, quod est tenuis liquor, à re crassa separetur, necessariò promiscuè, quod crassum est, & tenue, sub torculari collocandum. Ergo similiter si in renibus fieret secretio seri à sanguine, & à renibus ipsum serum non attraheretur, relicto in vasis sanguine, renum examini totus sanguis esset committendus, vt serum tenue à sanguine separaretur. Sed hoc fieri nequit, cùm per cauam ascendentem æquè, ac per descendentem, sanguis ex hepate transmittatur, vt eo superiores partes nutriantur, & sanguis arterialis in corde generetur; sanguis verò per iugulares internas, & externas, ad caput transmissus, nunquàm deorsum, præsertim ad renes, regreditur, quidquid finxerint circulationis sanguinis structores. Cum ergo totus sanguis ad renes non transferatur, sequitur, ipsos renes habere vim præpotentem attrahendi ex sanguine, quod serosum est, etsi huic sero permodicum sanguinis adhuc sit commixtum. Lactis adhuc conglaciati, siue coagulati exemplo, rem planiùs exponit Galenus: Quippe, inquit, id totum (id est lac coagulatum) cùm in qualos coniectum, non totum percolatur: sed, quantum eius est, quàm amplitudo meatuum quali, tenuius, id pronum transfluit, ac serum vocatur: reliquum, quod crassum est, & caseus fiet, cùm non transmittant quali meatus, deorsùm

Verus modus delationis vrinæ ad renes.

Vrina cur non possit à vena caua ad renes propelli.

Exēplum Torcularis & Viminei.

Exemplo lactis coagulati probat Galenus vrinā à renibus attrahi.

sùm non fertur. Ergo, si ad eum modum percolandum per renes est sanguinis serum, vtiq; totum sanguinem ad eos peruenire oportebit: ac non partem eius sanè, partem non. Post hæc omnia concludit Galenus, venas solas non sufficere ad expulsionem, & separationem seri à sanguine, sed renes potenter attrahere idem serum, relicto sanguine in vasis.

Venæ solæ non sufficiunt ad expulsionē & separationē seri à sanguine.

Quoniam de seri attractione, vi renum facta, disputatur, proponere adhuc lubet tres opiniones quorūdam Antiquorum apud Galenum breuiter agitatas lib. 1. de facult. natural. cap. 17. & vltimo. Prima opinio quorundam fuit discipulorum Erasistrati, quam Galenus sequenti serie exhibet: Ergo qui ab Erasistrati ætate non procul fuêre, partes, quæ supra renes sunt, purum accipere sanguinem aiunt: aquosum verò eò quòd graue sit, degrauare, ac pessum fluere: hic autem in renibus percolatum, vbi redditus est vtilis, ijs, quæ infra renes sunt, partibus mitti. Et ad tempus quidem placebat hæc opinio, ac florebat, veraq; existimata est: procedente autem tempore, ipsis quoq; Erasistratijs suspecta est visa; demumq; ab ea desciuerunt.

Discipulorum Erasistrati opinio circa attractionem seri.

Absurditatem huius sententiæ binis argumentis ostendit Galenus. Supponunt enim, quod falsum est, serositatem acquirere grauitatem in vena caua, cùm tamen eandem, quam in vena caua habet antea, dum è ventriculo in iecur ferebatur, habuerit. Vnde cùm parem in ventriculo, quam in venis, obtinuerit grauitatem, cur ex ventriculo rectà deorsùm non deferebatur? Præterea si aquosus humor notabili polleret grauitate, quomodo ad nutrimenti in corpus digestionem siue distributionem conferre posset? Alterum argumentum est: Si serum ratione grauitatis ad renes ferretur, ij sub vena caua, & non vtrinq; ad eius latera positi essent.

Refellitur dicta opinio.

Cùm itaq; hæc opinio damnata esset, altera successit multò stolidior, quam hac serie Galen. exponit: Aiunt enim, si effundatur in terram oleum aquæ mixtum, diuersâ vtrumq; viâ iturum, fluxurumque, hanc istâ, illud alterâ: minimè igitur mirum esse, si aquosus humor in renes fluat, sanguineus per cauam deorsum feratur. Ergo damnata quoq; & hæc opinio iam est. Cur enim (hæc est Galeni responsio) cùm ex caua innumeræ oriantur venæ, in reliquas quidem omnes sanguis; humor autem serosus in eas, quæ ad renes tendunt, conuertitur?

Secunda opinio, priore absurdior.

Reijcitur à Galeno.

Ter-

Tertiam opinionem sequenti serie narrat Galenus: Rursùs igitur (tertium seruatori) omnium pessimam iam dicamus, & quæ à Lyco Macedone inuenta est; viguit autem propter nouitatis gratiam. Ergo Lycus hic, veluti oraculum quoddam ex adyto loquens, renum nutritionis excrementum esse vrinam inquit. At (est Galeni responsum) quod totum id, quod bibimus, vrina fit, nisi siquid cum aluo exijt, aut in sudorem, aut per inuisibilem transpiratum abijt, ostendit planè eius, quod quotidie meijmus, copia. Hyeme autem id maximè intelligere licet in ijs, qui in otio degunt, & vino ampliter indulgent, potissimùm, si vinum tenue, ac penetrabile sit: meiunt enim hi celeriter tantum paulò minus, quantum bibunt. Cùm hæc Lyci opinio, nec Erasistrato, nec Asclepiadi, & multò minùs Hippocrati sit cõformis; de Lyco sequẽtià refert Galenus: Albo igitur, iuxta prouerbium, Coruo est similis, qui nec cum Coruis versari potest propter colorem, nec cum columbis propter magnitudinem: verùm nec idcircò est prætereundus. Ergo quòd omnes, quæ nutriuntur particulæ, excrementum aliquod creent, vtique non negamus, quòd autem soli renes, tantilla corpora, quatuor interim totos, vel etiam plures, habeant excrementi congîos, (Congius, siue Congiarium est mensura decem librarum) id nec confessum est, nec rationi consentiens. Quippe cuiusq; maiorum, quàm renes sunt, viscerum, plus esse excrementi est necesse. Verbi gratià, Pulmonum, si modò visceris magnitudini ad portionem respondebit, sanè multiplex erit respectu eius, quod in renibus fit: Quare totum quidem pectus implebitur, animal autem illicò extinguetur. Quod si etiam æquale quis dicat in singulis aliarum partium gigni excrementum, per quas quæso vesicas excernitur? Si namq; renes in ijs, qui vino prolixè indulgent, tres interim, quatuorue excrementi congios faciunt, certè aliorum viscerum multò plures erunt: dolioq; maximo opus erit, quod omnium excrementa capiat. Quanquam sæpenumerò, quantum potauit quis, totum id paulò minus minxit, tanquam quod bibitur, id totum ad renes feratur.

Tertia opinio Lyci Macedonis.

Damnatur à Galeno Lycus.

Congius quid.

Quoniam ab alijs scriptoribus hæc, etsi huic doctrinæ non modicum lucis afferant, omitti plerumq; solent, ea huc vsq; producere placuit. Quoniam his omnibus probè intellectis, vnicuiq; patens erit, renes vim habere attrahendi vrinam ex massa sanguinaria in ma-

maioribus vasis recondita, eandemq; vrinam non esse renum, sed hepatis excrementum. Renes veruntamen omne serum, quod est in sanguine, non alliciunt, sed maiorem partem: Et duas quidem ob causas; quarum prima, est naturæ prouidentia: non enim sine vehiculo sanguis ad vniuersas corporis partes per angustissimas venas transmeare posset. Quare prouida Natura aquosi liquoris portionem, quæ sanguinis delationi ad varias corporis partes sufficit, in venis retinet; & suo munere functa eadem liquoris portio per habitum corporis insensibiliter transpirat, aut sensibiliter in forma sudoris euacuatur. Sudor enim, & vrina eiusdem sunt naturæ, si vtriusque materiam perpendamus, teste Galeno lib. 10. de Simpl. medicament. facult. Titulo de Sudore: loco ergo, per quem euacuantur, differunt. Quòd aquosus humor vt plurimum à renibus attrahatur, & aliqua eius portio sanguinis delationi inseruiat, patet ex Galeno lib. 4. de vsu part. cap. 6 vti in nostræ Physiologiæ libro 3. Titulo de Renibus, plenè exposuimus. Secunda causa, cur renes totum non attrahant aquosum humorem, est, quia eorum virtus attractrix non peruenit ad omnes sanguinis in vasis conclusi partes.

Duplex causa cur renes totum aquosum humorem non attrahant.

Sudor & vrina, quo. ad materiam, sunt eiusdem naturæ.

Secunda causa.

In definitione dictum est, serum omnino in renibus à sanguine secerni; quia modicus sanguis vnà cum sero à renibus allectus, in renum nutrimentum facessit: & serum rursùs transcolatum per vreteres ad vesicam amandatur, & inde nostro arbitrio per vesicæ collum extra corpus: prout Galenus docuit, & rei veritas experimento quotidiano comprobatur. Hæc expresse pronuncio, vt grauem vitetis errorem, in gemina vrinæ definitione ab Hieronymo Capiuaccio data, contentum. In vtraq; enim affirmat, vrinam per colem excerni, quod quàm absurdum sit, constat ex eo, quòd mulieres, quæ cole, seu virili membro carent, vrinam æquè benè, ac viri, excernunt.

Serum omninò in renibus à sanguine secernitur.

Absurda Capiuacij opinio de vrinæ excretione.

Demùm in definitionis calce, secundam vrinæ vtilitatem proposui. Primus quidem eius vsus est, sanguinem ex iecore in venas vehere. Secundus vsus, qui eius euacuationem sequitur, est sanguinis purificatio. Si etenim Sanguini commixtum permaneret serum, non probè corpus nutriret: Vnde hydropici, qui sanguine aquoso aluntur, aliquandiù miserè viuunt, & tandem moriuntur. Ex suppressione præterea vrinæ sanguis adeò coinquinatur, & fit caco-

Vrinæ duplex vsus.

Hydropicorum corpus ob copiam seri,

cacochymus, vt ad nutriendum ineptus, inutilisq; reddatur: nec mirum; cum substantia illa serosa aquea sit, salsuginosa, nitrosaue; imò & amariuscula. Ob bilis porrò commixtionem amara fit vrina, & ob commixtionem bilis cum pituitoso sero, aut humore, multum excalefacto, salsuginosa nitrosaue fit. Vrinam ergo, tanquam quid impurum, & inutile, sanguini eximere decet: vt hoc rursùs animal commodè nutriatur. Non solùm enim liquor quiuis superfluus sanguini commixtus, sed crudi putridique humores cum vrina euacuantur.

& sanguinis aquosi non probè nutritur.

Vrina amara, salsuginosa & nitrosa causa.

Quid cum vrina excernatur.

DVBIVM PRIMVM.

DVbitandi non leuem ansam multis præbuêre diuersa Galeni loca, quibus vrinam modò ex aquosa substantia, modò ex aquosa & alijs rebus fieri decernere videtur. Hieronymus Mercurialis, qui hanc primariam Cathedram Lecturamue, quam in hac celeberrima Vniuersitate possideo, pridem occupauit, suo de Vrinis libro cap. 3. pro virili affirmat, vrinam, secundùm Hippocratis & Galeni mentem, non aliud esse præter materiam potulentam. Prima ratio Mercurialis est, quòd ea animalia, quæ, vel nunquam potant, vel exiguum, neq; vesicam à natura habuerunt, neq; etiam vrinam generant. Dicebat Aristoteles lib. 3. de part. animal. cap. 8. & lib. 4. de part. animal. cap. 1. ea animalia, quæ pulmonem sanguineum habent, sortita esse etiam vesicam; propterea quod cùm siticulosa futura essent, debebant potare, & propterea necesse erat, vt ex potu vrina generaretur, & consequenter vesicam haberent. Quæ verò talem pulmonem non habent, neq; bibunt: aut si habent, parum bibunt, quòd fungosus sit: aut potant quidem, sed eis potus loco cibi est, quemadmodum sunt pisces, atq; insecta: vel pennata sunt, & squammigera, aut cortice intecta, quæ omnia vesicâ carent, tum propter humoris exiguitatem, quam capiunt; tum quia, quod capiunt, in pennas, squamas, & cortices absumitur. Quod si reperiuntur aliqua animalia, quæ vesicam non habent, & tamen potant, potus in illis conuertitur, vel in pennas, vt in auibus; vel in squamas, vt in piscibus; vel in crustas, vt in ostreaceis. Itaq; videmus à natura hoc factum esse, vt non habuerint vesicam, neq; vrinam fecerint: vel quia non potant: vel, si potant, quia materia aliò

Mercurialis opinio de vrinæ generatione.

Prima ratio Mercurialis.

Animalia nunquam, aut parum potantia, cur vesica careant.

Animalia multa, vt pisces, insecta, pennata, squammigera, aut cortice tecta, cur vesica non egeant.

conuer-

conuertitur, vt clarum videatur, vrinam esse materiam potulentam.

Secunda ratio ab animalibus, multum, parumue bibentibus.

Secunda ratio est, quòd animalia, quæ potant, si multum bibant, multam vrinam faciunt, si parum, paucam: quod argumento est, si vrinæ quantitas stat in propria materia, nihil aliud esse, quàm materiam, quæ potatur.

Tertia ratio à suppressione vrinæ.

Tertia ratio est ex Experiētia: Medicorum enim in suppressionibus vrinarum maximum præceptum est, vt omninò potus arceatur, ne vrina gignatur. Si hoc est maximum præceptum, ne bibamus, quis non videat, vrinam nihil aliud esse, quàm materiam potulentam?

Quarta ratio ab aquis thermalibus.

Quarta Ratio desumatur ex ijs, qui aquas thermales potu sumunt (de his loquor, quæ per vrinam ducuntur); videre enim est in huiusmodi corporibus aquas illas per vesicam tales emingi, quales assumuntur; quod Signum est, potum hunc in iecore, & venis nullam mutationem suscipere: quod etiam Signum est, eandem esse materiam vrinam, & quæ bibitur, nisi quòd spoliatur accidentibus. Sic Aristoteles appellat vinum aquam libro 4. Meteoror. & Empedocles aquam concoctam seu putrefactam in vite. Hoc argumentum Galeni auctoritate roborare nititur Mercurialis: Nam Galenus, vt ait, lib. 1. de natural. facult. cap. vlt. loquendo de Bibonibus, qui Græcis κωτωνίζοντες dicuntur, refert hos tantundem per vrinam excernere, quantum ingessere potûs, qui nihil ferè mutatur.

Aliæ multæ rationes, quibus probatur, vrinam nil aliud esse, quam potulētam substantiā.

Præter relata argumenta, Mercurialis Hippocratem, veluti adhuc Galenum, pro se citat. Nam Hippocrates lib. de Aliment. docuit, humiditatem esse alimenti vehiculum, quam sententiam Galenus Comment. 4. in lib. de Vict. rat. in morb. acut. tex. 17. & lib. 4. de Vsu part. cap. 5. exponens, dixit, ab Hippocrate eam humiditatem intelligi, quæ cibum à ventriculo ad iecur perducit: quo etiam in loco cùm scribat, aquam in animantibus nil aliud efficere, nisi quòd cibum perducit, manifestè monstrat, eandem humiditatem, quæ cibum perducit, eandem etiam per vrinam excerni. Libro deniq; Prorrhetic. hanc veluti quandam legem statuit, vt semper potus debeat quantitate vrinam æquare, ita vt & crassitie, & mensurà vrina nunquam debeat potum superare. Quòd si hoc verè statutum est ab Hippocrate, facilè est colligere, quòd si quantitas potûs & vrinæ est eadem, pariter quoq; esse materiam eandem. Eodem libro paulò post scribit Hippocrates, vrinam debere apparere

pro studiorum ratione, & pro vinorum mutatione: quod si verum est, verum est etiam, vrinam nullam aliam habere materiam, nisi potum. Præterea lib.4. de Vict. rat. in morb. acut. tex.88. scribit, aquosa pocula in hypochondrijs permanere, neq; in vrinam percurrere, quod signum est, ea potulenta, quæ ad vrinam currunt, nihil aliud esse, nisi ipsummet potum. Postremò, libro 4. de morbis, disputans contra eos, qui potum ad pulmonem ferre putabant, tribus rationibus vtitur: Prima est, quòd si eò pertingeret potus, expleretur pulmo, & per consequens spirandi difficultas necessariò induceretur, neq; tunc vox edi posset, cùm non esset, quod resonaret; Secunda est, quòd si potus in ventriculum non proficisceretur, cibi sicci atq; solidi, incocti permanerent, neq; distribuerentur per corpus. Tertia & vltima ratio est, quod si rerum potulentarum ductus non esset in stomachum, sequeretur medicamenta purgantia non posse purgare. Quibus habitis, concludens antiquissimus Auctor, inquit, potum in ventriculum descendere; inde rursùs in vniuersum corpus distribui. Quòd si potus in vniuersum corpus distribuitur, cùm hic idem per vrinam, & sudorem excernatur, clarissimum est ex Hippocrate, vrinæ materiam esse ipsummet potum.

Mercurialis obliquè citat Aristotelē, & Galenū ad probandam suam opinionem.

Ex Aristotele quædam citat Mercurialis, quæ sanè vix ad rem pertinent. Galeni auxilium implorans, obliquè satis quasdam eius sententias citat: & primò locum libri 1. de facult. natural. cap. vlt. contra Lycum, vbi Galenus ait, vrinam esse id totum quod bibitur, excepto pauco quodam, quod vel per aluum, vel per sudorem, vel per insensibilem transpirationem eijcitur. Consimilem doctrinam habet libro de Atra Bile cap.2. Libro 5. de vsu part. cap.6. eandem confirmat doctrinam, inquiens: Quomodo fiat excrementorum cibi excretio, iam dictum est, potûs verò excretio, quam vrinam appellant, deinceps dicendum quomodo fiat. Lib.6. Epidem. Comment 5. tex. 15. scribit, quòd cùm corpus nostrum naturaliter dispositum est in generandis succis, tunc potus commutatur, colore inficitur, atque sic vrinarum differentias facit: cùm verò præter naturam se habet, vrina tunc simillima est potui. Tandem lib. 10. de simpl. medicament. facult. Titulo de Sudore, Vrinam, & Sudorem ex potu fieri docuit.

Mercurialis refellitur.

Rationibus, & authoritatibus hactenùs deductis Mercurialis vsus est, vt omnibus persuadeat, vrinam esse solam potulentam

substantiam. Quæ sanè sententia nunquam à Medicinæ Principibus excogitata fuit: & loca ex illis à Mercuriale in medium allata sollummodò indicant, Hippocratem & Galenum docuisse, potulentam substantiam esse id, ex quo potissimùm vrina fit, non quòd denegent vrinam nulla alia constare substantia, quàm potulenta. Nam omnis vrina naturalis, & aquosâ substantiâ, & bilioso sero aut excremento constat, cùm naturalis vrina debeat esse aut subpallida, vel subrufa, vel subflaua; quæ tinctura non à potu, sed à bile procedit. Proinde Galenus loco citato lib. 10. de Simpl. medicam. facult. Titulo, Sudor, ait: Vnus & hic est humorum in animantis corpore prouenientium, & eandem habens materiam, quam vrina, & eundem generationis modum. Siquidem vtriq; bibito humore constat generatio, excalfacto simul in corpore, & biliosę nonnihil substantiæ adepto: Verùm sudor est plus elaboratus, vtpotè qui ad cutem vsq; permeatis omnibus, quæ inter sunt, partibus, peruenit. Attamen sudores inter sese, & vrinas, differre necesse est, tum pro animalium temperaturis, quæ & naturâ, & per ætates non parum à sese inuicem sunt diuersæ, & pro præcedente victûs ratione. Subsequentibus verbis docet ille, vrinæ, & sudorum differentias adhuc manare à Regione, in qua versamur, ab anni tempore, & à Cæli statu, seu ab aëris nos cingentis temperie; cùm ab his, & alijs causis, vrinæ mutentur. Et deinceps inquit Galenus: Cùm ergo sermo fuerit de vrinis, aut sudoribus, aut bilibus, aut sanguine, aut pinguedine, aut adipe, aut quopiam in corpore nato, diuidentibus videlicet nobis eas, quæ in animalibus visuntur, differentias, de sanis corporibus sermo intelligendus est, mediam propriæ ipsorum temperaturæ constitutionem habentibus. Sic ergo quod & sudor salsæ, & salsuginosæ vocatæ qualitatis est particeps, gustûs testimonio probatur: Nam sæpenumerò nolentibus in os defluens, dictam qualitatem indicat. Sæpè verò etiam non obscuram præfert amaritudinem. Attamen & color, eius naturam designat: Nam sicut vrina naturalis modicè est pallida, sic & sudor. Verùm id facilè cognosces in ijs, qui lauantur, cùm absque oleo strigili raduntur: nam sudor in cauo strigilis colligitur, colorem, quem dixi, simul & gustum præferens, ac euidenter salsedinem habens, sed obscurè amaritudinem.

Sudores, & vrinæ à varijs causis mutantur.

Sudor salsus, & subobscure amarus est.

Sudoris color.

Sequenti Titulo, de Vrina, Galenus sequentia habet: Dictum

quidem

quidem est de tota eius (id est vrinæ) natura in Sermone de Sudore (immediatè iam transcripto). Diceturq; & nunc, quòd quanta est in animalibus bilis diuersitas, tanta item sit in vrinis. Atque omnes quidem (vrinæ) facultate sunt calidæ; sed plus tamen animalium calidiorum: minùs autem frigidiorem.

Vrinæ aliæ calidiores, aliæ frigidiores.

Sequenti Titulo de Vrina Humana, adhuc ait: At vrina hominis omnium propè aliarum vrinarum est imbecillima, exceptis Porcis domesticis, quibus execti sunt testes. Nam illorum similis est totius corporis temperatura temperiei hominum, & vrina similiter debilis. Verùm montanorum aprorum valida est, vt etiam ex odore apparet, qui vtiq; acerrimus est. Sed & in alijs animalibus ex odoribus vim eius conijcere liceat: nam vrinas illas degustare planè est abominandum, cùm ne pueri quidem vrinam, vir quidam honestus vita pariter ac moribus ebibere sustinuerit, cùm pestiferè ægrotaret in Syria: vbi, cùm multi vrinam puerorum, simul & virorum, hausissent, sese hinc seruatos credebant. Cæterùm vrina hominum, vt siquid aliud, extergendi vim obtinet: quòd cùm alij multi satis indicant, tum maximè fullones, qui sordida vestium eâ expurgant, atque extergunt. Hanc eius vim cùm & Medici conspexissent, psoras, & lepras eâ detergunt: perfunduntq; vlcera, tum multa humiditate, tum sordibus, & impuritate scatentia, ac multò magis vbi putridum quiddam obtinent. Sed & pudendis, vbi sic afficiuntur, vrinam infundunt, & auribus pure fluentibus. Quin & furfures, & achores eâ curant, capiti identidem perfundentes. At nos hæc facere odimus potiùs, cùm ad manum sint, quæ illis conducant, alia medicamina. At vlcera digitorum, pedis maximè, quæ ex illisione atq; offensione essent inflicta, sæpenumerò, vbi nimirum phlegmone carerent, & ipse curaui, eaq; in seruis, & hominibus rusticis, quos iter ingredi absq; Medicis erat necesse. Siquidem linamento (μοτὸν Græci vocant) vlceri imposito, ac insuper linteo circumuoluto, ac ligato, quoties meiendi incesseret cupiditas, in digitum ferri vrinam præcepi, nec ante soluere, quàm benè esset curatus. Nam & si quem alium ruri sine Medico agentem, vrinam vlceribus perfundentem audissem, non vetui; vbi scilicet in partibus thorace inferioribus vsq; ad imos pedes vlcus constitisset. Siquidem vlcera aut capitis, aut faciei, vrina perfundi sinere auersabar. Attamen medicamentum, quod ex vrina pueri conficitur, quod quidam vo-

Porci domestici castrati temperamento humano similes.

Vrinæ potus multos olim à Peste liberauit.

Vrinæ vsus apud fullones.

Vrinæ facultas in Medicina.

Chrysocolla ad vlcera sanatu difficilia.

cant chrysocollam, quia eo ad auri glutinationem vtuntur, ad vlcera difficilia sanatu optimum esse assero. Fit autem id figura phiali confecto mortario ex ære rubro, habente pistillum eiusdem materiæ, in quod meiente puero, pistillum circumages identidem, vt non tantùm à mortario quid deradat, sed etiam à sese nonnihil deterat: id quod pluribus deinceps diebus peragitur, donec vrina crassitudinem acquirat mellis. Faciendum verò id in Sole: nam faciliùs in aëre calido eiusmodi ab ære quid deteritur: aut si Sol absit, calidas esse ædes saltem conuenit. Hoc medicamento misto ijs, quæ curandis vlceribus rebellibus sunt idonea, vtimur, vt dixi, ceu optimo: Nihil enim habet abominandum, perinde vt vrina capiti, alteriue parti infusa. Nam quid commemorem vrinæ potum? Scripsere tamen Medicorum quidam de subsidente in vrina crasso illo videlicet, & albo, dicentes id mederi erysipelatis. Sanè ea erysipelata, quæ ignea etiamnum sunt, & reuera erysipelata, calidorum, & acrium medicamentorum omninò nullum iuuare potest: Quæ verò per refrigerantia remedia refrixêre erysipelata, tum hoc, tum alia multa medicamina digerentia adiuuare valent. Atq; hoc quidem vti licebit, vbi non in facie, aut propè, erysipelas constiterit, verùm in artuum quopiam, aut dorso, aut ventre. At vrinam pueri orthopnææ gratiâ ebibere necessarium non est, cùm sint & alia medicamina, quæ huic medeantur affectui. Quin cùm bibisset quidam, affectu liberatus non est: vt non eximium quid præter alia possideat.

Chrysocollæ cōficiendæ modus.

Vrinæ potus ī Medicina abominandus.

Vrina bile tingitur.

Deniq; Galenus lib. 5. de Vsu part. cap. 6. confirmat, vrinam bile tingi, inquiens: At biliosi quidem excrementi, quicquid non admodum crassum fuerit, cum vrinis permeat: sanguis verò carni ipsi renum aspergitur, instar fæcis cuiusdam: inde iam paulatim vaporis modò in totam ipsam dispergitur, adhærescit; atq; demùm alimentum fit renibus. Hîc expresè Galenus ostendit, ab vrinæ substantia sanguinem cum ea in renes delatum, eisdem renibus, roris ritu, affundi, rursùs apponi; atq; demùm assimilari, & vrinam aquosa biliosaque substantia constantem illinc ad vesicam effundi.

Renum corpus cur densum.

Cap. 7. eiusdem libri 5. de Vsu part. Galenus sequentia scripsit: Ne igitur cum vrinis per aliquot foraminum, quæ in renibus habentur, quemadmodum tenue biliosum, & ita sanguis elaberetur, densum corpus eorum fuisse præstiterat. Præclarè his docet Galenus,

nus, bilem per renum exiguos meatus ad vreteres excerni; & sanguine vnà cum vrinæ materia ex emulgente arteria, & emulgente vena eosdem renes, absq; alteriùs sanguinis per alias venas delatione nutriri; vti in reliquo capite docuit. *Renes quô sanguine nutriãtur.*

Non solùm Galenus, sed Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 2. & 3. salsedinis, & amaroris excrementorum, & præsertim vrinæ, meminit: vti fecit Ruffus Ephesius, qui vrinam appellat nitrosum humorem in vesicam delabentem. Galenus lib. 2. de febrib. cap. 6. tres pituitæ species, dulcem, acidam, & salsam exponens, salsedinis causam ad calorem extraneum referre videtur, inquiens: Sicuti & altera species est salsa, aut propter putredinem, aut propter salsæ serosæ humiditatis mixtionem. Aristoteles lib. 2. cit. Meteor. cap. 2. salsum sudorem, & vrinam ex commixtione variarum substantiarum, eo modo, quo lixiuium, fieri docuit; hac serie: Hîc enim minimè constat, apertumue est, quonam pacto è dulci potu salsus sudor proueniat, vtrum abeunte quopiam, ceu parte dulcissima solummodò, an permisto, quo modo in aquis per cinerem colatis euenit. Causa eadem & excrementorum generi, quod in vesicam colligi solet, competere videtur, quippè quod amarum salsumq; euadat, cùm tamen, qui bibitur humor, & quem cibus continet, dulcis sit. Itaq; si vt aqua, quæ per cinerem transmittitur, amara sit, sic & vrina, atq; sudor amarorem contrahunt: Vrina quidem, quòd facultas eiusmodi vnà cum ea deferatur, qualis est salsilago illa, quæ etiam in vasis subsidere videtur: Sudor verò, quia facultas illa pariter cum eo è carnibus sequestretur; humore scilicet, qui sese foras promit, quod tale est è corpore abluendo deradente: perspicuum est quod in ipso quoq; mari, quod in terra cum humore miscetur, salsitudinis causa est. Verùm in corpore tale est pars ea cibi, quæ subsidet propter concoctionis vacuitatem. Quibusdam interpositis, contra quosdam sequentia profert: Quæ igitur salsitudinis causæ narrantur, rationem videntur effugere. Nos autem eodem, quo & priùs sumpto initio dicamus. Cùm enim halitum esse duplicem, alterum humidum, alterum siccum, positum sit, eum eiusmodi affectuum principium esse arbitrari oportere constat. Et quibusdam interpositis, ait: Quæ cùm ita habeant, de salsore quoq; causam reddere enitendum est. Itaque eiusmodi saporem ob commixtionem quandam prouenire multis constat indicijs. Quod in

Vrina quid Ruffo Ephesio.

Causa salsedinis.

Salsedinis in vrina & sudore causa, ex Aristotele.

Salsedinis causa.

in cor-

in corpore minimè concoctum est, id salsum amarũq; haberi potest: quod idem etiam priùs diximus. Nam cibi humidi excrementum minimè concoctum est. Eiusmodi sunt sedimenta omnia, sed præcipuè illud, quod in vesicam delabitur. Cuius rei indicium est, quòd tenuissimum sit: quæ autem concoctionem admisêre, constant, crassaq; sunt. Deinde sudor, in quibus idem illud corpus, quod hunc saporem parit, vnà cum superuacaneo humore excernitur. Pari modo & in hisce, quæ exuruntur, res habet: quod enim calor non euicerit, id omne in corporibus excrementum fit; in exustis, cinis. Quamobrem & mare è terra perusta factum esse nonnulli asserunt: Cæterùm ita quidem dicere absurdum est: esse tamen ex tali factum, à veritate nequaquam abhorret. Nam vt & in hisce, quæ diximus, ita in ipso quoq; vniuerso (quod ex ijs, quæ nascuntur, atq; per naturam fiunt, non aliter quàm ex ijs, quæ ignem sentiunt, relinqui solet) esse terram talem animaduertendum semper est. Quinimò & omnem aridæ telluris halitum esse eiusmodi, putandum est; ea enim hanc ingentem halituum copiam suppeditat. Cùm autem halitus vapidus cum arido permistus (vt diximus) in nubem, & aquam cogitur, necessariò accidit, vt semper quædam non parua huiusce facultatis portio intercipiatur, & rursum pariter cum pluuia deorsum feratur, idque semper fiat ordine quodam, quantum fieri potest, vt quæ apud nos sunt, ordinem participent. Vnde igitur in aquam salsitudo proueniat, dictum est. Ob idq; imbres, tam quos Auster affert, quàm qui Autumnalium primi sunt, salsiusculi sunt. Auster enim tam vehementiâ suâ, quàm flatu, æstuosissimus ventus est, & à calidis siccisque locis spirat: quare parum vaporis sibi asciscit, & proinde feruidus extat. Nam etsi eiusmodi non sit, sed vnde spirare incipit, frigidus habeatur, nihilo dum se longius protrahit, propterea, quòd multum sicci halitus è vicinis locis secum rapit, calidus est. At Aquilo, vt qui ab vliginosis flare locis soleat, vapidus est: ideóq; frigidus. Hic tamen, quòd nubes propellat, serenus est: in locis oppositis, pluuius. Pari modo & Auster Afris sudus est, nobis pluuiam importat. Talis igitur facultatis non parum aqua, quæ deorsum ruit, secum aduehit. Atq; per Autumnum salsi imbres fiunt. Quæ enim plus ponderis obtinent, ea priora deferantur necesse est. Quare quibus eiusmodi terræ copia inest, ij celerrimè descendunt: ob idque mare calidum est.

Imbres Australes cur salsiusculi.

Aquilo, vbi serenus, vbi pluuius.

Auster quibus in locis sudus, quibus pluuius.

Nam

Nam adusta omnia, potentiâ in se aliquid habent caliditatis: calcem, cinerem, sedimenta animalium, humidum, inquam, simul & aridum intueri licet. Et animalium, quæ ventres habent calidissimos, sedimenta calidissima esse vsu euenit. Igitur mare hac de causa subinde salsius reddi solet. Et pluribus interpositis, inquit: Porrò salsitudinem in rei cuiuspiam admistione consistere, palam est, non ex ijs tantùm, quæ dicta sunt, verumetiam siquis vas è cera efformatum in mare demittat, obturato prius re tali osculo, vt nihil interhiet, per quod mare introfluat: quæ enim sese vasi per cereos parietes insinuat aqua, potulenta euadit. Nam vt terrena portio, ita & quod salsitudinem sua admistione committit, sequestrari, cum percolatur aqua, assolet: id enim tum ponderis (salsa enim, quàm dulcis, grauior est) tum etiam crassitudinis causa extat. Etenim aquæ crassitudo corpulentiaq; tantam afferre differentiam potest, vt nauigia æquo rerum, quæ conuehuntur, onere pressa, in amnibus ferè demergi videantur, in mari modicè sese, atq; ad nauigandum peropportunè habeant. Quamobrem nonnulli eorum, qui in amnibus naues onerârant, ob eam ipsam ignorationem damnum subiere grauissimum. Quòd autem quippiam admistum sit, illud argumento esse potest, quòd eius moles crassiuscula est. Nam mare propè quasi lutum est; tantam rei corpulentæ copiam continet. Si quis enim aquam indito sale vehementer salsam fecerit, in ea oua, etiamsi plena sit, innatant. Hoc idem circa ipsa salsamenta moliri solent. Quòd si in Palæstina sit (vt quidam ferunt) lacus eiusmodi, in quem si à quopiam homo vinctus, aut iumentum injjciatur, per summa natat; nec in aquis mergitur: is profectò testimonio fuerit hisce, quæ iam dicta sunt. Aiunt enim adeo amarum salsumq; esse lacum, vt piscis nullus innascatur; & vestimenta purget, siquis madefacta concusserit. Quæ omnia eorum, quæ diximus, signa sunt, nempè quòd corpulentum quiddam salsitudinem pariat, & quòd id, quod inest, terrenum sit. Etenim in Chaonia fons quidam aquæ salsiusculæ habetur, qui haud longè ab ortu in amnem dulcem quidem, at piscibus vacantem, influit. Nam, vt aiunt Incolæ, facta ab Hercule optandi potestate, cùm is ab Erythia vaccas abigens rediret; salem pro piscibus elegerunt, qui ipsis è fonte fieri solet. Huius enim aquæ portionem quandam posteaquàm decoxêre, quiescere sinunt, quæ frigefacta, vbi vnà cum

Modus extrahendi aquam dulcem ex mari.

Naues onerariæ cur in mari benè nauigãtes, in amnibus ferè demergi videantur.

Oua, etiam plena, in aqua multùm salsa supernatãt.

Fluuius in Palæstina mirandus.

Fõs mirus in Chaonia.

calore humor euaporauit: in salem non densum grumosumque, sed niuis modo laxum atq; subtilem verti solet: quod genus salis imbecilliorem, quàm cætera, virtutem obtinet, largiusq; adhibitum, gustum ingerit suauem: colore item non æquè candido existit. Aliud huic rei proximum Vmbri moliuntur; quendam .n. locum habent, in quo arundines, & iunci enascuntur: quorum cinerem decoquere aquâ soliti sunt; donec exiguum supersit humoris; qui vbi refrixit, in Salis copiam euadere solet. Quicunq; autem amnium fontiumue fluxus salsi sunt, eos maxima ex parte aliquando incaluisse, deinde ignis principium extinctum fuisse, censendum est; Terram verò, per quam transmissi colantur, cineris & calcis naturam adhuc retinere. Sunt etiam plerisq; in locis tam fontes, quàm amnium fluenta, quæ varia saporum genera præferunt: quorum omnium causam esse igneam virtutem, siue facultatem, quæ in eis est, aut innascitur, statuendum est. Nam terra dum ignem sentit, quod plus minus id pati soleat, varias saporum, colorumque formas contrahit: quippe quæ aluminis, calcis, & cæterorum id genus virtutibus plena reddatur: per quæ dum transmittitur aqua, quæ dulcis est, permutari solet. Et quædam acescit, quo modo in Sicilia agro Sicanico euenire videmus. Inibi enim Oxalme (quam acidam muriam interpretor) gignitur, qua, vt aceto, in quibusdam epularum generibus vti solent. Est autem & circa Lyncon fons quidam, cuius aqua acida est. Circa Scythiam alius, qui amaras euomit aquas, quæ vniuersum amnem, in quem incidunt, amarum reddunt.

Vmbri quo modo salem conficiant.

Fontes cur varia saporum genera præ se ferant.

Varij fontes acidi.

Ex hac Aristotelis doctrina, veluti ex ijs, quæ antea ex Galeni scrinio deducta sunt, abundè colligitur causa salsedinis, & amaroris, aut alterutrius in vrinis. Chylus enim liquidus in hepar translatus, hepatis calore, & virtute sanguificâ subigitur, examinaturque: & pars terrea ad lienem relegatur; bilis meraca crassiorq; ad suum folliculum hepati adnexum, sanguis verò vnà cum sero in venæ cauæ truncum. Vnde id, quod liquidum valdè, & veluti aqueum in hepate alteratum, examinatumque fuit; cuiq; tenuior bilis portio, siue bilis ipsius serum, vnà cum aliorum humorũ serositatibus commixtum est, tanquam quid inutile, ad renes, vtplurimùm, amandatur, modica verò eius portio vnà cum sanguine ad corporis habitum. Et id, quod ad renes, vreteres, & vesicam, rursùsq; per vesicæ collum extra corpus traijcitur, vrina nuncupatur, ex varijs quidem

dem commixta substantijs, cùm per varios ductus & caniculos, in quibus diuersas est passa alterationes, & ex quibus aliquid hausit, permeauerit: quò fit, vt dispositionis hepatis, venarum, arteriarum, renum, vreterum, & vesicæ sit index, quod harum partium, sed præcipuè hepatis, excrementum extet; nequaquàm verò primæ coctionis, vt asseruisse videtur Mercurialis. Si autem esset primæ coctionis excrementum, perfectionem, aut imperfectionem eiusdem primæ coctionis, & non secundæ, argueret. Præterea per intestina, & non per renes euacueretur. Ex ijs autem, quæ per intestina deturbantur, primæ coctionis status dignoscitur, vt passim in suis Operibus dictat Galenus.

Vrina cur non sit primæ coctionis excrementum.

Quod Mercurialis de Aquis Mineralibus, & copioso potu protulit, nihil ad rem. Quoniam tametsi aquæ istæ per vias vrinæ quandoq; adeò claræ, ac puræ excerni videantur, ac assumptæ sunt, non ideò sola potulenta & aquea substantia, vrinæ materia censeri debet, quòd relatæ aquæ medicamenti, & non congruentis potûs vicem gerant. Quare à natura, tanquam quid inutile deturbantur, veluti copiosus potus. Liquores etenim isti, quantitate, aut qualitate, aut vtroq; modo noxij, quia tenues, facilè in hepar transferuntur, & illinc ad instrumenta vrinæ attractioni & secretioni destinata. Sunt autem istæ excretiones præter solitam consuetudinem. Nam Aquæ istæ Minerales, & copiosissimus potus, à natura regi nequeunt, quia illæ ratione suæ alienæ qualitatis naturæ vim eludunt; copiosissimus verò potus propter excessum. Natura tamen vtroque potu, qualitate nimirum, & quantitate peccante, vexata, quod potest perficit, dum aquam medicamentosam, aut mineralem, aliosq; liquores diureticos, per vias vrinæ excludit; sicuti redundantem potum. Supposito verumtamen, quòd in eadem fermè quantitate, qua dicti liquores assumpti sunt, redderentur, non proinde Mercurialis concludere debuit, solam potulentam substantiam esse vrinæ materiam. Hæ siquidem vrinæ vix naturales dici possunt, cùm à natura liquor qualitate, aut quantitate peccans, vix domettur. Addamus & his abstemios ipsos vrinas reddere salsas, acres, amaras, aliorum hominum more, qui vino vtuntur: quod argumento est, vrinam esse quid aliud à substantia potulenta distinctum. Aqua etenim pota insipida est, & frigida; vrina tamen salsa, aut acris, aut amara. Salsa porrò omnia, amara, & acria, ca-

Aquæ minerales cur claræ, ac puræ excernantur.

Aquæ minerales, & copiosissimus potus nequeunt à natura regi.

Mercurialis redarguitur.

Abstemij vrinas reddunt salsas.

lida sunt, teste Galeno lib. 4. de Simpl. medic. facult. Igitur cùm vrina salsa sit, aut amara, aut acris, necessariò calida esse debet, sicuti lixiuium saltem, cui assimilatur. Quòd denuò ex sola potulenta substantia (etsi hæc sit præcipua vrinæ materia) non fiat vrina, patet ex eo, quòd animalia nonnulla extent, quæ meiuat, etsi bibere non consueuerint, inter quæ Cuniculos enumerant. Imò & ipse fætus non bibit, per vrachum tamen vrinam reddit. Licet ergo potissimùm vrina ex potulenta, aut liquida materia fieri dicatur, humorum serum ad eius compositionem concurrit: & reuera humorum serũ rectè tota ipsa dicitur. Sed hæc de hac Controuersia sufficiant.

Vrina cur calida.

DVBIVM SECVNDVM.

ANxij sunt multi de loco generationis vrinæ: Vnde quibusdam placet, eam esse primæ coctionis excrementum; alijs secundæ. In neminem quidem incidi Scriptorem, qui eam tertiæ coctionis excrementum esse affirmauerit. Mercurialis Cap. 2. & 3. sui libri de Vrinis, videtur (teste Sennerto) quodammodo velle, vrinam esse primæ coctionis excrementum, etsi non neget, potulentam substantiam in iecore alterari. Dixi, inquit, in iecore, & venis alteratam, propterea quòd licèt potus, dum à ventriculo ad iecur demittitur, cum cibo permisceatur, nihilominus in iecore, & vasis efficitur ipsius alteratio, & permistio, quo tempore cibi etiam mutantur, sed aliâ, & longè diuersa mutatione. Paulò enim ante, vrinam hac serie descripsit Mercurialis: Nos verò dicimus, vrinam nihil aliud esse, nisi materiam potulentam, alimenti vehiculum, in iecore, & vasis alteratam, & permistam à calore naturali, aut præternaturali, tandemq; à renibus attractam, & in vesicam depulsam. Hæc ex Mercuriale deduxi, vt intelligeretis, eum non dixisse, vrinam esse primæ coctionis excrementum, vti perperàm ei talem opinionem tribuit Daniel Sennertus lib. 1. Institut. Medic. cap. 9. Dixit sanè Mercurialis, vrinam esse alimenti vehiculum, non autem alimentum; eò quia ea pars potûs, siue materiæ potulentæ, quæ in nutrimentum vertitur, non efficitur vrina, sed solùm pars illa, quæ peruehit cibum, quæue in iecore multis accidentibus spoliatur, multa etiam alia, ope iecoris, suscipit. Ecce Mercurialis clarè demonstrans, ex potulenta substantia, quæ nutritioni inepta est, effici in

Vrinæ descriptio Mercurialis.

Sennertus non benè percepit sensum Mercurialis,

in iecore vrinam, quòd in iecore, & vasis alterationem, & commixtionem, ac integritatem ex diuersis rebus suscipiat: imò nec primæ coctionis meminit Mercurialis, vt ex his eius verbis cap. 2. constat: Omnes enim, qui hactenùs de vrinis pertractârunt, visi sunt censuisse, vrinam esse excrementum; alij quidem iecoris concoctionis excrementum, alij venarum, alij renum existimârunt. Vnde patet, ipsum non tenuisse garruli Argenterij, & Salust. Saluiani opinionem, quæ talis fuit, vt vrinam primæ coctionis excremētum esse statuerent, ducti ex parte authoritate Galeni lib. 4. de Vsu part. cap. 5. à nobis superiùs citato, vbi Galenus ait: In vena caua multa adhuc humiditate tenui & áquosa plenus est sanguis: Vocat autem ipsum Hippocrates ὄχημα τροφῆς, hoc est, vehiculum nutrimenti, simul cum appellatione vsum quoq; eius ostendens. Neque enim ex ventriculo in venas commodè transire potest chymus ex cibis factus, neq; facilè pertransire venas, quæ sunt in hepate, & multæ, & angustæ, nisi tenuis quædam & aquosa humiditas, tanquàm vehiculum, fuisset ei admixta. *Argenterij, & Saluiani opinio de vrina.*

Sed hic textus parùm fauet dictis Scriptoribus: Nam Galenus solummodò refert, tenuem, & aquosam humiditatem chylo commixtam esse, qua, tanquam vehiculo, chylus eget, vt in hepar per angustas venas transmeet. Hæc tamen tenuis substantia à chylo nullatenus separatur, sed ei omninò confusa est, & commixta, sicuti serum ipsi lacti: in hepate verò, in quo perfectior, quàm in ventriculo, fit alimenti coctio, excrementa melancholica, biliosa, & serosa ab alimento, sanguine ibidem procreato separantur aut loco, aut aliter: bilis quidem, & melancholia loco separantur, cùm vterque humor in proprium receptaculum trahatur: serum verò sanguini adhuc confusum est, non tamen intimè, sed eo modo, quo fæculentæ ingesti cibi partes ipsi chylo iam confecto: sanguini enim serum veluti supernatat. Vnde tametsi in venis vnà cum sanguine contineatur, reuerà tamen serum, & sanguis, res sunt diuersæ, quæ facilè ab inuicem segregantur: vt fieri videmus, quoties sanguis extractus refrixit. Et pósito, quòd aquosa substantia esset in prima coctione genita, vrina proinde primæ coctionis excrementum dici non posset, cùm non ex sola potulenta substantia simpliciter in ventriculo alterata constet, sed hâc magis adhuc in hepate alterata, alijsq; rebus simul; vt i in anteriori dubio abundè docuimus. *Eorundem opinio exploditur.* *In hepate perfectior fit alimentorum coctio, quàm in ventriculo.* *Serum & sanguis, res sunt diuersæ.*

Obiectio 2. Obijciunt vlteriùs aliqui, cuiusuis coctionis duo dari excrementa, crassum vnum, alterum tenue. Ergo fæces sunt crassum, & vrina tenue primæ coctionis excrementum.

Solutio. Respondeo concedendo consequentiam quo ad fæces, negando quoad vrinam: nam tenue primæ coctionis excrementum est quid pituitæ assimilatum, quod ipsas fæces per intestina comitatur.

Obiectio 3. Obijciunt tertiò, cuiusuis coctionis duplex solum esse excrementum, crassum vnum, alterum tenue, iuxta Galeni doctrinam lib. 2. de facult. natural. Ergo coctionis, quæ in hepate fit, duo tantùm erunt excrementa, crassum vnum melancholia dictum, alterum tenue, flaua bilis.

Solutio. Respondeo, Galenum loquutũ de excrementis, quæ immediatè, siue non longè post, loco separantur ab vtili succo, non verò de ijs, quæ longè traijciuntur, cuiusmodi est serum, quod quia alicuius est vsûs in sanguine, non citò separatur ab eo in hepate. Nihil ergo absurdi est, ex vna coctione plura, quàm duo genera excrementorum resultare.

Obiectio 4. Obijciunt quartò: Excrementum alicuius coctionis debet separari in eo loco, in quo fit concoctio. Ergo cùm in secunda coctione, quæ in hepate fit, non separetur vrina à massa sanguinaria, non erit vrina secundæ coctionis excrementum.

Solutio Capiuaccij. Respondet inter alios Hieronymus Capiuaccius, sanguinem perfici quidem in sima hepatis parte, ibidem tamen non omninò depurari: nam licèt ab eo tunc separentur biliosus, & melancholicus humor, non proinde ab eo serum secernitur. Itaque quemadmodum in sima parte iecoris sanguini adimuntur bilis tenuis, & melancholia crassus succus, sic in gibba, siue conuexa hepatis parte ab eodem sanguine separantur serum tenuis humor, & crassus humor, ex quo in vrinis contentum fit. Atque adeò in vnica coctione quadruplex excrementum nascitur, separaturque: duo in prima coctionis parte, quæ in sima hepatis parte celebratur: & alia duo in conuexa eiusdem hepatis parte. Sanè si per verbum, separari, intelligatur serum, tanquàm quid heterogeneum, & à puro sanguine alibili diuersum, efformari clarius & perfectius in conuexa hepatis parte, quàm in sima, doctrina hæc admittenda est: si verò per separari, intelligatur, serum locum omninò diuersum occupare, doctrina est falsa. Nam donec à renibus attrahitur serum

Solutio hæc cum distinctione intelligenda.

rum, loco omninò à ſanguine non ſeparatur, ſed ſanguini ſupernatat, cum eoq; quodammodò confuſum eſt. Et hac diſtinctione poſita, commodè argumento ſatisfit.

Ex his conſtat, quàm meritò reijciatur communiter relata opinio, quæ vrinam primæ coctionis excrementum eſſe ſtatuerat. Secunda ergo ſententia, quæ vrinam ſecundæ coctionis in hepate, eiuſq; venis celebratæ excrementum eſſe ſtatuit, mordicùs amplectenda; vt rationes ſuperiori dubio propoſitæ ante finem, & propè finem, plenè perſuadent. Galenus quidem lib. 3. de Symptomat. cauſ. cap. 2. manifeſtè docuit, tria excrementorum genera redundare per coctionem in venis factam, bilem nimirum vtramq;, & ſerum; atq; hoc à renibus attrahi, ſicuti à veſica iecinori adiacente bilem amaram, & atram bilem à liene. His manifeſtè docet Galenus, tria excrementa in hepate in ſanguinis generatione naſci. Galenus etenim tria illa excrementa in venis hepatis, huius virtute concoctrice, generari voluit. Nam ab omnibus communiter conceditur, bilem flauam & nigram in hepate procreari. Ergo cùm dixerat Galenus ſerum pari modo in venis procreari, voluit abſq; dubio ipſum in hepate ſuam ſuſcipere generationem: quoniam hepar eſt, & non venæ, quod vim habet generandi ſanguinem, licèt is in venis generetur; in quibus ipſa eiuſdem hepatis virtute ſi hetherogeneorum ſegregatio quædam, et ſi aliqualis extet in ijſdem vaſis omnium hetherogeneorum, propter loci anguſtiam, confuſio, donec tempeſtiuè excludantur, locoq; ſegregentur, quæ inutilia ſunt. Serum autem non ita à ſanguine ſegregatur, ac melancholia, & bilis; Primò, quia ſerum vſui eſt vlteriori, cùm ſanguis non poſſet extra venæ portæ anguſtas radices in perangustas venæ cauæ radices effundi, & permeare; nec illinc extra hepar in venæ cauæ truncum transfundi, niſi ſeri ipſum vehentis miniſterio: Secundò, quia quæ liquidiora ſunt, liquidis commixta difficiliùs ſecernuntur. Sed ſerum, quod fluido ſanguini, dum generatur, commixtum eſt, tenue eſt, & melancholiâ, ac bile multò liquidius: quare paulò difficiliùs à ſanguine ſeparatur, quàm bilis, & melancholia. Hæc veritas patens eſt in ipſa bile; quæ non integrè ad cyſtim fellis ablegatur; ſicuti melancholia ad lienem, ſed aliqua eius portio in venis, vnà cum ſanguine tranat: quæ rurſùs vnà cum vrina ordinariè euacuatur.

Vera ſententia.

Triplex excrementum in hepate, in ſanguinis generatione naſcitur.

Bilis flaua, & nigra in hepate procreatur.

Serum non ita ſeparatur à ſanguine, ac bilis, & melancholia, duas ob cauſas.

Ra-

Rationibus, vt innui, ſuperiori dubio, probaui vrinam non eſſe ſolam potulentam ſubſtantiam, ſed ex varijs rebus in hepate generari: adeòq; eandem vrinam eſſe ſecundæ coctionis excrementum.

Obiectio. Objiciunt tamen frigidè aliqui Galenum, qui lib. 4. de Sanit. tuen. cap. 17. vrinam appellat venarum, & arteriarum excrementum. Libro etiam 1. de vſu part. cap. vlt. vrinam potionis excrementum nominat. Ergo, inquiunt, iuxta Galeni doctrinam, Vrina eſt excrementum nullius coctionis.

Solutio. Solutio ex dictis facilè colligitur, Vidimus enim paulò ante, Galenum docentem, tria dari venarum excrementa, bilem videlicet vtramq;, & ſerum: cum tamen ſecundæ coctionis, vi hepatis celebratæ, ſint excrementa. Galenus ergo hepatis excrementa, ſerum, venarum, & arteriarum excrementum appellat, non quidem, quòd venæ tale efficiant excrementum, ſed quia in venis ſanguis ab hepate generatur, eiuſdemq; hepatis virtute, in ijſdem venis heterogenea efformantur, ſeparanturq; à ſanguine homogeneo, & ad corporis nutritionem neceſſario. Et quanquam de venis & arterijs extra hepar ſitis loqueretur Galenus, intellexit tamen, ſerum adhuc, inſtar vehiculi, vtriq; ſanguini, venali nimirum, & arteriali, prodeſſe, rursùſque, tanquam quid inutile, ad renes deriuari. Atq; adeò, cùm in venis, & arterijs ſerum aliquandiu moram contraxit, tum propter dictum vſum, tum quia nullum alibi receptaculum habuit, donec à renibus ex vena magna & aorta allectum eſt, dici poteſt venarum & arteriarum excrementum; veluti & ipſorum renum, & veſicæ, propter moram vtrobiq; contractam. Pręterea Galenus libro 4. cit. de ſanit. tuen. nihil tale habet: imò vndecim capitibus tantùm liber ille conſtat. Nō nulla ſanè notatu digna de vrinis, & ſudoribus cit. lib. cap. 4. refert Gal. ſed quod obiectum eſt, ex cap. 12. lib 1. de ſanit. tuen. erutum eſt; etſi parum fideliter: Nam inibi expreſsè non dicit, vrinam eſſe venarum, & arteriarum excrementum, ſed eſſe iecoris, venarū arteriarumq; excrementum: Repetamus, inquit, ea quę inter initia præmōſtrauimus, nēpe quòd comêſſe, bibereq; nobis neceſſe eſt, propterea quòd è corpore noſtro aliquid ſemper defluit. Cùm verò edendum nobis, bibendumq; ſit, neceſsè rursùs eſt excrementorum excernendorum curam haberi. Horum verò cùm variæ ſint ſpecies; aliæ eorum, quæ in ventriculo perficiuntur; aliæ eorum, quæ in iecore, arterijs, & venis, aliæ eius, quod per ſin-

Galenus quo ſenſu ſerum venarum excrementum vocauerit.

Seri vſus.

Cibi & potus neceſſitas.

singula membra distribuitur, alimenti, sanè cuiusq; suam esse vacuationem oportet: sicuti idipsum ab initio natura instituisse videtur, quæ instrumenta animalibus contulit, alia quæ excrementa ipsa expurgent, ac separent, alia quæ deducant, alia quæ in vnum colligant, alia quæ excernant. Et paulò post ait: Quod autem in venis & atterijs excrementum aceruatur, eiusmodi planè est, quale in lacte concreto serum. Hoc renes à sanguine secernentes, ad vesicam transmittunt. Ea porro (id est vesica) id colligit seruatq; ad eundem fermè modum, quem de sicco excremento (fæces in prima coctione ad intestina demissas intelligit) supra retulimus. Hìc Galenus triplicis coctionis excrementa enumerans claré supponit, iecoris venarum, arteriarumq; excrementa quasi eadem esse, etsi magis peculiaria iecoris excrementa recenseat bilem, & melancholiam, sicuti fæces primæ coctionis, nullâ factâ mentione tenuis eiusdem primæ coctionis excrementi, vti aliàs fecit. Non ergo hinc colligi potest, Galenum voluisse vrinam esse venarum, atq; arteriarum excrementum; sed iecoris primariò, secundariò verò venarum; sicuti & ipse sanguis primariò hepatis est opus, secundariò autem, & impropriè venarum.

Excremētorū variæ species. *Instrumēta varia condita à natura pro excrementis.*

Vltra hæc expressè Galenus citato iam loco varia esse refert excrementorum instrumenta; quædam, quæ expurgant ac separant, alia quæ deducunt, alia quæ in vnum colligunt, alia quæ excernunt. Sanè inter hæc instrumenta meritò numerandæ sunt venæ; quæ, præterquàm quòd sanguinis delationi atq; conseruationi destinatæ sunt, serum, & reliquas sanguinis superstites superfluitates colligunt, deducuntq; potissimùm ad renes. Proindeq; non immeritò serum ipsarum excrementum dici potest; cùm in ipsis ipsum contineatur aliquo temporis interuallo, ex eisque, tanquam ex hepatis ductibus, renes idem alliciant.

Serum qua ratione hepatis, & qua ratione venarū excrementum dicatur.

Quod obiectum est; vrinam esse potûs excrementum, nihil ad rem. Nam certum est, vrinæ præcipuam materiam esse potulentam substantiam, vt in superiori dubio libenter admisimus. Potus ergo, siue potulenta substantia, est causa materialis, eaq; præcipua vrinæ, nequaquam verò efficiens, cùm hæc sit hepar.

Potulenta substantia est causa materialis vrinæ, non efficiens.

Sed vrgebit vlteriùs aliquis: Si vrina est secundæ coctionis excrementum, similiter & sudor; quoniam eandem habent materiam, vt testatur Galenus lib. 10. cit. de Simpl. med. facult. Ergo vel sudor

Instātia de Sudore.

dor erit ſecundæ coctionis excrementum, vel vrina erit excrementum tertiæ coctionis, quod nemo hactenùs dixit, ſicuti nec ſudorem eſſe ſecundæ coctionis excrementum.

Solutio Nauarri. Nauarrus reſpondet, ſudorem aliquid diſtinctum habere, ab vrina, quod in tertia coctione generationem accipit; & ideo eundem ſudorem non poſſe dici excrementum ſecundæ coctionis, veluti vrinam, quæ nihil continet ex tertia coctione, ſed ſolum, quod naſcitur in ſecunda, quæ à iecore fit.

Hæc ſolutio non videtur ſatisfacere. Sed hæc ſolutio ſatisfacere non videtur: quoniam ex Galeno eadem eſt materia ſudoris, & vrinæ, & quod plus eſt, iiſdem qualitatibus, quibus vrina, dotatus eſt & ſudor; vt patet ex eodem Galeno lib. 1. de Sanit. tuen. cap. 12. vbi excrementa tertiæ coctionis exponens, ait: Reliquum excrementorum genus in ſingulis animalis naſcitur particulis ex ipſo, vnde aluntur, ſucco: aliud quidem, ceu ſemicoctæ quædam reliquiæ, quæ aſſimilari nutriendę parti nequierunt: aliud quod prius tranſmittendi alimenti fuit vehiculum, nunc functum officio, humidum tenueq; ſupereſt: quale nimirum ſeroſum illud iam dictum, quod ex vaſis (id eſt venis, & arterijs) in veſicam defluit. Huic excremento, nullus certus à natura præſcriptus meatus eſt: expellitur tamen partim actu per ipſa molliora corpora, quæ fluentis eius violentiæ cedunt, potiſſimùm cùm à ſpiritu maiore impetu irruente impellitur, partim etiam per exiguos omnes corporeæ molis meatus, πόρους Græci vocant, quorum non modò reliquum corpus vniuerſum, ſed etiam tota cutis plena eſt. In hoc contextu ſatis apertè Galenus ſudorem vrinæ conſimilem eſſe docet, vti textu à nobis in antecedenti dubio ex libro 10. de Simpl. medicament. facult. tranſcripto plenè ſatis docuit.

Cutis poris plena. *Sudor vrinæ conſimilis.*

Quid ergo reſpondendum? Sanè meo iudicio alterutrum ſubſequentium: Sudorem nimirum eſſe ſecundæ coctionis excrementum, quod ſui generationem, cùm ſit ſeri humorum portio, æquè benè ac vrina: eſſe verò tertiæ coctionis excrementum, ſi conſideremus locum, per quem euacuatur, habitum videlicet corporis, & cutem corporis vniuerſi ſentinam; non ſecùs ac fæces inteſtinorum, vrinam veſicæ, excrementa dicimus; quia immediatè per has partes hæc excrementa, quorum eædem partes vltima ſunt receptacula, euacuantur. Vel certè dicendum erit, ſudorem eſſe tertiæ coctionis excrementum abſolutè, quatenùs ex ſero, & quibuſdam tertiæ coctionis excrementis conſtat.

Vera ſolutio.

CA-

CAPVT III.
De Vrinarum Differentijs.

SPecies, siue differentiæ vrinarum ex varijs desumuntur capitibus: quædam à substantia vrinæ; quædam à coloribus vrinarum; nonnullæ à contentis in vrinis. Et hæc sunt tria præcipua capita, ex quibus rimari solent Medici solemniores vrinarum species. Et quidem iuxta Galeni præceptum rationi consonum lib. 4. de sanit. tuen. cap. 4. vbi sequentia leguntur. Æstimare præterea vrinæ tum consistentiam, tum colorem oportebit. Sed nec, quæ in ea pendent, nec sidunt, prætermittere conueniet, sed omnia perpendere. Minoris momenti differentiæ ab alijs desumuntur rebus: quantitate nempe, odore, sapore, sono, & modo excretionis. A sapore non venantur Medici differentias vllas; quoniam turpe esset ægrorum vrinas libare, cùm nefas sit sanorum degustare, tametsi Medicis exprobretur, opponaturq; à maledicis vsitatum hoc conuitium:

Tria præcipua capita, ex quibus vrinarum differentiæ desumuntur.

Aliæ leuioris momenti differentiæ.

Stercus & vrina, Medicorum fercula prima.

Sufficit ergo, quòd ex sudoris sapore ęgrorum relatione detecto, venati fuerint Medici vrinæ saporem esse modò salsum, modò amarulentum, modò acrem, modò mixto ex his sapore præditam. Nec parum lucis in hoc Medicis attulit relatio multorum, qui suas, & puerorum vrinas, instar medicamenti hauserunt.

Medici vnde vrinæ saporē venati fuerint.

Inutilis est soni in meiendo obseruatio. Vnde ex sono nullæ videntur colligendæ differentiæ.

Non tamen inutiles sunt ad Prognosim differentiæ, quæ à modo excernendi vrinam desumuntur. Nam guttatim, & stillicidij instar, vrinam reddere, est stranguria laborare, quæ ab obstructione vrethræ, aut salsedine, acrimoniaue, aut ab expultricis facultatis imbecillitate, vt plurimum proficiscitur, vti in Praxi (Deo annuente) Capite de difficultate mingendi, exactiùs demonstrabo. Facilitas meiendi stranguriç opponitur; &, ni fuerit Diabete, aut ex relaxatione sphincteris vesicę procedat, vtilis est, vtpote naturę cōgrua.

Stranguriæ causa.

Differentiæ ab odore vrinæ sumptæ pariter prosunt. Nam vrinæ quandoq; fætidæ persentiuntur, aliàs suauissimi sunt odoris: non rarò odoris grauis, & insuauis, ac inexplicabilis.

Differentiæ vrinæ ab odore.

Mmmmm Dif-

Differentia vrinæ à quãtitate. Differentiæ à quantitate desumi possunt. Nam non parum refert scire, vnde magna vrinæ copia procedat: & vnde parcitas.

Cæterùm præcipuæ, vt dixi, vrinarum differentiæ è tribus fontibus potissimùm, vrinæ substantiâ, eius colore, eiusdemq; contento desumuntur: de quibus accuratè, distinctis Sectionibus, nobis agendum est.

SECTIO I.

De Differentijs Vrinæ, à substantia desumptis.

Quid substantiæ nomine hic intelligatur. NOn hîc substantiæ nomine intelligendum venit substantiæ genus, quod primum constituit Prædicamentum, sed modus quidam rei corporeę, qui consistentia quibusdam dicitur, cuius ratione res dicitur tenuis, aut crassa, aut mediocris cõsistentiæ. Cùm ergo vrina sit corpus quoddam, qualitate hac, siuè modo, prædita esse debet. *Tres differentiæ vrinæ à substantia desumptæ.* Adeoque vrinæ tres erunt constituendæ differentiæ, à substantia siue consistentia desumptæ. Vna tenuis dicitur; huic opposita, crassa: media inter crassam & tenuem, mediocris. *Tenuis vrina, quæ.* Tenuis vrina dicitur illa, quæ rarioris & exilioris est consistentiæ; adeò vt radij visorij eam facilè penetrent. *Crassa vrina, quæ.* Crassa, ex aduerso, est illa, quæ densitatem habet immodicam, ita vt radij visorij vix per eam penetrent. *Mediocris vrina quæ.* Mediocris vrina dicitur illa, quæ in benè sanis conspicitur; quoniam nec tenuis est, nec crassa, absolutè loquendo, sed mediæ consistentiæ inter tenuem, & crassam. Dixi, absolutè, quia alicubi Hippocrates mediocrem vrinam tenuem vocat, aliquando verò crassam, non absolutè, sed facta comparatione cum extremis, tenui nimirum, & crassa. *Mediocris vrina quomodo nonnunquam crassa, aliàs tenuis appelletur ab Hipp.* Nam mediocris vrina, si cum crassa comparetur, tenuis dicenda erit: si cum tenui, crassa; non quòd in se tenuis sit, aut crassa. Hanc doctrinam confirmat Galenus lib. 4. aphorism. 69. inquiens: Quæ enim vrinæ secundùm naturam sunt, non simpliciter tenues consistunt, sicuti neq; crassæ, sed medium tenent inter vtrumque excessum; & cum mediocritatem habeant, crassiores quidem sunt, atque dicuntur, aquosis; tenuiores verò grumosis. Pro crassa mediocris etiam à Galeno accipitur lib. 4. aphor. 77. vbi ait: Quando vrina tenuis fuerit, haud secundùm naturam venæ se habent: cùm verò non tenuis extiterit, sed mediocrem habuerit substantiam (in quo significato crassam accipere

oportet hoc loco) ea quæ simul cum tali vrina excernuntur, circa renes aut vesicam, passionem ostendunt.

Auicennistæ vrinam crassam à turbida distinguunt.

Non leuis est inter Medicos Controuersia de vrina crassa. Nam quidam Auicennistæ mordicùs tuentur, vrinam crassam à turbida distingui: quia vident oleum esse crassum, sed perlucidum, & nullatenùs turbatum: Vinum similiter crassum est, & non turbatum: crystallus crassa est, & non turbida. Vnde colligunt, vrinam pariter crassam à turbida distingui.

Dicta opinio à multis exploditur.

Contrariam amplexi sunt sententiam quamplurimi, asserentes, vrinam turbidam & crassam esse rem eandem: & exempla illa de oleo, alijsq; rebus externis, nihil valere in rebus internis, seu corpori inexistentibus. Suam hanc sententiam tueri satagunt Galeni authoritate lib. 1. de Crisib. cap. 12. vbi videtur, vrinam crassam cum turbida confundere. Inibi siquidem in ipso capitis exordio, postquam mediocrem vrinę crassitiem insinuauit, sequentia scripsit: Nam, quæ hac ipsa (id est mediocriter crassa) crassior est, aut tenuior, coctionem imperfectam significat: Siquidem altera nondum in humorem conuersa est (id est, non est serum à natura aquea, & cruda in mediocrem consistentiam, vi caloris natiui, & concoctricis facultatis, redactum) altera verò adhuc conturbata est. Hîc clarè crassam, & rursus turbatam vrinam tenui opponit.

Vera sententia.

Meo tamen iudicio, etsi hoc verum sit, nō proinde inferendum, Galeno placuisse turbidā, & crassam vrinam esse rem eandem: Quoniam ex Hippocrate, quem sequitur Galenus, vt in progressu dicetur, datur vrina nigra, quæ tenuis est: etiamsi talis vrina turbida dici mereatur, quod ex humoris atri & melancholici commistione talis fiat. Sed his omissis, dictas differentias ab vrinæ substantia desumptas, vlteriùs in alias species subdiuidere oportet.

Vrina tenuis duplex est.

Si vrinam tenuem secundùm magis & minùs diuidere quis vellet, in infinitum abiretur. Idem de crassa proferendum. Cum Galeno ergo lib. 1. de Crisib. cap. 12. satius est, vtramq; sequenti serie diuidere. Tenuis vrina duplex est; vna, quæ talis redditur excerniturue, & in matula talis remanet, id est, tenuis semper perseuerat. Altera vrinæ tenuis species illa, quæ tenuis quidem redditur, sed rursùs fit crassa.

Crassa vrina duplex.

Crassa vrina in duas etiam subdiuiditur species: Vna dicitur illa, quæ crassa mingitur, & crassa perseuerat. Altera est illa, quæ

crassa mingitur, sed rursùs attenuatur, adeoq; tenuis fit.

Vrina mediocris non subdiuiditur. Vrina mediocris consistentiæ in plures species non distribuitur: nam, quod moderatum est, vnum est, referente Oribasio, lib. de Vrinis cap. 1.

SECTIO II.
De Differentijs Vrinæ à colore sumptis.

Colorum octo differentiæ ex Gal. TOt vrinarum differentiæ ratione coloris constitui possunt, quot dantur colorum differentiæ. Galenus libro 1. de Crisib. cap. 12. octo proponit differentias vrinæ à colore desumptas: quæ sunt: alba, pallida, rufa, flaua, rubea, liuida, viridis, & nigra. Author libri de Vrinis sex tantum enumerauit: albam, pallidam, rufam, flauam, rubeam, & nigram. *Actuarius decē ponit colorum differētias.* Actuarius lib. de different. vrinarum, cap. 8. decem posuit differentias: Prima, est alba; secunda, spicea; tertia, aurea; quarta, crocea; quinta, rubea; sexta, vinea; septima, passea; octaua, veneta; nona, viridis; decima, nigra. *Vndecim differentiæ colorum in vrinis ex Auicenna.* Auicenna lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 2. vndecim visus est admisisse colorum differentias in vrinis. Primus color, est aqueus: secundus, citrinus, seu palearis: tertius, verè citrinus: quartus, flauus: quintus, rufus: sextus, rubeus: septimus, citrangulus: octauus, igneus: nonus, croceus: decimus, albus: vndecimus, niger. *Plato decē colorum differentias admittit.* Plato lib. de Natura, qui Timæus nuncupatur, vndecim pariter admisit colorum differentias, etsi inibi vrinarum differentias non perpenderat. Primum colorem rubeum, sanguineum appellauit: secundum, fuluum: tertium, purpureum: quartum, moreum siue luteolum: quintum, flauum: sextum, pallidum: septimum, cæruleum: octauum, glaucum: nonum, viridem: decimum, nigrum: vndecimum, album.

Subdiuisio vrinæ albæ. ⁋ Relatæ species vrinæ in alias adhùc subdiuiduntur, sequenti serie: Alba nimirum vrina, in albam simpliciter, & in albam remissè, quæ subalba dicitur, diuidi solet. Et rursùs quælibet harum specierum in alias: vt alba in crystallinam, quæ crystalli colorem æmulatur: Niueam, quæ niuis; & aqueam, quæ aquæ. Subalba diuiditur in lacteam, quòd lactis colorem repræsentet, huicq; similis sit: in glaucam, quæ perluciditatem cornu habet: & denuò charopam, quæ colorem exhibet colori pilorum subalbidorum Cameli,

li, vel lapilli, vnguis dicti, similem; qui color cinerum colorem repræsentat. Licèt tamen subalbidum, siue remissè album, vocent aliqui lacteum colorem, verè tamen lac album esse videtur, cùm aquam puram, quam simpliciter albam, veluti crystallum, & niuem, vocat Actuarius, albedine superet.

Pallidam rursùs vrinam in pallidā absolutè, & in subpallidam, siue mediocriter & remissè pallidam diuidunt. Pallida vrina, quæ & subrufa est, teste Galeno lib. 1. de Crisib. cap. 12. est illa, quæ Vini albi recentis, & aquosi colorem refert, qui quidem color similis est colori aquæ puræ, cui tantillum bilis, aut parum ochræ, aut terræ lemniæ commiscetur. Vrina quidem aquosa, & consequenter alba, quæ paucum ichorem ex bili rufa susceperat, vel ex pallida maiorem quantitatem, meritò pallida nominari potest. Subpallida multò dilutior est, multòq; minorem recipit biliosum ichorem. Vnde assimilatur aquæ copiosæ, in qua mediocriter coctum fuerit permodicum hordeum, vt si in libra vna aquæ concoquerentur decem, aut duodecim grana. *Subdiuisio vrinæ pallidæ.* *Subpallida.*

Palearis siue spicea vrina est illa, cuius color similis est colori paleæ, aut spicæ triticeæ maturæ. Huius vrinæ multi non meminere, quia eam cum pallida confundere solebant. Subpalearis siue subspicea vrina est illa, quæ colorem repræsentat paleæ aut spicæ hordei: est enim color hordei multò remissior colore spicæ tritici: nam hordeum, quàm triticum, ad albedinem magis accedit, & à flauedine remotius est. *Palearis siue spicea vrina.* *Subpalearis.*

Rufa vrina plus tincturæ, quàm præcedentes, à bile suscipit: estq; color rufus, qui puri auri colorem præ se fert. Huiusmodi vrina flammea quibusdam dicitur, quòd colorem flammæ habere videatur. Subrufa vrina, dicitur illa, quæ maturi citri, aut impuri auri colorem refert. *Vrina rufa.* *Subruffa.*

Flaua vrina similiter, vel simpliciter & absolutè talis est, vel remissè. Flaua absolutè est illa, quæ colorem habet consimilem colori aquæ, in qua crocus diu infundebatur macerabaturue. Subflaua, siue remissè flaua, siue subcrocea, vrina est illa, quæ floris Carthami (est enim tanquam Spurius Crocus) aut aquæ in qua talis flos concoctus fuit, colorem refert. *Flaua vrina.* *Subflaua.*

Rubra vrina, vel absolutè talis est, vel remissè. Rubra absolutè Pomorum rubeorum, aut Cerasorum rubeorum colorem refert. *Rubra vrina.*

Subrubra. Subrubra est illa, quæ Boli armeni colorem æmulatur.

Cruenta. Cruenta vrina vel talis est simpliciter, vel remissè. Cruenta absolutè est illa, quæ meri sanguinis colorem induit. Subcruenta vrina est illa, quæ colorem obtinet aquæ in qua caro cruda, & recenter mactata, lota est. Hæc autem lotura subrubea est. *Subcruenta.*

Vinea. Vinea vrina talis est vel simpliciter, vel secundùm quid: vinea absolutè dicitur illa, quæ nigro assimilatur. Subuinea est, quæ colorem æmulatur ipsius hepatis. *Subuinea.*

Passea. Passea vrina, simpliciter talis est, vel remissè. Passea simpliciter est, quæ decocto Passularum in colore similis est. Subpassea est, quæ colorem imitatur Cerasorum nigrorum. *Subpassea.*

Veneta. Veneta, seu ferruginea vrina simpliciter, dicitur illa, quæ colorem habet æruginis, aut pannorum, quibus Veneti nautæ vestiuntur. Subueneta non omninò æruginosa est. *Subueneta.*

Viridis. Viridis vrina, recentis herbæ, & præsertim Brassicæ marinæ colorem induit. Subuiridis, colorem lapidis pretiosi, qui Smaragdus appellatur. *Subuiridis.*

Oleaginosa. Oleaginosa vrina est illa, quæ oleo similis est. Subolea ginosa, quæ non adeò olei naturam & colorem imitatur, quam malè quidam oliuis apprimè maturis assimilant; quoniam hæ nigri sunt coloris, & non oleacei. *Suboleaginosa.*

Cyanea. Cyaneam, seu cæruleam vrinam, post oleaginosam ponunt aliqui; estq; Cælestis color, qualis in Turchina visitur.

Liuida. Liuida vrina dicitur illa, quæ plumbi colorem obtinet. Subliuida siue punicea est, quæ carnis contusæ, seu violarum purpurearum colorem acquisiuit. *Subliuida.*

Fusca. Fuscam vrinam inter liuidam, & nigram aliqui ponunt.

Nigra. Nigra vrina est illa, quæ carbonis extincti, aut atramenti colorem habet. Subnigra est, quæ colorem æmulatur faciei eius qui diu ante Solem in loco aprico stetit. *Subnigra.*

Satis exactè has omnes differentias ex varijs authoribus in tabulæ formam ante centum & quinque annos redegit Ioannes Vasseus Meldensis, in suo de Vrinarum iudicijs Tractatulo, typis commisso Lugduni apud Gulielmum Rouillium sub Scuto Veneto, Anno MD. XLIX. Impossibile tamen est, omnes vrinarum differentias à colore desumptas assequi; quia color, vt superiùs tactum est, malus minusque suscipit. Quare Philosophus ipse, & Galenus, septem, aut *Ioannis Vassei Meldensis Tabulæ de vrinis.*

octo

octo vsitatioribus, & nobis notis, coloribus sunt contenti: cùm ad hos, tanquam ad præcipuos, cæteri omnes facilè reuocentur. De horum ideò causis, & Prognosi, in progressu, vt res postulabit, agendum.

SECTIO III.

De Differentijs Vrinarum, ex contentis erutis.

Contentum vrinæ in laxiori significato acceptum, est id omne, quod in vrina continetur, tanquam quid distinctum ab ipso liquore colorato. Et ita acceptum, multiplex est, vt videre licet apud Actuarium lib. de Different. Vrinarum, varijs Capitibus, & vt Vasseus superiùs citatus diligenter obseruauit. Sequenti ergo serie recensentur: Hypostasis siue sedimentum; Enæorema siue suspensum; nubes siue nubecula; bullæ; ramenta; frustula; laminæ; circulus; spuma; pinguedo; pus; arenæ; calculi; pituita; thrombus sanguinis; pili; squamæ siue furfures; semen; vermes. At verò propriè loquendo contentum est portio cruda alimenti, quæ in sanguinem non fuit conuersa, vt colligitur ex Galen. Comment. 1. Prognost. tex. vlt. vbi inquit: Quicquid enim alimenti in sanguinis generatione naturæ refugit confectionem, subsidet in vrina, neque, vt sanguis, ab ea (natura) commutatum, neque vt pus præter naturam causæ particeps. Licet enim solius subsidentiæ hîc meminisse videatur, quòd hæc frequentiùs, quàm nubecula, aut enæorema, appareat, contentum tamen in vniuersum intellexit; quoniam in sanis contentum omne ex crudo nascitur humore: sicuti in febricitantibus ex humore crudo, aut corrupto, qui febrem materialem efficit. Humor ille crudus ad pituitam reducitur, etsi lib. 3. de aliment. facult. cap. 6. à pituita distingui insinuet Galenus.

Contentum vrinæ, in laxa significatione, quid, & quotuplex.

Cõtentum propriè quid.

Cõtentum in sanis & febricitantibus vnde nascatur.

Commodè ergo contentum in vniuersum diuidi potest in naturale, & præter naturam. Naturale dicitur illud, quod in vrina coctum apparet. Estq; triplex ratione diuersitatis loci: nam si ad matulæ fundum delabitur, sedimentum, siue subsidentia Latinis, Græcis hypostasis, dicitur: Si in medio vrinæ pendet, enæorema Græcis, Latinis suspensum appellatur: Si in suprema vrinæ superficie extat, nubes siue nubecula vocatur. Non sufficit, ad hoc vt contentum naturale dicatur, aliquem dictorum locorum occupare,

Contẽtum in vniuersum, naturale, & præternaturam.

Contẽtum naturale triplex.

ſed prætereà proba frui conſiſtentia, & colore, & æqualiter conſiſtere. Æqualiter conſiſtere, eſt habere æqualem tenuitatem, aut craſſitiem, ſecundùm omnes ſui partes. Hippocrates in Prognoſticis bonitatem contenti ſub nomine ſedimenti expoſuit, inquiens: Vrina autem optima eſt, ſi ſedimentum candidum fuerit, læueque, æquale per omne tempus, donec morbus iudicatus fuerit. &c.

Cõtentum præter naturã quid.

Contentum præter naturam dici poteſt quoduis aliud à contento iam deſcripto diuerſum, quemcunq; ſitum in vrina occupet. Locum quidem nebulæ ſiue nubeculæ occupant varia contenta præter naturam, vt circulus, pinguedo, inſtar olei ſupernatans: bullæ quædam, ſiue ſpuma, in medio pariter vrinæ, & in ima eius parte contenta, viſuntur præter naturam: quæ ſuperiùs vtplurimum enumerauimus. Sed hæc de differentijs à cõtento deſumptis ſufficiant.

Contentorum variæ complicationes fieri poſſunt.

Varias differentias, aut complicationes contentorum cum ſubſtantia vrinæ, & colore, proponit author libri de Vrinis cap. 32. & ſequentibus vſq; ad 39. quas quiſq; proprio marte agnoſcere valet, dummodò relatæ ſuperiùs ſimplices differentiæ, à ſubſtantia, colore, & contentis, ei plenè ſint cognitæ. Poteſt enim vrina, quoad conſiſtentiam eſſe tenuis, & quoad colorem rubra: poteſtq; eſſe tenuis & alba, cum contento alterius coloris.

Aliæ vrinarum differentiæ.

Sunt inſuper vrinarum veluti quædam differentiæ, ab ætatibus, temporibus anni, & ſimilibus alijs deſumptæ, de quibus abundè Actuarius lib. 1. de Iudicijs Vrinar. & nos in huius libri calce. Differentiarum ergo propoſitarum cauſas inueſtigemus.

CAPVT IV.

De Cauſis Vrinarum.

INſtituti ratio non poſtulat, vt ipſius vrinæ cauſas hîc modò ſubijciamus, cùm tradendo vrinæ definitionem, eius cauſas quaſuis abundè inueſtigauerimus; pro cauſis ergo vrinarum modò intelligendæ veniunt illæ, quæ enumeratas ſuperiori capite differentias efficiunt, conſtituuntque: de quibus diſtinctis Sectionibus agendum.

SE-

SECTIO I.

De Causis Differentiarum Consistentiæ.

SVperiori Capite à differentijs vrinarum à substantia desumptis auspicati sumus; quoniam in naturali vrina priùs comparatur substantia, quàm color, qui accidens est substantiæ superueniens, substantiamue consequens: quanquam in vrinis præter naturam contrarium, quandoq; saltem, nasci videatur; colores nimirum priùs comparari, quoties ex mixtione quorundam humorum cum vrina procedunt. Nam color tunc ab humore, qui vrinæ commiscetur, prouenit; atq; adeò eiusmodi color est præter naturam vrinæ. Verùm si alicui placeret, talis vrinæ substantiam siue consistentiam antecedere colorem, per me licet, cùm ipsa aduenientis commixtione, consistentia illicò emergat, quam sequi semper color debet. Hæc obiter dixi, vt significem, me rectè modò à causis differentiarum vrinæ, à substantia desumptarum, auspicari.

In naturali vrina substantia prius comparatur, quã color.

Vrinæ ergo tenuis causa, est coctionis defectus; vt colligi potest ex Galeni monumentis; & manifestè ex libro de Vrinis cap. 2. vbi sequentia habentur: Prior quidem (id est vrina, quæ tenuis mingitur, & tenuis permanet) extremam indicat cruditatem: natura enim nondum coctionem tentauit: altera autem (idest, quæ mingitur tenuis, sed turbatur tandem, & efficitur grossa) quæ ex tenui reddita est turbida, indicat naturam iam primò aggressam esse coctionem. Et tenuis quidem vrina ita diuiditur, idq;, quod dicimus, significat. Tenuitatem vrinæ ab eadem cruditate nasci docet Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 12. inquiens: Nam quæ alba est (vrina) & quæ tenuis, & quæ turbulenta, cruditatem (significat). Sub principium eiusdem capitis, postquàm naturalis vrinæ conditiones declarauit, eandem doctrinam scripsit, aiens: Quæ quidem optimè est cocta, in ijs qui supremum sanitatis obtinent gradum, considerare oportet: talis enim est subrufa, & subflaua, magisq; subrufa, quàm subflaua: statim verò & hæc (id est naturalis) mediocrem crassitiem habet. Nam, quæ hac ipsa crassior est, aut tenuior, coctionem imperfectam significat: Siquidem altera (id est, tenuis vrina) nondum in humorem conuersa est, altera verò adhuc conturbata est. Hoc autem intelligere licet ex ijs, quæ tenues ac puræ ex-

Causa vrinæ tenuis.

Vrina optimè sanorum.

cernuntur, posthac verò vel remanent semper tenues, aut paulò post conturbantur; quoniam vtræq; coctione carent. Eò autem differunt, quod altera (.i. vrina quæ tenuis excernitur, & tenuis permanet) nondum concoqui cœpit: altera verò, quoniam flatuosi Spiritus ipsi permixti sunt, perturbatio quædam, veluti in nouis vinis adhuc feruescentibus, inest. In contextu cruditatem tenuis vrinæ causam insinuat Galenus, aiens, quòd tenuis vrina nondum concoqui cœpit; siquidem, vt paulò ante retulit, nondum in humorem conuersa est: quasi diceret, ipsam nondum vrinæ naturalis debitam consistentiam comparâsse, sed aqueam, & consequenter prætenuem, retinere. Docuit etenim in contextu, vrinam naturalem, quoad consistentiam, esse mediocrem, id est, nec crassam, nec tenuem, sed in crassitiei, & tenuitatis medio stare. Hæc autem mediocris consistentia à perfecta manat coctione, cùm sit exquisitè sani hominis vrina; vt in contextu loquitur Galenus. Vrina verò hominis exquisitè sani debet esse probè cocta. Quò fit, vt vrina mediocris consistentiæ, & coloris subrufi, aut subflaui, quæ sano conuenit, cocta necessariò esse debeat: veluti tenuis, & crassa, à mediocri vrina, tanquam extrema, distantes, crudæ. Galenus siquidem comment. 2. Prognostic. tex. 33. hanc doctrinam confirmat, inquiens: At concoctiones crassiores reddunt non solùm vrinas, sed etiam deiectiones, quoties benè in ventre concoquantur, & item screationes in pulmonijs, & costalibus, atq; etiam pituitas per distillationes, & grauedines, nec non per lippitudines, & pus in vlceribus. Ecce Galenus clarè demonstrans, vrinam mediante coctione debitam acquirere crassitiem.

Mediocris in vrina consistentia vnde procedat.

Vrina mediocris consistentia qua.

Antequam hinc discedamus, exponendus est Galenus, vrinam mediocris consistentiæ statuens eam, quæ est hominis exquisitè & optimè sani: quæ vrina optimè cocta est. Cæterùm talis vrina cogitatione potiùs percipitur, quàm sensus iudicio, quia ipsa exquisita, optima, & inculpata sanitas, cui eiusmodi vrina tribuitur, cogitatione potiùs nostrâ, quàm actu, existit, teste ipso Galeno lib. 1. de Sanit. tuen. cap. 3. vbi duplicem proponens sanitatem, vnam summam, exquisitam, & simpliciter optimam, in qua nimirum æqua est contrariorum portio: aliam deficientem, quæ scilicet à prioris perfectione paullùm abest, non tamen eatenùs, vt animali grauis sit, primam, id est absolutam, cogitatione potiùs, quàm

Vrina hominis exquisitè sani cogitatione potiùs, quàm sensu percipitur.

Duplex sanitas.

quòd

quòd verè extet, vsurpandam esse docet. Vrina ergo illa naturalis à Galeno descripta, nusquam, nisi fortasse temporis momento, sicuti nec ipsa optima sanitas, cui tribuitur, sensui apparet, sed semper ab illa perfectione ad alterum extremorum declinans, iuxta cuiusuis temperamentum (quod ad iustitiam, & non ad pondus, concessum esse quotidianâ experientiâ dignoscimus) redditur; modò crassior, modò tenuior, modò coloratior, modò colore remissior.

Redeundum ad vrinam tenuem, cuius causam, cruditatem esse cum Galeno pronunciauimus. Cruditas quidem vrinæ, à varijs oritur causis, quæ ad duo reduci possunt capita. Prima causa, est imbecillitas facultatis concoctricis siue alteratricis. Secunda, est error in rebus nonnaturalibus commissus, qui in causa est, vt vrinæ coqui nequeant, etsi concoctrix facultas in se valida sit: vnde crudæ redduntur excernunturue. Vrinę tenues excernuntur in hydrope, cachexia, fluxu hepatico, hepatis obstructionibus, alijsq; affectibus, in quibus eius concoctrix facultas, quæ sanguifica dicitur, propter caloris natiui penuriam, & frigidæ intemperiei introductionem, labefactatur. Quotiescunq; ergo hepar, & venæ, impensiùs, quàm par est, refrigerantur, toties facultas concoctrix imbellior euadit: Et sicuti chylus non integrè, nec debitè, in sanguinem conuertitur, similiter nec aquosus liquor alimenti vehiculum, in probum serum conuertitur: nam non incrassatur, nec serositatibus rectè adiungitur. Videmus enim senum vrinas ob intemperiem eorum frigidam, & facultatum imbecillitatem, omni ferè tempore tenues. Temperamentum similiter natiuum frigidum, tenues parit vrinas.

Cruditas vrinæ à quibus causis proueniat.

In quibus morbis vrinæ tenues excernantur.

Senum & temperamento frigido præditorum vrinæ, cur ferè semper tenues.

Est & altera interna causa tenuis vrinæ, obstructio nimirum, renum, vreterum, & colli vesicæ, siue meatus vrinarij. Dum enim lento humore, aut calculo, hæ partes, vel harum aliqua, obstruuntur, fit partis tenuioris vrinæ transcolatio; vnde tenuis eijcitur. Experimur autem perquàm frequenter vrinas excerni tenues propter dictarum partium obstructionem, absq; eo, quòd adsit vlla venarum, aut hepatis cruditas, contra quam voluit Vallesius lib. 3. Controuers. cap. 24. cùm veriùs dixisset, vrinas tenues ab hepatis obstructione ortas, tales non fieri sine eiusdem hepatis cruditate.

Causa interna vrinæ tenuis.

Res nonnaturales dictæ, tenuitatem in vrinis non rarò pariunt, tametsi concoctrix facultas læsionem, saltem sensibilem, non patiatur.

Res nonnaturales vrinæ tenuis causæ.

tiatur. Vrina ideò vigilantium tenuis apparet, & eſt; quia concoctio alimentorum non probè fit, non propter læſionem ſenſibilem hepatis, ſed quia ſpiritus influens in tanta copia ad hepar, & venas non effunditur, ſicuti in ijs, qui ſomno recreantur, fieri conſueuit.

Vrina vigilantium cur tenuis.

Præterquàm enim quòd tempore vigiliarum ſpiritus omnis, & calor, ad corporis ſuperficiem concurrant, & rursùs ſecundùm magnam partem extra corpus in ambientem aërem, multi ſpiritus ad cerebrum vergunt, vt horum auxilio facultates omnes in cerebro reſidentes, ſuas edant actiones. Non mirum ergo, ſi tempore immodicarum vigiliarum malè conficiantur in corporibus noſtris alimenta: veluti quoties curis vexamur varijs, & principes facultates impensè occupantur.

Alimenta copioſa, vti & frigida, & craſſa, vrinam tenuem efficiunt.

Cibus deniq; in magna copia ſumptus, numerandus eſt inter cauſas vrinæ tenuis. Nam tantus cibus concoqui probè nequit: pariter nec eius vehiculum cum ſero humorum probè commiſcetur. Vt enim alimenta alterentur, commiſceanturque, neceſſum eſt ea eſſe calori natiuo proportionata. Agens enim, vt in paſſum debitè agat, hocq; tranſmutet, certa requiritur proportio. Vnde calor natiuus hepatis, etſi valeat alterare, & tranſmutare mediocrem cibum in humores, & heterogenea ab inuicem ſegregare, nequit tamen immodicum alimentum ſubigere, examinare, & tranſmutare. Non mirandum ergo, ſi poſt aſſumpta copioſa alimenta, vrinæ exeant tenues, & crudæ: veluti etiam, quoties alimenta ſunt potentiâ ſaltem frigida; aut craſſa & frigida, difficiliſq; concoctionis. Potus autem non commutatur, vt decet, vbi cibus non commutatur, teſte Galeno libro 6. Epidem. comm. 5. tex. 15.

Aqua copioſa, vinumq; album, cur vrinas tenues reddant.

Præterea copioſus potus aquę, & vini albi, eſt cauſa vrinę tenuis: copioſa aqua, quia non alteratur: vinum album, quia diureticum, adeoque cito ad veſicam tranat, nec moram in ventriculo, & hepate, niſi permodicam, contrahit. Vnde vrina, quæ ſanguinis, hepatis, & venarum certum indicat ſtatum, eſt illa quæ eijcitur, poſtquam ſanguis ex cibo factus eſt, & in vaſa maiora tranſmiſſus: præcedentes autem vrinæ, quæ ante alimenti in humores conuerſionem eiecta ſunt, veram coctionem non ſunt paſſæ; vel quia ſua magna copia, aut fluiditate, aut tenuitate, aut acrimonia, aut alia praua qualitate naturam ad ſui excluſionem, ante tempus debitum ſtimulant, ſollicitantque.

His

His positis ad causas vrinę crassæ accedendum. Galenus cap. 12. citato libri 1. de Crisib. crassam vrinam, æquè ac tenuem, à cruditate prouenire docet. Sed hæc doctrina sano modo intelligenda est. Nam vrina crassa, quæ turbata redditur, non semper à cruditate procedit, sed multoties à coctione; vt videre licet in profluuio vrinæ critico. Tunc autem vnà cum ipso vrinæ liquore humor morbificus, non crudus, sed à natura concoctus, & planè mitigatus, excernitur: atq; adeò talis vrina turbida crassaq; necessariò conspicitur, non tamen cruda, sed cocta dicitur, vt colligere licet ex separatione contenti, quod mox ad matulæ fundum demittitur, & sedimenti bonas obtinet conditiones. In febre quartana expurgatur quandoq; criticè per vias vrinæ humor melancholicus; qui, tametsi nigrum magis, quàm album representet colorem, & crassam reddat vrinam, non desinit esse coctionis indicium; maximè verò, quoties ab vrinæ liquore ad matulæ fundum, citiùs, aut seriùs seponitur. Propterea rectè monuit Galenus Comment. 2. Prognost. tex. 32. non omnem vrinam crassam, malam ab Hippocrate dici; sed illam tantùm, quæ nimium crassa est.

Vrina crassa non semper à cruditate oritur.

Vrina crassa, quæ mala Hip.

Quæ vrina crassa à cruditate fiat.

Soboles ergo cruditatis, aut coctionis defectus, est illa vrina, quæ valde crassa aut turbida semper manet, cuiusmodi est illa quæ iumentorum vrinis similis est, quamq; Leo Roganus, & plures Medici Itali, subiugalem appellant. Hippocrates huius vrinæ meminit lib 4. Aphorismor. 70. inquiens: Quibus febricitantibus vrinæ turbatæ sunt, quales iumentorum, ijs dolor capitis, vel adest, vel aderit. Vrinæ verò istæ crassæ seu turbidæ, licèt potissimùm tales reddantur ex permixtione crassorum humorum, tamen etiam tales fiunt ob amplitudinem atq; breuitatem colli vesicæ, vt ait Mercurialis post Aristotelem Problem. 36. Sect. 10. vbi dicit, iumenta ideò crassas vrinas eijcere, & non tentari calculis æquè ac homines, quia vesicæ collum habent amplissimum. Et quidem optimè hoc dictum: Vesicæ enim collum benè apertum dat exitum omni fæci, & mucositati, non solùm contentæ in vrina, sed etiam eiusdem parietibus adhærenti. Ob eandem rationem, videlicet ob breuitatem & amplitudinem colli vesicæ, mulieres vrinas crassas eijciunt, & rarò vexantur calculo, teste Hippocrate libro de Aere aquis, & locis.

Vrina subiugalis.

Vrina crassa capitis doloris indiciũ.

Vrinæ tales crassæ à quibus causis fiãt.

Iumenta cur crassas vrinas reddant.

Mulieres cur crassas vrinas eijciãt, curq; raro calculo laborẽt.

Non est multum difficile mediocris consistentiæ causam in vrinis statuere, præpositis causis crassarum, & tenuium, ac clararum vri-

Vrinæ tenuis consistẽtiæ causa.

vrinarum. Non alia quidem hæc eſt, quàm proba coctio, qua humores, ſimul ac humorum ſerum elaborantur, vt patet ex Galeno, lib. 1. de Criſib. cap. 12. ſupra citato, vbi non obſcurè optimam depingit vrinam, & naturalem, cuius ſubſidentiam ſiue hypoſtaſim deinceps in contextu his verbis conſtituit: Quantum autem ad vſum refert, facillimum inuenire eſt, quòd vrinarum, quæ ſecundùm naturam ſe habent, terminus eſt in optimè ſanis corporibus primum exquiſitæ coctionis ſanguinis tempus: & qui hanc fuerit contemplatus, deinde veluti regulam aliarum vrinarum ſibi ſtatuerit, quænam ipſam mutent diſpoſitiones facilè inueniet. Nam ſi colorem exquiſitè ſeruauerit, ſubſidentiam verò albam, & læuem, & æqualem, & multam fecerit, ſic quidem coctionis etiam ſignum exquiſitum fuerit; plus autem de humore, qui crudus nominatur, euacuari demonſtrat. Propterea & in pueris omnibus ferè, & perfectam ætatem habentibus, qui ociosam vitam degunt, aut quouis alio modo repleti ſunt, ſatis multam habent vrinæ ſubſidentiam: quoniam in his omnibus plus eſt de inconfecto, & crudo humore, his quidem propter deſidem vitam, illis verò propter ſatietatem, pueris verò & ob ſatietatem (voraces enim ſunt) & ob id etiam, quod vna ventriculi operatio non poteſt duobus ſimul ſufficere, augendo ſcilicet, atq; alendo: antequam ergo in ipſo ſufficienter alimentum coctum ſit, ipſum ad ſe corpus trahit, atq; hinc fit, vt plurimum crudi humoris coaceruet. Hæc quoq; cauſa eſt, vt ijs, qui ex otio, & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſariò plurimùm ſubſideat: contra ijs, qui ex inedia & labore, ruffæ quidem, & bilioſæ vrinæ ſunt: ſoluitur enim morbus priùs, quàm aliquid ſubſideat, plerumque: Sufficit enim in his, & nebula alba, & ſuſpenſio bona, talis autem eſt alba, & læuis, & æqualis: nam & ex ipſis ſanis, qui multum laborant, & pauciori cibo veſcuntur, ijs ſunt vrinæ bilioſiores. Hæc Galenus; Ex quo liquet, quid ſit vrina proba & naturalis in ſanis, & quod ſedimentùm vrinæ ſanorum ſit humor crudus, ſeu pars chyli, quæ coctionem in hepate fugit, & in ſanguinem mutari nequit.

Pueri, otioſi, & voraces, cur in vrina multã habeant ſubſidentiam.

Otioſis & repletis febricitantibus, dum ſanari debent, plurimùm in vrinis ſubſidere neceſſe eſt.

SE-

SECTIO II.

De Causis Colorum in Vrinis.

VT rectiùs hæc res percipiatur, animaduertendum quod Plato in Timæo, de coloribus dicit: Est autem, inquit, color veluti flammula quædam fulgorq; à singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accommodatas. Præcipuæ ponit colores, album, & nigrum. Album est, inquit, quod visum disgregat: nigrum verò, quod congregat. Ex mixtione autem ignis cum aqua, seu ex extinctione ignis ab humore, colores varios generari refert. Sanguineus color, rubeus dictus, generatur ex igne spisso, & non corruscante (id est, non ex lumine) extincto ab humore. Splendidum albumque, rubeo mixtum, flauum procreat: mensura autem mixtionis, vt supra diximus, à Dijs tantum cognita est. Rubeum cum albo nigroque, purpureum generat. Paulò obscurior pullus luteolusq; (ab Aristotele fuscus dicitur) fit color, quando his inuicem conflatis adustisq; magis est adiuncta nigredo. Fuluum flaui fusciq; temperatione producitur. Fuscum verò albi & nigri confusione. Pallorem albi flauiq; copula generat. Splendidum albo adiunctum, plurimaq; obfusum nigredine, cæruleum efficit: Cæruleum cum albo, glaucum creat: Fului nigriq; temperie color viridis nascitur. Cætera fermè ex his omnia manifesta fiunt. Hæc Plato. Ex quo, & ex Aristotele lib. de Coloribus, non erit difficile concipere varias albi & nigri mixtiones.

Color quid Platoni.

Quid album, quidue nigrum.

Colorum generationes variæ ex Platone.

His præpositis, in vrinis, non secùs ac in reliquis omnibus, duos concipiemus oportet extremos, & omninò aduersos colores, album videlicet, & nigrum, ex quorum varia confusione reliqui generantur.

Si hæc benè percepta sint, non erit arduum deinceps tanquàm certum obseruare, colorem album à frigore promanare, & nigrum à calore, maiori ex parte. Quapropter, qui colores ad nigredinem accedunt, maiorem denotant ardorem in vrinis, maximè si splendorem, aut fulgorem concomitanter habeant: qui quidem albedinem magis æmulantur, frigiditatis indicia sunt. Vnde conceptis omnibus colorum speciebus, à me superiùs ordinatim relatis, facilè erit vniuscuiusq; causam promptè depromere.

Color albus à frigore, color niger à calore vtplurimùm promanat.

Hæc

Aristotelis opinio de generatione colorũ.

Hæc doctrina est Platonis, loco cit. quam & Aristoteles amplectitur, qui lib. 1. de Colorib. cap. 1. inquit: Nam aër & aqua suopte ingenio alba sunt: ignis contra & Sol flauo colore censentur: terra rursùs naturâ sua alba est: intinctionis autem causa multicolorem se ostendit. Id confessum facit cinis. Adusto enim humido tincturæ opifice, albus redditur cinis: sed non planè albus, quòd fumo scilicet intingatur, qui niger existit. Ob id & lixiuium flauum efficitur, eo scilicet, quod flammeũ est, & nigrum, in aquam colorem inuehente. Atqui niger color consequitur elementa (loquutus est supra de simplicibus coloribus elementorum) quoties inuicem commutantur. Reliqui autem, medij scilicet colores, ex ijs facilè intelligi possunt, reciproca admistione superueniente. Hactenus Aristoteles, qui postquàm in contextu, varios modos, quibus aliquid cernitur nigrum, tradit, deinceps hunc refert Sermonem.

Lixiuium cur flauũ.

Niger color quando fit.

Tunc verò nigrum colorem effici vsui venit, cùm aer & aqua igne adusta sunt: propter quod & omnia adusta nigrescunt, sicut ligna & carbones extincto iam igne. Eodem modo nigrescit fumus exhalans à laterculo fictili, cùm insitum laterculo humidum secernitur, & aduritur. Eadem ratio reddit fumum, qui à pinguibus adiposisq; prouenit, nigerrimum, oleo puta, pice, tæda: quòd hæc maximè adurantur, continuasq; partes faciant. Nigra quoq; illa fiunt, per quæ aqua effluit, cùm primo irrigatis, ac perplutis humidum exiccatur: quod in tectorijs parietum est animaduertendum: pari pacto & aquatici lapides, musco contecti primùm, mox arescentes, atrum colorem contrahunt. Ex coloribus igitur tot sunt, ac tales, qui simplices vocantur.

Ex hoc Aristotelis contextu facilè colligitur, nigredinem aliquando fieri, imò sæpiùs, à calore, aliquando verò frigore, quando aquea pars humoris desiccatur. Eadem est opinio Galeni cap. 12. cit. his verbis: Nigræ verò subsidentiæ, vel excedentem caliditatem, atq; igneam ostendunt; vel ex frigiditate vehementi mortificationem: sic enim & extrinsecùs nostri corporis partes nigro affici colore videmus, partim scilicet ex nimio calore, vt qui se Soli æstiuo exposuerunt: partim ex vehementi frigore, & veluti mortuas: quemadmodum in senibus, aut quibuscunq; alijs supra modum refrigeratis. Ipsarum itaq; totarum vrinarum color niger: atq; enim eorum, quæ in ipsis suspenduntur: aut earum, quæ supra vehun-

Nigredo licet vtplurimùm à calore fiat; tamen & à frigore fieri potest.

huntur, nebularum: ad easdem causas refertur, calorem scilicet immoderatum, aut mortificationem ex refrigeratione vehementi. Pessima igitur est tota vrina denigrata, adeò vt neminem vnquam seruatum viderim ex ijs, qui talem vrinam minxerunt: minùs verò perniciosa, si solùm id, quod subsidet, nigrum fuerit: atq; adhuc minùs, si solùm id, quod in medio iacet: ac multò minùs etiam, si nebula. Color verò viridis fit in transitu ad nigrum, & est quoddam veluti proœmium nigri: nam si morbus malignus fuerit, & vomitionibus, & alui deiectionibus, & vrinis viridibus, postmodùm nigræ superueniunt. Color autem liuidus est solius frigiditatis affectus.

Vrinæ nigræ causa.

Vrina nigra quæ pessima, quæque minus mala.

Color Viridis.

Galenus loco citato de Crisib. multa de alba vrina dicit, & de alijs intermedijs inter albam & nigram, his verbis, postquàm de vrinis crassis egit: Quæ verò ad summum incocta est, has omnes (id est vrinas turbatas) vincit: est autem aquosa exquisitè, neq; iam coqui incipiens, qualis turbulenta: neq; in spe, vt coqui debeat, sicuti quæ paulò post perturbatur: sed velut desperatæ coctionis accidens: quæ talis est, venosi generis passio existit; qualis est in ventriculo extrema ipsa cruditas. Cùm verò etiam statim transcurrit, vocatur à nonnullis hydrops in matellam, alij diabetem appellant; quidam verò alius antiquus in vrinas profluuium nominauit. Sed de nominibus alibi consideretur. Hæc igitur passio talis est, qualis circa aluum læuitas intestinorum, mortificatio (vt diceret quispiam) vtriusque virtutis, & retentricis, & alteratricis. At hæc inter omnes vrinas crudas pessima existit. Sed post ipsam est aquosa, quæ, quantum quidem ad cruditatem attinet, priori similis est: sed quia nullum aliud commonstrat, minùs perniciosa: illa enim (id est, quæ diabetem facit) non modò virtutis alteratricis, sicuti alba & tenuis, sed & retentricis imbecillitatem summam significat; hæc autem (aquosam intelligit) alterius solius, alteratricis. Quanto autem plures instrumentorum cuiusq; generis actiones, & vires impeditæ fuerint, aut ex toto perierint, tanto deterior est morbus: atq; idcircò pessimum est in vrinas profluuium, quoniam duplex est vitium. Praua autem sufficienter est, quæ tenuis & alba est, sicuti aqua: nam simplex quidem est dispositio, sed vltimæ est imbecillitatis indicium. Huic proxima est altera vrina, quæ in multis apparet morbis, vt videatur mixtam habere formam vini

Color liuidus à solo frigore fit.

Vrina cruda quæ pessima.

Hydrops in matellam, quid.

Vrina cruda quæ minus mala.

Vrina alba & tenuis quid indicet.

Vrina vino albo & tenui similis generatio.

abundè tenuis, atq; albi: eius autem generatio est ex ea, quam nuper diximus, alba & aquosa, vt quæ paucum ichorem ex bili ruffa susceperit, nam, etsi exterius in aquam puram ochræ parum, vel ipsius etiam bilis, inieceris, talis tibi aqua repræsentabitur: hæc quidem vrina proximè accedit ad crudam. Post hanc est subpallida: pallida verò iam, & subruffa est: Si enim in aquam inieceris, vel ruffi coloris parum, vel pallidi multum, simile tibi videbitur: hæc verò, quantum ad colorem attinet, concocta iam est: oportet autem tantum eam discedere sua crassitudine ab aquosa, quantum colore; siquidem benè concoqui debeat. Optima autem omnium vrina, subruffa, ac subflaua est: quemadmodùm & antea diximus: veluti si etiam extra (.i. corpus) tale quid facere velles, sanguinis serum, ac bilem ruffam aquæ permiscens. Sermone autem non possum exprimere mixtionis quantitatem: Sed vel ab altero (idest à Medico) oportet addiscere de optima vrina, aut per te ipsum experientia percipere, qualis sit vrinæ secundùm naturam se habentis forma, eam in sanis corporibus perquirendo. Nam, cùm adhuc coquitur sanguis, vrina, quæ mingitur, læuem, & æqualem & albam subsidentiam, ac multam facit: iam verò perfecta coctione, color quidem vrinæ intenditur, minus autem subsidet: & si longiori post hoc tempore hominem à cibo prohibueris, videbis ipsam fieri continuò magis ruffam. Nam & in Commentarijs de Potentijs naturalibus ostendebatur, quicquid alimenti supra modum calefit, & præsertim si pingue fuerit, & dulce, verti in amaram bilem. Quoniam & flauam, & ruffam, & pallidam nominant huiusmodi bilem: melius est hoc in loco illud rursùs annotare, vt exactiùs quis dicta assequatur; quòd ruffus color ad flauum proximè accedit: in hoc autem differunt, quòd alter magis ad album (ruffus videlicet) alter (id est flauus) ad splendidum vergit. Nam & amara bilis aliquando ruffa apparet, aliquando flaua, sæpiùs autem & pallida tibi videtur esse: Si quidem albior & turbulentior facta sit, ruffa: Si verò splendens sit, & purior, flaua: nam quod veluti igneum in bile splendet, ipsam reddit flauiorem.

Vrina optima.

Mixtionis quantitas quoad colores in vrinis, vnde addiscenda.

Vrina inedia.

Ruffus color à flauo quomodo differat.

Ex hoc contextu, quem, tanquam vtilissimum studio produxi, & inserui, liquidò colliguntur causæ vrinarum quoad colorem. Præterquam autem quòd omnes vrinæ tincturam suscipiant, aut ratione caloris, aut ob frigoris dominium, hoc fieri accidit duplici

de causa. Primò, quia vrinæ substantia est colore prædita ob aliquam ex dictis causis, videlicet ob remissionem caloris; & defectuosam coctionem, aut ob intensionem caloris, veluti adurentis serum, siue liquorem. Secundò colorantur vrinæ propter admistionem alicuius humoris alieni, vi cuius substantia vrinæ, siue ipse liquor seu humor tincturam suscipit, etiamsi in sua substantia nullum habeat alienum colorem. *Duplex causa, ob quam colorantur vrinæ.*

Hæc doctrina, vti diximus, conformis est Galen. loco cit. quando aquosam vrinam & albam dicit prouenire à defectu coctionis, seu à calore remisso, seu (quod idem est) à frigiditate prædominante. Eadem enim vrina potest fieri alba ex permixtione humoris pituitosi, qui ex sua natura albus est: Sicuti vrina pallida, russa, flaua, & reliquæ deinceps, fiunt tales ob intensionem caloris, quia facta intensione primarum qualitatum, fit & secundarum auctio. Compertum præterea habemus, ex fame, siti, nimio exercitio, nimiaq; venere, ira, æstu, vigilijs, & reliquis rebus non naturalibus malè administratis, vrinas ex pallida fieri russas, flauas, & rubras: imò, si cor ardeat, reddi virides & nigras. Cùm tamen statim post cibum, & quamdiu temperatè vitam degimus, vrinæ pallidæ, aut subflauæ permaneant: quæ omnia indicant ab intensione primarum qualitatum dimanare aliquando variationem colorum: aut ob mixtionem bilis naturalis, aut præter naturam, & torrefactæ; imò & nigrefactæ ob adustionem nimiam: vnde vrinæ virides, fuscæ, nigræ &c. *Vrina aquosa & alba vnde proueniat.*

Vrina igitur alba, vt paulò ante dictum, duplici de causa talis apparet: aut quia non alteratur à calore, aut quia alicuius humoris mixtione albida fit. Primo modo alba fit aut ob incoctionem præcipuè, seu cruditatem, aut ob obstructionē, aut quia bilis, qua antea tingebatur, aliò rapitur, ad caput nimirum; aut vesicam inflammatam, in qua pars biliosa durescit, ac splendida & alba eijcitur: aut ob nimium calorem viscerum, hepatis præcipuè, & renum, ad se nimis attrahentium potulentum liquorem: vnde omnimoda incoctio sequitur, & nulla retentio, vt superiùs cum Galeno diximus: & inde originem accipit Diabete. Aliæ causæ ex supradictis de differentijs vrinæ tenuis per se patent. Vrina alba, quæ hoc modo generatur, tenuis est, & aquea dicitur; cui à quibusdam crystallina, & niuea annectitur. *Causa vrinæ albæ.*

Vrinæ lactea causa. Vrina lactea in quibus morbis appareat.

Secunda causa humoris albi est permixtio alicuius substantiæ albæ, vt pituitæ, seminis, puris; talisque vrina lactea dici potest; estq; differens à præcedenti, quòd hæc crassa sit, saltem in principio, antequam humor mixtus in fundum matulæ descendit. Tales vrinæ in morbis pituitosis, vt febre quotidiana, anasarca, & similibus, sæpissimè apparent. Fit enim attractio talium humorum, & & non solius seri, aliquando à renibus; quia venæ emulgentes, per quas serum educitur è vena caua in renes, patentes sunt, & amplæ, sicuti & meatus, per quos delabitur humor melancholicus ad lienem, ad quem etiam sanguis attrahitur vnà cum succo melancholico, qui sanguis ab omenti venis postea exugitur. Chystis autem fellis bilem sinceram ad se attrahit; quia ductus ad hanc angusti sunt. Hæc doctrina est Galeni lib. 5. de Vsu part. cap. 6. quem probè citat Massarias tractatu de Vrinis. Aliæ differentiæ vrinæ albæ, quia secundùm magis aut minus differunt ab his, ad præsentes causas reducuntur, seu ab ijs fiunt.

Vrinæ subpallidæ, subruffæ, & subflauæ seu citrinæ & aureæ causa efficiens. Vrinæ flauæ, & ruffæ generatio.

Calor natiuus temperatus, & suo munere fungens, maximè dum à nullo impeditur obice, cibum & potum benè concoquens & permiscens, vrinam efficit subpallidam, subruffam, aut subflauam, seu potiùs citrinam & auream, qualem habent, qui florida ætate fruuntur, & in quibus non nimium viget bilis, aut calor extraneus. Si autem calor sit vehemens, tincturam dat maiorem vrinæ, vt dixi, aut sanè ob permixtionem alicuius speciei bilis, pallidæ videlicet, ruffæ, aut flauæ. Flaua quidem vrina generatur, dum maxima bilis portio, & præcipuè præternaturalis, ei admiscetur. Si minor quantitas, ruffa fit vrina: Si adhuc minor, pallida: Si minima, subpallida.

Linteamina ictericorum vrinis intincta cur flauescant.

Multum laborat Sennertus, vt probet, colorem istum non prouenire semper à flaua bile, sed etiam à sero salso humorũ: nam, inquit, in Ictericorum vrinis, quæ intinguntur linteamina, flaua fiunt ob bilem immixtam. At verò in alijs multis flauis vrinis tincturam nullam accipiunt dicta linteamina; quia à sero tincturam tunc accipit vrina.

Verùm hic Vir inaniter desudat: nam Galenus hoc ipsum refert 6. Epidem. comment. 5. tex. 14. Sic verò, inquit, & rubram bilem vocant, quæ sanguinis serum est. Idem affirmat lib. de Crisib. cap. 12. Ergo Sennertus non debet sibi hanc sententiam, tanquam nouam, arripere.

Vſus Rhabarbari, Senæ, Croci, aliorumq; multorum, vrinam reddit flauam.

Alia cauſæ vrinæ flauæ.

Rubra vrina, flammea, quæq; ſplendet, à bile accenſa, & aduſta cauſatur. Rubra quæ non ſplendet, & quæ eſt veluti aqua, in qua recentes carnes alicuius animalis nouiter mactati lotæ ſunt, à ſanguine cauſatur: ideoq; cruenta dicitur: nam ſanguis vrinæ permiſcetur, propter alicuius vaſis, ſeu venæ ruptionem, aut eroſionem, aut apertionem; (maximè circa vias vrinæ) vel propter debilitatem hepatis, & renum, impotentium ſanguinem probè conficere, & à ſero ſegregare, & ſibi ſimilem reddere: non ſecùs ac accidit in alui cruento fluore, dum imbecillum extat hepar: vt conſtat ex Galeno 1. Prorrheticon. Et hoc per interualla accidit, criticè, ob ſanguinis ſeroſi nimiam quantitatem: & ſic proficua vacuatio eſt. Atq; hæc vrina cruenta propriè dicitur. Quæ autem benè rubra dicitur vrina, ea eſt, in qua ſanguis craſſus, verus, & rubicundus quaſi diſſoluitur. In æquali quidem portione permixtus cum ſeroſo ſanguine, intenſiorem rubedinem efficit; ſicuti accidit in flaua, ruffa, & pallida bile: æqua portio harum bilium non æqualiter tingit, ſed minus pallida, magis ruffa, & magis adhuc flaua. Vnde pauca quantitas flauæ ruffum generat colorem: perexigua pallidam: ſic & craſſi ſanguinis exigua quantitas cruentam procreat vrinam, non tamen ſummè rubram, niſi in maiori quantitate.

Vrinæ rubræ ſplendentis cauſa.

Vrina rubra non ſplendens cur cruenta dicatur eiuſq; cauſa.

Colorum generatio in vrinis pro quantitate bilis.

Vrina rubra non tam ſæpè generatur à ſanguine, ac à bile flaua, & ſemiaduſta, necnon à bile rubra. Bilis enim rubra vrinam facit in modum vini rubri, & obſcuri ac nigricantis. Hanc vrinam ſæpè vidi in Peſtilentibus ardentiſſimiſq; febribus, vbi ſanguis aduritur, & iecur cum corde eſt inflammatum: tandemq; aliquando nigra redditur; maximè vbi carbunculi infeſtant.

Vrinæ rubræ generatio.

Vrina in peſtilentibus & ardentibus febribus.

Vrina vinea, quia cum præcedente coincidit (niſi quòd hæc ab intenſiore calore fiat) cauſam habet bilem, ſed magis præter naturam factam, cæruleam, videlicet, ſeu glaſteam ſeu Iſatodem, quæ bilis præter naturam ſpecies eſt, ſed iam torrefacta nimium; aliquando à copioſa bile rubra, vt apparet in Ictericis.

Vrina Vinea, vnde procedat.

Paſſea vrina huic ſuccedit, quæ, teſte Actuario, fit ex bile flaua eximiè torrida, & quaſi atra facta: vnde violaceũ generat colorem.

Vrinæ paſſeæ generatio.

Viridis color in vrina ſequitur, qui à porracea aut æruginoſa bile fit, ſecundùm Actuarium.

Vrinæ Viridis cauſa.

Quan-

Vrina nigra ex calore, quomodo fiat. Quando vrina nigra ex calore fit, succedit viridi ob nimiam assationem liquoris, & ob permixtionem bilis atræ iam factæ ex bile, aut melancholia naturali, aut sanguine: aliquando ob humoris melancholici vtilem excretionem, factam ob debilitatem splenis, aut alio critico modo, vt in icteritia nigra non rarò contingit.

Vrina nigra ex frigore. Quum liuidæ vrinæ sæpè succedat nigra, tunc ex frigiditate fit: quando videlicet propter extinctionem caloris natiui, sanguis grumosus & niger factus per vrinam expellitur: hoc dum fit, vrina priùs liuida est, deinde omninò nigrescit.

Hæc sententia, quamuis Galeno conformis cap. 12. lib. 1. de Crisib. oppugnatur tamen à varijs authoribus, & præcipuè à Mercuriali cap. 6. de Vrinis, qui autumat, quamdiu viuimus, non posse in nostris corporibus reperiri tam intensum frigus, vt ab eo possit generari vrina nigra. *Dubium Mercurialis.*

Solutio dubij. Sed fallitur, vt diximus; præterquamquòd videamus aliquando ingentis frigoris effectum in corpore, quando parua, aut nulla fit in iecore sanguificatio ob eius intemperiem frigidam, vt in hydrope. Nonne præterea datur æqualis intemperies, ex decreto omnium Medicorum post Galenum lib. de inæquali intemperie? Vnde febres Lippiriæ, in quibus pars alget & aduritur simul; & non secundùm externam superficiem, & habitum corporis tantùm, sed secundùm partes etiam internas corporis. Ergo non repugnat, nimium refrigerari partes quasdam internas alijs illæsis; & maximè quando sanguis putrescit, & deseritur prorsùs ab innato, imò ab omni calore. Ergo potiori iure vrinæ quædam nigræ poterunt fieri vi frigoris; cùm sine omni calore sint, dempto externo & extraneo, ex Arist. 4. Meteor. cap. 11. quem ipsemet Mercurialis citat. *Intemperies æqualis datur.* *Febres Lippiriæ.* *Vrina nigra potest fieri vi frigoris.*

Vrinæ viridis cæruleæ, fuscæ, & liuidæ, causa ex Mercuriali. Ex loco cit. Epidem. & 10. de Simpl. medicam. facult. bilis præter naturam aut est æruginosa, aut prasina, aut cærulea, aut glastea. Ex his secundùm Mercurialis opinionem, fit color viridis, cæruleus, fuscus, & liuidus.

FINIS.

INDEX

Rerum Memorabilium in hoc Opere contentarum;

Ordine Alphabetico digestus.

Æthio-

B

C

Cibis

mor-

Fa-

F

Fla-

I

Inæ-

O

P

FINIS.

